

R. P. IOANNIS
MARTINON
E SOCIETATE IESV,
DISPVTATIONVM
THEOLOGICARVM
OPVS POSTHVMVM.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

QVIBVS

VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CLARE, BREVITER, ET ACCVRATE EXPLICATVR.

AVTHORE R. P. IOANNE MARTINON
Societatis IESV, in Collegio Burdigalensi Sacræ Theologiæ Professore.

DE IVSTITIA ET IVRE, ET RELIQVIS VIRTVTIBVS MORALIBVS.

TOMI TERTII, PARS SECVNDA.

Opus posthumum.



AVGVSTORITI PICTONVM,
Apud IOANNEM FLEVRIAV, Regis, Cleri, Academiæ, & Centumviralis Curiæ Typographum, è regione B. Mariæ Majoris.

M. DC. LXIII.
Cum Approbatione & Priuilegio.



IN SECVNDAM SECVNDÆ

PARS ALTERA

TOMI TERTII.

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS.



IRTVTES diuiduntur à Theologis in Theologicas, & Morales. Theologicæ dicuntur illæ, quæ habent Deum pro obiecto formali, atque etiam materiali, saltem in præcipuis actibus: vt Fides, Spes, & Charitas. Morales dicuntur reliquæ omnes quæ cæteris in rebus mores, id est, actiones hominum liberas, rectæ rationi conformes reddunt. Inter quas præcipuæ sunt Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia: idcirco dictæ Cardinales, id est, principales; ad quas reliquæ veluti partes potestatiuæ, id est, quasi subministræ, reducuntur. De illis, sed breuiter admodum disputant veteres Scholastici in 3. distinct. 33. & 36. fusius verò, & accuratiùs D. Thomas, eiusque interpretes 2. 2. quæst. 47. & sequentibus, quorum doctrinam explicare aggredimur. Easdémque virtutes commendant SS. Patres, Hieron. in cap. 1. Euangelij secundum Marcum, Ambros. lib. 5. in Lucam cap. 6. Prosper. lib. 3. de vita contemplatiua cap. 18. August. lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 10. vbi eas tropologicè significari ait per quatuor flumina paradisi; & Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26. aliàs 36. vbi etiam eas metaphoricè intelligit per quatuor angulos domus Iob, quibus concussis ipsa corruit. Dicemus autem in tertio sequenti tractatu, quæ de Prudentia, Fortitudine, & Temperatia ad Scholasticam considerationem magis pertinent. Tum in quartò, de Iustitia, quæ longiorem explicationem requirit. In quintò denique tractatu, de Religione, & alijs virtutibus Iustitiæ annexis.

TRACTATVS TERTIVS.

De Prudentia, Fortitudine, & Temperantia.

DISPVTATIO PRIMA.

De Prudentia.

DE Prudentia disputat S. Thom. q. 47. & nouem sequentibus. In quarum prima naturam, actus, habitum, & subiectum illius exponit. In secunda tractat de partibus illius generatim. In tertia, de partibus quasi integralibus, id est, de quibusdam ad illam acquirendam, & exercendam necessarijs, aut vtilibus. In quarta, de partibus subiectiuis, id est, de varijs speciebus prudentiæ. In quinta, de virtutibus illi annexis, Eubulia, Synesi & Gnome. In sexta, de dono Consilij. In septima, octaua, & nona, de vitijs oppositis: imprudentia, negligentia, & prudentia carnis. In decima & vltima, de præceptis ad prudentiam pertinentibus. Quæ omnia, quoad opus erit, sequentibus Sectionibus explicabuntur.

SECTIO I.

Quid sit Prudentia, & quomodo differat ab arte?

1. Prudentiæ multiplex acceptio.



OMissis alijs latioribus & minùs proprijs prudentiæ acceptionibus sumitur primò pro quovis iudicio practico, quo rectè, id est, congruenter statuitur de medijs ad finem aliquem, siue bonum, siue malum consequendum idoneis. Quo sensu dicitur Luc. 16. *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Et prudens latro dicitur, qui conuenientes vias adinuenit ad latrocinandum; inquit D. Thom. quæst. 47. art. 13. c.

Secundò, sumitur pro quavis notitia practica, idonea ad finem aliquem bonum dumtaxat consequendum: siue sit bonus moraliter, id est, honestus; siue alio genere bonitatis, quia est vtilis seu commodus, aut delectabilis, & caret turpitudine opposita honestati. Quo tam lato significatu prudentia artem comprehendit. Sicque dicitur prudens negotiator, aut nauta, qui adinuenit vias accommodatas ad negotiandum, vel nauigandum, inquit S. Thomas art. citato. Et Exod. 28. ver. 3. artifices quidam vocantur *sapientes corde, & repleti spiritu Prudentiæ, vt faciant vestes, &c.* Et Ierem. 10. ver. 12. dicitur Deus extendere cœlos Prudentiâ suâ: cùm tamen Deus arte quadam diuina cœlos & mundum vniuersum fabricatus sit.

2. Magis propriè est recta ratio agibilium.

Tertiò, strictè & magis propriè sumitur pro sola & omni cognitione practica, distincta ab arte. Quo sensu Arist. 6. Ethic. cap. 5. initio, *Prudentes*, inquit, *circa aliquam rem dicimus, quando ad aliquem bonum finem consequendum bene ratiocinantur in illis, quorum non est ars.* Ibidémque prudentiam distinguit ab arte, quòd prudentia sit recta ratio agibilium; ars verò sit recta ratio factibilium. Ac denique Prudentiam propriè sumptam, & vt distinctam ab alijs virtutibus intellectus, quas ibidem enumerat, definit esse habitum cum vera ratione circa bona humana actiuum. Ex quo desumpta est vulgata & communiter recepta definitio, *Prudentia est recta ratio agibilium.* In qua definitione particula illa, *recta ratio*, idem sonat, ac vera & bona ratiocinatio, siue inquirendo per consultationem quid agendum sit, aut quid conuenienter agi possit: siue iudicando, & determinando practicè quid agi possit, aut debeat. Nomine autem *agibilium*, intelligenda sunt primò & præcipuè moralia, id est, ea quæ ad bonos mores pertinent (à quibus boni simpliciter denominamur) & ad finem moraliter bonum, id est, honestum: in quibus moribus dirigendis præcipuè consistit Prudentia: eâque de causa virtus moralis appellatur, ratione finis illius extrinseci: tametsi formaliter & intrinsecè sit virtus intellectualis, quia consistit in cognitione. Secundò, agibilium nomine intelligi etiam debent (vt rectè docent & benè probant eruditi quidam Recentiores) multa alia quæ pertinent ad finem non malum; sed bonum & commodum nobis aut alijs, & distinctum à fine artis, siue in ijs versantem, de quibus non est ars. Nam quòd Prudentia propriè sumpta ad illa quoque extendatur, probatur, inquiunt, ex Arist. 6. Ethic. cap. 5. vbi definit Prudentiam propriè sumptam, & vt distinctam ab alijs virtutibus intellectus, esse habitum cum ratione vera, circa bona humana actiuum. Per bona enim intelligit non tantùm honesta; sed & vtilia ad valetudinem, ad vires, ad opes, & omnino ad bene viuendi quomodocumque rationem, vt patet ex initio eiusdem capitis; exceptis illis, quæ per artem determinantur: propter quod addit prudentiam esse bonam ratiocinationem circa bonum finem consequendum, *in ijs, quorum non est ars.*

Quæ dicantur agibilia?

3. Prudentia non versatur tantùm circa agibilia honesta.

Probatur secundò ex Diuo Thoma quæst. 47. art. 2. ad 1. vbi post Arist. affirmat eum, qui bene ratiocinatur ad aliquem finem particularem, putà ad victoriam, dici prudentem, non simpliciter, sed in hoc genere, scilicet in rebus bellicis: illum verò, qui bene ratiocinatur ad totum bene viuere, id est, ad honestè se gerendum in omnibus actionibus humanis, dici Prudentem simpliciter. Et art. 14. ad 1. affirmat duplicem esse industriam (id est, Prudentiam, vt patet ex argumento primo, cui respondet. Vnam, quæ sufficit ad ea, quæ sunt de necessitate salutis: *& talis industria datur*, inquit, *omnibus habentibus gratiam, quos vnctio docet de omnibus, vt dicitur 1. Ioan. 2. Est autem alia industria plenior, per quam aliquis sibi & alijs potest prouidere, non solùm de his quæ sunt necessaria ad salutem, sed etiam de quibuscumque pertinentibus ad humanam vitam. Et talis industria non est in omnibus habentibus gratiam.* Hæc D. Thomas. Ex cuius mente ad prudentiam pertinent non solùm ea, quæ spectant ad virtutem, & honestatem: sed etiam alia quæcunque pertinent ad vitam humanam: exceptis scilicet artificialibus. Ad vitam autem humanam pertinent non solùm honesta (quæ quidem præcipua sunt) sed etiam multa commoda & vtilia, quamvis non honesta, sed licita dumtaxat; vel non considerata vt honesta, neque ad honestum finem relata. Eodémque sensu Arist. cap. suprà cit. dixit Prudentiam esse habitum vera cum ratione iunctum, ad gerenda omnia quæ ad vitam humanam pertinent.

4. Quatuor species Prudentiæ.

Confirmatur, quia (vt ijdem Recentiores sapienter aduertunt) Arist. 6. Ethic. cap. 8. Prudentiam diuidit in personalem, siue solitariam; & in gubernatricem: quam subdiuidit, in tres species; œconomicam; ciuilem seu politicam; & legislatricem, siue nomotheticam: quibus quartam addit S. Thomas quæst. 50. art. 4. nempe militarem. Quarum specierum prima spectat bonum proprium personæ: estque illa, quâ vnusquisque bene ratiocinatur in ijs, quæ ad ipsum pertinent, intendendo proprium suum bonum. Aliæ spectant bonum commune: œconomica scilicet, bonum familiæ: Ciuilis seu politica, bonum ciuitatis, aut Reipublicæ, vel Regni: Legislatrix, seu nomo-

thetica, bonum eorum quibus leges condit: Militaris denique, bonum exercitus, & bonum publicum, cuius hostes auertit. Hæ autem omnes Prudentiæ species non in eo solùm consistunt, quòd rectè ratiocinentur homines in ordine ad bonos mores, de ijs, quæ bono proprio, vel communi expediunt: verùm etiam de ijs, quæ citra illam considerationem sibi vel alijs vtilia, vel commoda sunt. Ex. gr. Personalis, siue monastica, non solùm valet ad dirigendos mores cuiusque in ordine ad honestatem: sed etiam ad quærenda aliqua licita vitæ commoda, vel ad vitanda incommoda & pericula; ad captandam aliorum beneuolentiam, & vitandam offensionem; ad discernenda aliorum ingenia, & viuendum cum illis pacificè, & similia. Nam vt rectè addunt iidem Recent. Paulus Apost. Prudenter egit Act. 23. quando, vt impetum Iudæorum declinaret in mortem eius conspirantium, iniecit quæstionem de resurrectione mortuorum, vt Pharisæos & Sadducæos inter se committendo, vtrorumque vim contra se frangeret. Prudenter, inquam, se gessit, siue hoc fecerit ex altiori & honesto fine, vt Euangelium diutius prædicaret; siue tantùm vt vitæ suæ consuleret. Nec quisquam dicet illum, si priorem intentionem habuit, fuisse quidem Prudentem: si posteriorem, egisse bonum artificem. Christus etiam prudentissimè respondit Pharisæis, & Herodianis, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo;* vt inuidiam, quam sibi conflare volebant, declinaret: fuissetque responsum illud prudens, quamvis Christus nihil aliud intendisset, quàm Iudæorum calliditatem eludere. Idem dico de responso dato interrogantibus, num mulier deprehensa in adulterio, deberet lapidari, Ioan. 8. & de iudicio Salomonis inter meretrices, 3. Reg. 3. v. 16. & sequentibus.

Prudentia monastica circa quid versetur?

5. Similiter prudentia œconomica non eò solùm pertinet vt familia honestè viuat, curando vt omnes domestici mores suos conforment ad præscriptum rectæ rationis: verùm etiam vt familiæ bene & commodè sit in ijs, quæ ad victum, & vestitum, aliasque vitæ humanæ necessitates spectant; iuxta illud Christi Luc. 12. v. 42. *Fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.* Et prudentia politica non solùm curat vt ciues honestè viuant seruando leges; verùm etiam vt aliter illis bene sit; concorditer degant, & pacificè; abundent copiâ rerum necessariarum; suauiter regantur, & efficaciter; concilietur à Principe eorum amor, & reuerentia; noscantur mores, & ingenia subditorum, vt illis Princeps aut Magistratus sapienter se accommodet quantum opus est. Sic denique prudentia militaris non curat solùm vt milites honestè viuant, & virtutem fortitudinis, aliasque suo statui conuenientes exerceant: verùm etiam vt adhibeantur quæcumque alia ad bellum bene gerendum, & ad victoriam consequendam necessaria. Cuiusmodi sunt, prouidere sapienter de commeatu, captare opportunum locum, & tempus, & occasionem pugnandi, præcipere militibus in pugna quidquid expedit hîc & nunc; & alia huiusmodi non satis determinata per artem militarem, quæque egent consultatione, vel sagacitate animi, vt prudenter excogitentur.

Prudentia œconomica.

Prudentia politica.

Prudentia militaris.

Vnde collige, agibilia, quæ sunt obiectum prudentiæ propriè dictæ, esse in duplici differentia. Quædam enim sunt moralia, id est, in genere moris. Alia sunt commoda vel vtilia, ad genus moris non pertinentia, vel sine ordine ad illud considerata. Rursus priorum triplex est differentia. Quædam enim sunt quæ possunt quidem honestè fieri, sed possunt quoque sine turpitudine omitti. Cuiusmodi sunt opera supererogationis, vouere paupertatem, abstinere à coniugio propter regnum cœlorum, suscipere statum Religiosum, & similia. Et hæc vocantur honesta dumtaxat: quibus opponuntur turpia, & inhonesta. Alia sunt, quæ non tantùm possunt honestè fieri, sed etiam debent. Et hæc vocari possunt agenda, quia subsunt cuidam necessitati & obligationi morali vt agantur: neque possunt sine morali turpitudine prætermitti. Cuiusmodi est, vt suum cuique tribuatur, vt nemo alterum iniustè lædat. Et quæ his opponuntur vocantur non agenda. Alia denique sunt licita tantùm, id est, nec honesta, nec turpia. Cuiusmodi est eligere minus bonum præ maiori non necessario, vt diuitias præ voluntaria paupertate, omittere consilia Christi ex eo præcisè quòd non sunt necessaria. Tales enim electiones liberæ, non sunt honestæ; quia non est honestum, & laude dignum, eligere minus præ maiori. Non sunt etiam turpes, quia non dedecet rationem rectam omittere id, quod non est necessarium. Et hæc in genere morum vocantur adiaphora, siue indifferentia, id est, neque bona, neque mala moraliter, sed tantùm licita, & media inter bonum & malum morale, per negationem vtriusque differentiæ. De quibus omnibus rectè ratiocinari ad prudentiam pertinet.

6. Agibilia sunt duplicis generis.

Moralia tripliciter distinguuntur.

Circa hanc verò partem præcipuam prudentiæ considerandum est, cognitionem practicam agibilium in genere moris, duplicem esse. Vnam generalem, & communem; qualis traditur in Philosophia, & Theologia morali. Aliam particularem, quâ in singulis actionibus præscribitur quid hîc & nunc liceat, vel expediat, aut debeat fieri secundùm rectam rationem. Vtraque potest prudentiæ nomine significari. Nam sicut tota cognitio iuris, & iusti, atque iniusti, solet nominari prudentia iuris: sic tota agibilium & non agibilium moralium cognitio, & recta ratio, seu generalis, seu particularis, potest non immeritò prudentiæ nomine comprehendi. Eòque pertinere potest vulgaris definitio sumpta ex Aristotele, nisi magis restringatur, quàm verba sonant, *Prudentia est recta ratio agibilium:* & illud Pauli Ephes. 5. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Etenim quæ sit voluntas Dei potest intelligi non tantùm circa vnumquodque singulare hîc & nunc: sed etiam vniuersaliter. Arist. quoque 6. Ethic. cap. 7. & 8. dicit non vniuersalium tantùm, sed & singularium rerum esse ipsam prudentiam. Sic autem sumpta prudentia totam scientiam

7. Cognitio agibiliũ moraliũ duplex.

practicam moralem comprehendit, illique addit notitiam singularium, quæ in communi tantùm considerantur à scientia morali. Specialiùs tamen sumitur pro sola particulari notitia practica, quâ in ordine ad bonos mores statuitur quid hîc & nunc sit agendum aut non agendum, honestum aut turpe, licitum aut illicitum, spectatis omnibus circunstantijs, præsertim in ijs quæ non satis determinantur à scientia morali, & in quibus consultatione aliqua opus est. Et hæc est propria huius loci acceptio: sic enim sumitur à D. Thoma in hac quæst. 47. & ab alijs communiter, nimirum pro virtute intellectus proximè morum directrice, quæ versatur circa singularia, præscribendo voluntati, quid fieri possit, aut debeat, modo superiùs exposito. Hac etiam ratione distinguitur à Philosophia morali, & ab alijs virtutibus tum intellectus, tum voluntatis, vt videbitur paulò post. Neque dubium est quin hæc acceptio nomen prudentiæ mereatur præcipuè: nam vt rectè argumentatur D. Thom. art. 8. c. Prudentia practica est, & in practicis præcipuum est id, quod vsui propinquius est. Ergo agendi cognitio quæ actioni & vsui proxima est, est præcipuè prudentia. Atqui ea agendi cognitio, quæ præscribit quid hîc & nunc sit agendum aut non agendum, &c. est proxima vsui, & executioni: Ergo illa cognitio est præcipuè prudentia.

Prudentia propriissimè sumpta quid sit?

8. Similique modo altera pars prudentiæ circa agibilia non-moralia, est illa, quæ rectè ratiocinatur circa ea, quæ hîc & nunc in particulari agere expedit, in ijs quæ per artem, eiusque Regulas infallibiles non sunt determinata: & præcipuè circa illa, quæ indigent consultatione aut perspicaciâ & solertiâ animi: vt quomodo hîc & nunc tale periculum vitandum sit, aut occurrendum tali necessitati, cui difficile est occurrere. Verum hîc & nunc pugnam aggredi expediat: quâ parte hostis hîc & nunc sit aggrediendus, &c. Quæ & similia per artem militarem non satis determinantur. Et similiter aliæ artes, vt bene dicendi, nauigandi, negotiandi, & similes, relinquunt locum prudentiæ in ijs quæ non satis determinant, id est, de quibus non tradunt satis determinatè certas & infallibiles Regulas his & illis casibus singularibus facilè applicabiles. Dicitur enim v. g. prudens Orator, qui magna dexteritate orationem suam accommodat hîc & nunc secundùm præsentem auditorum, & rerum exigentiam. Et prudens negotiator, qui opportunè captat tempus & occasionem sibi comparandi, aut distrahendi merces. Quæ omnia satis patent ex communi sensu & vsu hominum, etiam eruditorum, ex quo præcipuè vera significatio huius vocis, *Prudentia*, metienda est. Vnde collige, Lessium lib. 1. de Iustitia cap. 1. dub. 1. & alios qui prudentiam restringunt ad sola agibilia moralia, non attingere integrum & adæquatum eius conceptum: sed præcipuam tantùm eius partem, quæ est morum directrix.

9. Ex dictis autem facile est intelligere quodnam sit obiectum, & subiectum, & actus, atque officium prudentiæ: quomodòve differat ab alijs virtutibus. Nimirum obiectum illius adæquatum esse agibilia particularia in ijs, de quibus non est ars. Subiectum verò esse intellectum, cuius est bene ratiocinari circa eiusmodi agibilia. Et actum esse ipsam ratiocinationem bonam, siue rectam notitiam practicam de ijsdem agibilibus in particulari: præcipuè de moralibus. Notandum tamen non posse prudentiam statuere de actionibus singularibus per principia morum vniuersalia, & ratiocinationem ex illis deductam, vel ex conclusionibus vniuersalibus, nisi attingendo eadem principia, & conclusiones. Quare obiectum prudentiæ adæquatum illa comprehendit, vt docet S. Thom. quæst. 47. art. 3. sicut obiectum adæquatum scientiæ complectitur præmissas, & prima principia. Differt tamen prudentia à synteresi, id est, intelligentia moralium principiorum vniuersalium, atque à scientia morali Philosophica, & Theologica; quia istæ versantur circa principia morum vniuersalia, vel conclusiones vniuersales ex illis deductas: Prudentia verò circa illa versatur vt contracta ad casus singulares; vel circa conclusiones generales, applicando illas ad singula negotia. Ab alijs autem virtutibus intellectus, & voluntatis ita differt: Ab his quidem, quia earum actus & officium non est cognoscere, sed appetere: Item, istæ sunt in voluntate, aut in appetitu; non autem in intellectu: & tendunt in obiectum sub ratione boni, aut mali: Prudentia verò tendit in obiectum sub ratione veri, iudicando quid sit verè honestum, vel quid expediat hîc & nunc. Quod autem ait D. Thomas art. 4. c. Prudentiam respicere bonum non solùm materialiter, sed etiam formaliter, id est, sub ratione boni: hoc sensu intelligendum est, vt rectè exponit Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 1. dub. 2. num. 11. quòd prudentia respiciat opus honestum dupliciter. Primò, tanquam obiectum cognoscibile; & sic respicit illud sub ratione veri: Secundò, vt finem operabilem à virtutibus quas dirigit, quemque ipsa operatur per modum dirigentis: & sic respicit illud sub ratione boni. Non enim prudentia considerat quid sit honestum, vt in illa cognitione sistat; sed vt per virtutes morales illud operetur quia bonum. Est enim practica, & tendens ad operationem, quam dirigit.

Obiectū, subiectū, & actus Prudentiæ.

Quomodo differt à synteresi, & scientia morali?

Et à virtutibus voluntatis.

Ab alijs autem virtutibus intellectus sic differt: A sapientia quidem, quia hæc speculatiua est magna ex parte, rerúmque altissimarum, præcipuè diuinarum, per supremas causas cognitio: prudentia verò practica est, & in actionibus humanis, præcipuéque moralibus, dirigendis versatur. Ab intellectu: quia hic est tantùm intelligentia principiorum, ex quibus aliorum cognitio deducitur: Prudentia verò versatur circa particularia quæ ex principijs cognoscuntur: vnde in moralibus supponit synteresim, seu intellectum principiorum moralium. A scientia strictè sumpta, prout sumitur in illa diuisione Aristotelicâ, differt: quia hæc est tantùm de vniuersalibus, & necessarijs: prudentia verò est de singularibus, & contingentibus. A Theologia, & à fide Theologica; quia istæ magna ex parte speculatiuæ sunt; & quâ parte sunt practicæ, non præscribunt in parti- 10.

Et ab alijs virtutibus intellectus.

culari quid hîc & nunc sit agendum: aut quid sit turpe vel honestum, licitum vel illicitum, in singulis actionibus moralibus, spectatis omnibus circunstantijs; quod est proprium prudentiæ. Ab arte denique: quia prudentia vel est de rebus moralibus, de quibus non est ars: vel de ijs agibilibus, de quibus non sunt certæ & infallibiles Regulæ, quæque non sunt in artem redacta, sed perspicaci & solerti iudicio hîc & nunc discernenda sunt. Quo sensu puto intelligendum esse quod ait Arist. 6. Ethic. cap. 4. & 5. artem esse rectam rationem faciendorum; prudentiam vero, agendorum. Quam differentiam non bene exponit Less. cap. sup. cit. num. 14. dicens *facere* idem esse ac, edere operationem transeuntem in externam materiam, vt fiat aliquod opus, v. g. domus, nauis: *agere* verò, esse edere actionem immanentem vnde homo fiat bonus vel malus. Etenim canere musicè, loqui peritè, saltare artificiosè, non est edere operationem transeuntem in externam materiam vt fiat aliquod opus: & tamen hæc ad artem pertinent. Contrà verò facere sumptus ad aliquod opus pium, Religionis causâ, putà, ad templum ædificandum, aut operam suam eò conferre, est edere operationem in externam materiam vt fiat aliquod opus. Et tamen hoc, quatenus piè & Religiosè fieri debet, aut potest hîc & nunc, ad prudentiam pertinet. Idemque dico de alijs externis operibus bonis moralibus: vt alere pauperes, visitare infirmos, sepelire mortuos, solari mœstos.

Quomodo differt ab arte?

11. Malè quoque differentiam illam exponunt alij, qui dicunt actionem non relinquere post se opus; effectionem verò, relinquere. Nam pulsandi organa, canendi, saltandi, & bene loquendi ars est: quæ tamen actiones nullum opus relinquunt. Item, actiones intellectus quæ per artem Logicæ diriguntur, non magis opus relinquunt, quàm actiones prudentiæ, aut actiones voluntatis, quas prudentia dirigit. Et quidem si de ipsa operatione sermo est; neque operatio artis manet, neque prudentiæ. Si verò de effectu; quemadmodum aliquis effectus artis manet interdum post operationem: ita & aliquis effectus prudentiæ: vt si prudenter quispiam persuaserit aliquid alteri, manet persuasio. Vera quoque explicatio differentiæ illius non est, quod, agere, provt ad prudentiam restringitur, sit idem ac moraliter operari: efficere verò, sit operari aliter quàm in genere moris: ita vt prudentia intendat moralem rectitudinem à qua boni simpliciter denominamur, id est, virtute præditi: ars verò, aliam quandam rectitudinem non moralem, à qua boni tantùm cum addito denominamur, boni pictores, boni musici, boni oratores. Ostendimus enim prudentiam adæquatè sumptam extendi etiam ad agibilia non-moralia, iuxta communiter receptum illius vocis vsum, & Aristotelis ac D. Thomæ definitionem. Quare potiùs per facienda, intelligenda sunt in illa diuisione Aristotelis, ea omnia, quæ fiunt ex certis & infallibilibus Regulis in artem redactis; quæ cuiusmodi sint, faciliùs potest inductione ostendi, quàm vno verbo, aut vnâ definitione explicari. Per *agenda* verò, cætera practica singularia: inter quæ præcipua sunt moralia, & de quibus deinceps præcipua erit consideratio in hac tota disputatione.

Actio, & effectio quomodo differant iuxta Arist.

SECTIO II.

An Prudentia sit virtus: & quomodo verum attingat infallibiliter?

PRudentiam esse virtutem certissimum est. Id enim docet Scriptura pluribus locis, vbi prudentiam alijs virtutibus annumerat, & tanquam laude dignam, valdéque bonam, & vtilem commendat. Vt Sapient. 8. ver. 7. *Sobrietatem* (Græcè σωφροσύνην, id est, temperantiam) *& prudentiam docet: & iustitiam, & virtutem* (Græcè ἀνδρείαν, id est, fortitudinem) *quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Et Prouerb. 3. ver. 13. *Beatus vir qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.* Et Matth. 10. v. 16. *Estote prudentes sicut serpentes.* Et 1. Petri 4. ver. 7. *Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia autem mutuam in vobismetipsis Charitatem continuam habentes.* Idem etiam faciunt Sancti Patres, August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 15. Ambros. lib. 5. in Lucam, circa illud cap. 6. *Beati pauperes:* Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26. alijque passim. Et Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. *Prudentiam,* inquit, *quandam virtutem esse manifestum est.* Ratio est, quia determinat intellectum ad bonum ipsius proprium, id est, ad verum: estque pars optimæ ipsius dispositionis. Est enim recta ratio agibilium, hoc est, vera Inquisitio, aut verum iudicium practicum de agibilibus. Nomine autem virtutis intellige hoc loco, non vnum simplicem habitum, vel vnius speciei: sed collectionem plurium specie diuersorum, qui hîc considerantur sub vno conceptu vniformi, abstrahente à differentijs alibi explicandis: sub quo conceptu omnes in eo conueniunt, quòd sint virtus intellectualis, per quam scilicet intellectus determinatur ad verum circa agibilia illa, quæ præcedenti Sectione diximus esse obiectum Prudentiæ.

12. Prudentia est virtus.

Circa hanc tamen assertionem non leuis difficultas est: quia omnis virtus intellectus tendit ad verum infallibiliter: adeóque certò, & euidenter debet in illud tendere: nam si incertò, vel obscurè tendit, falli potest: & habitus opinatiuus deberet vaticinari vt in verum semper tenderet: quandoquidem obiectum opinionis potest modò esse, modò non esse vt opinamur; & motiuum propter quod assentitur, modò verum est, modò falsum. At Prudentia non tendit in verum infallibiliter, certò, & euidenter. Ergo non est virtus. Probatur maior ex Arist. 6. Ethic. cap. 3. vbi opinionem excludit à numero virtutum intellectualium, quia fieri potest vt vel etiam falsum opinione dicatur. Quare à contrario virtus intellectualis talis esse debet, vt per eam falsum dici non possit, ac proinde tendat in verum infallibiliter. Confirmatur, quia omnis virtus est habitus ad bonum determinatus, perficiens & determinans potentiam, in qua est, ad bonum ipsius proprium.

13. Grauis difficultas.

Bonum autem intellectus est verum. Ergo omnis virtus intellectus est habitus ad verum determinatus. Ergo non potest ferri in falsum: alioquin esset indifferens ad verum & falsum, neque potentiam ad verum determinaret, sed errori expositam relinqueret circa obiectum proprium.

Minor verò probatur, quia nullus adeo prudens est, qui non aliquando fallatur per motiuum ipsum prudentiæ, & sequendo eius dictamen. Neque enim omne iudicium prudens est certum & euidens, sed multa sunt incerta, & opinabilia, ac proinde fallibilia. Cuiusmodi est istud, Omne nimium in cibo & potu vitandum est, quia non prodest, & obest. Hoc autem mihi nimium est. Ergo hoc mihi vitandum est. Etenim minor, quamvis interdum euidens sit, plerumque tantùm est opinabilis; & conclusio similiter. Sic etiam si quis ita discurrat, Quandocumque sunt aduersæ de eadem re morali probabiles opiniones, licitum est alterutram illarum eligere & sequi. Atqui de hoc negotio sunt aduersæ opiniones probabiles. Ergo licitum est alterutram eligere; etiam minùs probabilem. Maior illa non est euidens, sed creditur à multis: ab alijs verò tenetur solùm opinione. Quapropter cùm existente altera præmissarum probabili tantùm, aut creditâ dumtaxat, necessarium sit conclusionem esse paris conditionis: illæ conclusiones ex altera incerta vel obscura deductæ, non possunt esse nisi incertæ, vel obscuræ. Et nihilominus sunt prudentes conclusiones, quia sunt recta ratio agendi in particulari, & præscribunt quid hîc & nunc fieri licitè possit, aut debeat. Tertiò, prudentia est de rebus quæ possunt aliter se habere, quæque pendent à nostra libertate: nam de necessarijs non est consultatio & deliberatio, sicuti est de rebus ad prudentiam pertinentibus. Atqui earum cognitio non habet infallibilitatem: quia si mutentur, cognitio falsa erit: & habitus inclinans ad talem cognitionem, ad falsum inclinabit. Ergo prudentia non est infallibilis. Quartò, iudicium prudens de agibilibus est non tantùm illud quod re ipsa est conforme suo obiecto: sed etiam illud, quod quamvis aberret à rei veritate, fertur tamen prout humano modo ferri potest, adhibita sufficienti diligentia in obiecto, & omnibus eius circumstantijs expendendis. Exempli gratiâ, prudens iudicium fuit, quo Iacob credidit Liam esse vxorem suam, sibique cognoscendam: quamvis reipsa deceptus sit, Genes. 29. Prudens iudicium est quo iudices censent Petrum fecisse homicidium, & esse capite plectendum, quando conuincitur per testes omni exceptione maiores, qui legitimè interrogati, & adhibita sufficienti diligentia, non potuerunt conuinci falsitatis; quamvis reipsa iudicibus imposuerint. Prudens etiam iudicium est, quo quisque iudicat se rite baptizatum esse, & posse recipere alia Sacramenta; Christum esse in hac Eucharistia, ibique adorandum; hunc esse verè pauperem & in necessitate, ideoque esse illi succurrendum; & similia innumera, quæ sunt proximæ Regulæ bonarum actionum humanarum: quamvis in illis contingat deceptio inculpabilis, & per humanam diligentiam ineuitabilis. Denique sicut virtutes aliæ morales voluntatis feruntur in bonum apparens, quod post sufficientem diligentiam verum esse iudicatur: quidni prudentia circa verum apparens?

Huic grauissimæ difficultati tribus modis respondere solet. Primò, virtutem humanam non esse summam, neque perfectissimè disponere subiectum ad proprium ipsius bonum: esse tamen virtutem aliquo modo, quia disponit humano modo quantùm fieri potest: atque ita prudentiam esse virtutem intellectus, quia disponit intellectum ad verum, circa suum obiectum, quantum humanitus fieri potest, licet interdum aberret à vero. Sed hæc responsio manifestè repugnat Aristoteli 6. Ethic. cap. 3. vbi negat opinionem esse virtutem intellectualem, quia, inquit, fieri potest vt etiam falsum opinione dicatur. Et cap. 6. ait scientiam, prudentiam, sapientiam, & intelligentiam, eas res esse, quibus verum enuntiamus, nec vnquam mentimur. Cùm autem quæritur, num hæc aut illa qualitas sit virtus intellectus, aut voluntatis, standum est communi acceptioni & definitioni virtutis traditæ ab Aristotele, & ab antiquis Philosophis, quam non licet pro libito immutare. Deinde, ex communi hominum sensu, virtus est optima quædam dispositio potentiæ rationalis, quâ bene regitur, & conuenienter afficitur circa suum obiectum. Atqui non esset talis, si non determinaret intellectum ad verum, aut voluntatem ad bonum; sed vtramque potentiam indifferenter ad verum aut falsum, malum aut bonum, inclinaret, errorique & vitio per se; ac vi sua exponeret.

14. Prima solutio difficultatis.

Non satisfacit.

Secundus modus respondendi est, non omnem prudentiam esse virtutem, sed eam tantùm, quæ vera & euidens est, quæque ex modo suo tendendi euidenter in obiectum, tendit infallibiliter. Nam prudentia non est vnus simplex habitus, sed collectio multorum, quorum aliqui perfectè disponunt intellectum circa verum; & hi virtutes sunt. Alij non perfectè disponunt, neque virtutes sunt. Sicut Philosophia est collectio multorum habituum, quorum aliqui sunt euidentes & scientifici, alij non. Ita ferè de Salas in 1. 2. tract. 11. disp. 3. Sect. 4. num. 47. Sed hæc opinio, quatenus prudentiæ nomen extendit ad habitus fallibiles, repugnat Aristoteli locis suprà cit. Quatenus verò virtutem prudentiæ restringit ad habitus euidentes, videtur sine ratione multis iudicijs veris & infallibilibus, quamvis ineuidentibus, nomen virtutis adimere. Nam euidentia non est de ratione virtutis intellectualis, alioqui fides Theologica non esset virtus intellectualis. Dari verò iudicia practica infallibilia, quamvis ineuidentia, patet quia quisquis v. g. iudicat licitum sibi esse id, quod adhibita sufficienti diligentia iudicat bona fide licitum esse; aut tantum cibi & potus sumendum sibi esse, quantum bona fide iudicat esse necessarium, omnibus pensatis; iudicat verè, & infallibiliter: licet illorum principiorũ moralium, & similium, quæ sunt omnino infallibilia, euidentiam non assequatur.

15. Secunda explicatio.

Improbatur.

16. Tertia respõsio. Tertius modus respondendi est, prudentiam adæquatè sumptam esse virtutem practicam & moralem: quia ex modo suo iudicandi tendit infallibiliter in verum practicè & moraliter: licet non tendat infallibiliter in verum speculatiuè, vel absolutè, & simpliciter. Pro quo notant ex Arist. 6. Ethic. cap. 2. & ex D. Thoma 1. 2. quæst. 19. art. 3. ad 2. veritatem distingui in speculatiuam, & practicam; & priorem sumi ex conformitate ad rem; posteriorem verò ex conformitate ad appetitum rectum, quando actus appetitus, qui iudicatur honestus, aut licitus, reuera hîc & nunc est honestus, aut licitus respectu operantis, quamvis fortasse secundùm se non sit talis, qualis iudicatur. Hoc supposito, dicunt prudentiam ita ferri in suum obiectum, vt ex modo iudicandi falli non possit circa proprium obiectum. Quia vel euidenter cognoscit esse honestum, aut licitum: vel, si id obscurum est, iudicium prudentiæ supponit diligentem, &, iuxta humanam capacitatem, sufficientem rei considerationem; quâ positâ, etiamsi opus fortasse in se non sit absolutè honestum, aut licitum; tamen respectu hujus hominis sic affecti, & bona fide iudicantis, est honestum, aut licitum quoad appetitus tendentiam: atque ita iudicatur cum his circunstantijs, prudenter, & absque periculo erroris, esse eatenus honestum, aut licitum; quia actus appetitus, sequens tale iudicium, est infallibiliter honestus, aut licitus. Ita fere Lessius cap. 1. de Prudentia, dubit. 1. num. 2. & 3. Suar. disp. 3. de virtutibus Sect. 2. & 3. & disp. 12. de actibus human. alijque non pauci. Quibus si objicias, appetitum esse rectum quatenus sequitur rationem rectam: Ergo si è contrario, ratio est vera per ordinem ad eundem appetitum subsequentem; erit circulus. Respondet Suares disp. cit. Sect. 2. num. 4. non esse circulum, quia interueniunt diuersa genera causarum. Nam conscientia est recta ex conformitate ad appetitum, vt obiectum & rem indicatam: E contrario verò appetitus est rectus, ex conformitate ad rationem, vt applicantem obiectum conuenienter appetibile.

17. Impugnatur. Sed contra: primò, non satis vitatur circulus, & præsuppositio eiusdem ad seipsum. Quia si veritas practica sumitur ex conformitate iudicij cum appetitu recto; ergo supponit rectitudinem appetitus. Et vice versa, si rectitudo appetitus sumitur ex conformitate cum iudicio recto, & practicè vero, velut cum Regula proxima rectitudinis: Ergo supponit rectitudinem, seu practicam iudicij veritatem. Ergo veritas iudicij supponit seipsam, quia supponit id, à quo supponitur; & iudicium dicitur esse rectum seu verum practicè, quia est rectum & verum practicè: quod est circulum committere, & inutiliter idem per idem explicare. Secundò, illa responsio euertit distinctionem supra datam de veritate practica, & speculatiua. Si enim conscientia est recta per conformitatem ad appetitum, vt obiectum & rem iudicatam; ergo eius rectitudo seu veritas petitur ex conformitate ad rem iudicatam, seu potiùs consistit in illa conformitate. Et quidem Aristoteles lib. 1. Perihermenias, generatim docet ex eo quòd res est, vel non est, propositionem esse veram, vel falsam. Tertiò, qui errat inuincibiliter, iudicando bona fide aliquid esse licitum, aut honestum; non iudicat illud sibi esse practicè licitum, aut honestum; siue, actum, quem ex tali iudicio exercebit, fore honestum, aut licitum; sic enim non erraret, sed verissimè iudicaret: verùm iudicat rem ipsam à parte rei, & secundùm se, honestam esse, aut licitam: in quo decipitur: quare veritas istius iudicij non potest peti ab actu, velut ex re iudicata, vt vult Suares, quandoquidem de eo non iudicat. Confirmatur, quia ideo intellectus proponit voluntati obiectum illud vt honestum, aut licitum; quia putat esse tale secundùm se. Ergo iudicat de ipsa rei honestate secundùm se. Quartò, ex hac sententia sequeretur eum, qui adhibita sufficienti diligentia, naturali tamen hebetudine mentis falsò semper & in deterius iudicaret, fore prudentem; cùm potiùs naturali quadam infœlicitate imprudentissimus sit; & omnis error (quicumque ille sit) in agibilibus, sit potiùs imprudentia, & prudentiæ defectus; quia prudentia, ex Aristot. D. Thoma, & alijs communiter, est recta ratio agendi; ac proinde vera ratio; quia ratio, seu cognitio, quæ non est vera, non est recta.

Respondebit Suares, sequelam quidem esse bonam, sed suppositionem impossibilem esse; quia non potest semper decipi, & falsò iudicare, qui sufficientem diligentiam adhibet. Verùm quamvis sic esset, sequela tamen satis ostendit prudentiæ conceptum, & rationem propriam non in eo consistere, quòd quis iudicet bona fide, id quod sibi videtur post diligentiam sufficientem: sed in aliquo alio, quod hi auctores non exponunt. Deinde, non est impossibile aliquem adhibita sufficienti diligentia, falli tamen in plurimis, & fere omnibus: vt contingit scrupulosis, qui certè prudenter non faciunt quando suis scrupulis adhærent, licet bona fide & ex conscientia timorata adhæreant.

SECTIO III.

Resolutio difficultatis, & solutio argumentorum.

Propter hæc censeo primò cum Vasque 1. 2. disp. 58. cap. 2. distinctionem supra datam ex Aristot. & D. Thoma, aliter explicandam esse: Nimirum, vt veritas speculatiua dicatur illa, quâ verè enuntiatur aliquid esse, aut non esse. Practica verò, quâ verè iudicatur quid, vel quomodo fieri possit, aut debeat. Vtraque autem veritas consistit in conformitate iudicij cum obiecto, iuxta doctrinam Aristotelis loco suprà citato. Fieri verò potest vt circa idem obiectum partiale sit veritas practica, & falsitas speculatiua. v. g. falsum esse potest quòd Petrus sit homicida; & simul verum esse potest, quòd Petrus in talibus circumstantijs sit certò habendus pro homicida. In quo casu, si quis completè sic enuntiet, Petrus homicida est capite plectendus: hoc iudicium falsum est: 18. Veritas duplex: speculatiua, & practica. Vtraque in quo consistat.

quia supponit quod non est. Nisi in hunc sensum accipiatur: Petrus, qui in talibus circunstantijs est certò habendus pro homicida, est capite plectendus. Vel, si in duo resoluatur, Petrus est homicida, & Petrus est capite plectendus: primum iudicium est speculatiuum, & falsum; secundum est practicum, & verum. Quod si lubeat in ipsis iudicijs practicis distinguere veritatem speculatiuam, & practicam: hoc sensu distinguendum est, vt speculatiuè dicatur verum illud, quod est conforme obiecto secundùm se spectato: vt, quòd hîc & nunc tali, verè pauperi grauiter indigenti necessariò danda sit eleemosyna. Practicè autem, illud quod est conforme obiecto comparato cum operante, & modo cognitionis quam habet de tali obiecto: vt, quòd hîc & nunc, tali, falsò quidem, sed tamen omnibus satis expensis iudicato pauperi, subueniendum sit. Hoc enim iudicium, quamvis falsum secundùm obiectum in se spectatum, id est, secundùm personam falsò pro paupere habitam, & secundùm subuentionem de se non necessariam; est tamen verum, quatenus enuntiat agendum esse id, quod omnibus consideratis iudicatur esse necessarium: quia re vera conscientiæ parendum est. Et hoc iudicium est eatenus iudicium prudentiæ, cuius veritas petitur ab obiecto provt de illo practicè iudicatur conformiter. Obiectum autem in talibus circunstantijs habet de se suam veritatem, & rectitudinem obiectiuam; quia honestum, id est, naturæ rationali consentaneum, imò necessarium est, sequi dictamen conscientiæ, & facere id, quod omnibus diligenter expensis iudicatur bona fide esse faciendum. Atque ita vitatur circulus. Non enim dicimus appetitum esse rectum, quia cognitio est recta: & cognitionem esse rectam, quia appetitus est rectus: vt dicunt auctores suprà refutati: sed dicimus illum appetitum seu affectum voluntatis esse per se rectum in talibus circunstantijs, quia honestum est sic agere; idque tum ratio naturalis, tum fides apertè docet: nam *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, ex conscientia bonæ fidei, Rom. 14. ver. vltimo. Cognitionem verò præuiam affectui, quâ iudicatur esse rectus, esse veram, quia est conformis obiecto, eo modo, quo practicè in illud tendit.

19. Prudentia quomodo semper verè iudicet?

Censeo secundò, prudentiam quidem adæquatè sumptam esse virtutem; sed non omnem veram agendi rationem esse prudentiam: ac neque vllum iudicium erroneum; sed illud tantùm quod practicum est, & ita verum, vt ex modo iudicandi tendat infallibiliter in obiectum: nimirum quia vel euidenter indicat practicè de vnoquoque sicuti est; vel adhæret certò, quamvis ineuidenter, practicis veritatibus infallibilibus, & secundùm eas rectè enuntiat. Aut enim obiectum euidenter est quale iudicatur: aut, si est obscurum, prudentia adhibet diligentiam sufficientem antequam iudicium ferat; túncque is qui prudenter iudicat, non plus de illo enuntiat, quàm res ipsa meretur; nimirum vel esse credibile, aut probabile; seu tenendum assensu certo, vel probabili tantùm, provt exigunt rationes, quæ diligenter cogitanti, & bene expendenti occurrunt, quantùm humana conditio fert. Si autem mensuram illam excedit, nimirum iudicans esse tenendum euidenter, id quod est obscurum; aut absolutè verum, id quod est tantùm probabiliter tale; peccat contra prudentiam, & non rectè sed perperam iudicat. Item, si statuat hoc aut illud sibi esse licitum, aut honestum, de quo non sit practicè certus, deducendo saltem illud ex principijs certis & infallibilibus; iudicat imprudenter. Nam id quod non alicunde certò constat atque infallibiliter licitum esse, non est habendum pro tali in praxi; cùm periculum sit ne illicitum sit, & *Qui amat periculum, peribit in illo*, Ecclesiast. 13. Quare nemo potest agere licitè, nisi inueniat aliquid in quo, veluti certo, sine rationabili dubitatione quiescat. Quod addo propter scrupulosos, qui tamen, vt sine peccato agant contra scrupulos, debent ex principio certo illos contemnere, velut anxietates irrationabiles, vel inuoluntarias: ad eundem modum, quo fides Theologica dubitationes inuoluntarias contemnit.

Quamvis autem non assequantur homines in omnibus infallibiliter honestatem, aut licentiam iuris, qualis est à parte rei: possunt tamen prudenter, certò & infallibiliter de illis statuere per actus veluti reflexos, sicut oportet in ordine ad appetitus rectitudinem: discurrendo scilicet in hunc modum: Quidquid post diligentiam moraliter sufficientem (est autem sufficiens illa, quam viri boni & periti sufficere iudicant) videtur mihi bona fide licitum, aut honestum, potest licitè, aut honestè à me fieri. Sed hoc post talem diligentiam videtur mihi bona fide licitum esse, vel honestum hîc & nunc. Ergo potest à me licitè, vel honestè fieri. Quæ conclusio deducta ex maiori certa, quamvis ineuidenti, & ex minori euidente, vel certâ (cuique enim euidens, aut certum esse potest, an bona fide agat, & vtrum adhibuerit diligentiam, quam sufficientem boni, & periti putant) est iudicium prudentiæ verum & infallibile, quamvis obscurum ei, qui non cognoscit euidenter veritatem primæ propositionis, quæ non ab omnibus in eo gradu percipitur. Et hæc sola agendi ratio in dubijs vel obscuris, est recta ratio agendi, & Regula proxima actus honesti, aut liciti; adeóque prudentia. Alia verò, quæ est incerta & fallibilis, non est recta, sed periculosa, mala, & vitanda ob periculum malè agendi.

Quòd si dicas, non omnes vti his reflexionibus, aut illarum esse capaces: Respondeo, quamvis multi nesciant explicare hanc certitudinem practicam per sua principia, neque reducere illam ad formam syllogisticam: nihilominus vix posse aliquem reperiri, qui ratione vtatur, & tamen de suis actionibus nesciat iudicare, absque hæsitatione & formidine, se bene & securè operari, quando iuxta cognitionem, quam assequitur, bona fide operatur id, quod honestum, aut licitum sibi videtur. Et qui hoc iudicium formare nequit, meritò dici potest non operari ex perfecta humana deliberatione, & ex iudicio prudentiæ. Quare nemo perfecta ratione vtitur, qui non possit in

Soluitur obiectio.

multis prudenter deliberare. Quò verò quisque perspicacior est, & iudicij melioris; eò prudentior est. Et prudens simpliciter dicitur ille, qui vt plurimum prudenter iudicat: licet interdum fallatur. Ab eo enim quod frequentiùs, & fere semper contingit, sumitur hæc denominatio: & defectus exiguus, aut infrequens, pro nihilo reputatur.

20. Satisfit argumentis contrarijs. His præmissis respondeo ad maiorem argumenti propositi, num. 13. satis esse ad rationem virtutis intellectualis, vt tendat in verum infallibiliter, licet non euidenter: quo modo fides diuina tendit in veritates reuelatas; & prudentia, in verum practicum singulare, si non est euidens, sed deductum ex principijs certis & infallibilibus. In quo non est periculum deceptionis: quia principia sunt infallibilia, & deductio certa & euidens est. Ad secundum, siue ad probationem minoris respondeo primò, eum qui fallitur, non esse prudentem in eo, in quo fallitur; sed pati defectum prudentiæ. Secundò, omne iudicium prudens esse saltem practicè certum, quatenus nititur principijs certis & infallibilibus, sine quo non potest esse recta ratio agendi, sed mala, & imprudens. Qui enim iudicat aliquid sibi esse honestum, aut licitum, de quo dubitat aut formidat num in eo peccet: imprudens est, & imprudenter iudicat, peccátque si re ipsa cum tali iudicio agit, sine principio certo in quo practicè quiescat, & hanc formidinem rejiciat. Respondeo tertiò, in exemplis allatis iudicium primæ conclusionis non esse prudens, nisi minor sit euidens, aut syllogismus ita formetur: Omne id quod bona fide, omnibus sufficienter expensis, nimium videtur in cibo & potu, vitandum est. Sed hoc mihi bona fide videtur, omnibus sufficienter expensis, esse nimium: ergo, &c. In secundo verò, si maior est incerta, conclusio prudens non est: quia non est in quo quiescat animus & peccandi formidinem excludat.

Ad tertium respondeo rerum mutabilitatem non impedire, quo minùs quales sunt in singulari hîc & nunc, vel in seipsis, vel in ordine ad actus morales, possit aut euidenter, aut certò & infallibiliter iudicari ex principijs practicis per se notis & infallibilibus, eo modo qui paulò ante explicatus fuit. Ad quartum dico iudicium quo Iacob credidit absolutè Liam esse vxorem suam, non fuisse actum prudentiæ eliciti uè: hoc enim iudicium speculatiuum erat: prudentia verò est practica: sed tantùm imperatiuè aut directiuè, ratione istius iudicij practici eliciti à prudentia: Credibile est, & pro certo habendum in his circunstantijs, hanc esse vxorem meam. Idémque dico de alijs exemplis. Ad vltimum respondeo ex D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 1. differentiam esse inter virtutes intellectus, & voluntatis: quòd illæ tendunt in obiectum prout est à parte rei: istæ verò in bonum prout est in cognitione. Vnde ad illarum rectitudinem requiritur vt sint conformes obiecto prout est à parte rei. Istis verò sufficit esse conformes bono prout est in cognitione, id est, repræsentato vt tali.

SECTIO IV.

Vtrum Prudentia sit virtus intellectualis?

Prudentiam esse virtutem intellectus docent S. Thomas quæst. 47. art. 1. vbi affirmat illam esse in intellectu, velut in subiecto proprio; & Arist. 6. Ethic. cap. 3. vbi prudentiam numerat inter habitus intellectus; cæterique omnes, qui prudentiam ad cognitionem referunt. Et patet ex eo quòd actus illius proprius est benè ratiocinari, circa agibilia particularia: & præsertim circa ea, quæ ad bonum aliquem finem assequendum expediunt: vt docet idem Philosophus cap. 5. libri citati. Patet etiam ex ipsa vocis etymologia: dicitur enim prudens, quasi porro videns. *Perspicax enim est, & incertorum videt casus*, inquit Isidor. lib. 10. Ethymolog. cap. 15. 21. Respondetur affirmatiuè.

Circa quod tamen difficultas est: primò, quia prudentia est virtus moralis. At virtutes morales non sunt in intellectu, sed in voluntate, aut in appetitu: iuxta communem diuisionem virtutum in intellectuales, & morales, sumptam ex Arist. 2. Ethic. cap. 1. vbi virtutem distinguit in eam quæ mentis & rationis est; & in eam quæ moralis est, seu voluntatis, aut appetitus. Inter quas ponit hoc discrimen, quòd prior à doctrina, magna ex parte, ortum capit & incrementum: Posterior verò, more & agendi consuetudine comparatur: vnde etiam moralis appellatur. Est enim virtus moralis eorum actuum qui liberè fiunt, & sæpe difficultatem habent circa obiecta sua, & ad quorum oppositos est frequenter magna propensio & inclinatio: quapropter consuetudine & vsu opus est ad acquirendam determinationem, per quam rectè agatur constanter, promptè, & sine difficultate. Secundò, D. Thom. quæst. 47. art. 8. docet, præcipere esse præcipuum actum prudentiæ. Atqui præcipere est voluntatis; quia importat motionem; mouere autem ad voluntatem pertinet, doctore eodem D. Thoma, ibid. ad 3. Et art. 16. in principio fere corporis sic habet: *Prudentia non consistit in sola cognitione; sed etiam in appetitu: quia principalis eius actus est præcipere, quod est applicare cognitionem habitam, ad agendum & operandum.* Tertiò, in prudentia inest solicitudo, vt affirmat D. Thom. eâdem q. 47. art. 9. At solicitudo est cura, studium, & affectus: Ergo prudentia, saltem ex parte aliqua, est in affectu & in voluntate. Quartò, prudentia non est in peccatoribus, ex D. Thoma ibid. art. 13. Peccatores autem constituuntur non per actum intellectus, sed per actum appetitus. Item, qui volens peccat, imprudens est, quamvis rectè iudicet, vt idem asserit art. 8. in fine corporis. Atqui ille non patitur defectum cognitionis, sed appetitus. Ergo imprudentia est in appetitu; & consequenter etiam prudentia. Contrariorum enim est idem subiectum. Argum. in contrarium.

Ad primum respondeo prudentiam intrinsecè & essentialiter esse virtutem intellectualem; 22.

Prudentia est intrinsecè virtus intellectualis: & extrinsecè moralis. extrinsecè verò & denominatiuè, esse moralem, ratione materiæ, & finis, circa quem versatur: quia magna & præcipua ex parte versatur in consideratione & directione morum, id est, actionum liberarum, in quibus honestas aut turpitudo cernitur, aut indifferentia & licentia iuris. Dicitur enim virtus aliqua moralis, non tantùm eâ consideratione, quam supra tradidit Aristor. sed etiam quia refertur ad mores, id est, ad actiones liberas. Quanquam prudentia diuerso modo refertur ad mores, quàm virtutes voluntatis: quia non est intrinsecè elicitiua morum, vt Iustitia, Fortitudo, & Temperantia: Sed tantùm directiua; quod tamen sufficit vt inter virtutes morales meritò censeatur, quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. quæst. 58. art. 3. ad 1.

23. Imperiũ Prudẽtiæ quid sit? Ad secundum respondeo, *præcipere*, siue imperium, quod est præcipuus actus prudentiæ, non esse aliud, quàm dictamen intellectus, & iudicium practicum de agendo necessariò, aut de non agendo hîc & nunc: vt explicabitur Sect. 8. quod imperium dicit quidem motionem quandam moralem, non voluntatis, sed intellectus mouentis moraliter & metaphoricè voluntatem, quatenus illam non modò inuitat, sed etiam obligat ad operandum, vel ad abstinendum ab operatione, provt necessarium iudicat. D. Thomas autem citatâ quæst. 47. art. 8. ad 3. dicit *mouere absolutè*, pertinere quidem ad voluntatem: sed mouere cum quadam ordinatione, esse actum rationis; quo modo prudentia mouet, quando præcipit: hoc est, mouere per cognitionem; & non per simplicem applicationem, vt facit voluntas quando mouet potentias sibi subordinatas, quod D. Thom. vocat mouere absolutè. Artic. verò 16. vult tantùm S. Doctor prudentiam esse in appetitu causaliter, & efficienter quodammodo; non autem formaliter. Quia mens illius est prudentiam pendére à bona dispositione appetitus, vt rectè iudicet, & præscribat efficaciter sicut oportet: quod passiones inordinatæ impediunt, ideóque prudentiam corrumpunt magis, quàm obliuio, quæ tantùm impedit prudentiam, quatenus tollit cognitionem eorum, quæ ad rectè iudicandum necessaria sunt ex parte intellectus; vt ibidem D. Thom. exponit, & 1. 2. quæst. 58. art. 5.

24. Solicitudo Prudentiæ quid sit? Ad tertium respondeo, solicitudinem quæ inest in prudentia, non esse aliud, quàm vrgens decretum, quo statuitur omnino aliquid aut citò agendum esse, aut non esse agendum; siue absolutè, siue facta aliqua suppositione ad finem aliquem consequendum. Aut etiam esse attentam, & exactam considerationem eorum, quæ agenda sunt, & rationum, quæ ad agendum efficaciter mouere possunt. Aliter verò sumitur, & magis propriè solicitudo, pro diligenti & feruenti affectu procurandi aliquid, aut vitandi; qui affectus ad appetitum pertinet.

Quo sensu non est in peccatoribus Prudẽtia? Ad quartum respondeo, sensum D. Thomæ priori loco esse, quòd prudentia non sit in peccatoribus, quia passiones inordinatæ, & affectus mali, quibus ducuntur, excæcant intellectum, & impediunt ne rectè iudicet, aut ne præcipiat efficaciter. Qua de re infra, Sect. 12. At hoc non impedit quin prudentia, licet pendeat ab alijs virtutibus, sit in intellectu. Posterioris verò loci sensus est, quòd qui peccat contra rectum iudicium, non habet imperium prudentiæ perfectum, perfectione scilicet extrinseca, quatenus non est re ipsa efficax, & coniunctum effectui, quem dirigat. Quæ imprudentia quædam est, quia est defectus in principali actu prudentiæ, qui est præcipere in ordine ad operationem, quam dirigat. Hic tamen defectus extrinsecus est, & se tenens ex parte voluntatis, non obsequentis imperio intellectus, in quo formaliter & intrinsecè prudentia consistit. Porro, sicut affectus conueniens erga iusta dicitur iustitia: & erga temperata, temperantia: & erga fortia, fortitudo: sic affectus conueniens voluntatis erga iudicium prudens, dici potest prudentia; quo affectu magis caret, & eatenus imprudentior est, qui volens & sciens peccat contra rectum iudicium. Verùm non loquimur impræsens de prudentia hoc sensu, sed provt est recta ratio, seu cognitio practica agibilium: quæ tamen, quia cùm præcipit, non sistit in iudicando quomodocunque, sed imperat & tendit ad opus; ac, si finem suum assequitur, mouet re ipsa voluntatem vt agat: Inde fit vt quamvis aliquis rectè iudicet, si tamen re ipsa voluntatem non mouet, neque agit, non dicitur prudens, sed imprudens, & imprudenter agere. Non quòd aliquis actus elicitus prudentiæ illi desit, vel aliquod iudicium imprudens interueniat (tametsi sæpe interuenit) sed quia vltimus effectus, & finis prudentiæ deest: & consequenter, quia aliquid fit, vel omittitur contra iudicium prudentiæ, & contra finem directum ipsius. Ita Lessius lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 14. Addi etiam potest, prudentiam, iuxta communem hominum sensum, & Scripturæ phrasim, connotare vltra rectam cognitionem, sensum quendam, siue gustum & affectum voluntatis, ad id, quod rectè iudicatur agendum esse; iuxta vim vocis Græcæ φρόνησις ἀπὸ τοῦ φρονεῖν, id est, sapere, intelligere & cogitare cum affectu quodam ad rem cogitatam. Quo pacto Scriptura vocat prudentiam carnis, non cognitionem solam rerum carnalium, quam pij & sancti habere possunt; sed coniunctam cum affectu carnali, & provt est in illis, qui terrena sapiunt, & secundùm carnem ambulant, vt ait Paulus Philip. 3. ver. 19. Contra verò, prudentiam spiritus vocat, non quamcumque cognitionem boni; sed qualis est in illis, qui sapiunt ea quæ spiritus sunt: quique, vt ait idem Apostolus carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs; qui denique spiritu viuunt, & spiritu ambulant: Galat. 5. vers. 24. & 25.

SECTIO V.

De obiecto Prudentiæ.

Constat ex dictis Sect. 1. obiectum adæquatum prudentiæ esse agibilia particula- 25.

Agibilia particularia sunt obiectum Prudentiæ. tia, non per artem præcepta, vel satis determinata: inter quæ præcipua sunt illa, quæ ad mores pertinent, id est, ad honestum aut turpe, licitum aut illicitum, agendum aut non agendum ex debito morali, in singulis actionibus moralibus, hoc est, liberis & propriè humanis, honestatis ac turpitudinis capacibus, spectatis omnibus circunstantijs, maximéque illis, quæ non satis determinantur à scientia morali, & in quibus consultatione, animique perspicaciâ opus est. Superest explicandum primò, an prudentia attingat aliquo modo principia moralia vniuersalia, saltem vt contracta ad obiecta particularia? Secundò, an prudentia versetur tantùm circa media, an verò etiam circa finem? Tertiò, quid nomine medij intelligendum sit? Quartò, an prudentia non modò habeat pro obiecto agibilia quæ ipsummet prudentem respiciunt, vel ea quæ ipsius sunt: sed etiam ea quæ ad alios pertinent?

26. Attingit etiã principia morum vniuersalia, vt contracta ad particularia. Prima conclusio: Prudentia attingit principia morum vniuersalia, non per se sola, sed vt contracta ad obiecta singularia de quibus statuit; quâ ratione sunt pars obiecti illius totalis, tanquam ratio formalis, per quam cognoscuntur singularia, ex principijs illis deducta. Ratio conclusionis est, quia principia morum vniuersalia, præcisè spectata, pertinent vel ad synteresin, quæ est intellectus principiorum moralium, si de naturalibus sermo est; vel ad fidem diuinam, si sermo est de supernaturalibus, cognitis per reuelationem. Conclusiones verò vniuersales deductæ ex prioribus, pertinent ad moralem Philosophiam. Quæ autem colliguntur ex posterioribus, pertinent ad Theologiam moralem. Superest ergo vt solæ conclusiones particulares, & singulares, ad prudentiam pertineant strictè & propriè sumptam, vt hîc sumitur. Quia tamen conclusio non potest cognosci nisi cognoscantur principia, ex quibus deducitur, quæque sunt illi ratio formalis assentiendi; ideóque necessariò debent attingi eodem actu: hinc est quòd prudentia statuens de singularibus, cognoscit necessariò principia moralia, ex quibus illa pendent & deducuntur; non quidem vt præcisè sumpta, sed vt inclusa in obiecto singulari per modum partis, & rationis formalis mouentis ad assensum.

27. Soluitur obiectio. Dices, ad eandem scientiam vel habitum pertinere notitiam vniuersalis, & particularis, aut singularis sub illo contenti: V.g. ad Physicam pertinet cognoscere quòd omne corpus animatum constet materiâ, & formâ: & quòd homo, & Petrus, & Paulus, qui sunt corpus animatum, constent materiâ & formâ. Ad eandem synteresim pertinet quòd turpe in genere sit fugiendum: & quòd hoc aut illud turpe sit fugiendum. Ergo prudentia non debet esse habitus distinctus à synteresi, vel à fide diuina, vel à morali Philosophia, & Theologia, quæ cognoscunt rationes vniuersales, sub quibus continentur singulares cognitæ à prudentia. Respondeo prudentiam adæquatè sumptam non applicare quocunque modo vniuersalia ad particularia per modum simplicis inductionis; ad quod non esset opus virtute distincta: sed applicare discurrendo, & vtendo tanquam aliquo medio, occurrentibus circunstantijs particularibus, & conditionibus diuersis obiectorum, discernendóque an principia, vel conclusiones generales bene illis conueniant. In quo frequenter est propria quædam difficultas, adeóque locus peculiari virtuti, & peculiaris ratio attingendi veritatem in his & illis circunstantijs. Quare saltem ex ea parte prudentia distinguitur ab illis alijs virtutibus intellectus. An verò totaliter, & adæquatè sumpta, distinguatur ab illis, dicemus Sect. 11.

28. Prudentia versatur circa media. Secunda conclusio: Prudentia versatur non tantùm circa media, sed etiam circa finem. Prima pars conclusionis, quòd prudentia versetur circa media, est communis Theologorum: & patet, quia prudentia est recta agendi cognitio ad aliquem bonum finem consequendum, vt eam definit Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. Hæc autem cognitio debet necessariò esse mediorum, quæ ad finem consequendum apta sunt. Item, prudentiæ est præscribere medium virtutibus moralibus, & quæ ad illud seruandum necessaria sunt; iudicando & proponendo voluntati mensuram rationis, quam illæ sequi debent, vt attingant finem peculiarem, quem intendunt: V.g. in Iustitia, quid, quantum, vbi, & quomodo restituendum sit, vt iustum assequatur, qui est finis iustitiæ. In Fortitudine, quæ pericula sint aggredienda, quæve mala & dura patienti animo toleranda, ad fortiter & generosè se gerendum. In Temperantia, quantum, & quomodo, & quando sit vtendum cibo & potu, ad viuendum temperatè; qui est finis temperantiæ. Actio enim, vt recta sit, iusta, fortis, temperata, debet habere adiuncta proportionata sibi inuicem, & actioni. Vt si de cibi & potus appetitione sit sermo, debet appeti quantitate conueniens, & qualitate: si de reddendo debito, reddendum est in quantitate, loco, tempore, & modo quo debitum est. Quæ omnia præscribere, & definire, discernendo & iudicando, prudentiæ est. Versatur itaque circa illa, vt circa obiectum.

29. Atque etiam circa finem. Secunda pars conclusionis, quòd Prudentia versetur etiam circa finem, probatur, quia media, vt media, non possunt sine fine cognosci: nec possunt ea, quæ ad rectum quid & perfectum requiruntur, accommodari ad illud, nisi ipsum cognoscatur. Confirmatur, quia cognitio quòd istud hîc & nunc iustum sit, quòd tantum cibi necessarium sit ad valetudinem tuendam, quòd hæc materia & occasio hîc & nunc sit obiectum fortitudinis, est cognitio prudentiæ, si recta est; & est de fine illarum virtutum, qui ab intellectu illis proponi debet necessariò, priusquam in eum ferantur. Similitérque actus prudentiæ est iudicare quòd fœlicitas æterna hîc & nunc sit prosequenda, quódque hoc medium sit ad illum necessarium. Quòd huic pauperi in his circunstantijs sit necessariò succurrendum; quódque eousque tali modo illi succurri debeat. Denique circa media agibilia, & fines agibiles in particulari, potest esse recta ratio: ergo & prudentia. Agendum enim in virtutibus est finis: sicut efficiendum, in artibus. Et obiectum cuiusque artis est

est finis intrinsecus illius. Finis autem habitus aut potentiæ est actio: & eâ mediante, obiectum, ad quod per illam tendit.

30. Objicies, ex D. Thoma, quæst. 47. art. 6. in fine corporis, post Aristotelem 6. Ethic. cap. 11. Prudentiæ non esse præstituere finem virtutibus moralibus, sed solùm disponere de his quæ sunt ad finem. Respondeo cum Lessio cap. 1. dub. 3. num. 19. finem vniuersalem & abstractum, quem virtus moralis respicit, non præscribi à prudentia per se, sed per suum fundamentum, nempe synteresin, vt ait D. Thomas art. cit. ad 1. Nonenim spectat per se propriè ad prudentiam dictare ius vnicuique seruandum esse, viuendum temperatè, agendum fortiter, & dura patienter ferenda; qui sunt fines vniuersales adæquati virtutum moralium: sed hoc ad synteresin pertinet, quæ est notitia huiusmodi principiorum vniuersalium; & virtutum moralium, atque ipsius prudentiæ fundamentum. Quo sensu D. Thomas ait Prudentiæ non esse præstituere finem virtutibus moralibus, sed disponere tantùm de his quæ sunt ad finem. Si verò loquamur de fine particulari, quem in singulis actibus quælibet virtus moralis intendit, & assequi conatur hîc & nunc; hunc finem per seipsam præscribit prudentia, vt docet idem S. Doctor 1. 2. quæst. 66. art. 3. ad 3. Finis enim particularis, quem virtus quælibet in singulis suis actibus intendit, est honestè operari hîc & nunc circa talem materiam, & attingere speciem honestatis sibi propriam, seu medium rationis, in quo illa consistit. Atqui prudentia dictat in quo consistat tale medium rationis, & quid in singulis actibus sit honestum in particulari: vt, quid sit iustum hîc & nunc, quid forte, quid temperatum, iuxta virtutis moralis definitionem traditam ab Aristotele 2. Ethic. cap. 6. circa medium, *Virtus est habitus electiuus, in ea mediocritate consistens, quæ est ad nos, & vt vir prudens definierit.* Vel etiam dicitur prudentia præscribere tantùm ea quæ sunt ad finem, quia posito affectu generali alicuius finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem viuendi temperatè; prudentia præscribit quibus & qualibus actionibus hic finis attingatur, & in singulis actionibus præscribit circunstantias ad hoc necessarias.

Diluitur obiectio.

Quo sensu prudentia non præscribit finem?

31. Respondeo secundò, quamvis prudentia nullo modo præscriberet finem virtutibus moralibus: quia tamen illius est disponere de his quæ sunt ad finem, & media fini accommodare; necessarium est vt finem ipsum attingat & cognoscat. Nam proportio & conuenientia mediorum cum fine, non potest sine illo cognosci. Quod enim aiunt Caietanus ad quæst. 47. art. 6. & Valentia disp. 4. de Prudentia, quæst. 1. p. 3. Prudentiam non versari per seipsam circa finem, sed accommodare tantùm media fini; sicut, inquiunt, habitus scientiæ non assentitur principijs, cùm hoc sit proprium habitus principiorum; sed applicat tantùm conclusiones ad illa. Hoc, inquam, neque verum est, neque possibile. Quia cùm scientia versetur per seipsam circa conclusionem vt euidenter sequentem ex principijs, & connexam cum illis; necessariò attingit principia. Non enim potest cognosci consequentia, sine eo quod sequitur, & sine eo ex quo sequitur; neque connexio sine extremis, quæ connectuntur, cum essentialiter illa inuoluat. Et sicut color non videtur sine lumine viso per eandem visionem, quia lumen est colori ratio per quam potest videri: Ita veritas conclusionis non cognoscitur, quin per eandem cognitionem cognoscatur veritas principiorum, quæ est illi ratio cur taliter cognoscatur, & aliquando cur simpliciter cognoscatur, vt patet in multis conclusionibus Mathematicis, quæ per se incredibiles apparent, & nihil habent euidentiæ ad assensum obtinendum, per principia verò euidentia euidenter cognoscuntur. Neque fieri potest vt sint duæ cognitiones, quarum vna sit circa principia; altera, circa consequentiam conclusionis ex principijs, non tamen circa principia. Nam impossibile est cognosci conclusionem sequi ex principijs, & connexionem eius cum illis; nisi eâdem cognitione cognoscantur principia, quæ sunt de conceptu essentiali connexionis. Connexio enim est essentialiter inter duo: ergo cognosci nequit nisi illa cognoscantur. Differunt nihilominus scientia, & habitus principiorum; quia iste versatur circa sola principia: scientia verò non, sed simul circa veritatem conclusionis, quæ cognoscitur per principia, & non per se solùm. Sicut alia est visio, quâ solum lumen videtur, ab ea, quâ color per lumen cernitur: & alius est actus, quo diligitur proximus propter Deum, ab eo quo Deus tantùm diligitur, licet in vtroque Deus per se diligatur. Sic etiam impossibile est prudentiam per seipsam accommodare media fini, nec tamen eum cognoscere per seipsam. Si enim non cognoscit finem; non potest ex fine cognoscere media conuenientia, neque proportionem mediorum cum fine; conuenientia enim, & proportio, est essentialiter inter duo, adeóque non potest sine illis cognosci.

Versatur necessariò prudentia per seipsam circa finem.

Vt scientia conclusionis circa principia.

32. Dices, intellectus vtitur cæco modo speciebus intelligibilibus, & habitibus suis, eósque applicat operationi. Ergo scientia, & prudentia possunt simili modo applicare conclusiones principijs, & media finibus incognitis. Respondeo, aliud esse vti aliquo vt coëfficiente, vel determinante: quo pacto species & habitus concurrunt ad cognitionem obiectorum: & aliud, vti vt cognito ad aliud cognoscendum vi illius cogniti; vel cognoscere aliquid vt connexum, vel accommodatum alteri. Quod sine vtriusque cognitione fieri nequit. Connexio enim, & accommodatio, est essentialiter inter duo, & non potest sine illis cognosci. Confirmatur, quia rectitudo cuiusque virtutis propria, est finis illius, & consistit in conuenientia actionis cum eius connexis, obiecto, subiecto, loco, tempore, & similibus; debétque à prudentia hæc rectitudo cognosci, vt media apta ad illam applicet; non minùs, quàm ars debet cognoscere circulum, vt eum efficiat. Et hæc cognitio rectitudinis in singulari, est ipsa prudentia. Si enim pertineret ad intelligentiam principiorum moralium, non esset opus alia prudentia. Eadem enim præscriberet, & ap-

Repellitur instantia.

plicaret, & dirigeret executionem, ac sola id præstare posset. Nam prudentia, si non cognoscit rectitudinem illam, non potest media ad illam præscribere, & applicare; neque dirigere executionem operis. Verùm præter intelligentiam principiorum moralium, ad actionem requiritur sæpissime discursus circa singularia, ad rectè iudicandum, quid omnibus pensatis, hîc & nunc agere liceat, aut oporteat. Quod non satis determinatur per notitiam principiorum, neque per scientiam moralem, & conclusiones generales ex principijs moralibus deductas.

33. Media prudentiæ duplicia. Tertia conclusio: Nomine mediorum, quæ per prudentiam præscribuntur, duo possunt intelligi. Primò, media extrinseca fini, quæ iuuant ad illum consequendum, sed sunt extra constitutionem & naturam intrinsecam ipsius finis: quo modo bona opera valent ad consequendam vitam æternam. Secundò, media fini intrinseca. Nam partes alicuius totius, quod sit finis, possunt appellari medium ratione totius constituendi. Quo modo ea quæ valent ad actum aliquem virtutis constituendum, habent quandam rationem medij. Vt, quòd hîc & nunc reddatur quantum debetur ex iustitia, & eo modo, loco, ac tempore, quo reddi debet, aut decet. Bonitas enim perfecta illius actus includit multiplicem conuenientiam cum obiecto, subiecto, loco, tempore, & alijs circunstantijs: Et vnaquæque conuenientia est pars conuenientiæ totalis; & medium intrinsecum, illi toti constituendo necessarium. Præterea, id quod est finis respectu vnius, potest esse medium respectu alterius; & vice versa. Finis enim non est vnus tantùm; sed præter finem vltimum, seu perfectissimum, quo vlterior seu præstantior non est, sunt alijs inferiores non vltimi simpliciter, licet vltimi sint in suo genere & ordine. Quælibet autem virtus habet suum finem, vt iustitia iustum, & temperantia temperatum; in quo sistit, licet per aliam possit ad alium finem referri, putà ad gloriam Dei, qui est finis supremus, per Charitatem virtutum præstantissimam: vel ad æternam mercedem vitæ æternæ, per Spem. Quo pacto finis vnius virtutis, est medium respectu alterius.

34. Libera electio requirit cognitionem oppositorũ, aut diuersorum. Difficultas verò est, an cum iudicio prudentiæ, ad liberam electionem requiratur iudicium de indifferentia medij? Respondeo requiri quidem ad liberam electionem, vt variæ rationes agendi aut non agendi proponantur; non tamen vt sit iudicium de indifferentia medij per prudentiam propositi. Prima pars, quòd electio libera prærequirat cognitionem multarum agendi, aut non agendi rationum, probatur, quia libertas non est nisi circa cognita. Ergo cùm sit circa opposita, aut diuersa: necesse est vt illa cognoscantur. Probatur antecedens. Libertas enim vel sequitur naturam voluntatis, vel potiùs ipsa voluntas est. Voluntas autem non versatur nisi circa cognita. Ea siquidem est ratio appetitus vitalis, per quam distinguitur à non vitali, seu naturali, qui cæco modo fertur in bonum suum, & sufficit ad omnia bona quæ cæco modo appetuntur.

Secunda verò pars, quod electio libera non requirat necessariò iudicium de indifferentia medij, probatur, quia iudicium v. g. de seruando mandato, quod hîc & nunc necessariò seruandum esse dictat prudentia, non est iudicium de indifferentia medij, neque illam patitur, quia non potest quisquam simul iudicare medium esse necessarium, & esse indifferens: sed tale iudicium tollit licentiam iuris, & inducit moralem necessitatem agendi, vel respectu finis virtutis, quæ seruando mandatum exercenda est necessariò, putà iustitiæ, vel misericordiæ: vel etiam respectu finis vltimi supernaturalis, qui sine tali medio obtineri non possit Et tamen illud iudicium non impedit liberam electionem: ergo, &c. Minor probatur quia non impedit rationem meriti, vt colligitur ex Trident. *Sess. 6. cap. 10. & 16.* vbi docet Iustos mereri per obseruationem mandatorum. Deinde, qui liberè in fine vitæ abstinent à contritione; vel ab attritione, & confessione necessaria vt peccatorum mortalium veniam consequantur; vel, quod est peius, seipsos interficiunt desperatione adacti; iudicant oppositum actum esse medium absolutè & omnino necessarium ad æternam beatitudinem; nisi simul peccent per infidelitatem; quod non est necessarium. Tertiò, si finis liberè appetitur, & medium necessarium occurrat, sed molestum; potest vnà cum ipso fine abjici: & quotidianâ experientiâ clarum est, necessitatem medij non impedire libertatem contradictionis & exercitij, imò neque specificationis & contrarietatis: cùm voluntas plerumque amplectatur oppositum eius quod necessarium iudicatur ab intellectu: iuxta illud antiqui Poëtæ, Prudẽtia non requirit iudicium de indifferentia medij.

Mens aliud suadet, video meliora, proboque:
Deteriora sequor. Ouidius.

Fundamentum ergo libertatis non est indifferentia medij; sed sufficit cognitio per quam proponuntur rationes volendi, & non volendi, quæ tales sint, vt librent voluntatem, eámque sibi relinquant, & veluti in æquilibrio statuant. Cum iudicio autem prudentiæ de necessitate medij, possunt facilè occurrere huiusmodi rationes. Vt v. g. quòd medium illud necessarium ad seruandam honestatem, sit tamen sensui molestum: quòd id, à quo necessariò abstinendum esse dictat prudentia, sit vtile, vel iucundum; vt in furto, & voluptatibus illicitis contingit.

Quarta conclusio: Prudentia non solùm habet pro obiecto agibilia quæ ipsum prudentem, aut ea quæ ipsius sunt, respiciunt: sed etiam ea quæ ad alios pertinent. De speciebus prudentiæ gubernatricis, nimirum de politica, œconomica, legislatrice, & militari, id manifestum est. Ad illas enim spectat præscribere quid à subditis agendum sit, in ordine ad bonum commune quod intendunt. De personali verò, siue solitaria, quâ quisque proprium suum bonum intendit, propriamque perfectionem: probatur, quia illa sumpta adæquatè includit sæpissime species gubernatricis, nimirum in personis illis quæ constitutæ sunt in 35. Prudẽtia est etiam agibiliũ circa alios.

aliquo regimine, & quarum proprium bonum consistit ex parte in rectè gubernando regnum, rempublicam, familiam, aut militiam, cui præsunt. Deinde si spectetur secundùm eas tantùm actiones, quæ non conueniunt speciebus prudentiæ gubernatricis; id est, secundùm illas quas quisque debet, aut potest exercere conuenienter circa seipsum, non consideratum vt præest, aut subest aliorum regimini; ad illam etiam, vt sic præcisè sumptam, pertinet decernere quid personæ secundùm rectam rationem agendum sit in quocunque casu, in quo erga alios conuenienter se gerere debet, siue dando consilium, siue fraternè corripiendo, vel admonendo, suadendo, & alijs modis subueniendo spiritalibus aut temporalibus necessitatibus proximi.

Contraria sententia. Contrarium sentiunt illi qui volunt actum proprium & adæquatum prudentiæ, esse imperium efficax, cui pareat necessariò voluntas. Nam secundùm hunc actum non potest esse prudentia circa agenda ab alijs; quia imperium illud efficax non potest esse nisi proprij iudicij, mouentis efficaciter ac necessariò propriam voluntatem. Quæ opinio explicabitur magis & refutabitur interiùs Sectione octaua.

SECTIO VI.

De actibus Prudentiæ; & primò, de consultatione.

36\. Tres præcipui actus prudentiæ. Actus prudentiæ tres generatim numerantur ab Aristotele 6. Ethicorum cap. 7. 9. 10. & 11. & à D. Thoma quæst. 47. art. 8. in corp. Nimirum bene consultare, bene iudicare, & rectè imperare, seu præcipere executionem. In quibus omnibus diligentia & solicitudine, id est, attenta & exacta consideratione opus est, quantùm exigit negotij momentum; præsertim verò ad prosequendum ea quæ sunt agenda, ad quod etiam imperium iudicij, debet quantum est opus, vrgere voluntatem; vt docet S. Thom. artic. 9. & nos Sect. 4. obiter exposuimus.

Consultatio estne proprius actus prudentiæ? Circa primum actum difficultas est an consultatio sit actus proprius & elicitus prudentiæ; an verò tantùm imperatus? Qua de re duæ sunt sententiæ. Prima est Thomistarum, affirmantium consultationem, id est, inquisitionem an & quomodo hîc & nunc aliquid sit agendum vel non agendum, aut sit-ne honestum vel turpe, licitum aut illicitum, vel quid vnumquodque ex inuentis medijs, aut diuersis operandi modis, habeat commodi vel incommodi in ordine ad aliquem bonum finem, vel quid boni aut mali: talem, inquam, inquisitionem non esse actum elicitum prudentiæ, sed esse actum intellectus conferentem ad actum prudentiæ, imperatique & præscribi per actum veræ & propriæ prudentiæ. Sententiæ negantis argumenta. Ratio primæ partis est, quia prudentia est recta ratio agibilium, ex Aristot. 6. Ethicorum cap. 5. & D. Thoma quæst. 47. art. 5. At consultatio non est recta ratio, sed inquisitio rectæ rationis, id est, recti iudicij de agibilibus. Confirmatur ex D. Thoma, quæst. 51. artic. 2. in corp. Vbi docet aliam virtutem esse Eubuliam, id est, bonam consultationem, per quam homo est bene consiliatiuus; & aliam, prudentiam, per quam homo est bene præceptiuus. Secundam verò partem probant, quia, inquiunt, quando est obscurum & dubium an aliquid sit agendum, vel non agendum, honestum aut turpe, licitum vel illicitum; non est facilè & leuiter ferendum iudicium; sed diligenter inspiciendæ sunt vndique, & considerandæ omnes apparentiæ, & indicia veritatis, adhibendáque tum propria inspectio, inquisitio, & consideratio; tum etiam aliorum idoneorum, qui iuuare nos possint ad veritatem dignoscendam, & ad iudicium rectè prudentérque ferendum. Alioqui enim periculum est deceptionis, quæ circa agibilia studiosè vitari debet. Ideóque recta ratio dictat præmittendam esse consultationem ante iudicium, in casu dubij: quæ recta ratio, prudentia quædam est: cùm sit recta ratio agendi, seu rectum iudicium practicum, & particulare, de agendo hîc & nunc: nimirum dictans esse consultandum, aut etiam præscribens quomodo sit consultandum; tanquam Regula proxima inquisitionis, & consultationis. Ipsa verò inquisitio, & consultatio, imperatur quidem & dirigitur per prudentiam, verùm non est actus illius elicitus, sed est exercitium & opus intellectus considerantis apparentias & indicia veritatis, ad eam deprehendendam, vt tandem rectè discernatur & iudicetur quid opus sit.

37\. Vera sententia affirmans. Contrarium meliùs & probabiliùs sentiunt Lessius lib. 1. de Iust. cap. 2. dub. 3. num. 13. Tannerus tom. 3. disp. 3. quæst. 1. dub. 1. & plures alij. Probatur, quia, vt rectè ait Lessius loco citato, prudentiæ proprium est inquirere media ad finem idonea. Hoc autem fit bona consultatione. Ergo bona consultatio est actus proprius prudentiæ. Ideoque Arist. 6. Ethic. cap. 7. sic pronuntiat. *Prudentiæ maximè opus esse dicimus rectè consultare.*

Respondent aduersarij, prudentiæ proprium esse, non inquirere, sed decernere post inquisitionem quæ media sint idonea; atque etiam ipsam inquisitionem & consultationem imperare; quo pacto recta consultatio dicitur ab Arist. esse opus prudentiæ, non elicitum & proprium, sed imperatum & externum, vt exponit D. Thomas quæst. 51. art. 2. ad 1. & 1. 2. quæst. 57. art. 6. ad 1. vbi explicans eundem Aristotelis locum, ait prudentiæ esse bene consiliari; non quasi bona consultatio sit actus eius; sed quia hunc actum perficit mediante virtute sibi subiecta, quæ est Eubulia.

38\. Refellitur euasio. Sed contra: quia prudentiæ proprium est rectè ratiocinari in ordine ad bonum aliquem finem consequendum, vt ait Arist. lib. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentes, inquit, circa aliquam rem dicimus, quando ad aliquem bonum finem consequendum bene ratiocinantur.* Atqui rectè consultare de medijs, & modis bene agendi, quidve in quolibet sit boni vel mali, commodi vel incommodi, efficaciæ aut inefficaciæ respectu boni finis, est rectè ratiocinari in ordine ad bonum finem consequendum. Ergo talis consultatio est actus proprius prudentiæ. Deinde

Arist. affirmat maximè esse prudentis bene consultare. Si autem consultatio esset tantùm actus externus prudentiæ, & ab illa imperatus; non magis esset prudentis bene consultare, quàm iustum esse, & temperatum, & fortem: nam actus illarum virtutum sunt etiam actus externi & imperati à prudentia. Quare Aristoteles æquè dicere debuisset, maximè esse prudentis iustum esse, & fortem, & temperantem. Neque tres solùm forent actus prudentiæ, scilicet bene consultare, rectè iudicare, & præcipere, vt ait S.Thomas quæst. 47. art.8. sed vlteriùs tot essent actus prudentiæ, quot sunt actus aliarum virtutum, qui diriguntur & imperantur à prudentia. Adde quod ex communi hominum sensu longè aliter pertinet ad prudentiam bene consultare, & seriò perspicacitérque attendere ad rationes, & modum agendi, antequam statuas quid & quomodo agendum sit: quàm iustè, temperatè, vel fortiter agere. Illud enim dicunt omnes esse actum prudentiæ: istud verò nequaquam. Atqui si bene consultare esset tantùm actus imperatus prudentiæ; esse iustum, fortem, aut temperantem, deberent æquè censeri & dici esse actus prudentiæ: quippe qui æquè imperantur à prudentia.

39. Refutatur aliud effugium. Neque respondeas, differentiam esse: quia bona consultatio non est actus quomodocumque imperatus à prudentia, sed est actus vnius ex eius partibus potentialibus, quibus ipsa vtitur ad assequendum suum finem, & cuius actus est præparatorius ad proprium actum prudentiæ, id est, ad rectum iudicium de agibilibus in particulari, vt docet S.Thom. quæst. 51. art. 2. c. Sicut inquisitio, & cognitio causæ per examen iudiciale, pérque accusationem & defensionem Rei, est præparatio ad sententiam iudicis, quæ est propriè & formaliter actus iudicis, vt iudicis: Eámque esse causam cur consultatio dicatur specialiter esse actus prudentiæ potiùs, quàm esse iustum, aut esse fortem, vel temperantem: sicut dicitur proprium esse iudicis, inquirere & cognoscere causam iuridicè, priusquam iudicium & sententiam ferat. Contrà enim: quia si ea solùm de causa diceretur consultatio esse actus prudentiæ; deberet eadem, atque etiam ipse actus prudentiæ dici esse actus iustitiæ, temperantiæ, & aliarum virtutum, à quibus eadem consultatio imperatur, & quibus eadem, atque ipse actus prudentiæ inseruit, vt assequantur suum finem. Nam consultatio de medijs non imperatur solùm à prudentia, sed etiam à cognitione & amore efficaci finis, qui amor pertinet ad virtutem illam cuius est prosequi talem finem, seu tale honestum, eidémque fini assequendo subseruit consultatio, & iudicium, atque imperium prudentiæ. Atqui ex communi hominum sensu multò magis propriè pertinet ad prudentiam rectè consultare; quàm ad iustitiam, temperantiam, aliasque virtutes. Ergo ratio differentiæ allata non sufficit. Exemplum quoque allatum non est verum: nam inquisitio causæ iuridica, tam est actus proprius iudicis, vt iudicis; quàm ipsa sententia iudicialis. Est enim officium iudicis proprium vt sententiam ferat, non quomodocumque, & pro libito; sed iuridicè, id est, seruatis iuris formulis, & legitimo processu iudiciali, qui ex parte consistit in cognitione, seu discussione causæ, & examine eorum, quæ pro & contra proferuntur ab illis quorum interest, eorúmque patronis. Similique modo in Sacramento Pœnitentiæ, non sola sententia absolutionis, aut impositio satisfactionis, est actus proprius sacerdotis vt iudicis: sed etiam præuia cognitio causæ per confessionem Pœnitentis legitimam: vtrumque enim munus illi incumbit vt iudici in illo foro, secundùm diuinam institutionem: neque potest pro libito, & causâ incognitâ, remittere vel retinere peccata: sed tantùm præuia sufficienti inquisitione, & cognitione.

40. Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondeo Aristotelem per rectam rationem, intelligere rectam ratiocinationem, quæ non solùm exercetur iudicando quid aut quomodo agendum sit: sed etiam bene inquirendo, & expendendo modum, & rationes bene agendi: vt diximus num. 37. Ad secundum respondeo D. Thomam eo loco, & pluribus alijs, sumere strictiùs prudentiam, pro solo imperio, quod putat esse distinctum non modo à consultatione, verùm etiam à iudicio practico, quo statuitur esse necessariò agendum: eâdémque de causâ quæst. 51. art. 4. in corp. & ad tertium, dicit synteresin, id est, iudicium rectum de agibilibus secundùm Regulas communes, & Gnomen, id est, iudicium de ijsdem per epijkiam, siue benignam interpretationem per Regulas altiores, non esse actus prudentiæ, sed virtutum diuersarum. Quod etiam docent communiter Thomistæ, qui vnicum prudentiæ actum internum esse volunt, videlicet, bene præcipere. Idémque docet Valentia tom. 2. disp. 2. quæst. 12. p. 1. columna S. & tom. 3. disp. 4. quæst. 1. p. 1. Sed hic conceptus prudentiæ est nimis restrictus, & non conformis definitioni Aristotelis, communique hominum iudicio, ex quo præcipuè de vocum significatione iudicandum est. Maléque supponit dari aliquod præceptum prudentiæ, quod non sit iudicium practicum de agibilibus, vel secundùm Regulas communes, quod dicitur synesis; vel secundùm Regulas altiores, quod dicitur Gnome, aut sygnome. Qua de re plura dicemus Sectione sequenti.

SECTIO VII.

De Synesi, & Gnome.

Circa secundum actum prudentiæ, qui est bene iudicare, notandum est iudicium prudentiæ latiùs patere, quàm præceptum. Iudicium enim practicum de honesto simpliciter, vel de licito, non est præceptum; & tamen est iudicium prudentiæ. Quo supposito, quæritur an Synesis, & Gnome sint iudicia prudentiæ, & actus eius proprij? Videtur id negare D. Thomas quæst. 51. art. 3. & 4. vbi de illis loquitur, vt de virtutibus distinctis à prudentia, eique adiunctis. Contra verò, affirmant plurimi, 41.

quos sequitur Lessius lib. 2. cap. 1. num. 13.

Synesis quid sit? Vt respondeam suppono synesim aliter sumi ab Aristotele 6. Ethic. cap. 10. & aliter à D. Thoma loco citato. Nam Aristot. per *synesim* intelligit perspicaciam quandam ingenij in alio, qui de iudicio & facto prudentis acutè iudicat. D. Thomas autem intelligit rectum iudicium, aut virtutem bene iudicatiuam secundùm Regulas de agibilibus, ijs maximè quæ sunt circa finem; vt patet ex corpore articuli citati, iuncto articulo 4. in fine corp. Per *gnomen* Aristoteles 6. Ethic. cap. 11. intelligit rectum iudicium ex æquo & bono, id est, iudicium & sensum æqui & boni viri, qui sit ad ignoscendum pronus, & ad veniam dandam, quæ venia Græcè *συγγνώμη* appellatur: quique non sit procliuis ad sentiendum ex rigore iuris, sed ad iudicandum ex benignitate, & ad excusandum: ideóque *Gnome* benigna sententia Latinè verti potest. D. Thom. autem quæst. 51. art. 4. in corp. per *Gnomen*, intelligit iudicium secundùm aliqua altiora principia, quàm sint Regulæ communes, secundùm quas iudicat synesis: secundùm quæ principia altiora exigitur, inquit, altior virtus iudicatiua, quæ vocatur Gnome, & importat quandam perspicacitatem iudicij. Vbi nota, per Regulas communes, intelligi leges communes, vel præcepta generalia, verbis communibus & vniuersalibus lata à legislatore, quæ tamen (vt solent res morales) patiuntur aliquas exceptiones in quibusdam circunstantijs, non expressas in lege, sed relictas iudicio viri æqui & prudentis, iudicantis secundùm alia principia altiora, quibus non derogat lex, neque intentio fuit legislatoris eis derogare. Ex. gr. lex communis est, non esse occidendum, & homicidium esse puniendum. At æquitas dictat excipiendum esse casum iustæ defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia ex principio altiori, vim vi repellere licet. Item, aliud est quod iustitiæ zelus & seueritas suadet: aliud quod benignitas & æquitas. Debet autem æquitas iustitiam moderari. Summum enim ius summa iniuria est, vt vulgò dicitur. Hoc igitur modo Gnome, seu benigna sententia, est æqui & boni viri sensus ac æstimatio; cui ex parte voluntatis respondet epijkia, id est, affectus æqui & boni.

Gnome quid sit?

42. Synesis vt sumitur ab Arist. estne actus prudentiæ? His præmissis, existimant aliqui synesim, seu perspicientiam, prout sumitur ab Aristotele, non esse actum prudentiæ proprium: quia est iudicium merè speculatiuum de veritate iudicij alterius prudenter iudicantis: vel potiùs est vis ipsa rectè de eo iudicandi, aut acutè perspiciendi prudens iudicium aut factum alterius. Probant ex Aristotele 6. Ethic. cap. 10. vbi sic ait: *Non idem est perspicacia, quod prudentia.* Item, *Nec verò esse perspicacem, est esse prudentem, aut acquirere prudentiam.* Probant secundò, quia perspicaciæ, & synesi ita sumptæ opponitur hebetudo; secundùm Aristotelem ibidem, & interpretes. Hebetudinis autem oppositum est vis & facilitas percipiendi.

Concluditur affirmatiuè. Sed alij meliùs affirmant synesim, etiam sumptam pro iudicio quo rectè iudicatur de facto alterius, esse actum proprium prudentiæ. Quia ad idem lumen intellectuale pertinet rectè iudicare ita faciendum fuisse in tali casu cuipiam alteri: & ita mihi in pari casu faciendum esse. Eâdemque facilitate quâ rectè iudico de proprio facto præsenti, eâdem iudicare possum de alieno planè simili iam præterito. Ex. gr. eodem lumine intellectuali; & eâdem facilitate, quâ iudico hîc & nunc me obligari ad faciendam eleemosynam huic pauperi petenti in talibus circunstantijs, iudico esse aut fuisse & simili obligatione faciendam à quocunque alio quibusvis alijs petentibus in ijsdem circunstantijs. Ergo vtrumque pertinet ad eandem virtutem intellectualem, & eundem habitum.

Tripliciter autem iudicari potest de facto alterius præterito: vt rectè notarunt eruditi quidam recentiores. Primò, excogitando proprio ingenio modum, quo ille operari debuit in talibus circunstantijs. Vt si quis interrogatus quid faciendum fuerit Danieli vt duorum seniorum falsò Susannam accusantium improbitatem detegeret: & nesciens quid Daniel fecerit: responderet separandos illos fuisse, & seorsim interrogandos de circunstantijs criminis, *sub qua arbore, &c.* Et hic sine dubio exercet parem actum prudentiæ ei, quem Daniel exercuit, quémve ipse exerceret, si simili modo, & in simili casu falsi testes conuincendi sibi occurrerent. Secundò, non excogitando quidem modum, sed inueniendo rationem cur ita faciendum fuerit: nimirum quia modus ille agendi aptissimus fuit ad falsos testes contradictionis arguendos. Et hic non habet eandem laudem prudentiæ, ac prior: sed aliquatenus tantùm ad illam accedit. In eo tamen prudens est, quòd iudicat ita posse commodè conuinci testes falsitatis, & eorum fraudem detegi. Tertiò, ne hoc quidem excogitando: sed solùm maturè & recto iudicio approbando, cùm audit ita faciendum fuisse ad testes conuincendos, similique modo agendum esse in ijsdem circunstantijs. Et iste; tametsi minus habet perspicacitatis, quàm duo præcedentes; exercet tamen actum prudentiæ parem illi, quem eliceret, si casu simili posito, & memor eius quod antea factum audiuit, prudens alterius factum imitaretur, idémque sibi faciendum iudicaret. Nemo autem dubitat quin prudenter iudicaret, & faceret tunc temporis, cùm Danielis exemplum sequeretur. Et prudentia acquiritur non tantùm propriâ inuentione, sed etiam præteritorum exemplorum memoriâ, aliorúmque doctrinâ. 43.

44. Responditur argumentis contrarijs. Ad rationem in contrarium, respondeo illud iudicium non esse merè speculatiuum, sed esse rectam rationem agendi, id est, rectam cognitionem quomodo agendum sit in casibus particularibus: quod ad prudentiam pertinet. Ad auctoritatem verò Aristotelis, dico sensum illius esse, quòd ad denominationem prudentis simpliciter, non sufficiat esse perspicacem in iudicando de factis aliorum secundo & tertio modo ex tribus suprà commemoratis, nisi etiam quisque sciat rectè iudicare de his, quæ sibiipsi agenda sunt, possitque per se discernere quid facto opus sit in difficultatibus sibi occurrentibus. Sed non negat Aristoteles iudicium illud perspicax esse aliquem actum pru-

dentiæ: quod argumentis suprà allatis puto euidenter conuinci. Imò potiùs id affirmat lib. 1. Magnorum moral. cap. 35. vbi expressè docet synesin esse prudentiæ partem, quamvis possit esse in eo qui non est prudens: id est, qui non meretur prudentis denominationem, defectu aliarum partium. Neque enim prudens simpliciter appellatur quisquis bene iudicat quomodocumque de agibilibus: sed qui constanter, & fere semper bene ratiocinatur & iudicat quid sibi faciendum sit in quibuscumque agibilibus, & illis præsertim, in quibus animi perspicacia opus est: propter quod etiam hebetudo opponitur prudentiæ, & synesi, vt ait Aristoteles loco cit. in obiectione.

45. Synesis & Gnome vt sumũtur à D. Thoma, sunt actus prudentiæ. Si verò synesis sumatur pro iudicio recto de agibilibus secundùm Regulas communes, provt sumitur à D. Thoma loco suprà citato, est sine dubio actus prudentiæ proprius: quia est iudicium particulare de eo quod agendum est hîc & nunc, omnibus rite expensis. Idémque dico de Gnome, seu sententia, iuxta vtramque acceptionem D. Thomæ, & Aristotelis, quæ in vnam totalem & perfectam colligi potest. Latiùs tamen patent Synesis, & Gnome, quàm prudentia; quatenus significant etiam iudicia generalia, facta secundùm communes Regulas, vel ex æquo & bono. Nec obest quòd D. Thom. quæst. 51. art. 3. & 4. ait Synesin, & Gnomen esse partes potentiales prudentiæ, id est, virtutes ei adiunctas, illique inseruientes ad exercendum eius actum: Idémque docet de Eubulia, id est, virtute bene consultandi, art. 2. eiusdem quæst. Hoc enim facit, quia restringit virtutem & actum prudentiæ ad vnicum actum imperij, quem distinctum esse vult à iudicio practico de agendis, aut non agendis, esséque illo posterius. Verum Prudentia latiùs patet iuxtà Aristot. & communem Philosophorum, ac Theologorum sensum: valétque per seipsam ad bene consultandum de agibilibus, rectéque iudicandum, siue secundùm Regulas communes, siue secundùm altiores & benigniores, atque ad rectè præcipiendum per iudicium practicum de necessitate agendi: in quo consistit formaliter actus imperandi proprius prudentiæ, vt mox ostendemus in 3. conclusione Sect. sequenti.

SECTIO VIII.

De actu imperandi.

46. Imperiũ propriè quid sit? Circa tertium actum prudentiæ, qui est rectè imperare, controuersia est in quo consistat, & quomodo à iudicio differat? Pro quo nota primò, imperium propriè dictum, esse denuntiationem voluntatis Superioris, per quam Superior exigit aliquid ab inferiore, & determinat eius obligationem ad id, quod exigit pro iure suo. Quare non est propriè nisi inter duos, nec sine aliqua morali necessitate, sequente ex obligatione, atque ipsius determinatione ad illud quod præcipitur. Nomine autem præcepti intellige tam affirmatiuum, quàm negatiuum, quòd specialiùs prohibitio appellatur. Inde verò metaphoricè transfertur imperij nomen ad actum eius potentiæ, quæ vel sibimetipsi, vel alteri potentiæ eiusdem suppositi sibi subordinatæ imponit aliquam necessitatem agendi. Quo pacto voluntas sibi & alijs potentijs imperat, séque & illas mouet & applicat ad operandum: intellectus quoque imperat aliquo modo voluntati, cùm illi imponit necessitatem moralem agendi, ob naturalem obligationem, quam habet, sequendi dictamen conscientiæ. Neque repugnat intellectum, & voluntatem sibi vicissim imperare diuersâ ratione, & per actus diuersos. Voluntatem quidem, quatenus v. g. applicat intellectum ad deliberandum. Intellectum autem, quatenus per deliberationem iudicantem aliquid esse necessariò agendum, obligat voluntatem vt agat. Imperiũ metaphoricè sumptum.

47. Imperiũ prudẽtiæ in quo consistat? Nota secundò, actum prudentiæ, quo dictat intellectus hoc aut illud licitum quidem esse hîc & nunc, vel honestum, sed non esse necessarium; non esse imperium; quia non imponit necessitatem agendi. At verò actus, quo dictatur hoc necessariò agendum esse, aut hoc vel illud non esse agendum; imperium aliquod est; quia imponit necessitatem moralem agendi, aut non agendi; siue absoluta illa sit, siue ex suppositione alicuius finis obtinendi. Et hoc imperium non est actus voluntatis, sed intellectus. Tum quia iudicium quoddam est; tum quia voluntas agit sæpe liberè contra illud, amplectiturque oppositum eius, quod iudicatur esse agendum. Sed neque pendet necessariò ab actu voluntatis: nam intellectus, nullo præcedente actu voluntatis, potest iudicando præscribere ac definire, quid hîc & nunc agendum sit. Et quando tale iudicium libere fit (vt aliquando fit) non est necesse vt actus voluntatis sit determinatè circa id quod iudicatur: sed sufficit actus, quo voluntas vult definire per intellectum quid sit agendum. Contra verò, omnis actus voluntatis supponit actum intellectus: sique est regulatus, supponit regulam intellectus: sique est circa singularia, supponit Regulam circa singularia, quæ est prudentia, aut aliquid æquiualens.

His prænotatis, Dico primò, imperium prudentiæ proprium, esse iudicium practicum, quo præscribit hîc & nunc agendum esse, vel hîc & nunc non esse hoc aut illud agendum, quia illicitum est; vel etiam quid vel quomodo agendum sit, vel non agendum: ratione cuius actus, prudentia rectè dicitur imperare; quia præscribere quid aut quomodo sit agendum, & ita mouere ac necessitare moraliter, est munus imperantis & superioris. Ita Lessius cap. 1. dub. 3. num. 25. resque satis patet ex ijs quæ iam diximus num. 46. & 47. 48.

Est præcipuus ille actus. Dico secundò, imperium esse præcipuum actum prudentiæ. Ita D. Thomas quæst. 47. art. 8. Ratio est, quia est præcipuus actus rationis agibilium, non indicans tantùm quid sit honestum, aut licitum; sed insuper obligans, & vrgens voluntatem ad amplectendum id quod præcipit; vel ad abstinendum ab eo quod prohibet. Vnde etiam fit vt hic actus sit specialiter & magis coniunctus fini prudentiæ, qui est

recta operatio, quam exigit, & ad quam mouet voluntatem, non alliciendo tantùm, vt facit iudicium de honestate non necessaria; sed & moraliter obligando, ac necessitatem agendi imponendo, ita vt voluntas ex debito morali teneatur operari.

49. Sit-ne distinctus à iudicio? Dico tertiò, vltra imperium prudentiæ, iam explicatum, non est ponendum aliud omnino distinctum à iudicio de agendo, aut non agendo. Hæc conclusio est contra Thomistas, affirmantes imperium prudentiæ esse actum omnino distinctum à iudicio; sine quo voluntas non potest agere id, quod iudicatur esse agendum; & quo posito, non potest non agere. Quamvis enim, inquiunt, intellectus iudicet agendum esse; tamen voluntas non potest moueri, nisi intellectus imperet voluntati, dicendo interiùs, *fac hoc:* quod imperium voluntas non potest detrectare, sed paret necessariò. Idem videtur docere S. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 8. c. vbi significat imperium prudentiæ esse actum planè distinctum à iudicio, & consistere in applicatione iudicatorum ad operandum. Ibidémque ponit iudicium ante imperium, in intellectu, quod iudicium tribuit speculatiuæ rationi; imperium verò, practicæ. Clariùs autem 1. 2. quæst. 17. art. 1. c. & art. 3. ad 1. docet imperium esse intimationem, seu denuntiationem, non per modum indicationis, sed per modum motionis, qualis denuntiatio est cùm dicitur, *fac hoc.* Ante quam denuntiationem præcedit, inquit, actio voluntatis, & electio; & ante electionem, iudicium intellectus. Quare imperium non est ad eligendum simpliciter, vel ad volendum; sed ad exequendum id quod electum fuerit. Ad quam executionem ratio vi voluntatis, quæ elegit, mouet efficaciter vel ipsummet eligentem, si sibi imperat; vel alium, si imperat alteri.

50. Concluditur negatiuè. Sed hæc doctrina, quæ purè Philosophica est, minùs probabilis esse mihi videtur, & plerisque alijs infrà citandis. Primò quia electio efficax & absoluta alicuius rei sufficit vt immediatè, & propria vi, applicet potentiam executricem eius, quod electum est, ad id exequendum, absque alia denuntiatione. Ergo post illam non est ponendum imperium, veluti necessarium ad hunc effectum. Antecedens patet: si enim absolutè & efficaciter aliquis eligat siue considerare hîc & nunc, siue appetere, siue facere: statim considerat, aut appetit, aut facit, si non aliunde impediatur. Alioquin aut voluntas deficit, & non est absoluta & efficax: aut potentia executrix non subest illi. Quorum vtrumque falsum est, & contra suppositionem. Ante electionem verò potest poni imperium rationis, dummodo imperium rectè sumatur, sicut paulò ante explicatum est, non distinctum à iudicio practico absoluto, per quod statuitur agendum esse aliquid, aut non esse agendum. Secundò, imperium efficax intellectus, quo posito voluntas non possit non operari, omnino rejiciendum est, vt aduersum libertati, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, siue ex parte intellectus, siue aliunde, debet esse potens ad agendum, & non agendum, & ad alterutrum seipsam determinare: vt alibi probauimus, tom. 2. Disp. 8. Sect. 2. & sequentibus. Tertiò, illud imperium distinctum, est apertè superfluum. Nam posito iudicio de agendo, vel non agendo, habet voluntas obiectum sufficienter propositum vt agat, vel non agat; & moralem obligationem; quia *Omne quod non est ex fide*, id est, ex conscientiæ dictamine, *peccatum est*, Rom. 14. ver. vltimo: Hoc autem iudicium præcipit voluntati vt agat, vel vt non agat; idémque planè facit respectu voluntatis, quod illud aliud imperium frustra additum, & his verbis expressum, *fac hoc.* Hoc enim ipso quòd intellectus dictat voluntati aliquid illi necessariò agendum esse, hoc ipso dictat illi vt faciat, & præcipit, eo modo quo præcipere potest. Neque potest bene concipi quid aliud addat ex parte intellectus imperium quod superadditur à Thomistis, explicatum his vocibus, *fac hoc.*

Quartò, imperium differt quidem à iudicio latè sumpto: quia non est quodcumque iudicium: ac sicut sæpe inquisitionem præsupponit, ita & iudicium aliud, quod imperium non est. At non differt à iudicio per quod statuitur aliquid agendum esse, aut non esse agendum. Confirmatur. Quod iudicium cùm sit de agendo, aut de non agendo, vt tali, aut de agibili vt tali; non potest appellari propriè speculatiuum; sed est practicum; licet non habeat necessariò coniunctum opus, neque sit in eodem gradu cum imperio inuoluente motionem voluntatis applicantis seipsam, vel alias potentias sibi subiectas, ad operandum iuxta iudicium intellectus. Quintò, illud iudicium non est tantùm indicatio; sed & motio quædam, quatenus per huiusmodi iudicium obligatur voluntas ad volendum, & agendum id quod iudicatur. Quâ ratione meritò dicitur imperium. Nam in imperio quoque propriè sumpto, quod est ad alterum, tota ratio imperij consistit in obligatione, seu determinatione obligationis, quam facit superior per liberum vsum suæ legitimæ potestatis. Et nulla alia motio ibi excogitari potest ex vi solius imperij: licet ille, cui imperatur, possit consequenter moueri vel intuitu honestatis, vel pœnæ alicuius imminentis nisi pareat, vel alicuius alterius rei.

51. Sextò denique, posito tali iudicio & imperio præscribente quid & quomodo sit agendum; & electione, seu consensu absoluto & efficaci ex parte voluntatis; nihil aliud requiritur ad exequutionem. Nam electio absoluta, & efficax, statim & immediatè est causa admouendi potentiam subditam ad exequendum. Electio, inquam, si absoluta est, & non per modum desiderij tantùm, aut imperfectæ volitionis, quæ solet appellari velleitas, habet effectum statim, vel præfixo tempore, nisi subiectum interea mutetur, & aliter afficiatur. Et quamvis interdum aliud sit velle id quod recta ratio dictauerit; & aliud, exequi; nimirum quoties executio est opus alterius potentiæ subditæ voluntati: tamen idem actus prudentiæ, quo dictatum est quid sit agendum & quomodo, & idem actus voluntatis, quo quispiam amplexus est quod recta ratio dictauit, suffi-

ciunt ad executionem, non per se solos, sed per facultatem executricem, siue naturalem, siue acquisitam: modò virtus exequendi non illi desit. Sæpe autem prudentiæ succedit prudentia.: & cùm fuerit definitum debere aliquid agi, postea præscribendum est quomodo sit agendum. At nullum imperium ab illis actibus distinctum necessarium est, vt antea probatum fuit, siue vt præeat electioni; ad quam iudicium de agendo vel de non agendo sufficit, vt fatetur D. Thomas: siue vt post illam dirigat executionem, quæ sufficienter dirigitur ab illo iudicio practico, quo cognoscitur, ac præscribitur quomodo sit agendum: siue etiam vt moueat potentiam executricem, quæ ab ipsa voluntate admouenda est, & per electionem absolutam & efficacem immediatè admouetur vi propria. Neque apparet quam vim nouam conferre possit voluntati ad mouendum actus nouus intellectus quo dicatur, *fac hoc*.

52. Amplior confirmatio. Confirmatur, quia postquam intellectus prudenter iudicauit quid hìc & nunc, & quomodo agendum sit; si voluntas absolutè vult exequi, & executionem dirigere per intellectum, quid opus est vt per eundem intellectum aliter præcipiat quasi dicendo, *fac?* Aut quid opus est aliter dicere *fac*, cùm & intellectus præscribat quid agendum sit, & voluntas velit exequi, atque per intellectum dirigere executionem? Ex illa namque volitione per se immediatè sequitur executio, & directio, si aliunde nihil obstet. Item, cui diceret intellectus motus à voluntate, *fac?* Non quidem sibi: quia ipse per voluntatem, sine alio imperio præter volitionem absolutam, potest applicari ad dirigendam executionem. Sed neque voluntati dicendum est *fac*, postquam voluntas iam vult absolutè. Neque alij facultati executiuæ: quoniam hæc facultas à voluntate absolutè volente applicatur, intellectu dirigente, sine alio imperio. Concludo igitur imperium illud distinctum à iudicio practico, ex parte intellectus, esse planè superfluum. In quo nobiscum sentiunt Vasq. 1. 2. disp. 49. cap. 4. Lessius lib. 1. de Iustit. cap. 1. dub. 3. num. 23. & sequentibus, Suares disp. 9. de actibus hum. Sect. 3. alijque plures.

53. Soluitur obiectio. Dices, aliud esse iudicare simpliciter aliquid esse agendum; & aliud, dicere *fac hoc:* vt apparet manifestè in imperio externo, ac propriè dicto, quod est ad alterum. Nam quidquid iudicet superior, non præcipit, neque obligat, nisi denuntiet hoc aut simili verbo, *fac*. Ergo intellectus præter actum iudicandi, quo dicit agendum esse, habet actum imperandi, qui modo verbi imperatiuo significatur, nimirum *fac*. Etenim dicere *fac*, ad intellectum pertinet, cuius est dicere & loqui. Ergo talis actus potest prudentiæ competere per modum imperij magis propriè dicti. Respondeo verbum *fac*, dicere aliquid ex parte intellectus, & aliquid ex parte voluntatis. Ex parte quidem intellectus dicit agendum esse, siue quis sibiipsi, siue alteri præcipiat. Ex parte autem voluntatis dicit affectum exigentis pro iure suo aliquid, quem affectum exprimit verbo, *fac:* sensúsque est, Volo absolutè, & exigo pro meo iure vt facias. Quanquam non semper verbum *fac*, imperatiuè sumitur; sed deprecatiuè interdum, aut suasiuè, vel consultiuè, aut etiam permissiuè: Debetque varijs modis resolui per verbum indicatiui modi; ita vt sensus sit, Peto vt facias, suadeo vel moneo vt facias, hortor vt facias, vel permitto, &c. quare nulla est necessitas propterea multiplicandi actus intellectus; sed tantùm addendi sunt, aut multiplicandi actus voluntatis. Et hæc sufficiant in præsens de actibus prudentiæ: reliqua enim quæ de illis dici possent, ex dicendis paulò post, facilè colligentur.

SECTIO IX.

De habitu Prudentiæ: & primò de naturali, siue acquisito.

PEr actus prudentiæ generatur habitus naturalis & acquisitus: qui non est simplex, & vnius speciei atomæ; sed constans ex multis partialibus habitibus, specie diuersis iuxta diuersitatem specificam actuum à quibus producitur, & per quos nouam difficultatem tolli experimur. Prima pars huius assertionis patet experientiâ. Sicut enim per alios actus intellectus experimur nos acquirere facilitatem, & propensionem habitualem ad exercendos similes actus scientiæ, fidei, vel opinionis: sic & prudenter iudicandi de agibilibus in particulari, spectatis omnibus circunstantijs, in quo non leuis difficultas esse solet, & per habitum acquisitum tolli potest; illiusque habitus, seu facilitatis acquirendæ, intellectus naturaliter capax est; atque ad illum generandum sufficientem vim habent actus prudentiæ, quibus potentia vsitatur. 54. Datur habitus acquisitus prudentiæ.

Secunda pars quòd nimirum habitus ille non sit qualitas simplex, neque vnius speciei, probatur, quia agibilia, circa quæ versatur prudentia, & de quibus debet quisque rectè & constanter statuere, vt censeatur & denominetur absolutè prudens, non sunt vnius speciei, sed multiplicis, & valde differentis: neque cognoscuntur per actus eiusdem speciei, sed valde diuersarum: & acquisitâ facilitate ad aliquos, experimur adhuc esse difficultatem ad alios. Atqui hoc est præcipuum & sufficiens argumentum, ex quo colligimus diuersitatem realem, & specificam habituum acquisitorum. Ergo, &c. Maior probatur: Nam agibilia, circa quæ versatur prudentia, alia sunt in materia iustitiæ, alia in materia fortitudinis, vel temperantiæ, aliarúmque virtutum: quorum agibilium differentiæ, variæque honestates obiectiuæ, sufficiunt ad constituendas diuersas specie virtutes morales, propter notabilem diuersitatem quam habent inter se, & specialem difficultatem, quæ est in quolibet eorum attingendo secundùm propriam ipsius rationem. Ergo sufficiunt etiam ad constituendos diuersos specie habitus prudentiæ, à quibus debent eædem honestates attingi, & proponi voluntati secundùm propriam cuiusque differentiam: & in quibus bene proponendis est 55. Non est qualitas simplex, neque vnius speciei?

specialis difficultas ad bene discernendum medium rationis in vnoquoque, rectéque expendendas singulas vniuscuiusque circunstantias. Item, agibilium quædam sunt omnibus communia, vt officia plurima erga Deum, & erga seipsum: quædam propria aliquorum, vt superiorum, subditorum, parentum, filiorum, dominorum, seruorum, & similium. Quædam sunt quæ agi debent erga ipsum agentem, & ea quæ ipsius sunt: quædam erga alios, vt erga Deum, & proximum, ciuitatem, regnum, familiam, exercitum. Quædam sunt circa bonum priuatum, alia circa commune & publicum. Quædam conueniunt vnicuique considerato extra societatem, vel sine ordine ad illam: quædam in societate domestica, aut ciuili, vel militari. In quibus omnibus magna obiectorum varietas est, quæ secundùm proprias rationes, & differentias per prudentiam attinguntur varijs cognitionibus. Illius enim est singula discernere, & de illis in particulari statuere sicut oportet. Cùm autem hæc valde differant inter se, consequens est vt multùm quoque differant actus intellectus nostri, à quibus seorsim attinguntur, & vitaliter exprimuntur secundùm propriam cuiusque differentiam. Estque notum experientiâ quòd acquisitâ facilitate circa aliqua ex huiusmodi agibilibus, eorúmque actus; manet adhuc difficultas ad alia. Multi enim, qui habent facilitatem iudicandi de medio rationis seruando in temperantia, déque illius circunstantijs; non habent facilitatem iudicandi de medio fortitudinis in aggrediendis periculis, aut arduis ferendis. Et quidam habent facilitatem rectè suas priuatas actiones dirigendi per prudentiam personalem, qui non habent facilitatem bene regendi alios per prudentiam politicam, legislatricem, aut œconomicam. Et quicumque habent facilitatem bene regendi familiam, non propterea habent facilitatem bene regendi militiam. Manet ergo probatum quod intendimus, agibilia scilicet, & actus prudentiæ, valde differre inter se: & acquisita facilitate ad vnum, non acquiri facilitatem ad alterum: adeóque totam prudentiam non esse vnum simplicem habitum, sed ex multis realiter & specie diuersis compositum per moralem quandam coordinationem. In quo nobiscum sentiunt Scotus in 3. dist. 36. quæst. vnica, §. *Quintum ergo*, Gabriël ibidem quæst. vnica, art. 1. not. 5. Ocam in 3. quæst. 12. & quodlib. 4. quæst. 1. art. 1. & Almain. 3. Moral. cap. 7. qui dicunt tot esse prudentias, quot sunt morales virtutes: Quod etiam probabile censet Less. cap. 2. dub. 1. num. 6.

Dissentiunt verò ex parte Caiet. 1. 2. quæst.
56. Cōtraria sententia. 60. art. 1. circa solutionem primi, Vasq. ibid. disp. 85. cap. 2. Valentia tom. 3. disp. 4. quæst. 3. p. 2. Turrian. disp. 99. dub. 4. Tannerus quæst. 1. de prudentia dub. 2. num. 30. alijque plures, qui censent prudentiam personalem, siue solitariam, quæ tendit ad bonum proprium operantis, esse vnius atomæ speciei: licet alia quæ tendit ad bonum commune, & gubernatrix dicitur, in plures species diuidatur: nempe in regnatiuam aut legislatricem, politicam, œconomicam, & militarem. Ratio primæ partis est, quia, inquiunt, vnus & idem modus est consultandi, & iudicandi de agibilibus proprijs, secundùm quod expedit homini ad finem apprehensum; nempe in assignanda materia & medijs ad talem finem idoneis, & in inuenienda mediocritate & conuenientia mediorum ad eundem finem. Secundam verò partem probant, quia diuersus est modus consultandi, & iudicandi de agibilibus circa se, & circa alios. Item, præcipere quid sit agendum circa bonum particulare, aut circa bonum regni, vel familiæ, vel exercitus, iubendo, aut obtemperando, non est eiusdem laudis, & difficultatis, sed omnino diuersarum. Ergo prudentiæ prædictæ differunt specie. Ita Vasques, & Valentia locis citatis. Addi potest ex D. Thoma, quæst. 47. artic. 11. quòd habitus distinguuntur specie secundùm rationes formales obiecti. Ratio autem formalis eorum quæ sunt ad finem, est finis: & hic est vel bonum proprium vnius, vel commune familiæ, aut domus, vel commune ciuitatis, aut regni. Ergo prudentia vna est quæ ordinatur ad proprium bonum vnius, & hæc vocatur simpliciter prudentia: alia est œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune familiæ, vel domus: alia est politica, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis, vel regni.

Ad primum respondeo primò, prudentiam personalem, iuxta veram sententiam, includere gubernatricem, in illis omnibus, quibus incumbit regere alios: vt dicemus inferiùs Sect. 14. num. 96. Secundò, vnum quidem esse modum confusè & genericè, consultandi & iudicandi de agibilibus circa se, atque etiam circa alios: sed tamen esse diuersum specificè, pro diuersitate negotiorum, & obiectorum specie differentium, quæ in particulari secundùm se considerantur. Sicut etiam est idem modus genericè & confusè, consultandi de fine & medijs in ordine ad bonum commune, in prudentia politica, œconomica, legislatrice, & militari: quæ tamen specie differunt, iuxta Vasquem, & alios aduersarios, propter specialem diuersitatem, & difficultatem obiectorum cuiuslibet illarum. Eâdemque facilitate, quâ Vasques affirmat prudentiam personalem esse vnum specie habitum, qui per augmentum extensiuum extenditur ad nouam materiam, & dat nouam facilitatem operandi circa illam, putà circa temperantiam, vel fortitudinem, & alias virtutes ad bonum proprium operantis pertinentes: deberet cohærenter loquendo dicere prudentiam gubernatricem esse vnum specie habitum, qui per solum augmentum extensiuum valeat ad tollendam difficultatem in regenda ciuitate, familia, regno, aut militia. Vel potiùs, ob eandem rationem, propter quam habitus prudentiæ personalis non potest, iuxta Vasquem, extendi ad species gubernatricis, neque politica ad œconomicam, vel ad militarem: Non potest quoque habitus prudentiæ personalis, acquisitus circa vnam materiam, extendi ad tollendam difficultatem quæ est circa aliam materiam. Nimirum quia est impossibile vt habitus priùs essentialiter

57. Prudētia personalis non est simplex habitus.

determinatus ad vnum obiectum adæquatum, transeat postea ad aliud: hoc enim esset mutare speciem & essentiam. Atqui habitus ille priùs erat determinatus essentialiter, & adæquatè, ad obiectum actuum, per quos primò productus est; quibus scilicet, vt causis suis, debet esse commensus & proportionatus; neque potest eorum vim & essentiam excedere: ergo, &c. Item, extensio habitus, quæ dicitur fieri ad nouum obiectum, per alios actus diuersæ speciei, vel est habitui essentialis, vel accidentalis. Non essentialis: quia quando res est, tota eius essentia est. Cùm ergo priùs erat ille habitus; erat quoque tota illius essentia. Quare quod illi aduenit constituto iam in actu, non est illi essentiale. Non etiam accidentalis: quia ordo ad aliud obiectum non minùs esset illi essentialis, quàm ordo ad primum. Neque enim minùs essentiale est vt habitus sit ad vnum obiectum, quàm ad aliud. Non ergo extenditur prior habitus, sed alius nouus aduenit, estque noua essentia, & noua species habitus ad nouum obiectum. Quare illa extensio, quam Vasques & alij aduersarij accedere volunt, vel est impossibilis: vel est illud ipsum quod nos intendimus, nempe accessio noui habitus ad præcedentem, qui cum illo & alijs similibus tendentibus ad obiectum aliquo modo vnum per similitudinem quandam & coordinationem, componit vnum integrum & totalem habitum prudentiæ. Confirmatur quia posterior actus non minùs habet vim sufficientem ad producendum habitum circa suum obiectum, quàm prior circa suum. Quidni ergo producit: & quidem specie diuersum, sicut ipse actus specie differt à priori, neque ad illius obiectum se extendit, sed aliud habet sibi proprium, propriàmque difficultatem, quæ non tollitur per alium actum, vt fatetur Vasq. & experientia notum facit.

58. Neque vnius speciei atomæ. Ad secundum respondeo, totum illud posse retorqueri in aduersarios, & æquè probare, tum prudentiam personalem non esse vnius atomæ speciei: tum etiam species ibi assignatas non esse atomas, sed plures sub se continere. Quia sicut diuersus est modus consultandi, & iudicandi de agibilibus circa se, & circa alios: ita diuersus est modus consultandi, & iudicandi de agibilibus circa se in materia iustitiæ, & in materia fortitudinis, vel temperantiæ. Item, in œconomica, politica, & militari, diuersus est modus consultandi, & iudicandi de varijs & multum differentibus negotijs. Varia enim sunt negotia gerenda in regimine, siue regni, aut ciuitatis; siue familiæ, aut militiæ: variæque in illis occurrunt circunstantiæ locorum, personarum, finium, adiunctorúmque aliorum, quæ diuersissimam rationem agendi postulant, vt bonum exitum habeant: Ita vt sub obiecto & materia cuiusvis illarum specierum contineantur agibilia specie diuersa, quæ non sunt eiusdem laudis, & difficultatis; valéntque ad constituendas virtutes morales specie distinctas, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Magnificentiam, Liberalitatem, Pietatem, &c. Ergo obiectum cuiusvis illarum valet ad constituendas cognitiones agibilium specie diuersas. Tales autem cognitiones si rectæ sunt, & de agibilibus in particulari, sunt actus prudentiæ. Non est etiam vnicus specie finis respectu omnium agibilium, quæ ad bonum proprium tendunt, vel ad bonum commune ciuitatis, aut regni, vel familiæ. Alius enim est finis iustitiæ, nempe iustum: alius temperantiæ, nempe temperatum: & sic de alijs: neque prudentia versatur tantùm circa finem, sed etiam circa alia per se. Ac denique sicut virtutes voluntatis non versantur tantùm circa bonum vel malum proprium, vt sic; vel circa bonum commune domus, aut Reipublicæ, siue in pace, siue in bello; sed etiam aliter secundùm se, & circa bonum vel malum singulorum, etiam extraneorum, id est, neque domesticorum, neque ciuium: ita prudentia, quæ est Regula virtutum voluntatis, non est tantùm de bono proprio, vel de bono domesticorum, aut ciuium: sed etiam de bono extraneorum: vt, quòd sit abstinendum ab alieno, etiam ab eo quod est extranei: quòd benefaciendum sit egenti, etiam extraneo: quòd honorandus senior, etiam absolutè, & sine respectu ad bonum proprium, vel commune. Illa enim absolutè bona sunt, & per se sola appeti possunt.

Item, sicut Valentia loco supra cit. & quidam cum illo distinguunt regnatiuam, id est, politicam Principis, à politica subditorum: ita distinguere debent œconomicam Patris-familias, ab œconomica domesticorum: & militarem ducis, à militari militum. Et sicut militaris distinguitur à politica, eò quòd aliæ sunt causæ belli, & aliæ pacis: sic aliæ species erunt distinguendæ, ob alias diuersitates causarum. Nam causæ & negotia, tam propria, quàm familiæ, vel Reipublicæ, non sunt eiusdem infimæ speciei: sed aliæ sunt spirituales, aliæ temporales: quædam in hac virtutis materia, & aliæ in alia. Quare manifestum est species illas assignatas non esse infimas, sed longè plurimas continere, quæ tamen in vnam totalem virtutem prudentiæ colligi possunt. Sicut enim tota morum cognitio vniuersalis in vnam scientiam moralem colligitur: ita potest tota morum cognitio particularis colligi in vnam virtutem prudentiæ. Potest etiam in species quasdam subalternas & nobiliores distribui: sicut Aristoteles, & alij Philosophi moralem scientiàm distinguunt in scientiam Ethicorum, Politicorum, & Oeconomicorum, de quibus separatim scripsit Aristoteles. Omnes verò species atomas discernere, & proprijs rationibus nominibúsque distinguere velle, esset laboris ingentis, & non necessarij. Opinio contraria non sibi cohæret.

SECTIO X.

Detúrne habitus supernaturalis Prudentiæ?

PRæter habitum iam explicatum, naturalem siue acquisitum, probabile est dari habitum prudentiæ infusum & supernaturalem, qui valeat ad actus, & obiecta supernaturalia: quique virtutibus moralibus infusis præeat, 59. Datur habitus supernat. prudẽtiæ.

sicut fides præit Theologicis: & vnus numero sufficiat omnibus obiectis, & actibus supernaturalibus virtutum moralium dirigendis, sicut vnica fides infusa sufficit omnibus Dei reuelationibus, & actibus Spei, & Charitatis: ad fidem verò ipsam, & ad affectum credendi supernaturalem fidei præuium, sufficit habitus infusus ad iudicandum de credibilitate, vel auxilium illi æquiualens. Probatur primò ex D. Thoma, quæst. 47. art. 14. ad 3. vbi clarè admittit prudentiam gratuitam & infusam, distinctam ab acquisita. Et 1. 2. quæst. 63. art. 3. & 4. agnoscit virtutes morales infusas; & inter eas, prudentiam. Idem vtrobique docent eius interpretes communiter, Vasq. 1. 2. disp. 86. præcipuè cap. 2. & 6. Valent. tom. 2. disp. 5. quæst. 6. Punct. 1. Turrian. disp. 99. dub. vlt. Less. cap. 2. de prudentia dubit. 1. num. 2. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 11. disp. 6. Sect. 1. D. Bonauent. in 3. dist. 33. art. 1. quæst. 5. Ricardus ibidem, artic. 1. quæst. 2. Palud. quæst. 1. art. 2 in tertia opinione, S. Antoninus 4. p. Theologiæ, tit. 1. cap. 1. §. 3. Vega lib. 7. in Trident. cap. 24. Suar. lib. 6. de gratia, cap. 9. Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 18. Coninck disp. 6. de actib. supernat. dub. 2.

60. Probatur ex Concilio Viennensi. Probatur secundò ex definitione Clementis V. in Concilio Viennensi, quæ refertur in Clement. vnica de Summa Trinit. vbi quamvis nihil decernat Pontifex tanquam dogma fidei; videtur tamen approbare vt magis probabilem opinionem Theologorum affirmantium infundi gratiam & virtutes. Quòdque non loquatur solùm de Theologicis, sed etiam de moralibus, colligi potest ex eius verbis collatis cum alijs Innocentij III. ad quæ Clemens omnino respexit. Sic enim habet eius definitio: *Verùm, quia, quantum ad effectum baptismi, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse: quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: alijs contrà asserentibus quod culpa ijsdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad vsum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Hæc Clemens, alludens omnino ad verba Innocentij III. qui centum circiter annis præcesserat, & in capite *Maiores, de baptismo & eius effectu*, sic dixerat: *Illud verò quod opponentes inducunt fidem, aut charitatem, aliasque virtutes paruulis, vtpote non consentientibus, non infundi, à plerisque non conceditur absolute: cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur: alijs asserentibus per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad vsum donec perueniant ad ætatem adultam:* Hucvsque Innocentius. Ex quo constat controuersiam fuisse etiam de virtutibus moralibus. Cùm enim dicit *fidem, aut charitatem, aut alias virtutes paruulis, vtpote non consentientibus, non infundi, &c.* intelligere debet aliquas alias cum spe, præter fidem, & charitatem: non autem solam spem. Nam si solam spem intelligeret præter fidem & charitatem, non rectè diceret, *fidem, aut charitatem, aliasque virtutes.* Ergo de alijs erat etiam controuersia. Ac proinde vt probabilior opinio approbata fuit illa, quæ asserebat infundi etiam virtutes morales. Siquidem ex duabus sententijs ibi relatis, negante scilicet & affirmante, posterior quæ affirmat, vt probabilior recepta fuit à Clemente V. Sed hac de re videantur quæ diximus tom. 2. disput. 40. Sect. 2. num. 14. & 15. vbi ostendimus Clementem, & Innocentium non adeo fauere huic sententiæ, ac nonnulli sibi persuadent, qui volunt plusquam probabiliter ex eorum responso deduci.

Tertiò, omissis Scripturæ & Patrum testimonijs, quæ non satis efficaciter à quibusdam proferuntur, & in alium sensum explicari facilè possunt, vt videre est apud Vasq. cap. 3. disp. cit. probatur conclusio ratione: quia in materia cuiusvis virtutis moralis duplex ratio honestatis considerari potest: vna quæ deceat hominem, quatenus est homo & rationis particeps; aut quatenus humanæ ciuitatis, vel familiæ ciuis est, aut domesticus: altera, quæ deceat hominem prout est eleuatus ad statum supernaturalem, capax æternæ gloriæ, ciuis Sanctorum, & domesticus Dei. Ergo iuxta duplicem illam honestatem assignari potest duplex ratio prudentiæ, aliarúmque virtutum moralium. Cúmque posterior illa ratio honestatis solâ reuelatione supernaturali nobis constet, & coniunctionem cum Deo per gratiam & gloriam respiciat: vt conuenienter cognoscatur & appetatur, debet cognosci & appeti actu condigno & proportionato, id est, supernaturali; cui respondeat habitus eiusdem ordinis & perfectionis. Quare vt perfectio supernaturalis completa sit in iustis, habeantque ipsi principia interna, quibus illam moralem honestatem supernaturalem prosequi possint propter se, & ex motiuo proprio; conueniens est, adeóque probabile, illis à Deo infundi prudentiam, aliásque virtutes morales ordinis supernaturalis. Ita fere Vasques disp. cit. cap. 6. vbi fusiùs hanc rationem exponit; & D. Thom. 1. 2. quæst. 63. art. 4. Ricard. in 3. dist. 33. art. 1. quæst. 2. Suar. lib. 6. de gratia cap. 9. 61. Probatur ratione.

Confirmatur: quia cùm dupliciter homo possit operari moraliter; vel scilicet spectando solùm rationes naturales; vel secundò spectando supernaturales, & cognitione atque affectu condigno illas prosequendo, ampliori scilicet, puriori, constantiori, alijsque conditionibus bonis & laudabilibus, multò melioribus, quàm possit fieri viribus solis naturalibus: debent ad huiusmodi actus infundi virtutes morales supernaturales, vt habeant iusti principia interna & permanentia, quibus sint completè potentes ex parte principij, ad exercendos condignè tales actus ex proprio formali motiuo cuiusque virtutis. Tales considerationes superna- 62. Amplior confirmatio.

turales sunt, quòd homo sit filius Dei adoptiuus, & vt talis conuenienter operari debeat: quòd eius corpori destinato ad immortalitatem non sit vtendum cibo aut potu immoderato, aut voluptatibus illicitis: quòd in ferendis laboribus, & in periculis rebúsque arduis debeat gerere animos cœlo dignos, & gloriâ, ad quam destinatus est; vel, vt decet Christi militem, fortiter agere. Quibus considerationibus sæpius vtitur Scriptura, homines ad virtutem hortando: vt Tob. 2. v. 18. & 1. Cor. 16. v. 15. aliisque locis. Pari probabilitate diximus disp. 12. de Fide Sect. 2. infundi habitum supernaturalem ad iudicandum de credibilitate, pro ipsius merito & maiestate: & habitum alterum piæ credulitatis æquè supernaturalem, ad volendum credere condignè, & sicut oportet. Nam actus fidei supernaturalis est liber, supponitque actum prævium voluntatis supernaturalem: quippe quem non possumus elicere solis naturæ viribus; vt docet Arausicanum II. can. 5. & Mileuit. can. 4. Et huic actui voluntatis præit iudicium de credibilitate, æquè supernaturale: quippe quod non potest haberi sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, & illuminatione, vt docet Arausic. can. 7. vbi affirmat non posse cogitari, vt expedit, quæ ad salutem pertinent vitæ æternæ, absque illuminatione Spiritus sancti. Et hoc iudicium habet pro obiecto, & fundamento, miracula, & alia signa supernaturalia, quibus Deus credibile facit se reuelare, quæque vt condignè, & proportionatè expendantur, egent auxilio speciali Spiritus sancti.

63. Contraria sententia. Contrarium sentiunt Durandus in 3. dist. 33. quæst. 6. Scotus dist. 36. quæst. vnica. §. *Contra hoc est*, & Henricus quodlib. 6. quæst. 12. Ratio eorum præcipua est, quia vel eiusmodi virtutes morales, per se infusæ, & supernaturales, concedendæ sunt hominibus ad substantiam operationis; vel ad illius facilitatem, & promptitudinem. Non ad substantiam: quia ad hanc sufficit ipsa naturalis potentia nuda: siquidem antequam habeat vllum virtutis habitum, potest homo efficere aliqua bona opera moralia. Non etiam ad facilitatem: quia hanc solùm præstant virtutes assuetudine & exercitatione acquisitæ. Ergo tales virtutes morales infusæ, sunt omnino superuacaneæ. Respondeo concedendas esse huiusmodi virtutes ad substantiam operationis dignæ & proportionatæ obiecto supernaturali: quod licet per actum naturalis entitatis attingi possit, non tamen ea perfectione, etiam morali & laudabili, quam conuenienter exigit obiectum altioris ordinis. Licet enim naturæ viribus exerceri possint aliquæ bonæ operationes circa obiecta naturalia, atque etiam circa supernaturalia sufficienter proposita, vt ostendimus in tract. de Gratia: hæc tamen sine principio & auxilio supernaturali non possunt condignè & sicut oportet attingi.

64. Prudẽtia infusa per accidens. Addo, sicut non modò virtutes supernaturales à Deo infunduntur, sed etiam aliquando naturales, quales humanâ industriâ successu temporis acquiri possent: cuiusmodi erat scientia rerum naturalium Adamo & Salomoni infusa per accidens: ita & prudentiam naturalem aliquando diuinitus dari, siue in actu, siue in habitu. Qualis fuit prudentia Salomonis in iudicio de duabus meretricibus, 3. Reg. 3. Nam puer adhuc paruulus, & ignorans egressum & introitum suum, vt dicitur ibid. v. 7. non poterat adhuc tam perfectè nosse modum, quo veræ matris affectus posset à simulato dignosci. Qualis etiam fuit prudentia Danielis, in iudicio de duobus senioribus Susannam falsò accusantibus. Nam Scriptura significat Danielem, adhuc puerum iuniorem, fuisse à Deo suscitatum ad eos tam prudenter interrogandos, & falsi conuincendos, Danielis 13. ver. 45. Itaque habitus infusus prudentiæ duplex esse potest, æquè ac actus. Vnus, per accidens tantùm infusus: alius, per se. Ille, naturalis solùm in entitate: iste, supernaturalis, & altioris ordinis.

Quæ autem de hoc habitu supernaturali prudentiæ quæri possent, ex dictis de habitibus fidei, spei, & charitatis, intelligi facilè possunt. Nimirum primò, quamvis habitus naturalis prudentiæ multiplex sit realiter, & specificè, pro diuersitate actuum à quibus producitur, & per quos noua & diuersa difficultas tollitur: supernaturalem tamen vnicum esse; quia se habet per modum potentiæ, valentis ad plurimos actus specie diuersos; neque producitur ab actibus, sed à Deo infunditur, datúrque non ad facilè, sed ad posse simpliciter operari. Secundò, obiectum huius habitus esse verum practicum singulare, & supernaturale, saltem respectiuè per ordinem ad finem supernaturalem, in agibilibus, præcipuè moralibus. Tertiò, causam eius subiectiuam esse intellectum: efficientem verò, esse Deum ipsum, qui cùm infundit charitatem, simul cum illa infundit virtutes morales, velut ipsius asseclas; eâque sublatâ, illas etiam simul tollit, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 65. art. 2. Vnde quæ valent ad acquirendam, vel destruendam gratiam; valent consequenter & mediatè ad acquirendam, vel destruendam prudentiam supernaturalem. Directè verò & immediatè actus prudentiæ supernaturalis valet ad illam acquirendam, vel augendam: & peccatum mortale ipsi oppositum, ad eam destruendam, supposito quòd directè & per se peccari possit grauiter contra prudentiam, ita vt eius præceptum per se grauiter obliget: quod an verum sit, dicemus Sect. 15. 65. Cuiusmodi sit habitus supernat. prudentiæ?

66. In quibus sit prudentia? Vnde collige, maximè verum esse de prudentia supernaturali, id quod affirmat S. Thom. quæst. 47. art. 13. prudentiam non esse in peccatoribus. De naturali verò an & quomodo in illis esse possit, dicemus Sect. sequenti. Collige secundò, de illa quoque intelligendum esse quod idem S. Doctor ait art. 14. eiusdem quæstionis, Prudentiam esse in omnibus habentibus gratiam: quia qui habet charitatem, simul habet cæteras virtutes supernaturales. Quod verò docet art. 12. prudentiam non esse in seruis, neque in subditis vt subditis, sed tantùm esse in illis vt rationales sunt: non est ita intelligendum, quasi seruiendi & obediendi prudentia esse non possit, sicut & recta ratio, quâ præscribitur hic & nunc esse obediendum, aut mandatum Sit-ne in obedientibus & subditis?

mandatum non obligare hîc & nunc in talibus circunstantijs: sed quòd illis non conueniat prudenter agere, nisi quatenus ratione vtuntur, & seipsos quodammodo per arbitrium rationis regunt: vt patet tum ex art. cit. tum ex quæst. 50. art. 2. vbi in subditis ponit prudentiam politicam, quâ dirigant seipsos in obediendo superioribus. Alioqui enim, cùm obedire sit actus potissimùm voluntatis, quæ sine cognitione non agit: oportet rationem agendi, etiam in obediente, præcedere actum obediendi. Non est etiam semper obediendum legibus, & mandatis, secundùm literam & sonum verborum spectatis; sed aliquando, pensatis omnibus, prudentia dictat mandatum aut legem non obligare hîc & nunc: vt Christus indicauit Matth. 12. ver. 3. & sequentibus. Aliquando, inquam, lex aut mandatum per benignam interpretationem ex æquo & bono restringi debet, & locum dare iustis exceptionibus, quæ ab ipsis inferioribus prudenter discerni possunt quando res est clara, vel quando non patet recursus ad superiorem, & instat agendi necessitas. Verum tamen est quod addit D. Thom. art. 12. suprà citato, post Aristotelem 6. Ethic. cap. 8. prudentiam esse in Principibus ad modum artis architectonicæ, id est, per modum imperantis; in subditis autem, ad modum artis manu operantis, id est, ad modum ministrantis & seruientis. Quia Principis, vt Principis, est imperare; & subditi, vt subditi, est seruire & obedire. Quod de prudentia quoad actus vtrisque proprios intelligendum est, & de habitu in ordine ad illos. Nam alioqui prudentia infusa, quæ simplex est, & indiuisibilis, per se valet in quolibet ad hæc omnia. Naturalis quoque, valens per se ad imperandum, potest esse in seruis & in subditis: & quæ valet ad seruiendum, potest esse in Principibus, & Dominis. Possunt enim isti habere iudicia practica de modo, quo rectè seruiendum est: deque ijs quæ sibi facienda essent si in statu seruiendi constituti essent, sitque reipsa faciendum illis, qui in tali conditione positi sunt: pérque tales actus possunt acquirere habitum naturalem, illis proportionatum. Et similiter illi qui reipsa serui, aut subditi sunt, possunt habere iudicia, & acquirere habitus circa modum rectè imperandi. Et ad idem lumen intellectuale, eandémque facilitatem habitualem pertinet iudicare quid alijs faciendum sit; & quid sibi in pari casu, ijsdemque circunstantijs, faciendum esset.

SECTIO XI.

An, & quomodo prudentia differat ab alijs virtutibus?

67. Quomodo differt à virtutibus alijs intellectus? Distinctio prudentiæ à virtutibus voluntatis clara est. Nam prudentia est ad cognoscendum: illæ autem valent ad appetendum: sed distinctio prudentiæ ab alijs virtutibus intellectus, non ita liquet. Ratio dubitandi est, quia S. Thom. quæst. 47. art. 5. docet prudentiam esse specialem virtutem, ab alijs omnibus intellectualibus distinctam: quia habet diuersum obiectum. Nam intellectus, sapientia, & scientia, sunt, inquit, circa necessaria: Prudentia verò est circa contingentia agibilia; & ars circa factibilia. Item, Aristoteles 6. Ethic. cap. 3. 6. & 7. enumerat quinque distinctos habitus, qui sint virtutes intellectuales: nimirum intellectum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem: atque prudentiam habere diuersum obiectum ab alijs, quatenus intellectus, sapientia, & scientia propriè dicta, sunt circa vniuersalia & necessaria. Prudentia verò est circa singularia quæ possunt aliter se habere: non circa factibilia, vt ars; sed circa agibilia. Si autem habet diuersum obiectum, consequens est vt habeat diuersum actum, & habitum. Nam actus qui versantur circa obiecta adæquata specie diuersa, sunt essentialiter diuersi, gignúntque habitus naturales essentialiter diuersos ac sibi proportionatos.

Ex alia verò parte grauis difficultas est, quia intellectus principiorum moralium vniuersalium, sapientia practica de agendo per altissimas causas, vt de Deo amando quia summè bonus est, & scientia moralis quæ de agibilibus differit in communi, valent ad notitiam de agibilibus in singulari. Nam ad eundem habitum pertinet cognitio vniuersalium, & singularium, si non sit alia differentia ex parte obiecti, sitque tantùm opus simplici applicatione propositionis vniuersalis per inductionem ad singularia. Quemadmodum ad eandem Physicam pertinet, quòd omne corpus naturale habeat has & illas proprietates naturales, quantitatem, locum, mobilitatem, &c. & quòd Petrus & Paulus easdem habeant. Idemque habitus qui ad primum inclinat, eâdem vi inclinat ad secundum, in quo nulla specialis difficultas est, quæ nouo habitu indigeat. 68. Grauis difficultas.

Propter hoc argumentum, Salas 1. 2. tract. 11. disp. 3. Sect. 4. num. 54. vbi plures alios citat pro eadem sententia, existimat habitum prudentiæ non distingui re ipsa, sed ratione tantùm & connotato, à quibusdam alijs virtutibus intellectus latè sumptis; quæ dicuntur intellectus principiorum, & sapientia, vel scientia moralis, quatenus sunt de agibilibus in communi; dicuntur verò prudentia, quatenus valent ad notitias de agibilibus in singulari hîc & nunc, quæ notitiæ vocantur actus prudentiæ; illa autem vocantur actus synteresis, siue intellectus moralium principiorum, vel sapientiæ, aut scientiæ moralis: vtraque verò ad eundum habitum pertinent. Prima eius solutio.

Sed hæc sententia repugnat communi Doctorum & omnium hominum sensui, qui putant prudentiam addere nouum aliquod lumen intellectuale, & ornamentum animæ, quod vsu præsertim & experientiâ acquiratur. Repugnat etiam rationi: quia per alias virtutes intellectus non tollitur omnis difficultas agendi, quæ occurrit circa agibilia in particulari, vt ostendemus paulò post: ideóque est opus nouo habitu, qui ad prudentiam pertinet. Repugnat denique Aristoteli, & D. Thomæ locis suprà relatis, si vult prudentiam nullo modo realiter distingui ab alijs habitibus quos enumerant, sed tantùm connotato, & per respectum ad diuer- 69. Improbatur.

ſos actus. Nam Ariſtoteles & D. Thomas loquuntur de illis habitibus, & de prudentia, vt de realiter diſtinctis, & habentibus obiecta planè diuerſa.

70. *Altera ſolutio.* Alij ex oppoſito cenſent prudentiam adæquatè diſtingui ab omnibus alijs habitibus intellectus. Quia, inquiunt, non quæcumque agibilia ſingularia pertinent ad prudentiam; ſed ea tantùm quæ non ſatis determinantur ab intellectu moralium principiorum, qui vocatur ſynterefis, & à ſcientia morali Philoſophica, vel Theologica; quæque propter circunſtantias occurrentes in praxi, ſpecialem habent difficultatem, propter quam inquiſitione & conſultatione opus eſſe ſolet, ad rectè iudicandum de eo quod agendum eſt: propter quam etiam eſt opus nouo habitu ad tollendam huiuſmodi difficultatem: nam ad hoc non ſufficiunt alij habitus vniuerſales, qui non deſcendunt ad tales caſus particulares, quod infiniti eſſet laboris; ſed eos relinquunt prudentiæ determinandos. Eandémque ob cauſam Ariſt. 6. Ethic. cap. 8. ait non poſſe à iuuenibus haberi prudentiam, quia eget vſu & experientiâ, quam iuuenes non habent. Ex. gr. docet moralis ſcientia pauperi eſſe faciendam eleemoſynam in neceſſitate, ab eo qui poteſt ſine incommodo præualente. Sed prudentiæ determinandum eſt vtrum talis ſit verè in neceſſitate hîc & nunc, reſpectu mei; & an ego poſſim ei ſuccurrere ſine incommodo præualente, & præponderante neceſſitati pauperis, cuius rei iudicium eſt interdum difficile. Hæc illi.

Non ſatisfacit. Quorum ſententia non placet, quia vocum acceptiones ſumendæ ſunt vt communiter accipiuntur à Philoſophis, & Theologis: neque poſſunt à quovis pro libito immutari, & ampliari, vel reſtringi. Prudentiam autem ſpecialiter & propriè ſumptam, Ariſtoteles, D.Thom. & alij communiter ſumunt pro notitia agibilium ſingularium, non reſtringendo ad ea tantùm quæ habent ſpecialem difficultatem: cenſéntque illum agere imprudenter, qui errat etiam in facilioribus, vt eum qui v. g. in loco ſacro, tempore Miſſæ debitum reddit. Quare prudentia non eſt ad illos caſus difficiles reſtringenda: licet in illis præcipuè eluceat: ſicut Naucleri prudentia, vel ars nautica, magis apparet in tempeſtatibus. Deinde, ſi prudentia tantummodo locum haberet in ijs quæ egent conſultatione præuia, & vbi ſolùm illa neceſſaria eſt propter difficultatem, vt quidam aduerſariorum exiſtimant: neque in Chriſto, neque in Deo eſſet prudentia: cùm nulla egeant conſultatione, ſed quid in ſingulis agendum ſit, euidenter & ſine vlla difficultate attingant. Neque in plurimis actibus virtutum moralium eſſet opus directione prudentiæ: cùm in plurimis clarè appareat, & ſine inquiſitione, quid honeſtè agi poſſit, aut debeat.

71. *Vera reſolutio.* Propter hæc cenſeo mediam viam inter vtramque ſententiam tenendam eſſe: & dicendum prudentiam habitualem (quæ non eſt vnus ſimplex habitus, ſed multorum collectio) partim eſſe realiter eandem cum quibuſdam alijs virtutibus intellectus, ſi latè & adæquatè ſumantur: & partim ab illis realiter diſtingui. Pro quo nota, intellectum, ſapientiam, & ſcientiam, poſſe dupliciter accipi. Primò quidem, in ampla quadam ſignificatione, quâ intellectus ſumitur pro quacunque notitia per ſe cuiuſcunque rei vniuerſalis, aut ſingularis; neceſſariæ, vel contingentis: & ſapientia pariter ſumitur pro quacunque notitia per altiſſimas cauſas: & ſcientia, pro quacunque notitia euidenti habita per diſcurſum, de quocumque obiecto, ſiue vniuerſali, ſiue particulari; neceſſario, aut contingenti; operabili, aut ſpeculabili. Secundò, poſſunt hæ virtutes ſtrictiùs accipi, provt ſunt tantùm notitia rerum vniuerſalium, & neceſſariarum: quo pacto ſumuntur ab Ariſtotele, & à D. Thoma locis ſuprà relatis, vt patet ex vtriuſque verbis ibidem adductis, & alijs quæ in textu legi poſſunt.

Hac diſtinctione præſuppoſita, Dico primò prudentiam differre realiter adæquatè ab illis habitibus ſtrictè ſumptis. Quia intellectus ſiue intelligentia principiorum, ſapientia, & ſcientia, eo modo ſumptæ, non ſunt de agibilibus, ne quidem in communi, ſed de neceſſarijs: Prudentia verò tota verſatur circa agibilia vt agibilia, id eſt, modo practico, ideóque habet obiectum planè diuerſum ab illis, & modum tendendi adæquatè diſtinctum. Ab arte verò differt, quia hæc eſt de factibilibus, prudentia eſt de agibilibus non in artem redactis: & præcipuè de moralibus, id eſt, ad mores bene formandos pertinentibus, vt expoſuimus Sect. 1. Atque hoc ſenſu debet accipi diuiſio illa Ariſtotelica vt fiat per membra oppoſita, & realiter adæquatè diſtincta. Nam alioqui ſapientia, id eſt, cognitio diſcurſiua rerum per altiſſimas cauſas, qualis eſt metaphyſica, eſt quædam ſcientia: & quædam ars eſt ſcientia, vt dialectica: & quædam ſcientia eſt prudentia, nempe ſcientia moralis, provt valet ad concluſiones particulares de ſingularibus agibilibus, deducendas ex principijs morum vniuerſalibus: Quæ tota cognitio debet nomine prudentiæ comprehendi in prædicta diuiſione Ariſtotelica, vt adæquatè comprehendat omnes virtutes intellectuales naturaliter notas. Ita vt nomine prudentiæ intelligatur tota cognitio agibilium, tam in communi, quàm in particulari; ſiue per ſe, ſiue per diſcurſum: & nomine artis, tota cognitio factibilium: Nomine autem intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, cognitio ſpeculatiua rerum aliarum. 71. *Prudentia vno ſenſu differt adæquatè ab alijs habitib. intellect.*

Dico ſecundò, ſi habitus ſupradicti latè ſumantur, & priori modo è duobus ſupra explicatis, habitum prudentiæ adæquatè ſumptum, ex parte illis identificari, & ex parte realiter ab illis diſtingui: atque ita prudentiam totaliter ſumptam eſſe tantùm inadæquatè diſtinctam ab alijs virtutibus intellectus. Prima pars huius aſſertionis probatur, quia multæ ſunt cognitiones practicæ de rebus agibilibus & moralibus, in ſingulari, ad quas opus tantùm eſt applicare principia moralia vniuerſalia, vel per ſimplicem inductionem, vel per diſcurſum ex illis ſolis. Ergo ad illas non eſt opus nouo habitu. Nam idem habitus qui valet ad cognoſcenda principia generalia, vel concluſiones vniuerſales ſcientiæ moralis; valet eâdem facilitate 73. *Alio ſenſu, tantùm inadæquatè.*

ad notitias singulares non aliter differentes, neque aliam specialem difficultatem habentes. Eâdem enim facilitate, quâ cognosco generaliter per intelligentiam primorum principiorum moralium, siue synteresim, non esse furandum, aut adulterandum, intelligo non esse committendum hoc furtum, aut hoc adulterium, neque vllum aliud. Et eâdem facilitate, eodémque lumine intellectuali, quo intelligo generaliter restituendum esse alienum, quia non potest sine iniuria, Domino rationabiliter inuito, retineri: intelligo pariter hoc & illud in particulari restituendum esse, si nulla sit aliunde specialis dubitandi ratio. Nam idem lumen intellectus quo cognoscitur veritas vniuersalis, sufficit ad omnes particulares euidenter sub illa contentas, & sufficienter propositas.

74. Quomodo differt inadæquatè? Secunda verò pars eiusdem assertionis probatur, quia, vt patet ex dictis alibi, iterumque inculcandum, & confirmandum est; multæ sunt notitiæ de agibilibus singularibus, & præsertim moralibus, quæ non satis determinantur per intelligentiam principiorum, aut per scientiam moralem: sed egent inquisitione propter difficultates speciales occurrentes in casibus particularibus, vt intelligatur & rectè statuatur quid agendum sit, aut quid non agendum, hîc & nunc: quid honestum, vel turpe; licitum, aut illicitum; necessarium moraliter, aut liberum; spectatis omnibus circunstantijs, quarum infinita varietas est, à quibus abstrahit intelligentia principiorum moralium, & scientia moralis, quæ solùm tradit regulas generales, & principia vel conclusiones vniuersales, indifferentes, & communes varijs circunstantijs; ac generatim solùm statuit seruandas esse debitas circunstantias: vel si statuit operandum esse quoties adsunt tales & tales circunstantiæ, v. g. quotiescunque pauper existit in graui necessitate, & potest illi succurri sine magno incommodo, nec alius est qui velit & possit succurrere, subueniendum illi esse necessariò: & quotiescumque constat bonum quod retinetur esse alienum, neque est iusta, vel sufficiens causa retinendi, restituendum esse: adhuc tamen relinquit inuestigandum an ille hîc & nunc sit in graui necessitate; & vtrum, pensatis omnibus, possim sine magno incommodo succurrere quantum indiget: nec vllus sit alius qui velit, & possit. Item, sæpe dubium est, & difficile cognitu, an hoc vel illud excuset à restitutione. Quæ & similia prosequi in singulis negotijs, infinitum esset negotium scientiæ morali, ideóque ab illis abstrahit.

75. Dices, scientiam moralem tradere principia, vel conclusiones generales, quibus cognoscatur quis sit in graui necessitate; quis censendus sit posse succurrere sine magno incommodo; & quibus in casibus non sit obligatio restituendi: vnde conclusio prudentiæ per meram applicationem, vel inductionem elici potest: ac proinde ad eandem scientiam pertinet. Ex. gr. Quotiescumque aliquis ita se habet, censendus est esse in graui necessitate, & illi succurrendum est: sed iste hîc & nunc ita se habet: ergo, &c. Cúmque conclusio prudentiæ inferatur semper ex aliquibus principijs, & propositionibus quæ ad scientiam moralem pertinent, vel ad simplicem intelligentiam principiorum moralium, & in quibus adæquatè continetur; non videtur esse obiectum diuersum, nisi penes singularitatem, neque opus esse distinctâ prudentiâ: sicut non est opus nouâ scientiâ Physicæ ad cognoscendum Petrum esse corpus quantum, & mobile, aut constare materia & forma.

Respondeo, neque scientiam moralem, neque intelligentiam principiorum moralium vniuersalium, determinare omnes huiusmodi circunstantias in singulis negotijs, quod infiniti laboris esset; sed sistere in cognitionibus vniuersalioribus. Sicut leges non determinant omnes & singulas exceptiones, quæ per epijkiam, id est, benignam interpretationem, sæpe faciendæ sunt in varijs casibus; sed eas relinquunt prudentiæ superiorum, aut subditorum determinandas. Alioqui leges in immensum excrescerent. Deinde, quamvis scientia moralis determinaret omnes circunstantias; adhuc superesset difficultas plerumque in applicatione singulari, ob rerum moralium varietatem, obscuritatem, & mutabilitatem maximam, propter quam aliquid noui inquirendum vel considerandum relinquitur, non declaratum à scientia morali. Soluitur obiectio.

Atque ex his patet quid respondendum sit rationibus dubitandi initio propositis. Nam quæ pro parte affirmante proponuntur, nihil aliud probant nisi id quod diximus in prima assertione. Quæ autem afferuntur pro negante, nostram secundam assertionem confirmant. Contra quam tamen instari potest, quia habitus qui acquiritur per actus prudentiæ difficiles, valet per se ad omnes similes & eiusdem speciei. Itémque iudicium illud prudentiæ habet parem vim in omnibus similibus casibus & circunstantijs, de quibus formari potest conceptus, & enuntiatio communis. Vt v. g. quotiescunque apparent talia indicia necessitatis, ille pro paupere habendus est: quæ notitia pertinebit ad scientiam moralem, sicut & habitus per eam productus: eritque eius augmentum & extensio. Nomine enim scientiæ moralis intelligere debemus non eam tantùm quæ studio & arte acquiritur in Scholis, aut in libris: sed etiam naturalem, id est, quæ naturali lumine, vel per experientiam propriam habetur. Nec tantùm qualis, & quanta in libris Philosophorum, & Theologorum explicatur; sed secundùm omnem perfectionem, & augmentum, quod aliunde potest acquirere: quemadmodum physica, medicina, mathematica, ad similes notitias se extendunt, possúntque quotidie magis ac magis perfici. 76. Satisfit rationib. dubitandi.

Respondeo primò, quamvis ita esset, adhuc prudentia differret inadæquatè à scientia morali. Quia hæc tantùm est de euidentibus: at prudentia adæquatè sumpta includit aliquos habitus ineuidentes, vt diximus Sect. 3. Deinde dico, quæcunque principia generalia statuantur, ea non sufficere, sed adhuc in recta eorum applicatione ad multos casus particulares, superesse difficultatem, præcipuè in rebus 77. Alia instantia repellitur.

moralibus, vbi tot circunstantiæ diligenter attendendæ & expendendæ sunt. Ex. g. sæpe opus est perspicacia in expendendo & rectè iudicando num verè appareant hæc & illa indicia necessitatis: num verè adsint hæ & illæ causæ excusantes ab obligatione restituendi: & sic de cæteris. Propter quod vulgò dicitur prudentiam non posse perfectè doceri, sed vsu & experientiâ propriâ debere acquiri: & consilium in arena capiendum esse. Eadémque de causa rectè affirmat Aristoteles, & post illum Angestus in Moral. cap. 7. text. 1. notabili 2. Sermones vniuersales esse valde certos, sed minùs vtiles: Sermones verò particulares esse vtiles, sed incertos: nimirum propter multitudinem circunstantiarum inspiciendarum, quas bene expendere, & discernere debitas seu conuenientes ab indebitis, seu disconuenientibus, plerumque solet esse difficile: ita vt multi decipiantur specie recti. Et lib. 6. Ethic. cap. 8. idem Aristot. ait, prudentiam non posse haberi à iuuenibus; quia indiget vsu & experientiâ, quam iuuenes nondum habere potuerunt.

SECTIO XII.

De connexione Prudentiæ cum alijs virtutibus: & primò quoad actum.

78. Præitne prudētia omnibus virtutum actibus? QVæritur primò vtrùm actus prudentiæ necessariò præeat omnibus actibus aliarum virtutum, etiam infusarum, & Theologicarum: cum proportione tamen; ita vt prudentia naturalis præeat fidei naturali, & alijs virtutibus naturalibus: prudentia verò supernaturalis præeat fidei supernaturali, & alijs virtutibus eiusdem ordinis.

Sententia affirmās. Suares 1. 2. disp. 3. de virtutibus in genere, Sect. 9. num. 10. videtur id affirmare, cùm ait, ad actionem virtutis moralis non satis esse abstractum iudicium synteresis, temperatè, vel fortiter, vel iustè operandum esse; aut conclusiones vniuersales scientiæ moralis, quæ sunt principia prudentiæ: sed oportere in particulari iudicare hîc & nunc mihi esse rectum & honestum versari circa tale obiectum, & occupari in exercendis talibus actibus: ideóque, inquit, ad opus virtutis nunquam satis est actus synteresis, aut scientiæ moralis; sed oportet adiungere aliquem prudentiæ modum, quæ in hoc differt à scientia, quòd applicat vniuersalia ad particularia, consideratis omnibus circunstantijs. Hæc Suar. cuius ratiocinatio de virtutibus moralibus ad Theologicas extendi potest. Nam similiter vt actus fidei, spei, & charitatis conuenienter ac laudabiliter exerceantur, debet constare hîc & nunc honestum esse illos exercere, ac versari circa tale obiectum.

79. Concluditur negatiuè. Contrarium tamen dicendum censeo. Primò, quia sicut dantur cognitiones practicæ vniuersales, & abstractæ à circunstantijs singularibus, de quibus non cogitatur: ita & affectus vniuersales & abstracti, his cognitionibus proportionati, qui sunt actus honesti, quia rectæ rationi conueniunt: pertinéntque ad illas virtutes, quarum est prosequi eandem honestatem applicatam particularibus circunstantijs. Eiusdem enim virtutis est amare iustum, aut temperatum in communi, & iustum aut temperatum in his & illis circunstantijs. Atque ita cùm synteresis, tum fides diuina, & scientia moralis Philosophica, & Theologica, valent ad multos actus virtutum, absque prudentia propriè & strictè sumpta. Nam ad amandum honestum, iustum, forte, temperatum, sufficit illud cognoscere, & proponere voluntati, siue in communi, siue in particulari. Quin etiam puto sufficere posse notitiam speculatiuam, & virtualiter solùm practicam. Nam ad hanc cognitionem, *Deus est summum bonum*, sequi potest affectus amoris ei conueniens, amando illum quia talem: sicut ad sensuum perceptionem sequitur delectatio de obiecto iucundo. Atque ita sentit Angestus in Moralibus cap. 7. textu 1. conclus. 3. vbi docet sufficere ad actum virtutis moralis prudentiam aut actualem, aut virtualem. Et in primo dubio addit sufficere simplex dictamen de bono, & malo: scilicet, hoc est bonum, hoc est malum: quia, inquit, est virtualiter practicum, & prudentiale: cuiusmodi est amor, quo Deus cognitus tanquam summum bonum, diligitur vt tale, absque formali dictamine Deum esse diligendum. Ex quo infert ibidem, ad actum voluntatis moraliter bonum non requiri dictamen de ipso dictans; sed sufficere dictamen de obiecto, quòd nimirum sit bonum vel malum. Et in 1. conclusione rectè docet, contra Ocamum, multò minùs requiri ad moralem bonitatem actus, vt habeat actum prudentiæ pro obiecto motiuo: sed sufficere operari cum cognitione obiecti vt boni & honesti. Quod satis patet experientiâ. Non enim quoties bene operamur, reflectimus nos super actum prudentiæ, vt ipsum amemus, & ex illius amore feramur in actum propositum.

Ad credendum verò fide supernaturali, ante prudentiam infusam datur alius habitus supernaturalis valens ad iudicandum de credibilitate obiecti, & sufficienti propositione reuelationis diuinæ, dirigénsque affectum piæ credulitatis: qui habitus distinguitur ab habitu prudentiæ infusæ, dirigente virtutes morales supernaturales: quippe qui non infunditur, nisi simul infusa charitate & gratia sanctificante, vt alibi diximus cum communi sententia Theologorum. Quod autem vulgò dicitur, sine prudentia nullum esse actum virtutis, de prudentia latiùs sumpta, pro quavis recta cognitione, formaliter aut virtualiter practica, intelligendum est. Illud quoque Arist. 2. Ethic. cap. 6. *Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout vir prudens definierit*, si de prudente strictè sumpto accipiatur, intelligendum est de eo quod non semper, sed frequentiùs fit. 80.

Quæritur secundò, an actus prudentiæ habeat semper adiunctum actum voluntatis sibi conformem; atque ita iudicium de agendo iustè, fortiter, aut temperatè, habeat semper adiunctum actum vel affectum iustitiæ, fortitudinis, aut temperantiæ? Respondeo negatiuè. Potest enim voluntas male agere contra rectum iudicium intellectus: quia tale iudicium relin- 81. Non semper voluntas sequitur prudens iudiciū.

quit voluntatem liberam, & potentem ad oppositum. Alioqui non esset vsus libertatis positâ intellectus rectitudine, licet pro opposito apparerent rationes non agendi, vel aliter agendi: quod est contra experientiam, & contra vulgatum illud Medeæ apud Ouidium,

Mens aliud suadet; video meliora, probóque:
Deteriora sequor.

Item, nemo ageret contra conscientiam, quæ est vltimum iudicium practicum, & vltima resolutio de officio agendi, vel non agendi. Hoc autem est falsum & erroneum. Multi enim quamvis iudicent absolutè aliquid esse turpe & illicitum, adeóque vitandum: quia tamen vident aliunde esse iucundum sensibus, aut vtile; eligunt re ipsa id, quod iudicant iure vitandum esse. Confirmatur, quia qui peccat v. g. furando, scire debet furtum esse illicitum; alioqui malum non ageret scienter & liberè. Debet etiam esse sui compos: quia si passionis vehementia eriperet illi vsum rationis, non peccaret. Quid ergo iudicabit absolute? An furtum non esse iniustum? An commoditatem esse præferendam honestati? At hæc & similia repugnant manifestis fidei veritatibus: neque possunt à Christianis, in fide mediocriter instructis, sine infidelitate iudicari: cùm tamen illi sæpissime peccent mortaliter, & amittant charitatem, retenta fide, quæ non amittitur nisi per peccatum infidelitatis, iuxta communem sensum Theologorum, & definitionem Trident. Sess. 6. cap. 15. Neque enim absolutè iudicant inculpabiliter, furandum esse, aut adulterandum: quia sic non peccarent, sed sequerentur conscientiam, quam esse sequendam docet Paulus Rom. 14. ver. vlt. Si autem ita culpabiliter iudicant, peccant contra fidem: quia vident tale iudicium manifestè fidei repugnare. Vlteriùs, quidquid falsò iudicat, & absolutè determinat intellectus, vel liberè determinat, vel non. Si primum: erit eadem quæstio de illa libertate. Nam si iudicium liberum est, supponit actum, aut quasi actum voluntatis: qui actus præsupponit iudicium intellectus: & illud vel liberum fuit, vel non: & sic deinceps procedetur in infinitum. Si autem non liberè determinat, sed necessariò, & ineuitabiliter fallitur: non peccat voluntas, sed conscientiam sequitur, quod est secundùm naturam, & secundùm Apostolum loco suprà citato.

Probatur efficaciter.

82. Confirmatur secundò ex Trident. Sess. 6. cap. 5. & can. 4. vbi generatim damnat eos, qui dicunt liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, non posse dissentire si velit: affirmátque ex opposito, hominem ita consentire diuinæ inspirationi, vt possit illam abjicere, & dissentire, si velit. Vbi sermo est de motione, & excitatione per cogitationes præuias, & per iudicia etiam practica & absoluta, atque efficacia quantum est de se, quales esse decet inspirationes, & illuminationes diuinas: maximè cùm Trident. loquatur vtrobique de illis, quæ re ipsa, & in actu secundo sunt efficaces, quia consensum obtinent. Ergo pari modo, quamvis ratio absolutè statuat, & præcipiat, potest voluntas pro sua libertate non parére. Atque ita sentiunt nobiscum Scot. in 3. distinct. 36. q. 1. a. 2. Gabr. ibid. quæst. vnic. art. 2. in 2. parte articuli, concl. 3. lit. O, Guilielmus Ocam quæst. 7. Almain. tract. 3. Moralium cap. 4. Vasq. 1. 2. disp. 128. cap. 2. num. 4. vbi etiam ex Scoto & alijs refert Facultatem Parisiensem damnasse olim erroris has propositiones: *Stante scientia vniuersali, & particulari, voluntas non potest oppositum. Si recta ratio est, recta voluntas est. Existens voluntas in vltima dispositione, non potest in oppositum.*

Confirmatur ex Trident.

Objicies: Omnis peccans est imprudens, imò & ignorans, vt docet Arist. 3. Ethic. cap. 1. Ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia. Respondeo cum Less. lib. 1. de Iustitia cap. 2. dub. 4. num. 17. negando sequelam. Dicitur enim imprudens, non quòd semper imprudenter iudicet; sed quia imprudenter, id est, contra prudentiæ latè sumptæ dictamen operatur. Dicitur autem ignorans, non quòd ignoret actionem suam esse turpem & illicitam: sed quia non satis attendit & expendit peccati turpitudinem, & pœnam ipsi constitutam, aliásque rationes, propter quas deberet à malè agendo abstinere: quas si rectè diligentérque expenderet, vix & raró peccaret. Quare hoc sensu dici potest moraliter peccantem esse ignorantem, & imprudentem: quia non satis attentè cogitat, & maturo iudicio accuratoque perpendit rationes, quæ ad bene agendum impellere, & à peccato retrahere possunt. Præterquam quod potest quoque imprudens appellari, eò quòd non satis afficitur ad id, quod rectè iudicat agendum esse. Nam vt alibi notauimus, prudentia, iuxta communem hominum sensum, & Scripturæ phrasim, ipsiusque vocis etymologiam, connotat vltra rectam cognitionem, sensum quendam, siue gustum & affectum voluntatis, ad id quod rectè iudicatur agendum esse. Dicitur enim prudentia Græcè φρόνησις, παρὰ τὸ φρονεῖν, id est sapere, & cogitare cum affectu quodam ad rem cogitatam. 83.

Quo sensu omnis peccans est ignorans, & imprudens?

Quæritur tertiò, an actus prudentiæ circa materias aliarum virtutum, necessariò præsupponat rectum affectum voluntatis circa easdem? Affirmant Thomistæ: primò, quia D. Thomas 1. 2. quæst. 58. art. 5. ad 1. docet ante actum prudentiæ debere præcedere affectum bonum erga finem, vt per huiusmodi affectum possit ratio ex fine, tanquam ex principio morali, rectè statuere de medijs: quod est prudentiæ. Secundò, quia experientia docet iudicium prudentiæ pendére plurimùm ex affectu: vnde qui vult rectè iudicare, debet esse passionis vacuus. Nam vt rectè ait Aristoteles 1. Ethic. cap. 4. Qualis vnusquisque est, talis finis ei esse videtur. Et lib. 6. cap. 12. in fine, dicit neminem posse esse prudentem, qui bonus non sit. Nimirum quia si appetitus non sit per virtutes rectè compositus, non potest prudenter de earum obiectis iudicare. Tertiò, Scriptura idem confirmat varijs locis: Exod. 23. ver. 8. *Nec accipies munera, quia etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Ioan. 5. ver. 44. *Quomodo vos potestis credere,* 84.

Debétne actus aliarum virtutum præcedere prudentiam?

qui gloriam ab inuicem accipitis? Et cap. 7. ver. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius* (Patris) *facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit.* Ergo ad rectè iudicandum debet affectus esse purus & rectus.

85. Non sẽper præcedit. Dicendum tamen est primò, actum aliquem prudentiæ posse in intellectu esse, absque vllo recto affectu præcedente in voluntate. Ratio est, tum quia ad rectè iudicandum hoc aut illud esse honestum vel turpe, agendum aut non agendum in his circunstantijs, sufficit vis intellectus, cum obiecto sufficienter proposito, & proportionato. Tum etiam quia ante affectum bonum erga finem, aut quemvis alium rectum actum voluntatis, præcedere solet aliquod rectum iudicium practicum in intellectu. Et hoc iudicium non præsupponit alium bonum affectum voluntatis, ne abeatur in infinitum; sed fit ab ipsa facultate intellectus, independenter ab affectu voluntatis. Ergo similiter iudicium prudens fieri potest sine tali affectu. Quamvis enim maior in eo sit sæpe difficultas, quàm in iudicijs generalibus: non tamen est tanta, quin plerumque ipsa vi intellectus sine auxilio voluntatis superari possit.

86. Sed frequenter. Dico secundò, actum prudentiæ sæpe præcedi ab aliquo bono affectu voluntatis, & ab eo multùm iuuari. Probatur quia, cùm ad rectè iudicandum de agendis, aut non agendis, soleat præcedere consultatio, & inquisitio, quæ voluntaria est, & ex studio bene agendi: solet eodem modo ante prudens iudicium, & dictamen intellectus, præcedere actus studiosus voluntatis: multùmque confert ad rectè iudicandum, præcedens illud studium, & desiderium rectè iudicandi. Nam ex eo adhibetur maior attentio, & diligentior consideratio, quæ ad id multum valet. Intellectus enim potest magis & minùs operari, & subest imperio voluntatis. Confirmatur, quia sæpissime ante consultationem, & iudicium prudentiæ, præcedit rectus affectus erga finem, elicitus præuia cognitione alia, quæ non sit actus prudentiæ, aut saltem sit diuersus ab eo, qui nunc sequitur illum affectum. Vt quando aliquis v. g. ex affectu iustè viuendi mouetur ad deliberandum an hoc vel illud restituendum sit. Et hic affectus non parum iuuat ad rectè deliberandum: sicut è contrario prauus affectus iudicium obscurat & peruertit interdum. Propter quod

87. Prudẽtia non potest perfectè acquiri sine præuio multiplici affectu bono. Dico tertiò, moraliter loquendo non posse prudentiam secundùm suam perfectionem extensiuam haberi, & exerceri, sine præuio multiplici affectu bono voluntatis habituali, vel actuali. Ratio est, quia nisi passiones inordinatæ naturæ corruptæ, per virtutem habitualem, aut actualem corrigantur, solent in multis rationem obruere, & perfectum iudicium impedire, atque homines excæcare. Cúmque non excitentur in nobis sine præcedente aliquo sensu, & æstimatione obiecti, neque sint magnæ sine magno illius sensu: sympathia, vel realis identitas potentiarum animæ, facit vt animus tali sensu præpeditus reddatur infirmior, & aliquando planè impotens ad iudicandum de obiecto æstimationis illius, contra eius sensum & affectum præoccupantem. Affectus quoque inordinatus voluntatis inclinat intellectum ad iudicium sibi conueniens: valdéque est procliue, vt quisque iudicet prout affectus est. Ac licet passiones & affectus non semper vigeant, neque sint adeo vehementes vt iudicium obruant: experientia tamen ostendit vitiosos homines decipi interdum, & à prauo affectu excæcari. Verissimúmque est vulgatum illud antiqui Poëtæ,

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Quo sensu possunt intelligi quæ à Thomistis superiùs obiecta sunt, num. 84. Ad primum enim respondendum est, bonum illum affectum erga finem, non esse quidem simpliciter necessarium, quasi sine illo nullus prudentiæ actus exerceri possit: sed moraliter necessarium esse vt quis vniuersim rectè statuat de omnibus medijs ad finem necessarijs, ita vt in nullo decipiatur: quod in tanta multitudine mediorum, & difficultatum, quæ sunt in quolibet fine virtutis adæquatè sumpto, non contingit moraliter, nisi intellectus per rectum affectum voluntatis iuuetur, & corroboretur. 88. Soluuntur argumenta contraria.

Ad secundum patet ex dictis. Ad tertium respondeo primò, auaritiam, & superbiam, æquè ac alios prauos affectus, interdum excæcare eo modo qui iam explicatus fuit. Secundò dico, sermonem potiùs ibi esse de cæcitate voluntaria & affectata, de qua Sapient. 2. dictum est, Malitia eorum excæcauit eos. Et Matth. 13. & Act. 28. *Oculos suos clauserunt, oculos suos compresserunt.* Et Daniel. 13. *Declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Qua cæcitate laborant qui diligunt muneta, licet alioqui sint perspicaces. Nam vt muneta consequantur, nolunt videre veritatem, sed oculos ab illa auertunt. Et similiter multi nolunt audire quod illis displicet: qui sunt pessimi surdi, vt & illi sunt pessimi cæci. Superbia quoque, & vanitas auertunt à fide, quæ damnat vtramque: & peccata impediunt auxilia diuina, quæ tribuuntur non ponentibus obicem, siue ad credendum doctrinæ Christi, siue ad alia bona opera. At hæc non probant quod intendunt aduersarij: sed tantùm aliquos nolle vti prudentia, quam habent: aut per malitiam suam, & peccata antea commissa, ponere impedimentum gratiæ Dei.

SECTIO XIII.

De connexione Prudentiæ cum alijs virtutibus quoad habitum.

QVæritur quartò, quæ sit connexio habitus prudentiæ cum habitibus aliarum virtutum? Respondeo habitum supernaturalem prudentiæ esse connexum inseparabiliter cum habitu charitatis supernaturalis, ita vt cum ea infundatur simul, aut amittatur, iuxta communem doctrinam Theologorum, ac nominatim D. Thomæ 1. 2. quæst. 65. art. 2. Habitum verò naturalem prudentiæ posse quidem imperfectè acquiri sine habitibus aliarum virtu- 89. Habitus supernat. prudẽtiæ est cum charitate cõnexus. Habitus naturalis prud.

quomodo cum alijs virtutib. connectatur? tum; sed non perfectè & totaliter. Quemadmodum, vice versa, habitus naturales aliarum virtutum non possunt acquiri perfectè sine prudentia; licet imperfectè & secundùm aliquid possint præcedere omnem habitum prudentiæ. Hæc conclusio sequitur ex dictis de connexione actuum. Cùm enim aliqui actus prudentiæ possint exerceri sine vllo recto affectu præcedente voluntatis; potest per huiusmodi actus acquiri aliquis habitus prudentiæ, antequam acquiratur vllus habitus virtutis in voluntate. Cúmque moraliter loquendo iudicium prudens de omnibus, quæ occurrere solent, formari non possit, nisi passiones & praui affectus per virtutem coërceantur, ne iudicium rectum impediant: hinc est quòd perfecta prudentia, quæ ad omnia se extendit, obtineri nequit, nisi per actus virtutis, passiones & praui affectus corrigantur: qui actus virtutis producunt habitus sibi proportionatos. Rursus, cùm aliqui actus virtutis possint exerceri sine iudicio prudentiæ propriè & strictè sumptæ, sed ex synteresi aut cognitione alia; possunt huiusmodi actus virtutum habitus gignere in voluntate, antequam producatur in intellectu vllus habitus prudentiæ. Quia tamen virtus perfecta includit multa, ad quæ requiritur præuium iudicium prudentiæ; non potest quoad illa acquiri sine præuio tali iudicio, & consequenter sine habitu per illud producto. Atque ita virtutes perfectæ voluntatis supponunt prudentiam in intellectu: sicut vice versa prudentia perfecta supponit habitus virtutum in voluntate.

90. Argum. côtraria. Dices, hinc sequi idem supponere seipsum, quia supponit id, à quo supponitur: & idem esse sibi causam & effectum, quod est impossibile. Probatur sequela; quia prudentia perfecta præsupponeret virtutes voluntatis, à quibus ipsa præsupponitur: & esset effectus earundem, quarum ipsamet causa est: ac proinde esset effectus sui ipsius. Deinde si oporteret virtutes morales esse in appetitu, antequam posset quis perfectè iudicare de particularibus; oporteret etiam illas virtutes fuisse acquisitas per actus frequentatos, qui actus essent circa particularia: & ante hos actus, vt essent verè boni, & vt valerent ad generandam virtutem, deberet præcedere iudicium & imperium rationis, præscribentis medium, seu mediocritatem seruandam in quolibet illorum actuum. Hæc autem præscriptio est prudentiæ, secundùm D. Thomam quæst. 47. art. 7. & Arist. 2. Ethic. cap. 6. circa medium. Ergo prudentia perfecta præcedit necessariò virtutes voluntatis, & non ipsas præsupponit, sed ab illis necessariò præsupponitur. Vlteriùs, si perfectam prudentiam deberent præcedere virtutes quæ contineant passiones impedientes rectum iudicium; vel prærequirerentur tantùm virtutes quæ ponuntur in voluntate, vel etiam illæ quæ ponuntur in appetitu sensitiuo. Si primum: illæ non temperant partem sensitiuam. Si secundum: ergo necessarium est partem sensitiuam, tam quoad æstimationem, quàm quoad vim appetendi, esse rectè compositam, & redactam ad mediocritatem, rationique subiectam: quod rarissimum est: cùm etiam viri Sanctissimi, vt Dauid, & Paulus, habuerint vitia sensualitatis. Quis ergo poterit prudentiam perfectam acquirere, si expectandum est vt pars sensitiua per virtutes acquisitas sit libera ab immoderatis passionibus? Et quomodo poterunt illæ acquiri sine præuia prudentia perfectè comparata per actus frequentatos?

Ad primum respondeo, prudentiam, & virtutes voluntatis, non supponere se inuicem secundùm idem, sed secundùm diuersa. Nimirum prudentia perfecta supponit virtutes voluntatis inchoatas & imperfectas: Virtutes autem voluntatis perfectæ supponunt perfectam prudentiam. Imperfectæ verò, & inchoatæ non supponunt perfectam prudentiam, sed ad summum aliquos prudentiæ actus, & ad vlteriores viam parant, dum liberum reddunt intellectum ab impedimentis perfectè iudicandi. Dico igitur hanc dependentiam non esse secundùm idem: sed aliqui actus virtutum pendent à primis actibus prudentiæ: tum illi actus virtutum, & habitus quos gignunt, iuuant ad alios actus prudentiæ: & sic deinceps. Sic etiam aliæ virtutes, vt perfectè acquirantur, mutuò se inuicem iuuant; quia sæpissime aliæ aliarum officijs egent: vnde dicitur virtutes omnes esse inter se connexas: de quo plura videri possunt apud Scholasticos in 3. dist. 36. & Angest. in Moral. cap. 15. 91. Quomodo prudentia & virtutes voluntatis se mutuò supponunt?

Ad secundum respondeo, virtutes voluntatis, quæ præcedunt prudentiam perfectam, & ad illam morali quadam necessitate prærequiruntur in statu quodam imperfecto, quantum sufficit ad impediendum ne vitia intellectum excæcent, huiusmodi, inquam, virtutes non acquiri sine præuijs cognitionibus practicis, quæ partim sunt prudentiæ, partim synteresis, aut alterius virtutis intellectualis. At hoc non impedit quin prudentia, in statu imperfecto & inchoato præsupposita virtutibus illis imperfectis, non easdem præsupponat quoad suam perfectionem vlteriorem, & quoad actus alios quos constanter & generaliter sine virtutum illarum adminiculo exercere non posset: potest verò, quando, illis passiones moderantibus, minùs impeditur intellectus vt pergat de cæteris rectè iudicare, & in prudentia magis ac magis proficere. 92. Soluuntur alia argumenta.

Ad tertium respondeo, ad perfectam prudentiam, quantum fert humana conditio, acquirendam, non prærequiri vt appetitus, tam rationalis, quàm sensitiuus, sint omnino rectè dispositi, & perfectè rationi subiecti: sed tantùm vt per voluntatem impediantur passiones, quantum est opus ne rationem subuertant, & intellectum pertrahant ad malè iudicandum. Quod vt fiat, non est necessaria passionum vacuitas, cùm, illis licet renitentibus, possit ratio statuere, & voluntas amplecti quod est æquum: iuxta illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu, dominaberis illius*: dummodo non sit tantus ardor passionis & sensus, vt ratio de statu suo dejiciatur, & vis mentis absorbeatur; quod per virtutes inchoatas impediri potest.

SECTIO XIV.

De partibus Prudentiæ.

93. TRiplices prudentiæ partes constituit D. Thom. quæst. 48. Integrales scilicet, subiectiuas, & potentiales: de quibus fusè ac perspicuè disputat eâdem quæstione cum tribus sequentibus. Sufficiet breuiter hæc notare. Primò, Partes integrales propriè dici eas, ex quibus intrinsecè componentibus totum aliquod integratur & perficitur, siue alioqui sint essentiales, siue non. Quamvis istæ adhuc magis strictè ac propriè dici soleant integrales, ad distinctionem essentialium. Tales sunt in homine aures, oculi, manus, pedes, & quædam alia membra. Partes verò subiectiuæ dicuntur species respectu generis, cui subjiciuntur; vt, bos, & leo, respectu animalis. Partes denique potentiales propriè sunt variæ potentiæ eiusdem subiecti: quo pacto facultates intelligendi, volendi, sentiendi, sunt partes potentiales animæ rationalis.

Partes integrales quid sint? Partes subiectiuæ. Partes potentiales.

94. Secundò, cùm habitus naturalis prudentiæ, siue personalis, siue politicæ, vel œconomicæ, aut militaris, integrè & adæquatè sumptus constet ex multis partialibus habitibus specie diuersis, qui in vnum totalem colliguntur propter ordinem ad vnum obiectum totale, quod est mores dirigere vt alia quædam agibilia, in actionibus particularibus in ordine ad bonum proprium, vel ad commune ciuitatis, aut regni, vel familiæ; & propter similem modum tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circunstantijs, vt statuatur quid secundùm rectam rationem agi possit, aut debeat; vel quid hîc & nunc agere expediat in agibilibus particularibus, quæ per artem non sunt determinata: omnes illi habitus partiales possent propriè dici partes integrales prudentiæ: ex quibus nimirum velut intrinsecè componentibus integra prudentia coalescit: sicut Physica, Metaphysica, & aliæ scientiæ naturales adæquatè sumptæ, coalescunt ex multis partialibus specie diuersis ob specificam diuersitatem actuum, & obiectorum partialium. Verùm huiusmodi partes D. Thomas non agnoscit, nec vllas aliâs propriè integrales prudentiæ: sed ad similitudinem integralium, partes prudentiæ integrales ait esse nonnulla, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius. Nimirum octo illa quæ partim à Macrobio, partim à Tullio, & Aristotele recensentur, & ab ipso colliguntur in corpore quæstionis 48. ac singillatim exponuntur totâ quæstione 49. Memoria scilicet præteritorum euentuum: Intelligentia, id est, notitia principiorum moralium: Docilitas, id est, susceptibilitas disciplinæ, & consilij expertorum, seniorum, & prudentium, qui consulendi sunt; iuxta illud Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*: Et cap. 12. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia*: Solertia, id est, sagacitas, & promptitudo inueniendi medium, seu rationem cur aliquid sit probandum, vel improbandum: Ratio, id est, ratiocinatio bona ex vno ad aliud procedens: Prouidentia, id est, consideratio futurorum euentuum, qui possunt sequi ex opere: Circumspectio, id est, consideratio omnium circunstantiarum, ne in aliqua peccetur: Et Cautio, id est, attentio vt vitentur mala, quæ boni speciem habent, & bonis admisceri solent: vel incommoda, quæ meritò timeri debent: v. g. nocumentum proprium, vel alienum.

Quæ sint partes integrales prudentiæ?

Notat autem D. Thom. quæst. 48. art. vnico ad 3. hæc omnia non esse partes prudentiæ secundùm totam suam latitudinem; sed tantùm quatenus se habent ad ea, quæ pertinent ad prudentiam, siue quatenus illi seruiunt. Verùm nonnulli ex actibus enumeratis non solùm inseruiunt prudentiæ, sed etiam veri & proprij actus illius sunt adæquatè sumptæ: vt ratio, prouidentia, circumspectio, & cautio. Sed D. Thomas strictiùs illam accipit, & actum illius adæquatum ad vnicum imperium restringit, quod vult esse distinctum à consultatione, atque etiam à iudicio practico, vt alibi notauimus. Possent etiam partes illæ pauciores numerari, & plures pro eadem accipi. Posset enim cautio sub circumspectione, vel sub prouidentia comprehendi.

Partes verò subiectiuæ, seu species prudentiæ abstractè & genericè sumptæ (non autem collectiuè, vt in priori diuisione) quinque numerantur à D. Thoma, quæst. 48. & exponuntur totâ quæst. 50. Quarum specierum prima dicitur Personalis, siue solitaria, vel monastica; quâ vnusquisque regit seipsum, consideratque quid agere debeat in ordine ad proprium bonum. Secunda dicitur Regnatiua, quâ quispiam regit communitatem perfectam ciuitatis, aut regni, in quo inuenitur specialis & perfecta ratio regiminis; eiusque bonum spectat. Tertia, inquit, est Politica, quâ subditi seipsos dirigunt in obediendo principantibus. Quarta, Oeconomica, quâ quis regit familiam, & bonum eius spectat. Quod medium quoddam regimen est inter regimen proprium sui ipsius, & regimen perfectum ciuitatis, aut regni. Quinta denique, Militaris, quâ militia rectè administratur. Nimirum quatenus disponit & curat vt qui militiam exercent, fortiter, iustè, piè, & cum virtute, militares functiones obeant, easque bene moraliter dirigant: atque etiam quatenus bene ratiocinatur & rectè iudicat in particulari de ijs quæ non satis determinantur per artem militarem, quæ docet quidem in genere rationem disponendi exercitum, aggrediendi hostes, vel illis resistendi, expugnandi vrbes, vel arces, aut eas aptè defendendi: deque his & similibus tradit Regulas certas & infallibiles: & eatenus est ars quædam, potiùs quàm species prudentiæ, sicut ars nauigandi, negotiandi, & similes. Sed præter hæc; multæ occurrunt in particulari difficultates circa modum aggrediendi commodiùs hostes hîc & nunc, disponendi milites in tali circunstantia, occurrendi incommodis, subueniendi necessitatibus, vitandi hostium impetum, vel insidias, & similia, circa quæ prudentia Imperatoris, & præfectorum militiæ, locum habet.

95. *Partes subiectiuæ, seu species prudentiæ.*

96. Alia distinctio huiusmodi specierum.

Nota præterea, per Politicam, Aristotelem, & plerosque alios intelligere prudentiam, non ipsorum subditorum, vt vult D. Thomas, sed superiorum qui ciuitatem, aut regnum rectè administrant, legésque seruari curant. Et loco Regnatiuæ, quam cum Politica sic sumpta D.Thomas confundit, ponere Nomotheticam, seu legislatricem, quâ quis idoneas leges condit. Quæ diuisio magis mihi probatur: alioqui enim prudentia œconomica, & militaris æquè deberent in duas alias subdiuidi: quarum vna sit in patre-familias, aut in præfecto militiæ, ad regendum; altera in domesticis, aut in militibus, ad parendum. Possent etiam plures species subdiuidi. Nam illæ atomæ non sunt, vt patet ex dictis Sect. 9. sicut etiam aliquæ ex speciebus assignatis possunt in vnam colligi. Hæc autem diuisio intelligenda est de prudentia naturali. Nam vt diximus Sect. 10. supernaturalis est probabiliter vnus simplex habitus, æquè ac fides, valens ad regendum seipsum, & alios, domum, rempublicam, vel militiam. Naturalis verò in plures species realiter diuiditur.

Prudĕtia personalis ad quę se extendat? Vlteriùs, prima prudentiæ species, nempe solitaria, seu personalis, adæquatè sumpta, non est tantùm, vt quidam opinantur, de ijs, quæ pertinent ad hominem solitariè consideratum, & abstrahendo ab ordine ad alios homines quibuscum degat, siue ad communitatem aut societatem cum illis, atque ad regimen actiuum aut passiuum, id est, quatenus regit alios, vel regitur ab illis (cuiusmodi sunt multæ actiones illorum qui viuunt in communitate, & societate humana, vt fere omnes viuunt) sed etiam de ijs omnibus, quæ vnicuique personæ conueniunt vt rectè in omnibus se gerat erga quoscumque, suóque muneri satisfaciat: spectando hæc omnia in ordine ad proprium bonum: vt rectè ait Lessius cap. 2. n. 7. Qua ratione prudentia personalis includit alias species: eâque de causa qui illam perfectè habet, dicitur simpliciter prudens: vt ait Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 8. Qui enim Rex est, vel magistratus, aut pater-familias, vel præfectus militiæ, non potest seipsum bene regere adæquatè, nisi sciat officio suo satisfacere: quod nisi faciat, peccabit etiam contra proprium bonum. Atque ita prudentia talis personæ includit alias species: & quatenus spectat bonum commune aliorum, quos regit, dicitur exercere prudentiam gubernatricem, politicam, vel œconomicam, aut militarem: iudicans quid illis expediat hîc & nunc, vt bene regantur. Quatenus verò iudicat id sibi præstandum esse vt benè se gerat, exercet prudentiam personalem. Eodem autem lumine intellectuali, eadémque facilitate, quâ iudicat ita sibi faciendum esse, vt bene alios regat; iudicat etiam bonum esse ita fieri vt alij bene regantur, & rectè consulatur communi ipsorum bono. Sic etiam, qui subest alijs, vt seipsum bene regat, debet scire prudenter viuere secundùm leges & mandata superiorum: atque ita propria eius prudentia includit politicam eo sensu, quo à D. Thoma sumitur.

97. Denique partes quasi potentiales prudentiæ vocat D.Thomas quæst. 48. virtutes aliquas ipsi adiunctas, quibus vtitur ad suum finem, sicut anima vtitur suis potentijs; & in quibus non elucet tota prudentiæ vis, sicut tota vis animæ non elucet in singulis eius facultatibus. Partes potentiales prudentiæ. Partes enim potentiales alicuius virtutis dicuntur, inquit, virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias; quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Huiusmodi sunt, inquit, respectu prudentiæ Eubulia, valens ad rectè consultandum: Synesis, id est, perspicacitas, valens ad rectè iudicandum post consultationem, secundùm leges & regulas communes: & Gnome, valens ad iudicandum secundùm principia altiora & extraordinaria, secundùm quæ leges, & regulæ communes sunt interdum ex æquo & bono restringendæ, & aliter quàm verba sonant interpretandæ, vitando nimium rigorem, & minutiositatem; vt ipse fusiùs exponit totâ quæst. 51. De quibus sufficiunt quæ diximus Sect. 7. Nam ibi satis explicatum fuit quid sint eiusmodi virtutes, & an & quomodo distinguantur à prudentia.

SECTIO XV.

De vitijs prudentiæ oppositis, eiusque preceptis.

Circa primum, dico primò vitia prudentiæ opposita, generatim loquendo, esse duplicia: quorum aliqua directè ipsi opponuntur; alia indirectè. 98. Vitia directè opposita prudĕtiæ. Directè quidem opponuntur ea, quæ prudentiæ ipsi, secundùm se & ratione sui repugnant. Et hæc generatim sunt duo: vnum per modum excessus, & alterum per modum defectus. Excessus est, mala ratiocinatio, & falsum iudicium de agibilibus. Defectus autem est, priuatio pura bonæ ratiocinationis & recti iudicij practici de agibilibus. Est enim prudentiæ bene ratiocinari, & rectè iudicare de agibilibus in particulari. Cui opponitur positiuè, & contrariè, error practicus circa agibilia: priuatiuè autem, carentia recti iudicij, & bonæ ratiocinationis in subiecto habente debitum. Negatio verò simplex extra tale subiectum, non est vitium, licet prudentiæ contradictoriè opponatur. Vltra quas oppositiones non est alia, nisi relatiua inter actum, vel habitum prudentiæ, & terminum ad quem refertur; de qua hîc non est sermo, cùm hæc quoque vitium non sit. Sic fidei duo vitia directè opponuntur; infidelitas scilicet positiua, quæ est error contrarius: & priuatiua, quæ est carentia fidei contra debitum.

Indirectè verò, siue obliquè opponuntur prudentiæ vitia illa, quæ causis prudentiæ, & adiumentis opponuntur; quas causas, & adiumenta, nomine partium cum D. Thoma comprehendimus & exposuimus Sect. præcedenti. 99. Opposita indirectè. Videlicet, sicut ad prudenter iudicandum multùm iuuant memoria præteritorum, intelligentia, docilitas, solertia, siue sagacitas, præuisio futurorum, bona ratiocinatio, circumspectio, cautio, & attentio ac diligens studium rectè iudicandi, & alia superiùs enume-

rata : sic è contrario plurimùm obsunt obliuio, præcipitatio, inconsideratio, hebetudo, minutiositas, negligentia, & alia superioribus perfectionibus opposita, de quibus tractat perspicuè Sanctus Thomas totâ quæst. 53. & 54.

Opposita per similitudinē. Præter hæc, aliæ quædam vitia opponuntur prudentiæ secundùm similitudinem : vt Prudentia carnis, quâ quis viuit & sapit secundùm carnem, rectéque iudicat secundùm illam, id est, secundùm motus & instinctus naturæ corruptæ ad bona carnalia & temporalia, cum affectu qui vehementem illorum æstimationem sequi solet. Astutia, quâ quis nouit modos occultos ad alios fallendos. Dolus, qui est astutiæ executio : siue fiat per verba, siue per facta. Fraus, quæ magis propriè pertinet ad executionem astutiæ, secundùm quod fit per facta : vt quando mensura est minor iusto, vel moneta adulterina. Solicitudo nimia temporalium, quæ est nimia occupatio in illis acquirendis, aut conseruandis, proueniens ex inordinato amore habendi, vel timore amittendi. Et solicitudo nimia futurorum, præsertim cum anxietate,& paruâ fiduciâ diuinæ prouidentiæ. De quibus omnibus perspicuè disserit S. Thomas tota quæstione 55. ita vt maiori expositione non egeant.

100. Quomodo vitia illa sint culpabilia? Tantùm aduerto primò, vt hæc omnia sint vitia culpabilia, & peccata formaliter, debere admitti scienter & liberè. Quomodo autem error possit admitti scienter & liberè, patet ex dictis de infidelitate positiuâ, disp. 14. de Fide Sect. 1. De grauitate verò peccati imprudentiæ, patebit ex dicendis paulò post de præcepto. Aduerto secundò, non solùm peccata supradicta, sed & cætera omnia opponi quodammodo prudentiæ, quatenus omnia fiunt contra aliquod rectum iudicium prudentiæ, saltem latè sumptæ, dictantis non debere fieri hîc & nunc id quod fit, aut debere fieri id quod non fit.

Quæ imprudentia sit speciale peccatum? Tertiò, peccatum directè oppositum prudentiæ, quod imprudentia dicitur,esse speciale peccatum, vt affirmat S. Thomas quæst. 53. art. 2. quia opponitur speciali virtuti, & præcepto speciali de prudentia tradito. Quemadmodum infidelitas est speciale peccatum, quia opponitur speciali virtuti fidei, & speciali præcepto credendi. Differentia verò est inter imprudentiam positiuam, & priuatiuam ; quòd priuatiua tunc solummodo est peccatum, quando est de ijs rebus, de quibus prudens iudicium habere tenemur; & eo solo tempore, quo tenemur ex præcepto speciali prudentiæ. Positiua verò, siue error voluntarius, semper peccatum est, in quibuscumque rebus versetur : quia error est per se actus malus, & contrarius naturæ hominis : ac sicut mendacium est semper per se malum : ita & falsum iudicium. Porro hoc peccatum vt morale sit, id est, liberum & culpabile, debet habere actum, vel quasi actum voluntatis adiunctum, in quo formaliter sita est malitia moralis, seu libera, vt talis ; & ab eo deriuatur ad actus externos aliarum facultatum : in quibus quidem est formaliter malitia obiectiua ; moralis autem, seu libera, denominatiuè tantùm illis conuenit ab actu voluntatis,cum quo moraliter vnum constituunt integrum actum peccati & consummatum ; iuxta ea quæ diximus in tract. de actibus humanis.

Contra hanc doctrinam, quòd scilicet imprudentia sit speciale peccatum morale, sentiunt Turrian. disp.102. de Fide dub. 1. Vasq. 1. 2. disp. 119. cap. 2. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 12. quæst. 5. & quidam alij, affirmantes imprudentiam non esse speciale peccatum, distinctum ab eo quod ex imprudentia committitur in materia virtutis moralis. Primò, quia ex contrario sequeretur grauiùs eum peccare, qui peccat ex ignorantia, vel imprudentia culpabili; quàm eum, qui ex malitia & certa scientia. Nam ille peccaret duplici peccato, & quidem graui, & explicando in confessione ; putà, si esset homicidium commissum ex imprudentia, quæ in ea materia non potest non esse grauis. Secundò, prudentia non est virtus moralis, sed intellectualis ; vt ars, & scientia. Virtuti autem intellectuali non opponitur peculiare peccatum moris ; alioquin & arti opponeretur : sed tantùm defectus intellectualis. Tertiò, actus prudentiæ non est in præcepto ratione sui; sed tantùm ratione alterius actus voluntatis, & alterius virtutis, propter quem necessarius est. Ergo imprudentia non est prohibita ratione sui ; neque est peccatum morale,nisi quatenus opponitur alicui alteri virtuti : ac proinde non est peccatum speciale, distinctum ab eo, quod ex imprudentia committitur in materia alterius virtutis. 101. Contraria sententia.

Ad primum respondeo negando sequelam. Nam si in casu proposito, prudentia tantùm necessaria fuit, vt vitaretur homicidium ; imprudentia opposita non fuit speciale peccatum imprudentiæ, sed pertinens ad ipsum homicidium, & ipsius malitiam habens, velut causa illius. Ratio est, quia tunc non peccatur nisi contra præceptum non occidendi. Secundò,dato quòd prudentia fuerit etiam per se debita, & imprudentia opposita fuerit peccatum speciale imprudentiæ ; nego sequelam argumenti. Quia imprudentia plus minuit malitiam homicidij voluntarij, quàm ipsam augeat ratione propriæ malitiæ, quæ leuis est, & venialis, præcisè spectata, & citra oppositionem ad aliam virtutem. Quemadmodum mendacium quodlibet non iniuriosum, neque alij virtuti oppositum, quàm veracitati, leue est : quippe quæ per se leuiter tantùm obligat. Imprudentia, inquam, leue tantùm quid addit rationi homicidij, ex illa secuti : & alioqui multum malitiæ illi detrahit. Quò enim plus est scientiæ, & libertatis in peccando, eò plus est malitiæ moralis & culpabilis. Hinc etiam fit vt talis non peccet duplici peccato graui, & explicando in confessione : sed vno graui, & alio leui. Nam imprudentia per se solùm, & ratione sui, non est graue peccatum, quia præceptum prudentiæ per se non est graue, vt dicemus paulò post. 102. Imprudentia plus minuit, quam auget peccatum.

Ad secundum, nego minorem generaliter sumptam. Alioqui neque infidelitas esset speciale peccatum morale, quia opponitur fidei, virtuti intellectuali. Est autem differentia inter prudentiam, & artem, vel scientiam qualemcumque : quòd prudentia est virtus moralis obiectiuè, respiciens mores, & præscribens quid 103.

deceat vel necesse sit agere, aut liceat naturæ rationali vt tali: quâ ratione habet specialem conuenientiam cum illa: & imprudentia opposita habet specialem disconuenientiam, & malitiam moralem obiectiuam.

Actus prudêtiæ est in præcepto dupliciter.

Ad tertium respondeo actum prudentiæ esse in præcepto dupliciter. Aliquandò quidem ratione sui, id est, ratione propriæ honestatis quæ est in prudenter iudicando: & hoc est propriè præceptum prudentiæ. Et aliquando tantùm ratione alterius actus, ad quem necessarius est: túncque priuatio illius non est peccatum diuersum à peccato, ratione cuius solius mala est, atque prohibita. Neque enim per se tunc prohibetur, sed tantùm ratione illius peccati, propter quod vitandum actus prudentiæ necessarius erat. Sic actus credendi duobus modis necessarius est, & in præcepto. Primò, ratione sui, ob propriam & specialem honestatem, quæ est in credendo. Secundò, propter actus spei, vel charitatis, & similes, qui sine illo exerceri non possunt. Túncque actus fidei necessarius non est ex proprio fidei præcepto, sed ex præcepto aliarum virtutum, spei, vel charitatis, vel religionis, & similium: quique illum omittit, non peccat contra fidem, seu contra præceptum fidei; sed tantùm contra præceptum illius virtutis, propter quam fidei actus necessarius est.


104. Prudêtia est per se præcepta

Circa secundum in titulo Sectionis propositum, liquet ex proximè dictis prudentiam esse in præcepto simpliciter, adeóque ratione sui, ac per se, vt docet etiam S. Thom. quæst. 56. art. 1. ad 2. & 3. vbi hæc Scripturæ diuinæ testimonia ad idem probandum adducit: *Estote prudentes sicut serpentes.* Matth. 10. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Prouerb. 3. *Oculi tui rectâ videant: & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*, ibid. cap. 4. Quibus addi potest illud Ephes. 5. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Et 1. Petri 4. ver. 7. *Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.* Ratio quoque naturalis dictat errorem esse cauendum, quoad fieri potest, in rebus moralibus, ijs præcipuè quæ agendi, vel non agendi necessitatem habent respectu nostri: Et è contrario, rectam cognitionem practicam eorum, quæ ad vnumquemque pertinent, siue quæ ipsius statui & conditioni conueniunt, ipsi procurandam esse; ac cæcitatem spiritalem oppositam, per se turpem & indecoram esse. Quare prudentia non est tantùm in præcepto positiuo diuino, sed etiam naturali. Nec refert quòd in Decalogo non fiat mentio ipsius specialis, vt notat S. Thom. art. cit. c. Nam in Decalogo non sunt expressa omnia præcepta naturalia; sed tantùm quædam illustriora, ad quæ cætera possunt aliquo modo reduci. Liquet etiam ex dictis hoc præceptum non esse per se graue: sicut neque præceptum veracitatis, aut studiositatis: sed si aliquando imprudentia graue peccatum est, id esse ratione alterius rei grauis, ad quam actus prudentiæ est valde necessarius. Nam in re graui, & in magno negotio necessario, valde negligere media, quæ ad prudentiam ducunt, graue est; in alijs, leue. Sed tunc non est peccatum distinctum, vt supra dixi.

Præceptũ prudêtiæ non est per se graue.

Cum autem assero prudentiam esse in præcepto, intelligo quantum est in libera nostra potestate; vt nimirum quisque gerat curam prudentiæ, & adhibeat, quantùm potest, ea quæ conducunt ad prudenter iudicandum. Alioqui enim id quod non cadit sub liberam potestatem, non cadit sub præceptum. Multi autem sunt à natura tardi, obliuiosi, hebetes, qui post omnem diligentiam, de qua potest illis in mentem venire, falluntur nolentes, & sine culpa; neque habent in libera potestate omnia necessaria ad prudenter iudicandum. Hique præcepto satisfaciunt, si faciunt quod in ipsis est ad prudens iudicium assequendum, licet ab illo aberrent. Præterea, cùm omnis obligatio præcepti sit moralis, respiciátque actus liberos, vt tales, qui pro arbitrio voluntatis possunt fieri, & non fieri: cúmque actus intellectus non sint per se liberi, sed provt sunt connexi cum actu libero voluntatis, vi cuius exercentur: actus prudentiæ non cadit sub præceptum per se solus, sed provt pendet ab actu libero voluntatis: ita vt non præcipiatur merus actus prudentiæ; sed applicatio libera voluntatis ad talem actum, & actus vt ab illa procedit. 105. Non præcipitur nisi vt libera est.


Quòd si objicias, non posse haberi talem applicationem voluntatis sine præcedenti iudicio practico de illa habenda hîc & nunc: quod iudicium est actus prudentiæ: atque ita præceptum prudentiæ supponere prudentiam. Respondeo, sicut in simili de fide dictum est alibi, necessarium quidem esse, vt quilibet, priusquam liberè, & secundùm rationem gerat curam prudentiæ, cognoscat aliquo modo prudentiam: & vt ad illam prosequendam obligetur, cognoscat debitum illam prosequendi: quia antequam sit aliqua talis cognitio practica, non potest esse determinata obligatio agendi. Verùm illa cognitio non est necessariò prudentiæ. Potest enim esse synteresis, & simplicis intelligentiæ alicuius principij moralis per se noti: Ac tandem in omni actione ad aliquid per se notum deueniendum est, in quo sistat cognitio. Sed quamvis esset prudentia, vt interdum esse potest: non repugnat vt sicut ante aliquam cognitionem potest esse alia cognitio, etiam necessaria ad illam habendam: sic ante aliquem actum prudentiæ possit alius præcedere, ratione cuius iste sit in præcepto, & aliter esse non possit: atque ita ante prudentiam quæ in præcepto est, & ante obligationem præcepti prudentiæ, præcedat aliqua prudentia. Neque id repugnat assertioni nostræ: quia non dicimus præceptum esse gerendi curam omnis prudentiæ; sed eius tantùm, quam liberè possumus prosequi, & procurare. Multò minùs hinc sequitur, ante omnem prudentiam præcedere prudentiam: sed ad summum, ante omnem prudentiam liberam, præcedere aliam non liberam: sicut ante omnem cognitionem liberam, præcedit aliqua non libera. 106. Soluitur obiectio.



DISPVTATIO SECVNDA.

De virtute Fortitudinis.

E Fortitudine, & ijs quæ ad illam pertinent, aut illi opponuntur, disputat Sanctus Thomas q. 123. & pluribus sequentibus. Ac primò naturam, & actus, habitumque, & obiectum ipsius exponit. Secundò, tractat de vitijs illi oppositis per excessum, aut defectum: timore scilicet, intimiditate, & audacia. Tertiò, de partibus fortitudinis integralibus: fiduciâ videlicet, seu magnanimitate, magnificentia, patientia, & perseuerantia; deque vitijs vnicuique illarum oppositis. Quartò, de dono fortitudinis. Quintò, de præceptis. Quæ omnia quoad opus erit, breuiter exponemus sequentibus Sectionibus, omissis ijs quæ aliunde satis nota iam sunt, vel in textu D. Thomæ satis perspicua.



SECTIO I.

De obiecto, actu, habitu, & subiecto fortitudinis.

1. Variæ notiones fortitudinis.

Ortitudo sumitur hîc, non pro robore corporis: neque pro animi firmitate generatim, siue in bono, siue in malo: neque etiam pro firmitate animi in bono honesto generaliter, quæ vel est conditio virtutis honestatis, specialis quidem in seipsa, sed generalis extensione & obiecto, quatenus respicit honestum, vt sic, abstrahendo à varijs speciebus honestatis: vel etiam est generalis conditio singularum virtutum, respicientium varias species honestatis: quatenus vnaquæque virtus, si perfecta est, debet firmiter adhærere suo obiecto. Sed sumitur pro virtute speciali quæ versatur in motibus animi & passionibus moderandis iuxta præscriptum rectæ rationis, circa ardua, & terribilia: præsertim in periculis mortis sustinendis, vel repellendis: ob specialem honestatem quæ in eo inest, vt quis neque nimis audeat, neque nimis timeat, sed circa pericula & magnos labores, aut duras perpessiones, prudenter & moderatè se gerat. Quo sensu D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 31. post Ciceronem lib. 2. de Inuentione, Fortitudinem definit, *Consideratam*, id est, prudentem, & rectæ rationi conformem, *periculorum susceptionem, & laborum perpessionem*: quam definitionem refert & approbat D. Thomas quæst. 123. art. 2. & alij communiter.

Quænam sit propria huius loci?

2. Obiectũ fortitudinis motiuũ, seu formale.

Ex his apparet quodnam sit obiectum proprium & speciale huius virtutis. Nimirum eius obiectum formale, est honestas illa specialis, quæ in eo consistit, vt homo moderatè, & secundùm rectam rationem se gerat circa pericula, & labores arduos atque difficiles, duráque subeunda: præsertim circa mortem, & alia huiusmodi grauia, & terribilia: moderando timorem, & audaciam circa illam. Neque dicas virtutes

virtutes singulas id præstare in sua materia, si sint in gradu heroïco. Etenim aliæ virtutes id quidem præstant quatenus necessarium est ad finem ipsarum, veluti per accidens, aut propter aliud. Sed non per se, & propter ipsammet honestatem in eo consistentem quòd homo moderatè audeat, & timeat, sicut rectæ rationi congruum est. Ex. gr. Charitas valet quidem ad fortiter amandum contra timores & pericula, *Fortis enim est vt mors dilectio* : & pietas erga patriam similiter, & iustitia, cæteræque virtutes. At non spectant in huiusmodi conatu, & tendentia contra pericula, specialem honestatem in eo positam, quòd homo moderetur timorem, & audaciam, quia id per se bonum & congruum est homini : sed quia necessarium est ad finem ipsarum ; nempe ad bonum Dei, vel proximi, vel patriæ procurandum, aut malum vitandum ; ad ius seruandum, vel iniuriam repellendam ; & ad alios fines aliarum virtutum.

3. Obiectũ materiale remotũ. Obiectum verò materiale fortitudinis duplex est : vnum remotum, & alterum proximum. Remotum sunt ipsa pericula, & labores, ac perpessiones, seu tormenta difficilia & terribilia : in quibus præcipua sunt pericula bellica, & mors omnium terribilium terribilissima, vt ait Arist. 3. Ethic. cap. 6. Ad alia tamen fortitudo se extendit, vt rectè docet S. Thomas quæst. cit. art. 5. nimirum ad omnia grauia, seu molesta pericula, vel mala, prout ea subire, vel aggredi, & perferre rationi congruum est. Quamvis, vt ait Arist. cap. cit. non sit fortis absolutè dicendus qui minora tantùm mala fortiter subit, aut tolerat : vt si quis flagellis, cæsus, confidat, id est, forti animo ferat : quia virtus ex præcipuis suis actibus metienda & denominanda est. An verò etiam ad leuiora se extendat, dicemus in fine Sect. 5. Obiectum materiale proximum eiusdem virtutis sunt ipsæ passiones, metus scilicet, & audacia, moderandæ circa pericula, & mala difficilia, ne præscriptum rectæ rationis excedant : atque ipsa externa aggressio & perpessio, aut fuga vel euitatio periculorum & malorum ; ita vt in illis, atque in ipso corporis gestu, homo nihil indecorum admittat. Etenim fortis animi est tenere medium inter temeritatem, & ignauiam, seu timiditatem, & pusillanimitatem. Ita vt neque audeat temerè, quod audendum non est : neque ignauè fugiat id, quod recta ratio dictat esse aggrediendum, aut ferendum.

Materiale proximum.

4. Actus eliciti fortitudinis. Actus huius virtutis proximi & immediati, seu eliciti, sunt velle secundùm rectum iudicium rationis aggredi, aut pati ardua & terribilia, nolléque illis cedere, aut succumbere indecorè. Remoti verò, & imperati, sunt passiones moderatæ timoris & audaciæ in parte inferiori, ad mediocritatem rationis redactæ, & seruientes atque obtemperantes, aliquo modo actibus voluntatis. Itémque actus ipsi externi aggrediendi aut subeundi pericula, & mala, iuxta præscriptum rationis, & imperium voluntatis cuius est curare vt nihil indecorum admittatur, siue in parte inferiori, & passionibus animi, siue in corpore ipso & in membris externis. Inter hos actus id discriminis est,

Actus imperati.

quòd primi sunt tantùm actus fortitudinis, & nullo modo obiecta. Secundi vero, & tertij sunt partim actus, & partim obiecta. Sunt enim obiecta actuum voluntatis, à quibus imperantur & reguntur. Sunt etiam actus, quatenus sunt actiones vitales exercitæ iuxta præscriptum fortitudinis, in ordine ad fortia obiectiua, id est, labores & pericula cum ratione suscipienda, vel toleranda. Item, primi actus habent veram moralem, & formalem bonitatem fortitudinis : cùm sint immediatè liberi, & ex electione exerciti propter specialem honestatem obiecti fortitudinis, quam attingunt per se, & propter se. Alij verò actus habent quidem formalem aliquam bonitatem, quatenus sunt conuenientes obiecto : sed non moralem, quia non sunt immediatè liberi : neque formalem bonitatem fortitudinis, vt sic : quia non attingunt rationem honestatis & conuenientiæ cum recta ratione, neque feruntur in illam propter se, quod est proprium voluntatis, & appetitus rationalis, sequentis cognitionem intellectus circa rationes superiores honesti, & turpis : non autem partis inferioris, sequentis sensum, cuius est ferri tantùm circa sensibilia delectabilia, vel molesta naturæ animali. Quare bonitas fortitudinis, quæ inest in eiusmodi actibus, est tantùm materialis, & obiectiua ; quatenus potest appeti, & quasi informari ab actibus voluntatis, quorum propria est formalis & moralis rectitudo fortitudinis. Differentia inter vtrosque.

Ab huiusmodi actibus primarijs & immediatis fortitudinis gignitur habitus in voluntate, qui est propriè virtus habitualis fortitudinis. Qui sit-ne re vnus, an multiplex ; & an præter illum detur alius supernaturalis & infusus, patet ex dictis de prudentia præcedenti disput. Sect. 9. & 10. vbi ostendimus habitus acquisitos multiplicari realiter, & specificè, iuxta diuersitatem specificam actuum per quos gignuntur, & à quibus noua difficultas tollitur. Qui actus multi sunt in qualibet virtute morali ; & tam diuersi, vt speciales habeant difficultates, ad quos propterea non sufficit prior habitus. Item, præter virtutes morales acquisitas, probabile esse dari supernaturales, & per se infusas, quæ hominem perficiant spectatum in ordine supernaturali : Atque ita præter virtutem naturalem fortitudinis, quæ regitur prudentiâ naturali, & hominem perficit naturaliter consideratum, dari alium habitum supernaturalem, qui prudentiâ supernaturali, vel fidei dictamine, vt regulâ vtatur, temperétque timorem mortis, aliorúmque durorum ac difficilium, & audaciam moderetur circa pericula & ardua aggredienda, quia id decet Christianum, crucis Christi cultorem, cœli candidatum, Deique filium adoptiuum : & non tantùm quia sic decet hominem ratione præditum, vel Philosophiæ præceptis imbutum, vel illustri familia, clarisque maioribus ortum : præsertim verò quia decet pro Christo mori martyrem. 5. Habitus fortitudinis.

Ab actibus quoque secundarijs, qui sunt in parte inferiori, probabile est gigni habitum per passiones moderatas, inclinantem ad similem moderationem. Experimur enim partem infe- 6. Probabile est gigni etiam in parte inferiori.

riorem sensim assuefieri, & passiones ipsas mitigari per crebrum exercitium moderandi passiones: ac sensum rerum earum, quæ nos antea magis mouebant, imminui, affectúmque simul temperari: aut è contrario, passiones inualescere, & corroborari, quando voluntariè frequenter excitantur. Hic autem habitus partus in appetitu inferiori, non est propriè & per se virtus. Quia virtus est habitus cum ratione electiuus, ex Arist. 6. Ethic. cap. 2. Habitus autem appetitus inferioris non est electiuus, cùm appetitus ille non sit liber & electiuus: neque sequitur dictamen rationis circa honestum, aut turpe, vt male, circa quod omnis virtus occupatur; sed notitiam sensus interni circa sensibilia delectabilia, vel molesta, quæ, vt talia præcisè, non sunt obiectum virtutis. Quare virtus fortitudinis, sicut & qualibet alia virtus moralis, intrinsecè est in sola voluntate, vt fusiùs probabimus disp. 25. Sect. 7. & 8. disputando de subiecto iustitiæ. Verumtamen, sicut actus secundarij fortitudinis, qui sunt in appetitu sensitiuo, constituunt cum primarijs, qui sunt in voluntate, & à quibus imperantur, vel acceptantur, vnum moraliter actum integrum fortitudinis: sic habitus acquisiti in eodem appetitu sensitiuo constituunt cum habitibus acquisitis in voluntate vnum moraliter habitum integrum & perfectum fortitudinis: qua de re plura dicemus Sect. iam citatâ. Vbi etiam respondebitur eorum argumentis qui virtutes Cardinales ita distribuunt, vt prudentiam esse velint in intellectu, iustitiam in voluntate, fortitudinem in parte appetitus irascibili, temperantiam in concupiscibili.

Sit-ne ille propriè virtus?

SECTIO II.

An Martyrium sit actus fortitudinis?

7. RESpondeo martyrium esse actum fortitudinis secundùm aliquam considerationem; at non secundùm omnem: sed ad alias quoque virtutes sub multiplici ratione pertinere. Declaratur, & probatur responsum. Martyrium Græcè, idem est quòd Latinè, testimonium. Sumitur autem à Theologis non pro quovis testimonio, sed pro testimonio veritatis fidei per mortis tolerantiam. Quod dupliciter fieri potest. Primò, cùm aliquis re ipsa interficitur in odium fidei, cuius veritati sanguine suo veluti subscribit, absque vllo tamen actu voluntatis quo mortem acceptet in testimonium veritatis. Cuiusmodi fuit martyrium sanctorum Innocentium, qui *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*; & testimonium quod nondum poterant sermone, perhibuerant passione, vt ait auctor Serm. de Stella & Magis apud Cyprianum. Et huiusmodi martyrium est tantum materiale, & non est actus fortitudinis, neque vllius alterius virtutis: cùm fiat sine vllo actu libero voluntatis, & sine affectu erga veritatis testificationem, aut aliud bonum honestum, quà tale. Secundò, cùm aliquis scienter & liberè mortem acceptat, eámque patitur pro veritate fidei. Quod martyrium dicitur formale, & perfectum, in eoque tria considerari possunt. Nimirum, irrogatio mortis, acceptatio, & perpessio. Irrogatio mortis non est actus virtutis, sed peccati; cùm fiat contra rationem, & contra veritatem fidei, provt à tyranno in odium illius mors infertur. Acceptatio verò, & perpessio sunt actus fortitudinis, si mors ideo acceptetur, & perferatur quia in his circunstantijs decet specialiter hominem fortem & Christianum mortem acceptare, atque perferre. Tunc enim acceptatur & obitur propter specialem honestatem virtutis fortitudinis.

Martyriũ quid sit?

Quandonam est actus fortitudinis.

8. Sed potest etiam propter alias rationes acceptari, & ferri patienter, atque ad alias virtutes pertinere. Nimirum primò, propter amorem ipsius veritatis fidei; quæ tali testimonio confirmatur. Et tunc martyrium sub ea ratione pertinet ad virtutem fidei, & ad studium, seu rectum affectum erga veritates & reuelationes diuinas. Secundò, propter honestatem alicuius alterius virtutis quæ directè impetitur, & in ea fides tacite impugnatur; vt si quis mortem ferat ne iustitiam deserat, aut ne castitatem amittat, & contra illam peccet; quia, vt fides docet, mors est potiùs obeunda, quàm tale quid agendum. Et tunc martyrium pertinet ad easdem virtutes, ex quarum affectu mors appetitur. Tertiò, potest mors acceptari & ferri ex motiuo æternæ vitæ consequendæ, & damnationis euadendæ. Túncque pertinet ad virtutem spei. Quartò denique, potest quis mortem pro veritate fidei illatam acceptare vt Deo placeat, & erga illum suum affectum amoris ostendat. Et hoc ad charitatem pertinet: *Maiorem enim charitatem nemo habet, &c.* Ioan. 15. Porro sicut huiusmodi motiua possunt connecti & coincidere cum motiuo fortitudinis: quippe cui non repugnant, & idem potest ex diuersis motiuis non repugnantibus appeti: ita etiam possunt separari. Quia non sunt necessariò connexa, vel inseparabilia per se: & sufficit gradus heroïcus cuiusque virtutis, vt propter ipsius honestatem mors acceptetur, & subeatur, si necesse sit. Túncque martyrium non est actus virtutis specialis fortitudinis, sed tantùm generalis, sumptæ pro quacumque firmitate & constantia in bono.

Potest ad alias virtutes pertinere.

9. Addo martyrium propriè & præcipuè dici ex ea ratione, quâ veritatem diuinam respicit, velut illius confirmatio, & testificatio operaria. Etenim testimonium & confirmatio propriè tribuitur dicto alicui, tanquam vero. Fertur enim testimonium ad confirmandum aliquid esse verum. Et si quidem dictum sit verum, est verum testimonium. Sin autem dictum sit falsum, est falsum testimonium, saltem materialiter. Cùm enim testificatio semper fiat ad confirmandum aliquid vt verum: in eo est falsitas, aut mendacium, quòd testificans aliquid falsum, affirmet illud esse verum. Martyrium autem formale, provt sumitur à Theologis, est formaliter confirmatio, & testificatio veritatis diuinæ per liberam mortis perpessionem. Ita vt hæc perpessio mortis habeat rationem martyrij præcipuè, & formaliter ex eo quòd sit confirmatio & testificatio

Martyriũ respicit veritatem diuinam.

veritatis diuinæ, sicut vox ipsa indicat. Atqui testificatio veritatis directè respicit veritatem; & imperatur per se quidem ab amore & affectu eiusdem veritatis: licet ab alijs virtutibus imperari quoque possit. Quare licet illi adiungatur laus fortitudinis, aut alterius virtutis; & in testificationem ingrediatur perpessio mortis, quæ est operaria confirmatio, & testificatio, consistens nimirum in opere, seu perpessione mortis propter veritatem: id tamen non impedit ne semper testificatio, vt talis est, directè respiciat veritatem, & per se pertineat ad amorem & affectum veritatis. Neque facit vt id, quod in illo actu est fortitudinis contra mortis horribilitatem, constituat præcipuè rationem martyrij.

10. Occurritur obiectioni. Superioribus non obest quod Valent. disput. 8. quæst. 1. p. 1. Less. lib. 3. de Iustitia cap. 1. dub. 2. num. 12. & alij multi dicunt, martyrium sumi pro testimonio veritatis fidei, vel alicuius virtutis, per mortis tolerantiam: nimirum cùm aliquis pro veritate fidei, vel pro opere virtutis mortem subit: vt pro iustitia, pro castitate, & similibus. Nam ille qui mortem patitur ne iustitiam deserat, testificatur tacitè iustitiam esse defendendam etiam morte ipsa. Testificatur quoque id, propter quod mortem patitur, esse iustum, & contrarium esse iniustum. Ac sicut ille qui ad mortem vitandam deserit iustitiam, videtur factis negare quòd iustitia sit vitæ anteponenda, aut quòd iustum sit id quod verè iustum est: ita qui propter iustitiam moritur, confirmat simul veritatem; & eatenus martyrium est, quatenus ibi continetur talis testificatio. Sed neque confirmatio cuiusvis veritatis est martyrium Theologicum. Debet enim esse veritatis diuinæ, id est, diuinitus traditæ, vt talis; hoc est, provt dicit ordinem ad diuinam auctoritatem reuelantem. Alioqui enim mori pro veritate, aut virtute, est constantia tantùm Stoïca, seu Philosophica.

11. D. Thomas exponitur. Non obest etiam quod S.Thomas quæst.124. art. 2. ad 2. dicit, martyrium esse actum charitatis vt imperantis, elicitiuè autem esse actum patientiæ, & fortitudinis. Etenim D.Thomas non excludit propterea respectum ad veritatem cuius confirmandæ causâ mors acceptatur, & oppetitur. Cùm autem ait, elicitiuè esse actum fortitudinis, intelligit posito quòd, vt communiter fit, mors acceptetur, & toleretur, quia id virum fortem, & Christianum decet. Charitatem verò imperantem requirit vt martyrium sit meritorium, vel vt valeat ad iustificationem in adultis, & ad gratiam eximiam, ac remissionem totius pœnæ, quam instar baptismi confert veris & perfectis martyribus; vt colligi potest ex ijs quæ addit loco cit. *Quod autem sit meritorium*, inquit, *hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus.* Et 1. 2. quæst. 114. art. 4. ad 3. generatim sic pronuntiat: *Actus patientiæ, & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operatur: secundùm illud 1. ad Corinthios 13. Si tradidero corpus meum: ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

12. Pro quo nota, licet martyrium vt prosit paruulis ad gratiam, & eximiam sanctitatem, non aliud requirat, quàm ipsam perpessionem mortis in odium fidei ipsis illatæ, vt patet exemplo Sanctorum Innocentium, quos omnes indiscriminatim vt Sanctos & Martyres colit Ecclesia, eorúmque reliquias veneratur: licet plusquam probabiliter nec omnes circumcisi essent, cùm multi ante diem octauum fuerint occisi: neque essent aliter in fide parentum iustificati, cùm aliqui eorum essent orti ex parentibus infidelibus, qui tunc Iudæis erant permixti: & quamvis omnes fuissent priùs sanctificati; non tamen tantam adepti gratiam & gloriam, vt pro sanctis colendi sint, nisi ampliùs ex martyrio consequuti essent: gratisque & sine vllo fundamento dicitur à nonnullis, vsum rationis fuisse illis acceleratum. Licet, inquam nihil aliud requiratur in paruulis: secus tamen in adultis, quibus vt prosit martyrium ad salutem, & effectum mirabilem conferat, quem Sancti Patres & Ecclesia illi tribuunt, multa requiruntur. Quomodo martyrium prodest infantibus?

Primò scilicet, mortis irrogatio in odium fidei: Ita vt mors sequatur ex tormentis illatis à fidei persecutoribus, eius causâ torquentibus. Siue sequatur statim in ipsa inflictione tormentorum, siue post, positâ illius causâ efficaci. Et quamquam interdum vocantur etiam martyres illi, qui grauia tormenta passi sunt, tametsi mors ex illis non sit secuta, neque naturaliter sequi debuerit: & multò magis illi, qui miraculosè mortem euaserunt in tormentis, ex quibus naturaliter & necessariò sequi debebat, vt Ioannes Apostolus in feruentis olei dolio: non est tamen completum & proprium perfectumque martyrium, nisi quando mors actu sequitur: vt ex communi doctrina tradit S. Thomas quæst. 124. art. 4. c. cuius verba hæc sunt: *Ad martyrium pertinet vt homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, vt ad futura, & inuisibilia bona perueniat. Quandiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Et ideo ad perfectam rationem martyrij requiritur quòd aliquis mortem sustineat propter Christum.* Additque in solutione primi, & tertij argumenti, alios dici tantùm martyres per similitudinem: neque martyrium propriè sumi pro sola tolerantia carceris, & exilij, vel rapinæ diuitiarum, nisi fortè secundùm quòd ex his sequitur mors. In adultis requiritur mors vi tormentorum.

13. Et vt pro fidei veritate aliqua suâ beatur. Secundò, requiritur vt quis fide diuina teneat veritatem, pro qua patitur. Ne alioqui pro sua humana opinione, vel scientia moriatur, & non pro Dei auctoritate. Quare non sufficit mori tantùm pro aliqua veritate naturaliter notâ, vel aliter, quàm verâ fide propter Dei auctoritatem certò habitâ; quamvis alioquin ad Deum, vel ad Christum pertinente. Nam, vt docent communiter Sancti Patres, Cyprianus Epist. 52. ad Antonian. in fine, & Epist. 73. ad Iubaianum, prope finem Pacian. Epist. 2. ad Sympronianum, Augustin. lib. 4. de Baptismo contra Donatist. cap. 17. Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap. 39. Hæretici non sunt veri martyres, siue moriantur pro suis erroribus, siue pro fidei veritatibus quæ sunt illis communes cum Catholicis. Neque infidelis

esset verè martyr, tametsi vitam perderet pro illa veritate, *Deus est*, naturaliter tantùm sibi notâ. Sufficit tamen mori pro quacumque veritate prout ad fidem pertinet, & habet auctoritatem diuinam, vt par est acceptatam. Quare si quis moreretur pro vitando mendacio v.g. quia Deus dixit mendacium esse vitandum, sufficeret hæc causa ad martyrium. Idémque dico de moriente pro quocunque alio vitio vitando, aut pro virtute aliqua tuenda, prout ad fidem & ad legem diuinam pertinet: vt rectè docet S. Thomas quæst. 124. art. 5. c. vbi sic habet: *Omnia virtutum opera, secundùm quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quòd Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Et secundùm hoc possunt esse martyrij causa. Vnde & B. Ioannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit.* Et in solutione secundi argumenti, *Vitatio mendacij*, inquit, *contra quamcumque veritatem sit, inquantum mendacium est peccatum diuinæ legi contrarium, potest esse martyrij causa.*

14. Et sine resistentia martyris. Tertiò, requiritur vt martyr patiatur mortem non resistendo Tyranno, aut alteri, mortem inferenti in odium fidei. Quia debet imitari Christum, cuius passio est exemplar martyrij: Christus autem non restitit crucifigentibus, sed *sicut agnus ad occisionem ductus est*. Indéque est laus præcipua martyrij, & excellentia supra baptismum, quòd martyres re ipsa commoriuntur Christo per realem mortis eius imitationem; reliqui verò, mystica tantùm repræsentatione per baptismum: vt ait Clemens Romanus lib. 5. Constitut. cap. 7. Item, quia alioqui non acceptat voluntariè & directè mortem pro fide; sed consequenter & ex necessitate, quia non potest vincere, & occidere aduersarium: vnde potiùs eligit alium, si potest, interficere, quàm mori pro fide: neque tam moritur vt Christianus, quam vt miles ab hoste victus, cui resistere non potuit: & nunquam Ecclesia coluit tanquam martyres, milites in bello, pro fide licet suscepto interfectos. Si tamen aliquis in bello caperetur, & postea adactus ad fidem negandam, pro illa patienter, & sine resistentia moreretur; id sufficeret ad martyrium. Idémque dico, si milites voluntariè arma deponentes, & pugnare cessantes atque resistere, iam ab hostibus interficerentur in odium fidei.

15. Et cum libera acceptatione. Quartò, debet mors scienter & liberè acceptari. Quia si ne baptismus quidem, quamvis sit Sacramentum, prodest adultis nisi liberè acceptetur: multò minùs martyrium. De paruulis autem alia est ratio. Sicut enim alienâ culpâ, sine actu proprio, constituti sunt peccatores: sic per realem mortis perpessionem iustificantur sine actu ipsorum proprio, æquè ac per baptismum: sufficitque illis vt testimonium, quod nondum possunt sermone, perhibeant passione: & moriendo profiteantur, quod loquendo non possunt. Non est tamen necessarium, actum voluntatis, quo mors pro fide acceptatur ab adultis, esse actu præsentem, quando re ipsa mors illis infertur per tormenta. Sufficit enim antea præcessisse, & non fuisse retractatum; saltem si non modò habitualiter, verùm etiam virtualiter aliquo modo durat in aliquo effectu. Vt si quis in carcere detentus propter fidem, & mortem ibi generosè expectans, occidatur in somnis. Sicut enim hæc intentio sufficit adulto ad baptismum: ita & ad martyrium.

Addunt aliqui sufficere quamcumque intentionem habitualem aut interpretatiuam, quemadmodum sufficit vt detur viaticum, & Extrema vnctio moribundo qui non petijt antea, sed propter vitam bene & Christianè anteactam, præsumitur velle, & fore vt peteret, si posset. Verùm, vt bene ait Lessius lib. 3. de Iustitia cap. 1. dubit. 3. num. 25. differentia magna est inter hæc media salutis ordinaria, & facilia, quæ quilibet Christianus desiderat, & accipit, si potest, in necessitate mortis; vsuque ipso Sacramentorum totâ vitâ, facilè declarat quid in articulo mortis fieri sibi desideret: & inter martyrium, quod est medium salutis extraordinarium, & valde difficile ex parte patientis, egénsque forti & magno animo, qui multis deest, illis etiam qui antea longè remoti à periculo, mori pro Christo desiderarunt. In illo autem affectu tam generoso, & verè efficaci, consistit præcipuè laus martyrij. Sufficitne habitualis?

16. Requiritúrne acceptatio positiua. Addit quoque Ægid. Coninck tom. 1. de Sacramentis quæst. 66. art. 12. dub. 2. num. 136. probabilius esse in iusto non requiri vt positiuo aliquo actu accepret martyrium: cùm possit esse martyr, qui illud refugit, modò non sit ita affectus, vt vellet negare fidem, si videret se aliter non posse mortem effugere. Quare sufficit vt quis habeat eius voluntatem interpretatiuam, aut habitualem: quemadmodum ille, qui fugiens persecutorem fidei, occiditur in fuga: & qui sollicitatus ad fidem negandam, dormiendo occiditur quia negare noluit. Vel etiam licet de confessione fidei priùs non cogitauerit, in subito hostium incursu deprehenditur dormiens, & in odium fidei interficitur. Quod probat primò ex D. Thoma 3. p. quæst. 87. articulo 1. ad 2. vbi de eo, qui dormiens occideretur propter Christum, affirmat eius passionem obtinere vim baptismi, & purgare ab omni culpa, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. Probat secundò, quia hic verè perdit animam propter Christum: quod videtur sufficere ad martyrium: cùm hoc non consistat in actione, sed in passione. Tertiò, quia infantibus mors eo modo tolerata sufficit ad martyrium. Cur non ergo iustis adultis? Nec obest quòd istis non prosit baptismus, nisi petiuerint: secus autem illis. Nam longè est diuersa baptismi, & martyrij ratio. Quia per baptismum suscipitur nouus status & obligatio, quam conuenit suscipi liberè ab habentibus vsum libertatis: secus est in martyrio. Item, baptismus est institutus ad remissionem peccati. Non conuenit autem adultos, qui propria voluntate peccauerunt, iustificari sine actu proprio quo peccatum suum retractent. Vnde neque martyrium adultos peccatores iustificat sine proprio motu voluntatis. In iustis autem id locum non habet; cùm non agatur

de peccati remissione, sed de munere quodam accipiendo, quæ damnum, quod Dei causâ patiuntur, eiusdem liberalitate compensetur. Probat denique, quia iustis mors illa est habitualiter saltem voluntaria. Nam ratione charitatis infusæ, habitualiter inclinantur ad mortem Dei causâ subeundam. Cúmque voluntas habitualis sufficiat vt quædam Sacramenta cum effectu suscipiantur: cur non etiam sufficiat ad effectum martyrij, cui Patres maiorem vim tribuunt, quam ipsi baptismo?

17. Concluditur affirmatiuè. Sed ad hæc respondeo, eum qui fugiendo sic affectus est, vt velit quidem se morti eripere, si possit (quod interdum optimo fine & consilio fieri potest, exemplo Christi, & Sanctorum) si tamen non possit, velit mortem subire, ne fidem neget; ideóque fugit, vt ne fidem potiùs, quàm vitam perdat: respondeo inquam, talem habere affectum positiuum acceptandi mortem, si fugâ illam euadere non possit, conseruandique fidem cum vitæ suæ iactura: idque sufficere hac ex parte ad martyrium: & tales aliquos martyres ab Ecclesia coli, vt SS. Berenicem, & Prosdocem, laudatas à D. Chrysost. hom. 51. ad populum. Si verò talis voluntas & acceptatio mortis desit, vt si quis tantùm velit mortem fugere, aut de mortis periculo, déque ipsa fidei confessione non priùs cogitauerit: ille non acceptat mortem pro Christo laudabiliter, & cum actu virtutis: ac proinde id non sufficit ad martyrium adultorum, quod, ex D. Thoma quæst. 124. art. 2. & communi consensu Theologorum, est elicitiuè actus fortitudinis, vel alterius virtutis.

18. Satisfit argum. contrarijs. Ad primum autem argumentum sumptum ex D. Thoma, respondeo, ipsum loqui de eo qui ante somnum mortem acceptauit, atque etiam aliquam peccati detestationem habuit, licet fortè non sufficientem ad delenda omnia venialia, de quorũ remissione loquitur D. Thomas art. cit. Id patet primò ex alijs eius locis, quibus affirmat martyrium non prodesse adultis sine actu dilectionis, vt videbimus Sect. sequenti. Secundò, quia alioquin affirmaret posse adultis remitti peccata omnia per martyrium, sine vlla eorum detestatione, eo solo quòd passio incogitanti aduenit. Quod falsum esse docet ipse Ægid. verbis supra relatis, & fusiùs conclusione 5. eiusdem dubit. num. 140. probatque præcipuè ex Trident. Sess. 14. cap. 4. affirmante motum contritionis, siue actum pœnitentiæ, fuisse quovis tempore necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum: à qua regula generali non debent gratis excipi martyres: nullum est autem fundamentum eos excipiendi: maximè cùm baptismus, directè licet institutus ad remissionem peccatorum, adultos non iustificet sine aliquo actu pœnitentiæ, & retractationis peccatorum ab ipsis commissorum.

Ad secundum respondeo, non sufficere adultis ad martyrium, perdere vitam quocumque modo: sed opus esse vt perdant voluntariè, & cum actu virtutis, alijsque conditionibus à Christo requisitis ad effectum martyrij. Ad tertium dico, Deum meritò plus requirere ab adultis, qui sunt capaces actuum liberorum, quàm ab infantibus, etiam ratione muneris singularis, & eximiæ sanctitatis, quam per martyrium conferre decreuit. Neque sufficit charitas habitualis, quæ nisi operetur actu, non magis reddit voluntariam mortem adultis, quàm infantibus per baptismum iustificatis ante martyrium: neque sufficit vt mors dicatur fuisse liberè & laudabiliter, seu cum actu virtutis heroïco tolerata. Ad baptismum quoque, & ad alia Sacramenta recipienda, necessaria est in adultis intentio, & voluntas actualis recipiendi, vel in præsens, vel ante habita, & non retractata. Cur autem plus ad martyrium requiratur, quàm ad quædam Sacramenta, diximus paulò ante. Neque Sancti Patres martyrium baptismo anteponunt in omnibus, sed in præstantia effectus, quia maiorem gratiam confert.

Quintò, requiritur vt mors acceptetur & toleretur ex pia causa, iuxta illud 1. Petr. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, &c.* Et August. lib. 3. contra Cresconium cap. 47. *Martyrem Christi non facit pœna, sed causa.* Quam sententiam repetit concione 2. in Psal. 34. & in eundem sensum exponit illud eiusdem Psalmi, *Exurge Domine, & intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus in causam meam:* ponderans Psalmistam non dixisse *in pœnam meam, sed in causam meam. Non in id, quod mecum habet latro commune: sed in illud, quo Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Quia, inquit, licet pœna bonis & malis communis esse possit: causa tamen illa discreta est. Et Epist. 50. ad Bonifacium, dicit vocem illam Psalmistæ, *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta*, Psal. 42. esse vocem verorum martyrum, volentium se discerni à falsis martyribus. *Non dixit,* inquit, *discerne pœnam meam: sed, discerne causam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna: sed dissimilis est martyrum causa.* Et S. Thomas quæst. 124. art. 5. c. *Martyres dicuntur*, inquit, *quasi testes: quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem, testimonium perhibent veritati: non cuicumque, sed veritati quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Vnde & Martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius.* Nimirum quia nisi morerentur pro tali causa, cum fide Christi, & vera Religione coniuncta; non essent Christi martyres; sed diaboli, si pro mala causa; vel sæculi, aut Philosophiæ, vel si pro indifferenti, aut merè naturali & humana mortem subirent. 19. Debet mors acceptari ex pia causa.

Sextò denique, licet probabile sit sufficere alium affectum virtutis, ex cuius motiuo mors acceptetur & toleretur à Martyribus: probabilius tamen est, requiri affectum charitatis erga Deum, ita vt propter illum vita & omnia temporalia deserantur. De quo quia grauis est controuersia inter Theologos, dicemus totâ Sect. sequenti.

SECTIO III.

Vtrùm ad martyrium, & ad eius effectum necessariò requiratur actus charitatis?

10. Dupliciter potest esse ad hoc necessarius. DVpliciter intelligi potest actus charitatis esse necessarius ad effectum martyrij. Primò, per se & ex intrinseca ipsius ratione. Secundò, per accidens, & ex obligatione aliunde extrinsecùs adueniente, ratione alterius præcepti, quæ tamen vrgeat hîc & nunc occasione martyrij: quia nimirum instante morte impleri debet; cùm postea non possit: quo pacto ille qui nondum fuit baptizatus, tenetur baptizari ante martyrium, si possit, vt Christi præcepto de baptismo satisfaciat: & qui post baptismum admisit peccatum mortale, de quo nondum confessus est; tenetur confiteri: aut si non potest, tenetur conteri: quia tenetur applicare medium ordinarium in hunc finem à Christo institutum. Aut etiam quia, secundùm plurimorum sententiam, vnusquisque qui actualiter peccauit, tenetur actum contritionis exercere in articulo mortis. Potest autem aliquis instante martyrio esse immemor sui status, aut talis obligationis: tuncque illi sufficiet habere dispositionem quæ per se ad martyrium necessaria est.

11. Sententia affirmans esse per se necessariũ actum charit. De primo sensu quæstionis in præsens sermo est: de quo duæ sunt Theologorum sententiæ extremè oppositæ. Prima affirmat actum amoris Dei super omnia esse per se necessarium ad martyrium adultorum, vt consequantur eius effectum. Ita docet non obscurè Sanctus Thom. quæst. 124. art. 2. vbi in secundo argumento sibi objicit martyrium esse potiùs actum charitatis, quàm fortitudinis, quia actus laudabilis, ad illam virtutem præcipuè pertinet, quæ ad ipsum inclinat, & quæ ab ipso manifestatur, & sine qua ipse non valet. Sed ad martyrium præcipuè inclinat charitas; iuxta illud S. Maximi, *Charitas Christi in martyribus suis vincit.* Maximè etiam charitas per actum martyrij manifestatur, secundùm illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et sine charitate martyrium nihil valet, secundùm illud 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Respondet autem S. Thomas in solutione secundi, hunc in modum, quo clarè significat martyrium adultorum debere esse actum charitatis vt imperantis, & sine illa non habere effectum in adultis. *Ad actum martyrij,* inquit, *inclinat quidem charitas, sicut primum & principale motiuum, per modum virtutis imperantis: fortitudo autem, sicut motiuum proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde est quòd martyrium est actus charitatis vt imperantis: fortitudinis autem, vt elicientis. Inde etiam est quòd vtramque virtutem manifestat. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus: & ideo sine charitate non valet.* Hucvsque D. Thom. qui 3. p. quæst. 66. art. 12. loquens de baptismo sanguinis, eandem sententiam repetit, & confirmat, cùm sic ait in solutione secundi argumenti: *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si fit sine charitate: ex quo patet quòd baptismus sanguinis includit baptismum flaminis.* Est autem baptismus flaminis iuxta D. Thomam eodem artic. & communem doctrinam Theologorum, actus contritionis, aut amoris Dei super omnia. Et habere rationem baptismi, est valere ad illius effectum, iuxta illud eiusdem S. Doctoris in corp. art. cit. *Effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus sancti, dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquæ.* Et paulò post addit, Virtutem Spiritus sancti operari in baptismo aquæ, per quandam virtutem latentem: in baptismo autem pœnitentiæ, per cordis commotionem: sed in baptismo sanguinis, per potissimum dilectionis & affectionis feruorem, secundùm illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Probatur ex D. Thoma, & alijs Scholasticis.

Idem etiam docent S. Bonauent. in 4. dist. 4. secunda parte dist. quæst. 2. Palud. ibid. quæst. 3. art. 1. Alensis 4. p. quæst. 22. memb. 5. art. 1. Ricard. Durand. Gabriel, Canus, Dominicus Sotus, & alij quos refert & sequitur Vasq. tom. 2. in 3. p. disp. 153. cap. 1. & 2. vbi etiam pro eadem sententia adducit multa Sanctorum Patrum testimonia, Clementis, Cypriani, August. & Bernardi: quibus adde Chrysost. in versum Pauli supra citatum, ex 1. Cor. 13. & Anselmum ad verba illa eiusdem capitis, *Charitas patiens est, benigna est, &c* qui ait Apostolum ita loqui, ac si diceret, sine charitate nihil, licet excellens, prodest: cum charitate verò omnia, licet vilia, prosunt, fiuntque aurea & diuina: si nimirum opera illa, de se vilia, fiant ex charitate, & affectu placendi Deo. *Omnia bona,* inquit, *sine charitate, vilia sunt, & inutilia: sed cum charitate chara sunt, & vtilia.* 12. Et ex Patribus.

Ad idem confirmandum valent ea Scripturæ testimonia, quibus Christus requirit, tanquam necessarium ad effectum martyrij, vt propter ipsum, hoc est, ipsius amore, patienter mors toleretur: Matth. 10. ver. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Marc. 8. ver. 35. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam.* Nec obest quòd alijs quibusdam locis non apponitur ista conditio: vt Luc. 12. ver. 8. *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei;* Et cap. 17. ver. 33. *Quicumque quæsierit animam suam saluam facere perdet illam. Et quicumque perdiderit illam, viuificabit eam.* Nam istæ propositiones generales debent limitari per conditiones alibi expressas à Matthæo, & Marco, atque ab ipso Luca cap. 9. ver. 24. Sicut & ista, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* debet limitari per alias, in quibus aliæ quædam veluti necessaria requiruntur. Neque enim sufficit ad salutem, credere solùm, & baptizari, sine attritione, & alijs necessarijs, quæ alijs locis Scripturæ exprimuntur: vt Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum:* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et ex Scriptura.

Et ratione Theologica. Atque hinc sumitur præcipua ratio huius sententiæ. Quia nimirum pendet à libera Dei voluntate, quem effectum habeat martyrium, & quomodo illum conferat, siue paruulis, siue adultis. Et hæc Dei voluntas non potest nobis constare, nisi per eius reuelationem. Cùm ergo Deus non reuelauerit martyrium prodesse adultis sine charitate, sed potiùs contrarium significauerit, locis modò relatis; non est sufficiens fundamentum id asserendi; maximè cùm Apost. 1. Cor. 13. in eo comparet martyrium cum fide, eleemosyna, & alijs bonis operibus, quæ per se sola sine actu charitatis non habent vim iustificandi: dicátque de martyrio, æquè ac de alijs, quòd sine charitate nihil prosit, id est, non sufficiat ad iustificationem & salutem, *si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

23. Altera sententia negans. Secunda sententia præcedenti opposita est Suaris tomò 3. in 3. partem, disp. 29. Sect. 3. Lessij lib. 3. de virtutibus, cap. 1. dubit. 4. Ægidij Coninck tom. 1. de Sacramentis quæst. 66. art. 12. dub. 2. & aliorum recentiorum, qui affirmant actum charitatis non requiri per se ad martyrium adultorum, & ad eius effectum: sed si quidem ille, cui mors pro fide imminet, est in statu gratiæ, sufficere quòd voluntariè mortem pro Christo acceptet. Sin autem est in statu peccati, sufficere attritionem formalem, aut virtualem, vt per martyrium iustificetur.

Probatur ex D. Thoma. Probant primò ex D. Thoma 3. p. quæst. 87. art. 1. ad 2. vbi affirmat passionem pro Christo susceptam obtinere vim baptismi: & ideo purgare ab omni culpa veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. Si autem martyrium adultorum necessariò prærequireret actum charitatis, non eos purgaret à culpa mortali, sed præsupponeret illam iam esse deletam per actum charitatis, & virtualis, aut formalis contritionis. Neque verè diceret S. Thomas, purgare eo solo quod voluntatem peccato adhærere non inuenit.

24. Et ex Patribus. Probant secundò, quia sancti Patres communiter martyrio tribuunt maiorem vim iustificandi, quàm baptismo. Sed ad baptismum non requiritur actus charitatis vt habeat vim iustificandi: Ergo neque ad martyrium. Minor supponitur ex tract. de baptismo: Maior probatur testimonijs sequentibus: Clemens Rom. lib. 5. Constitut. cap. 7. *Qui martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat quòd tantam coronam adeptus sit, & quòd propter confessionem ex hac vita exeat. Et licet cathecumenus sit, recedat ad Deum lætus. Cruciatus, quo propter Deum afficitur, erit ei verior baptismus: quòd is quidem experientiâ ipsâ mortis commoritur Christo: reliqui verò, mysticâ repræsentatione.* Cyprianus Epist. 73. *Nunquid potest vis baptismi esse maior, aut potior, quàm confessio, & passio, vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* Et August. lib. 13. de ciuit. cap. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum ijs valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Item, Sancti Patres communiter docent peccata mortalia remitti adultis per martyrium. At hoc non esset verum, si martyrium prærequireret necessariò actum amoris Dei super omnia. Minor est clara. Nam cùm amor Dei super omnia habeat vim iustificandi ex opere operantis; si martyrium necessariò præsupponeret hunc amorem in adultis, præsupponeret etiam peccata esse remissa vi illius actus. Maior verò patet ex verbis D. Augustini proximè relatis: quibus adde quod ait ibidem paulò post: *Quid pretiosius quàm mors, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur?* Et apud Cyprianum auctor Sermonis de Stella & Magis, *Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam, vbi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lauacrum animæ sanguinem esse efficacem, quàm sanctificatas verbis solemnibus aquas.* Et Tertull. in fine Apologetici, *Quis non pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat? Vt omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia huic operi delicta donantur.* Vbi nota Patres hanc efficaciam tribuere ipsi actui externo, seu passioni: non autem actui interno charitatis: illámque ipsam passionem externam comparare baptismo, qui iustificat ex opere operato, sine actu amoris Dei super omnia: & ita comparare, vt dicant illam habere parem aut maiorem vim quoad remissionem peccatorum. Nota etiam Patres non distinguere pœnam à culpa, quasi velint passionem externam solùm pœnam remittere. Imò loquuntur etiam de culpa: alioqui malè dicerent passionem habere parem aut maiorem vim remittendi peccata, quàm baptismum, quem certum est culpam omnem cum tota pœna remittere.

Tertiò, Scriptura generaliter sic asserit Matth. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Hoc autem fieri potest sine actu dilectionis Dei super omnia. Et verò, si illa necessaria esset, sæpe dubitari posset an multi, qui pro fide moriuntur, sint verè martyres: temeréque faceret Ecclesia, cùm omnes, de quibus illi constat esse mortuos pro fide, proponit vt Sanctos & verè martyres, prohibétque pro illis orari. Nam multi videntur moueri solùm ex motiuo spei ad martyrium subeundum: vt quadraginta illi martyres sub Licinio passi; præcipuéque custos carceris, qui visis coronis è cœlo descendentibus, se alijs adiunxit. Per illudque motiuum Christus ipse martyres excitat, Matth. 10. ver. 28. sic dicens; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Eodem se Eleazar excitabat 2. Machab. 6. ver. 26. cùm diceret, *Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.* Et mater septem Machabæorum ibid. cap. 7. ver. 28. *Peto nate vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Non essent autem

25. Confirmatur ex Scriptura.

Martyrium æquiualet baptismo.

huiusmodi motiua proponenda martyribus, sed potiùs ab eorum cogitatione auocandi essent, vt toti incumberent in motiuum charitatis, & amorem Dei super omnia, si ad martyrium cum fructu subeundum esset planè necessarius.

26. Et ratione Theologica. Denique, si martyrium non haberet per se vim remittendi peccatum, & iustificandi, non prodesset paruulis ad hunc finem: quia non sunt capaces actus dilectionis. Neque dicas prodesse illis ex priuilegio. Nam priuilegium annexum martyrio, non est concessum intuitu personæ, sed causæ. Non potest etiam dici quòd nomine martyrij adultorum comprehendatur actus dilectionis, velut illius pars. Nam alioqui martyrium paruulorum esset tantùm imperfectè & analogicè martyrium: nec vllibi esset verum martyrium, vbi non est ille actus. Sicut nullibi est verus homo, sine anima rationali.

27. Præfertur sententia affirmans. Vtraque istarum sententiarum est valde probabilis. Prior tamen probabilior esse mihi videtur, præcipuè propter auctoritatem D. Thomæ, & veterum Theologorum, apud quos est communior, ac sine dubio est tutior in praxi. Non superat tamen probabilitatem, quia illius argumentis non est difficile satisfacere probabiliter. Ad primum dici potest Sanctos Patres, cùm aiunt martyres debere mori propter Christum, sumere particulam *propter*, eo sensu quo dicemus paulò post, explicando loca Scripturæ. Eius tamen argumenta non conuincunt. Cùm autem dicunt martyrium esse maximum signum amoris erga Deum, loquuntur de martyrio provt frequenter, non autem provt semper & necessariò fit. Cùm denique dicunt non prodesse sine charitate, intelligunt vel actuali, vel habituali; simili modo quo Apostolus, de quo paulò post. Difficilior est locus Bernardi Epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore, vbi ait, non aliunde martyrium nisi ex fidei, viuæ scilicet, merito, illam obtinuisse prærogatiuam, vt singulariter vice baptismi securè suscipiatur. Neque satisfacit quod respondet Ægid. Con. tom. 1. de Sacram. quæst. 66. art. 12. num. 152. Bernardum exponi sic posse, vt per fidei meritum intelligat non actum internum fidei viuæ hominis mortem patientis, sed dignitatem fidei, cui morte sua testimonium perhibet. Ita vt solùm velit hoc priuilegium martyrio concessum fuisse propter honorem quem exhibet fidei, cuius clarissimum, & honorificentissimum testimonium est: siue, vt paulò ante ibidem ait, martyrium habere hanc vim ex merito fidei, *quia est summa probatio fidei. Pœna enim sine fide, nihil est aliud nisi pœna*: id est, nisi propter odium fidei inferatur, eiusque causâ fideli animo suscipiatur. Non satisfacit, inquam: quia huic expositioni obsunt verba immediatè præcedentia, & sequentia, quæ sic habent: *Saluatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confessionem: & cum Saluatore damnabitur?* Vbi manifestè de actu fidei interno, & externo sermo est. *Pro certo, cùm non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogatiuam, vt singulariter vice baptismi suscipiatur: non video cur non & ipsa æquè, & sine martyrio, apud eum tantumdem possit, cui & sine martyrij probamento proculdubio innotescit.* Vbi etiam de actu fidei sermo est, & quidem viuæ, id est, formatæ charitate, sine qua certum est non habere vim iustificandi extra martyrium, & extra Sacramenta. Qui actus Deo per se notus est, sine ipsius probatione, & manifestatione per martyrium: hominibus autem, qui cor non intuentur, per illud innotescit. Quare satius est fateri Bernardum quidem ita sensisse: sed eius assertionem non adimere probabilitatem contrariæ sententiæ.

Ad secundum responderi potest probabiliter, particulam *propter Christum*, non significare in rigore, *ex amore Christi*. Dicitur enim in vulgari sermone mori propter Principem, qui moritur ob fidem illi datam, fortiter eius causâ pugnando: quamvis non eius amore id faciat. Tametsi magis propriè dicitur propter aliquem operari, vel pati, qui illius gratiâ & amore ducitur. Ad tertium responderi quoque potest verosimiliter, Scripturam alijs locis, pro secunda sententia allatis, significare martyrium sine actu charitatis sufficere: & Apostolum 1. Cor. 13. velle solùm, ea quæ ibi commemorat, non prodesse sine charitate actuali, vel habituali, præcedente, vel concomitante, aut naturâ posteriùs subsequente: id est, nisi fiant ex charitate, aut cum charitate, vel ad illam nos perducant, vt Cornel. ibidem, & alij exponunt. Alloquitur enim Corinthios, apud quos erant graues dissensiones, quique alia quædam magni faciebant, & charitatem non satis æstimabant: cuius excellentiam & necessitatem vt illis commendet, atque à dissensionibus auocet; affirmat esse virtutem omnium maximam; & sine illa, reliqua non prodesse, adeóque maximè omnium procurari, & conseruari debere. Sicut tamen eleemosyna, & alia bona opera, facta ex gratia præueniente, prosunt quatenus vel disponunt ad iustificationem, vt in peccatoribus; vel merentur augmentum charitatis, vt probabiliter fit in iustis: sic martyrium, &c. 28.

29. Neque argumenta sententiæ negantis. Ad argumenta verò secundæ sententiæ sic responderi potest. Ad primum: D. Thomas ibi loquitur de eo, qui priùs mortem conuenienter, & sicut oportet, acceptauit. Loquitur enim de illo, qui in somnis occiditur, præuisâ nimirum & acceptatâ morte, alioquin sine attritione, & sine vllo suo actu iustificaretur per martyrium, vt paruuli: quod falsum esse docent ipsimet aduersarij. Ad secundum: Patres loquuntur de martyrio suscepto vt par est ab adultis: id est, non de sola passione externa, sed scienter & liberè propter Christum, Deique amore susceptâ. Sic autem meritò extollunt martyrium supra baptismum, propter excellentiam effectus: quia non minùs plenè remittit peccata, & multò maiorem gratiam confert. Vnde coluntur omnes martyres vt eximiè sancti. Meritò etiam dicunt per martyrium tali modo susceptum, culpam totam cum pœna remitti, partim vi actus dilectionis, partim vi externæ passionis. Ad tertium: Promissio illa generalis limitatur alibi in Scripturæ locis relatis pro sententia præcedenti. Ecclesia verò non proponit vt martyres, nisi quos facta diligenti inquisitione constat mortem pro Christo, vt par est, obijsse. In quo prudenter dijudicando

regitur à Spiritu sancto. Et hoc cognoscit vel per testium fide dignorum relationem, qui martyrum verba amoris Dei plena audiuerunt; vel etiam per miracula, quibus Deus eorum mortem illustrem facit. Vt contigit quadraginta illis martyribus sub Licinio passis: quando illis combustis, eorum reliquiæ, proiectæ in confluentem, mirabiliter vnum in locum confluxerunt, saluæque & integræ repertæ sunt indicio lucis cœlestis; vt refert S. Basilius in oratione quam in eorum laudem scripsit. Potéstque hoc argumentum retorqueri in aduersarios, qui non dicunt esse certum, sed tantùm probabilius, non requiri actum charitatis, saltem in peccatore, vt iustificetur per martyrium: fatentúrque requiri vt minimùm attritionem formalem, aut virtualem. Quo posito, debet constare Ecclesiæ an fuerint attriti de peccatis: imò etiam contriti: vt certò possint proponi tanquam martyres & sancti.

30. Idcirco autem Christus profert alia motiua, quia solent homines sensim ab alijs actibus spei, timoris, & similibus, promoueri ad actum altiorem amoris Dei super omnia, vt docet Trident. Sess. 6. cap. 6. & D. Thom. 3. p. quæst. 85. art. 5. Neque tunc Deus suis athletis deest, vt eos ad amorem sui prouehat; ad quem etiam martyrem excitat rerum status, in quo est, cùm omnia terrena propter Deum, & vita ipsa, sunt ei deserenda. Quare non est credibile vllum, pio & sincero affectu ductum, mori pro Christo sine tali dispositione. Ad quartum dico martyrium, sicut & baptismum, plus requirere in adultis, quàm in paruulis; licet priuilegium tantam conferendi gratiam, & remissionem peccatorum plenissimam, non habeat intuitu personæ, sed causæ. Non dicimus autem dilectionis actum esse illius partem: sed esse dispositionem necessariam adultis ad illius effectum: sicut intentio recipiendi baptismum, & attritio de peccatis commissis, non est pars baptismi; sed conditio, vel dispositio necessaria in adultis ad ipsius valorem, aut effectum: sine qua tamen valet & operatur in paruulis.

SECTIO IV.

Quem effectum habeat martyrium, & quando illum conferat?

31. Status quæstionis. PRæcipua difficultas est, vtrum martyrium conferat gratiam vi sua & ex opere operato, instar Sacramenti: vltra meritum patientis, id est, supra id, quod respondet actui charitatis ex opere operantis, vel alijs actibus meritorijs.

Negant Alensis 4. p. quæst. 22. memb. 5. art. 1. Bonauent. in 4. dist. 4. parte 2. dist. quæst. 2. & Armacan. lib. 8. de quæst. Armen. cap. 37. in fine. Fundamenta præcipua huius sententiæ hæc sunt. Primò, quia talis effectus nullibi in Scripturis sacris promittitur martyrio. Non debet autem sine Dei promissione gratis & temerè asseri. Secundò, quia martyrium non est Sacramentum. Conferre autem gratiam ex opere operato, est proprium Sacramentorum nouæ legis. Tertiò, sicut Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, nisi postquam sunt consummata, & perfecta essentialiter; quia aliter non habent virtutem operandi, quippe quæ toti Sacramento indiuisibiliter conuenit, & est virtus totius: Ita martyrium deberet esse consummatum, priusquam gratiam conferret ex opere operato. Atqui non consummatur nisi per mortem. Ergo martyr deberet priùs esse mortuus, quàm gratiam martyrio respondentem acciperet. Atque ita post hanc vitam reciperet gratiam, vel illius augmentum: quod est falsum, & absurdum.

Contraria & vera sententia est communis Theologorum, adeóque certa, vt prior sit planè improbabilis. Nam Ecclesia colit indifferenter, vt verè martyres, & eximiè sanctos, omnes infantes ab Herode occisos propter Christum. Ergo censet illos fuisse vi martyrij partim ad maiorem gratiam euectos, partim etiam primò iustificatos: vt nonnullos ante diem octauum, circumcisioni destinatum occisos, neque alio medio sanctificatos: præsertim verò natos ex parentibus Infidelibus & Gentilibus, qui tunc Iudæis permixti erant, & quorum infantes simul cum alijs indiscriminatim iussu Herodis occisi fuerunt. Iussit enim occidi omnes à bimatu & infra. Adde quòd Ecclesia, & Sancti Patres eos laudant vt martyres, & eximiè sanctos, sequentes agnum quocumque ierit; non quia circumcisi erant, sed quia pro Christo occisi sunt. Ergo censent eximiam illam gratiam non vi circumcisionis, sed vi martyrij collatam illis fuisse: ac proinde ex opere operato: non autem ex merito patientis, cùm merendi incapaces fuerint, nihilque aliud quàm mortem perferre potuerint, vt docent Sancti Patres, & affirmat Ecclesia in officio de Sanctis Innocentibus. Quo argumento refelluntur qui dicunt infantes illos habuisse vsum rationis miraculo acceleratum. 32. Martyriũ confert gratiam paruulis ex opere operato.

Secundò, quod attinet ad adultos, probatur quia Ecclesia & Sancti Patres censent omnes verè martyres esse eximiè sanctos; & liberos ab omni culpa, & pœna, statim in cœlum recipi: Vnde Ecclesia non vult pro illis orari post mortem: quia, vt ait S. August. Serm. 17. de verbis Apost. & post illum Innocentius III. *cap. Cum Marthæ, de celebratione Missarum.* §. *vltimo. Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre: cùm ipsi potius orandi sint, vt pro nobis orent.* At hoc non esset verum, si martyrium non maiorem conferret effectum, quàm qui respondet operi operantis. Fieri enim potest vt martyr antea multa peccata commiserit (sicut olim multi tyrannorum ministri, qui visâ martyrum constantiâ conuertebantur, & statim pro fide moriebantur) neque actus tam feruentes, adeo breui tempore, exercuerit, vt sufficiant ad delendum omnem pœnæ reatum. Quare imprudenter faceret Ecclesia prohibens pro eiusmodi orari, & sine sufficienti fundamento crederet illos fieri ab omni pœna liberos. 33. Atque etiam adultis.

Tertiò, si martyrium non confert gratiam ex opere operato, parem haberet gratiam qui Confirmatur.

æquè efficaciter mortem optaret, quamvis reipsa non occideretur pro Christo. Sed hoc est falsum, & contra sensum Ecclesiæ, quæ singulare aliquid agnoscit in martyribus, ratione ipsius passionis externæ: idémque sentiunt Sancti Patres: vt de Clemente Romano, Cypriano, Tertulliano, Augustino, & Bernardo vidimus Sectione præcedente. Quartò, ijdem Patres comparant, imò præferunt martyrium baptismo, quoad virtutem remittendi peccata, & conferendi gratiam. At hæc comparatio vitiosa esset, & hyperbolica, si martyrium non plus conferret gratiæ, quàm mereatur actus internus patientis: cùm certum sit baptismum vi sua conferre gratiam sine merito recipientis, vel vltra eius meritum.

34. Soluuntur argu. cōtraria. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ, respondeo promissionem illam haberi Matth. 10. ver. 39. Luc. 9. versu 24. & cap. 17. ver. 33. Ioan. 12. ver. 24. alijsque locis quibus Christus singulare aliquid promittit fidei professioni cum morte ipsa coniunctæ, vt intelligunt Sancti Patres locis supra relatis num. 24. præcipuè D. August. lib. 13. de ciuit. cap. 7. vbi probat mortem pro confessione fidei tantum valere, ac baptismum ad dimittenda peccata; quia qui dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. dixit etiam, *Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*; &, *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Singulariter autem loco suprà citato ex Ioan. 12. Christus affirmat quòd, si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. Idque non solùm de seipso, sed etiam de martyribus dixisse ostendunt verba immediatè sequentia, *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Quæ verba, vt rectè notat S. August. tract. 51. in Ioan. à Christo addita fuerunt, vt nos exhortaretur ad passionis suæ sectanda vestigia, spe eximij fructus ex tali morte secuturi.

35. Martyriū non est Sacramentum. Ad secundum, Respondet Maior in 4. dist. 4. quæst. 3. in fine, martyrium esse verè & propriè Sacramentum: neque propterea esse plura, quàm septem nouæ legis Sacramenta, quia martyrium reuocatur ad baptismum, cùm sit baptismus sanguinis. Sed fallitur, quia Ecclesia non aliud agnoscit Sacramentum baptismi, quàm baptismum fluminis, seu ex aqua naturali, & verbis à Christo institutis; vt patet ex Florent. in decreto Eugenij, & ex Trident. Sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, iuncto can. 2. de baptismo. Aliter ergo respondendum est negando maiorem argumenti propositi. Nam martyrio quoque singulariter concessum est priuilegium conferendi gratiam ex opere operato, tam adultis, quàm paruulis. Quamvis propterea Sacramentum non sit, quia non est sacra ceremonia instituta ad sanctificandum, velut signum sacrum & causa instrumentalis gratiæ, applicata religiosè à Dei & Christi ministro, ex intentione faciendi id quod ipse instituit: vt fusiùs dicemus alibi in tract. de Sacramentis in genere. Vide tom. 4. disp. 18. sect. 4.

36. Ad tertium dico, gratiam respondentem martyrio ex opere operato, dari immediatè ante mortem, quando proximè & immediatè futurum est vt vi tormentorum anima separetur à corpore. Quandonam detur gratia vi martyrij? Quidquid autem sit de compositione continui, déque modo desinendi hominis, siue per instans intrinsecum, id est, per vltimum sui esse; siue per instans extrinsecum, id est, per primum sui non esse: & siue dentur instantia realia in tempore, siue non: existimo dari aliquod tempus post quod totum mors immediatè sequitur, ita vt verum sit hominem nunc non viuere, & toto tempore antea vixisse. Potest autem gratia dari immediatè ante hoc instans, & respondere indeterminatè parti temporis immediatè præcedenti, quamvis non se totâ immediatè præcedat, neque possit quicquam illius assignari præcisè, quod se toto præcedat immediatè, si verum est tempus componi ex partibus semper diuisibilibus. Non est etiam improbabile, quod quidam alij dicunt, gratiam illam conferri martyri eo breuissimo tempore mortem præcedente, quo ita affectus est, vt deinceps neque vsu rationis, neque sensibus vti possit. Quia tunc moraliter censetur martyrium esse consummatum, sublatâ maiori & digniori parte vitæ hominis: censetur enim moraliter homo tunc esse mortuus, cùm ampliùs vitam hominis viuere nequeat. Dari autem tale tempus probant, quia maiores dispositiones requiruntur ad vitam rationalem, quàm ad sensitiuam tantùm, & multò magis quàm ad vegetiuam, vt patet experientiâ. Nec obest quòd miraculosè posset Deus hominem in eo articulo positum restituere in pristinum statum. Nam posset etiam mortuum suscitare. Quid autem faceret tali homini, vtrumne illum confirmaret in gratia, vel non: ipse non reuelauit. Probabilius tamen videtur fore vt confirmaret: ne alioqui beneficium restitutionis vitæ, aut valetudinis, eum conjiceret in maximi damni periculum.

Dixi, gratiam respondentem martyrio ex opere operato, dari solùm immediatè ante mortem: nam quæ respondet operi operantis, id est, actibus charitatis elicitis, vel imperatis, datur eodem instanti, quo actus illi meritorij exercentur, vt patet ex dictis alibi de merito, & de augmento charitatis. Exercentur autem actus illi meritorij interdum longè ante mortem, vt per se patet, & confirmatur à D. Thoma, quæst. 124. art. 4. ad 4. cujus verba hæc sunt: *Meritum martyrij non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout scilicet aliquis voluntariè patitur inflictionem mortis. Contingit tamen quandoque quòd aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascunque alias tribulationes continuatas vsque ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide Christi, diu viuat. In quo statu actus martyrij meritorius est, & etiam ipso eodem tempore, quo huiusmodi afflictiones patitur.* 37. Aut vi actuum ipsi coniunctorū.



SECTIO V.

De vitijs fortitudini oppositis, & virtutibus ei annexis.

38. Tria illi opponuntur. Vitia fortitudini opposita tria numerantur & explicantur à D. Thoma quæst. 125. 126. & 127. Nimirum Timiditas, seu ignauia: Intimiditas, seu vacuitas timoris, quam Arist. 3. Ethic. cap. 7. vocat ἀφοβίαν: & temeritas, seu nimia audacia. Timiditas est excessus in timendo pericula & grauia, & defectus in audendo contra illa. Intimiditas est, quando aliquis non timet, id quod secundùm rationem timendum est. Temeritas denique, cùm quis excedit in audendo, & aggreditur quod non conuenit, vel quomodo, aut quando non conuenit.

Non sunt per se grauia peccata. Circa quæ nota primò, hæc vitia non esse grauia peccata per se, sed tantùm ratione grauis alterius peccati, quando illius causa sunt: vt si metus mortis impellat ad fidem negandam. Quem metum Christus prohibet Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* De quo etiam timore impellente ad faciendum aliquid aliud grauiter prohibitum, vel ad omittendum aliquid grauiter necessarium, intelligendum est illud Apocalypsis 21. ver. 8. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Alioqui enim timere non est per se malum, sed tantùm ratione obiecti, aut excessus: quando non est timendum rationabiliter tale obiectum, vel absolutè, vel quantùm timetur. Imò etiam quando timor ad malum impellit, non tam auget peccatum, quàm minuit, vt bene aduertit S. Thomas quæst. 125. art. 4. Similiter Intimiditas, & audacia, siue temeritas, non sunt graue peccatum, nisi quando grauis mali causa sunt. Vt si miles non timens periculum mortis, exponit se æternæ damnationi: aut nimium sibi confidens conijcit se in extremum vitæ discrimen sine causa: vt solent facere aliqui iactabundi, aut feroces, & præcipites, belluarúmque magis, quàm hominum more pugnantes.

39. Quomodo opponuntur specialiter fortitudini? Nota secundò, hæc vitia non opponi specialiter virtuti fortitudinis, nisi quando aduersantur illius actibus, & obiecto. Alioqui enim pertinent ad vitia virtutibus alijs opposita. Differt autem intimiditas, à temeritate siue audaciâ nimiâ: quia intimiditas non apprehendit, vel non æstimat pericula. Vnde Arist. 3. Ethic. cap. 7. dicit eam oriri à stoliditate animi, & stultitia: Insanus enim, inquit, vel stupidus est, si nihil omnino, neque motus terræ, neque fluctus metuat. At verò audacia, seu temeritas, illa quidem apprehendit & æstimat: sed nimis sibi confidit, & temerè illa aggreditur supra vires, & plusquam recta ratio permittit. Audax enim est, inquit ibidem Aristoteles, qui circa res formidabiles exuperat confidendo. Supra vires, inquam, non modò naturales, sed etiam diuinitus suppeditatas. Neque enim temerarius est, qui aliquid aggreditur supra vires humanas, innixus gratiæ, & auxilio diuino, sibi diuinitus oblato. Oritur autem plerumque hoc vitium à superbia, & iactantia. Rectéque addit ibidem Aristoteles audaces non esse verè fortes: quia, inquit, *Audaces quidem præcipites sunt ante ipsa pericula, & volunt ea: Sed cum in ipsis sunt, tergiuersantur. Fortes autem, in ipsis quidem operibus feruidi sunt: antea verò quieti.* Plura de his vitijs videri possunt apud D. Thom. quæstionibus initio citatis.

Virtutes autem fortitudini annexæ, quatuor recensentur ab eodem D. Thoma quæst. 128. art. vnico: videlicet fidentia seu magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseuerantia. Quam diuisionem sumpsit ex Tullio lib. 2. de Inuent. cap. 2. Ad has verò quatuor reducit plures alias à Macrobio, & Andronico enumeratas. Nam Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis, ponit septem partes fortitudinis: scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Andronicus etiam ponit septem virtutes annexas fortitudini: quæ sunt Eupsychia, Lema (non autem vt corruptè legitur in multis exemplaribus Lenia: Est autem λῆμα Græcè, Latinè animi confidentia, & prompta audacia) Magnanimitas, Virilitas, Perseuerantia, Magnificentia, Andragathia. 40. Virtutes ei annexæ.

Notátque D. Thomas huiusmodi virtutes spectari posse vel prout versantur circa materiam fortitudinis, & formale eius obiectum: & sic vult esse partes integrales fortitudinis, id est, virtutes necessarias ad officium integrum fortitudinis; ex quibus tamen ipse habitus fortitudinis non componitur intrinsecè, in opinione D. Thomæ. Vel secundò, prout versantur circa materiam minùs difficilem, quàm sit materia fortitudinis, in eâque fortitudinem imitantur: & sic dicuntur à D. Thoma esse partes potentiales fortitudinis, quia ipsam imitantur, licet eius perfectionem non assequantur. Priori modo fidentia, seu magnanimitas, & securitas (nam D. Thomas hæc tria sub nomine fidentiæ comprehendit) est virtus quæ in mortis periculis, & alijs grauibus atque arduis & difficilibus aggrediendis, promptum animum præstat. Magnificentia, est strenuitas in executione. Patientia, quæ fortem animum præstat in tolerando. Perseuerantia, quæ facit vt animus grauium aut periculorum diuturnitate non frangatur, neque succumbat. Posteriori modo sumptæ huiusmodi virtutes præstant easdem functiones in alijs quibusdam materijs minùs difficilibus, quàm sint pericula mortis, & alia grauia & difficilia; quæ sunt obiectum fortitudinis. Hæc D. Thomas: qui earundem virtutum naturam satis luculenter exponit quæst. 129. & sequent. ita vt in illis diutius immorari non sit opus. 41.

Tantum aduerto primò, omnes illas virtutes spectatas prout versantur circa obiectum formale fortitudinis, non esse virtutes ab illa distinctas: sed esse habitus partiales, vel actus diuersos, ex quibus intrinsecè componitur tota & integra virtus fortitudinis quæ non est vna simplex qualitas, & vnus physicè habitus; sed vnus tantùm moraliter, coalescens ex multis realiter distinctis, quibus voluntas perfectè disponitur circa obiectum fortitudinis, & ad 42. Quomodo ab illa distinguuntur?

omnes functiones eius proprias. Sunt autem illæ generaliter duæ: quarum vna consistit in aggrediendo: altera, in sustinendo. Ad primam pertinent fidentia, seu magnanimitas, quæ promptum, & magnum animum reddit ad pericula aggredienda: & magnificentia sumpta strictiùs, prout hîc sumitur, pro strenuitate executionis contra eiusmodi pericula. Ad secundam verò pertinet patientia, in eo consistens, quòd mors, morbi, cruciatus, & alia grauia, fortiter ferantur, moderando mœrorem, & alios animi motus, qui ex huiusmodi nasci solent, & animum è recto rationis statu dejicere, atque ad malum incitare. Ad vtramque demum spectat perseuerantia, sumpta pro constantia indesinente & perpetua, siue in aggrediendo pericula, siue in ferendo grauia, prout rectam rationem decet. Consentit Lessius lib. 3. cap. 2. num. 5. vbi docet non omnes prædictas partes esse virtutes distinctas, sed satis esse quod sint actus distincti. Eiusdem enim virtutis est præbere se magnanimum & confidentem in periculis, & securum absque anxietate. Item, eiusdem virtutis est efficere patientem, constantem, longanimem, & perseuerantem, vt homo firmiter adhæreat eius obiecto. Ratio est, quia ad virtutem quamlibet integrè sumptam pertinet, rectè & perfectè disponere hominem circa suum obiectum.

42. Fortitudo versatur etiam circa minus difficilia.

Aduerto secundò, virtutes easdem, spectatas prout versantur circa pericula minora, quàm sint mortis pericula, & alia minùs grauia & molesta, ac denique circa materias, in quibus minus est difficultatis; non propterea esse virtutes specie distinctas à virtute fortitudinis, si versantur circa illas, quatenus decet hominem secundùm rectam rationem huiusmodi aggredi, aut perferre. Ratio est, quia magis aut minùs non variant speciem. Quare quod periculum sit maius, aut minus, vel res grauior aut difficilior, vel minùs grauis atque difficilis, spectata sub eadem ratione formali, quatenus decet hominem eam aggredi, aut subire, non variat speciem virtutis, neque sufficit ad constituendas virtutes totales specie diuersas; sed potiùs ad eandem totalem fortitudinem pertinet rectè disponere hominem circa quævis pericula & difficilia. Licet fortis absolutè non dicatur, qui non aggreditur vel suffert grauiora, & difficiliora: quia ab eo quod perfectius est, sumitur huius virtutis denominatio. Eóque sensu intelligendum est quod communiter dicunt Doctores, obiectum materiale fortitudinis esse pericula mortis, præsertim in bello, & alia difficiliora. Nimirum ea esse obiectum fortitudinis secundùm partem eius præstantiorem, à qua sumitur viri fortis denominatio. Non autem quasi generaliter ad eam non pertineat minora quoque & faciliora propter eandem honestatem & conuenientiam, cum recta ratione aggredi, & subire. Contra vtramque notationem sentit D. Thomas art. vnico quæst. 128. Sed res leuis momenti & Philosophica est, in qua sequi præstat quod rationi magis consentaneum est.


44. Aduerto tertiò, aliter sumi posse magnanimitatem, & magnificentiam: & sic esse virtutes à fortitudine distinctas, illique annexas. Nimirum sumitur magnanimitas pro virtute quæ ad magna, & heroïca, in quolibet virtutum genere inclinat, quia id magno & generoso animo dignum est. Qua de causa Aristot. 4. Ethic. cap. 3. dicit, Viri magnanimi esse quod in quaque virtute magnum est. Et D. Thom. quæst. 134. art. 2. ad 2. *Ad magnanimitatem pertinet*, inquit, *non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari*. Et quia magna virtutum opera sunt magno honore digna; idcirco Aristot. ibidem ait magnanimitatem versari circa magnos honores: non vanos & inanes, sic enim non esset virtus: sed solidos, & in virtute fundatos, digna illis faciendo, neque tamen immoderatè illos appetendo. Quamvis autem singulæ aliæ virtutes possint actus magnos, & heroïcos circa suum obiectum exercere, si sunt intensæ & perfectæ: magna enim charitas ad magna pro Deo vel proximo operanda impellit, & sic de cæteris: differt nihilominus ab illis magnanimitas, ex motiuo formali quod intendit. Hæc enim intendit præcisè honestatem quæ in eo consistit, quòd magno & generoso animo dignum sit magna præstare, & tam excellenter operari. Illæ verò mouentur speciali honestate sui obiecti, Charitatis, Spei, Religionis, &c. quæ honestas actibus quoque vulgaribus, & communibus eiusdem virtutis conuenit: magis enim & minus non variant speciem virtutis. Sic autem sumptæ magnanimitati, opponuntur præsumptio, ambitio, & inanis gloria, per excessum: & pusillanimitas, per defectum. De quibus fusè & perspicuè D. Thomas quæst. 130. & tribus sequentibus.

Magnanimitas quid sit?

45. Quid sit magnificentia?

Magnificentia verò sumitur pro virtute, quæ magnos pecuniæ sumptus, in aliquo splendido opere externo, secundùm rectam rationem insumit, vt ait Aristot. 4. Ethic. cap. 2. vbi addit eam differre à liberalitate, in eo quòd ipsam exuperet magnitudine, & circa magnos sumptus tantùm versetur, vt nomen ipsum præsefert: decentes tamen personæ, obiecto, & alijs circunstantijs; & honestatis causâ susceptos. Hoc enim omnibus est commune virtutibus. Huiusmodi sunt, inquit, impensæ, quæ Deorum, Heroúmque causâ fiunt, extructiones templorum, dedicationes, ac sacrificia, & circa omne diuinum: & ea quæ ad Rempublicam liberaliter & splendidè fiunt, vt ludos publicos exhibere, publicum epulum præbere, magna & splendida ædificia extruere. Eidémque virtuti duo vitia opposita esse dicit. Vnum per excessum, quod vocat βαναυσίαν, id est, indecoram diligentiam in sumptu faciendo: estque immoderata profusio in magnos sumptus; & consumptio contra decorum. Alterum opponitur per defectum, quod vocat μικροπρέπειαν, id est, paruificentiam, quâ quis pro ratione & dignitate operis, nimis parcè sumptum facit, præ animi angustiâ. De quibus vitijs plura D. Thomas totâ quæst. 135. in quibus & similibus explicandis, vtpote claris & facilibus, non lubet immorari. De præceptis quoque fortitudinis sufficiunt quæ diximus n. 38. Plura de illis videri poterunt in textum D. Thom. q. 140.

DISPV.



DISPVTATIO TERTIA.

De Temperantia.

DE Temperantia disputat S. Thomas q. 141. & pluribus sequentibus. Ac primò quæ sit natura, quodve obiectum ipsius exponit. Secundò, quæ vitia illi opponantur. Tertiò, quæ sint illius partes: siue integrales, cuiusmodi sunt verecundia, & honestas: siue subiectiuæ, vt sunt abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia: siue potentiales, & annexæ, quales sunt continentia, humilitas, mansuetudo, seu clementia, modestia, austeritas. Quartò, quæ vitia speciatim his Temperantiæ partibus opponantur. Quintò denique differit de præceptis Temperantiæ, & virtutum illi annexarum. Quæ omnia quoad opus erit, sequentibus Sectionibus breuiter exponentur.

SECTIO I.

Quid sit Temperantia, & quod eius obiectum, actus, habitus, & subiectum?

1. Quid sit Temperantia? TEmperantia dupliciter sumitur. Primò, latè, pro quacunque moderatione seu temperie affectus secundùm rectam rationem: & sic est nomen generale virtutis moralis, cuius officium est medium rationis inter extrema vitiosa tenere, & affectus omnes secundùm rationis præscriptum moderari. Secundò, strictè, pro virtute speciali, & vna de quatuor Cardinalibus, quæ moderatur voluntatem, & appetitum circa delectabilia secundùm gustum, & tactum, prout rectam rationem decet, ob specialem honestatem, quæ est in tali moderatione. Huius virtutis obiectum Eius obiectum.

materiale sunt ipsa delectabilia gustui & tactui, in cibo, potu, & venereis. Formale, bonitas seu honestas specialis quæ in eo inest quòd homo illis moderatè vtatur, & secundùm præscriptum rationis. Sicut enim specialis honestas est in eo, quòd suum cuique reddatur, quódque nemo iniustè lædatur: sic & in eo, quòd homo rectè ac moderatè se gerat circa delectabilia, non obsequendo sensui, sed rationi.

2. Eiusdem actus. Actus proximi, & immediati huius virtutis sunt recti affectus voluntatis, & moderati circa obiecta delectabilia. Ex quibus frequentatis gignitur habitus in voluntate, qui solus est propriè virtus habitualis naturalis temperantiæ: eiusque subiectum est voluntas sola, quippe quæ sola tendit in honestum temperatum, quà tale: non autem appetitus inferior & sensualis. Mediati verò actus, & imperati sunt appetitio moderata partis inferioris concupiscibilis circa delectabilia: atque etiam vsus externus moderatus circa eadem ita vt modum non excedat, sed talis sit, qualis virum temperantem decet. Quæ omnia liquent ex dictis superiori Disputatione Sect. 1. Nam quæ ibi diximus de fortitudine, debent cum proportione applicari temperantiæ. Sicut enim se habet fortitudo, circa ardua & difficilia; sic temperantia, circa delectabilia.

3. Circaque delectabilia versetur? Quæres, cùm alia multa sint delectabilia, præter ea quæ sunt gustus & tactus: nam aliorum omnium sensuum externorum aliqua sunt delectabilia: auditus enim delectatur circa sonos; visus, circa lumen, colores, & figuras: olfactus, circa odores. Appetitus quoque sensitiuus habet peculiares delectationes erga res sibi conuenientes, cognitas vt tales per notitiam æstimatiuam sensus interni: & anima rationalis, quà spiritalis est, percipit spiritalem delectationem ex veritatis contemplatione, & rerum curiosarum, vel abditarum notitiâ, virtutum exercitio, & similibus. Cùm igitur tam multa sint alia delectabilia, in quibus non minùs est opus moderatione iuxta præscriptum rationis, estque honestas specialis in eorum affectu & vsu moderato: cur temperantiæ virtus restringitur ad sola delectabilia secundùm gustum & tactum?

Prima sententia. Respondet Valent. tom. 3. disp. 9. quæst. 1. de Temperantia Punct. 1. rationem huius rei esse, quia virtus moralis non versatur per se nisi circa eas actiones, quæ secundùm se habere possunt rationem bonitatis, aut malitiæ moralis. Appetiones autem, vel actiones circa delectabilia aliorum sensuum, non habent rationem bonitatis, aut malitiæ moralis, nisi aliquando per accidens, quatenus nimirum referri possunt ad appetitiones, siue actiones circa delectabilia tactus, vel circa obiecta aliarum passionum. Quo fit vt illarum etiam moderatio non nisi per accidens, & ex consequenti pertineat quandoque ad virtutem temperantiæ, vel ad aliquam aliam virtutem moralem circa passiones alias, siue operationes. Appetitiones verò circa delectabilia secundùm tactum, per se possunt habere bonitatem, vel malitiam moralem, vt patet ex diuina, & naturali lege, atque etiam humana, iubente vel prohibente per se huiusmodi appetitiones, & actiones. Quapropter necessaria est aliqua virtus, nimirum temperantia, quæ per se moderetur eiusmodi appetitiones & actiones, in eáque re superet difficultatem, & conciliet homini laudem. Posita verò moderatione in huiusmodi passionibus, quæ sunt primæ & potissimæ, facilè quoque adhibetur moderatio in alijs passionibus, & actionibus hominis. Ideóque temperantia conducit ex consequenti ad moderationem reliquarum. Hæc Valentia.

Sed contra: primò, non est verum quòd ait, 4. Refutatur.
alias appetitiones, vel actiones circa alia delectabilia, non habere per se bonitatem, vel malitiam moralem: quatenus sunt per se conuenientes, vel disconuenientes rectæ rationi, æquè ac actiones, vel appetitiones circa delectabilia gustui, & tactui. Etenim sicut per se conueniens est rectæ rationi moderatè vti cibo & potu: & è contrario, excessus est per se disconueniens & vitiosus: sic & moderatè vti ludo, & temperare delectationem circa musicam, circa spectacula, circa odores, circa res nouas & curiosas, & alia huiusmodi; atque ea non nimis studiosè sectari, aut illis nimiùm affici. Secundò, sicut lex diuina per se prohibet delectationem nimiam in cibo & potu: prohibet etiam excessum in ludo, & alijs delectationibus. Et quidquid est per se contra rectam rationem, est etiam per se contra legem naturalem, quæ præcipit viuere secundùm rationem; & contra legem diuinam positiuam, quâ stabilitur & confirmatur tota lex naturalis. Tertiò, licet domitis ac moderatis potissimis passionibus, faciliùs possint aliæ temperari, in quibus est minus difficultatis: falsum tamen est passiones circa tactum esse in omnibus maximas. Aliqui enim, licet pauci, non tam illis mouentur, quàm alijs delectabilibus venatione, ludo, spectaculis, honoris appetitu, & voluptate de illius exhibitione, lectione vel auditione, & colloquio rerum curiosarum, &c. Deinde quamvis illæ communiter potissimæ sint, & difficiliùs temperabiles: aliæ tamen sunt quoque temperandæ; & in illis moderandis prout rectam rationem decet, specialis honestas est, vitando excessum, vbi is vitiosus esset. Atque hæc est ratio formalis obiecti temperantiæ, siue honestas specialis, quam illa prosequitur: non autem difficultas, quæ per se non est appetibilis, neque bona & honesta. Quare licet difficultas tanta communiter non sit in prosequenda honestate moderationis circa alia delectabilia: id non impedit quin pertineat ad aliquam virtutem, atque ad ipsam virtutem temperantiæ, cuius obiectum materiale potest facilè complecti omnia delectabilia; formale autem, honestatem specialem, quæ est in illis secundùm rectam rationem vsurpandis.

Aliam rationem reddit Lessius lib. 4. de vir- 5.
tutib. cap. 1. num. 4. vbi ait Temperantiam pri- Altera
mariò versari in voluptatibus gustus & tactus sententia.
moderandis: quia hæ vehementissimæ sunt, & à ratione longissimè abducunt. Sunt enim nobis cum bestijs communes, & eâ parte, quâ cum illis conuenimus, percipiuntur: vnde

etiam maximè turpitudinem & dedecus coniunctum habent, cùm similes brutis faciant. Quare maximè necessaria fuit virtus, quæ has frænaret; & secundùm rationis præscriptum (quæ humanarum actionum est mensura) vt homine sint dignæ, moderaretur. Secundariò tamen versari etiam in moderanda oblectatione aliorum sensuum: nimirum quatenus illorum obiecta ad voluptatem tactus, vel gustus mediante imaginatione incitant. Eiusdem enim virtutis est moderari finem, & ea quæ sunt ad finem.

Non satisfacit. Sed quod attinet ad vehementiam passionum, & difficultatem maiorem quæ est in illis moderandis, iam ostensum est non propterea debere alias excludi ab obiecto primario, & per se, virtutis temperantiæ: cùm sit per se honestum illas quoque moderari, & vitare in illis quidquid rectam rationem dedecet. Secundò, delectationes plurimæ aliorum sensuum nobis cum brutis communes sunt, & illis similes reddunt. Nam animalia multa delectantur sono, non tantùm sibi similium, & propter copulam, vt malè supponit Lessius ibidem num. 3. sed etiam dissimilium: vt equi, sono tubæ: lusciniæ, musicâ, aut lyræ cantu. Tertiò, non tantùm delectationes nobis cum bestijs communes, sunt per se capaces excessus vitiosi, aut defectus: sed & aliæ hominis propriæ, sunt similiter capaces excessus, aut defectus, & rectæ moderationis, quæ potest esse obiectum alicuius virtutis; & videtur habere honestatem formalem obiecti temperantiæ, adeóque ad illam primariò & per se pertinere. Nec obest quòd in ea non sit tanta difficultas communiter. Quia virtutes & vitia habitualia acquiri possunt circa obiecta minùs difficilia: imò & circa illa ad quæ sit magna propensio à natura. Sicut propensi ad gulam, vel ad luxuriam, ex naturali complexione, fiunt tamen per actus iteratos magis gulosi & luxuriosi, acquirendo habitus quibus augetur mala inclinatio.

6. Vera sententia. Propter hæc censeo de temperantia philosophandum esse, vt supra dixi de fortitudine. Nimirum temperantiam versari quidem circa delectabilia gustui, & tactui, in cibo, potu, & rebus venereis, vt circa materiam communiter maximè difficilem, à qua præcipuè sumitur temperantis denominatio; sicut denominatio fortis, ab aggressione, vel tolerantia periculorum, aut tormentorum mortis, & aliorum id genus difficiliorum: Sed nihilominus temperantiæ virtutem latè & adæquatè sumptam complecti posse omnia delectabilia, provt secundùm rectam rationem sunt moderabilia, ob specialem honestatem in eo elucentem: sicut fortitudo adæquatè sumpta, complectitur etiam pericula, & mala minora, & faciliora, quatenus sunt aggredienda vel toleranda iuxta præscriptum rectæ rationis.

Solutio argumentorum. Nec obest quod opponit Lessius lib. 4. cap. 1. num. 3. Neminem dici temperantem, aut intemperantem, eò quòd huiusmodi oblectationes circa visum, auditum, veritatis contemplationem, scientiam & notitiam rerum curiosarum, honoris adeptionem, & similia, moderatè, vel præter modum quærat: sed dici tantùm curiosum, vel ambitiosum, vel alio nomine, vt ait Arist. 3. Ethic. cap. 10. Respondeo enim, talem vulgò quidem non dici temperantem, aut intemperantem, ob restrictionem harum vocum ad delectabilia secundùm gustum, & tactum: Philosophicè tamen temperantem, vel intemperantem esse, ac dici posse, quatenus voluptatem ex alijs rebus perceptam moderatè, vel immoderatè sectatur; & amplectitur per se specialem honestatem quæ est in tali moderatione, vel ab ea deflectit ad oppositum. Addo non rarò dici intemperantes, eos etiam qui in rebus spiritalibus sensibilem quandam suauitatem nimium sectantur, & pluris æstimant, quàm par sit, solidæque virtuti præponunt. Quod etiam Lessius fatetur ibidem; sed vult impropriè & metaphoricè sic dici. Par tamen ratio est, loquendo Philosophicè, vt censeantur intemperantes, sicut illi qui nimis voluptatem in gustu & tactu sectantur.

Quæres secundò, quomodo passiones appetitus sensitiui reducantur ad mediocritatem, si in appetitu sensitiuo propriè non est virtus nec fortitudinis, nec temperantiæ, vt alibi probauimus? Respondeo id fieri multipliciter. Primò enim, factâ mutatione in sensu ipso interno, quem sequitur appetitus sensitiuus, fit quoque mutatio in motibus appetitus. Mutatio autem in sensu fit sæpe secundùm Physicas mutationes, & secundùm ætates: iuxta illud 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Item, mutatur sensus, & æstimatio, seu vis æstimatiua, consuetudine: quâ & ea quæ pretiosa habebantur, vilescunt; & quæ dura erant, aspera, & molesta, minùs sentiuntur. Sic assuetudine lenitur asperitas laboris, & aliarum molestiarum. Mutato autem sensu, fit mutatio in appetitu; qui consequenter multa non fugit, quæ fugiebat antea; & multa non quærit, quæ olim quærebat: imò interdum amat, quod oderat; & odit, quod amabat. Atque vt nonnunquam mutatio in sensu est temporaria, ex febri, vel frigore, vel humiditate extraordinaria & breui, vel alia simili de causa; interdum verò constans, vt ex qualitate constanti & firma: sic mutationes in appetitu consequentes, parem recipiunt varietatem. Vnde senes v. g. qui multorum delectabilium sensum amiserunt, non habent eorundem appetitum. At sensu non mutato, manet idem appetitus. Quocirca senes illi qui adhuc quarundam puerilium delectationum sensum naturaliter retinent, habent quoque earundem appetitum.

7. Quomodo passiones appetitus sensit. reducuntur ad mediocritatem?

Mutato sensu mutatur appetitus.

Cùm itaque sensus, etiam secundùm se, ita mutetur, & appetitus illum sequatur: contingit vt appetitus non constanter amet id, quod æquè amabile est; vel non oderit constanter id, quod est æquè odij materia. Simpliciter enim in obiecto nulla fit mutatio: eodémque modo obiecta se haberent ad sensus, & passiones appetitus, si sensus & appetitus essent dispositi sicut antea. Mediocritas verò passionum magis consistit, & frequentiùs, in negatione, quàm in aliquo positiuo & affirmatiuo. Nimi- 8.

Mediocritas passionũ in quo consistat?

rum quando passiones sunt tam remissæ, vt parum aut nihil morentur vim mentis & rationis; dicuntur moderatæ. Non autem quòd rectam quandam regulam veri iudicij rationalis sequantur. Neque hoc mirum est; cùm appetitus natus non sit sequi iudicium rationis, sed sensus. Appetitus autem, cum sensu, cui adhæret, minimè subest rationi, & voluntati; sed naturaliter & impetu quodam fertur in obiectum pro magnitudine sui gradus.

9. Appetitus sensit. acquirit habitus. Secundò, licet appetitus & sensus non subsint rationi, & voluntati despoticè: tamen ob sympathiam naturalem, & connexionem, vel identitatem ex parte, operantur simul, & afficiuntur connaturaliter circa idem obiectum. Vnde etiam fit, vt quando intellectus & voluntas acquirit habitum circa obiecta sensibilia temperata, vel fortia: sensus internus, & appetitus sensitiuus circa eadem se exercens, & maioris inclinationis acquirendæ capax, vt experimur etiam in belluis, habitum similem acquirat, quo promptior reddatur & procliuior ad eadem obiecta.

Moderatio appetitus ex parte obiectorũ. Tertiò, est & alia causa mutationis tam in sensu, quàm in appetitu: non tam secundùm actum primum, siue potentiam; quàm secundùm operationem, quæ vocatur actus secundus. Videlicet præsentia obiectorum, vel absentia: itémque impedimentum aliquod, vel eius absentia: & commixtio obiectorum. Etenim propter obiectorum absentiam, vel nullus est eorum sensus, vel minor; qui ob præsentiam maior esset, vel maximus. Deinde, impedimentum aliquod præsens, quod vel obiectum reddit impossibile, vel admodum difficile, Dum parit sensum impossibilitatis, aut summæ difficultatis, est ratio vt appetitus sæpe sit nullus: quoniam ad impossibilia, vel admodum difficilia, frequenter non est affectus. Præterea, aliqua ratio boni, vel mali per se multùm moueret, quæ tamen propter coniunctionem aliarum rationum, non adeo mouet, aut penitùs non mouet. Quo pacto magnum delectabile facit vt mors quoque non timeatur, quæ alioqui vehementer timeretur. Et è contrario malum aliquod terribile facit vt aliquod bonum, quod per se valdè placeret, non quæratur, neque appetatur. Sed hæ differentiæ sunt magis secundùm operationem, quàm secundùm proximum principium operationis. Sic autem sæpissime ratio, & voluntas moderantur passiones appetitus; quando vel obiecta remouent, vel opponunt impedimenta, vel faciunt vt sensui appareat aliqua ratio boni, vel mali, propter quam res alioqui de se valde placens, non ita placeat, vel omnino displiceat: aut res de se displicens & exosa, appareat non adeo abhorrenda & fugienda, vel etiam appetenda, aut toleranda. Similia tradit Angestus in Moralib. cap. 12. post textum 2.

SECTIO II.

Quæ vitia opponantur temperantiæ; & quæ virtutes illi annectantur?

10. Duo vitia Temperantiæ opponũtur. Sanctus Thomas quæst. 142. duo vitia ponit Temperantiæ opposita. Vnum per excessum, quod vocat Intemperantiam: alterum per defectum, quod vocat Insensibilitatem, seu stuporem, quando aliquis sic abhorret & fugit gustus & tactus delectationes, vt nolit eis vti, quando, & quantùm, & quomodo rectæ rationi conuenit. Prius vitium communius est, & maximè probrosum, vt docet idem S. Doctor art. 4. eiusdem quæst. Quia maximè repugnat excellentiæ hominis. Versatur enim circa delectationes nobis communes cum brutis, illisque nos assimilat, aut deteriores reddit, quando facit nos ab eiusmodi delectationibus superari; & rationis lumen excæcat, atque hominem hebetat. Quo sensu autem dicatur esse *vitium puerile* ab Aristotele 3. Ethic. cap. vlt. rectè & perspicuè exponit ibidem art. 2. & Less. lib. 4. cap. 1. num. 15. vbi ait ita vocari, quia concupiscentia est similis puero quadrupliciter. Intemperantia est vitium probrosum. Primò, quatenus impetu fertur ad ea quæ oblectant, absque rationis directione, vt pueri solent. Cur vocatur puerile? Secundò, puer si suo arbitrio permittatur, crescit in propria voluntate, magisque in dies fit rebellis. Ita & concupiscentia. Tertiò, puer emendatur, si coërceatur. Sic concupiscentia. Quartò, puer debet viuere ex præscripto Pædagogi: Concupiscentia ex præscripto rationis. Cùm enim homo ita debeat agere, & viuere, vt in eius actionibus & vita non dominetur sensus, sed ratio & mens, cuius est principatus in homine, iure naturæ: propterea non quodcumque bonum sensui appetibile, potest ab homine conuenienter appeti: sed tantùm illud, quod ab homine rationali experi non est indignum, neque inconueniens secundùm iudicium mentis & rationis: siue expetatur propter se, siue propter aliud.

Idem S. Doctor quæst. 143. plures virtutes enumerat veluti partes Temperantiæ, quas ait esse partim integrantes, partim subiectiuas, & partim potentiales. 11. Partes integrantes Têperantiæ. Integrantes vocat illas conditiones, quas necesse est concurrere ad virtutem temperantiæ; siue quæ ad integrum temperantiæ officium exequendum necessariæ sunt. Et has duas tantùm ponit: Verecundiam scilicet, ad fugiendam turpem delectationem: & Honestatem, non generaliter sumptam, sed speciatim, pro amore decoris temperantiæ. Cùm enim sit eiusdem virtutis prosequi bonum, & fugere oppositum: ad temperantiam pertinet amare honestas & conuenientes delectationes, quod facit per honestatem: & fugere turpes atque illicitas, quod præstat per verecundiam. Partes subiectiuæ. Partes subiectiuas vocat diuersas species Temperantiæ; quas quatuor constituit; abstinentiam circa cibum; sobrietatem circa potum; castitatem circa coïtum; & pudicitiam circa tactus, oscula, & similes voluptates venereas. Partes potentiales. Partes denique potentiales appellat

virtutes aliquas, quæ temperantiam imitantur in moderando affectu voluntatis, vel appetitu circa alias delectationes minùs principales, id est, minùs affectum trahentes, & faciliùs moderabiles. Et has quatuor esse dicit: Continentiam, Humilitatem, Mansuetudinem seu Clementiam, & Modestiam. De quibus omnibus earúmque oppositis fusè & perspicuè disserit eâdem quæstione, & pluribus deinceps: in quibus quæ præcipua sunt, & magis necessaria, exponemus sequentibus Sectionibus.

12. Quomodo ad temperātiam pertinēt. Priùs autem aduertendum est, id, quod suprà diximus de similibus partibus fortitudini assignatis à D. Thoma, applicandum esse partibus istis temperantiæ. Nimirum has omnes virtutes, spectatas prout versantur circa moderationem delectationum, præcisè ob specialem honestatem in eo existentem, quòd homo vtatur delectationibus sicut rectam rationem decet, esse veras species, vel actus diuersos ipsiusmet virtutis temperantiæ adæquatè sumptæ. Dixi, *spectatas prout versantur, &c.* quia possunt ex alijs motiuis exerceri, & tunc ad alias virtutes pertinent. Vt cùm aliquis à cibis abstinet vt Deo placeat, vel vt satisfaciat pro peccatis, vel vt habeat vnde eleemosynam largiatur. Quorum primum pertinet ad charitatem erga Deum: secundum, ad virtutem pœnitentiæ: tertium ad misericordiam.

13. Regula temperantiæ in venereis. Aduerte secundò, Regulam temperantiæ in rebus venereis hanc esse, vt extra legitimum matrimonium planè ab illis abstineatur: Et in matrimonio eatenus quisque illis vtatur, quatenus recta ratio dictat esse conueniens ad prolis susceptionem, ad remedium concupiscentiæ, & alios fines matrimonij. De peccatis autem contra hanc regulam admissis per fornicationem, adulterium, aspectus, tactus, oscula, verba obscœna, desideria, & cogitationes morosas, aliáque vitia carnis, dicemus Sect. 9. & seqq. At in cibo, & potu sumendo regula temperantiæ est, vt sumatur quantum est opus ad bonam corporis valetudinem, & idoneam mentis ad suas functiones dispositionem. Hic enim est finis, propter quem cibus & potus est institutus. Quare nec plus, nec alio modo, neque etiam minus sumendum est, nisi maior ratio grauioris mali vitandi, aut maioris boni consequendi, dictet aliter esse faciendum.

Et in cibo, & potu.

Quo modo potest aliquis ad mortem euadendam plus cibi aut potus sumere, quàm alioqui necessarium esset fini prædicto. Et medicinæ causa, quando id necessarium est, potest ex præscripto medicorum sumere inordinatè & copiosè varia edulia ad vomitum excitandum: aut vinum generosum bibere vsque ad ebrietatem, contra venenum frigidum, aut graue aliud malum: vt fusiùs docet & probat Less. cap. 3. dub. 3. num. 43. & dub. 4. num. 37. post Caietanum, Syluest. Nauarrum, & plures alios citandos inferiùs n. 72. Contrà etiam, potest ad satisfaciendum pro peccatis, vel ad carnem magis domandam & subjiciendam rationi, vel ad meliùs vacandum contemplationi, alióśque fines bonos, abstinere à cibo & potu alioqui moderato: vt fit per abstinentiam strictè & magis propriè sumptam, quæ est vsus minoris cibi in quantitate, aut qualitate, quàm ratio temperantiæ per se postulat: & per ieiunium, quod iuxta modum loquendi Scripturæ, Daniel. 10. ver. 3. & 1. Reg. 14. ver. 24. alijsque locis, & iuxta sensum atque vsum Sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ, continet rationem victus duriorem, & abstinentiam longiorem; in eo consistentem, quòd à quibusdam ciborum generibus abstineatur, & semel tantùm, ac seriùs refectio sumatur, prout Ecclesiæ consuetudine receptum est. De vitijs autem, & peccatis contra huiusmodi regulam admissis per abstinentiæ & ieiunij præcepti violationem, pérque gulam, & ebrietatem, dicemus inferiùs Sect. 4. & sequentibus.

Licitè aliquando prætermittitur, per excessum.

Et per defectū.

14. Aliqui eius actus sunt necessarij, alij supererogationis. Tertiò denique, aduertendum est virtutum prædictarum actus aliquos esse tantùm consilij & supererogationis: aliquos verò, necessitatis & præcepti. Exempli gratiâ, virginitas, aut castitas, sumpta pro cœlibatu & abstinentia à coniugio legitimo, consilij tantùm est, vt docet Apost. 1. Cor. 7. v. 25. Exceptis illis, qui spontè voto se ad illam adstrinxerunt. Ieiunia quoque alia sunt voluntaria, & alia præcepta, quæ cùm franguntur, probabilius est toties peccari, quoties eo die comeditur vltra vices lege ieiunij aut consuetudine concessas: Licet hæ omnes sumptiones cibi prohibitæ & vitiosæ, per modum vnius peccati mortalis accipiantur, extensiuè tantùm maioris, aut minoris, neque soleat earum numerus in confessione exprimi. Similiter abstinentia à carnibus alia est voluntaria, ex deuotione suscepta: alia ex præcepto, & necessaria: à qua tamen excusat impotentia certa, vel euidens: in dubio autem est opus dispensatione. Item, quidam sunt actus materiales prædictarum virtutum boni & honesti, non ex propinquo obiecto, sed aliunde; vt abstinere à quibusdam iucundis & delectabilibus non illicitis, aut subire molesta & dura. Hi enim actus ex huiusmodi obiectis tantùm, non sunt boni: sed vel indifferentes, vel à natura magis alieni. Possunt tamen esse optimi aliunde. Nimirum si fiant ad satisfaciendum Deo, ad vincendam inclinationem nimiam sensus erga delectabilia, vel auersionem à molestis: quæ inclinatio, & auersio plurimùm sæpe virtuti officiunt. Sic etiam abstinentia à coniugio legitimo, nisi aliò referatur, non per se adeo magna virtus est, sed relata ad finem vacandi Deo liberè & expeditè, ex quo præstantiam virginitatis sumit D. Thomas quæst. 151. art. 4. post Apostolum 1. Cor. 7. vel ad vincendam carnis rebellionem circa voluptates venereas, aut expeditiùs incumbendum scientiarium studio, & alios bonos fines.

15. Id ostenditur de actibus humilitatis. Idem dico de humilitate. Sunt enim quidam humilitatis actus necessarij, quibus in suo quisque gradu consistit. Sunt & alij actus per se non necessarij, nec semper boni, per quos aliquis infra suum gradum se demittit: qui si fiant ad vincendum immoderatum excellentiæ nimiæ appetitum, quo multi feruntur; vel ad satisfaciendum Deo, vel homini, per sui demissionem alioqui non necessariam; sunt valdè boni: non tamen simpliciter & in omni casu: vt si fiant in detrimentum Charitatis, Iustitiæ,

Religionis, vel alterius virtutis. Sicut è contrario, non est per se malum quærere veram famam & honorem ad bonos fines: quamvis enim honor mundanus non sit propter se expetibilis, cùm sit res adeo leuis, & incerta, & fallax: valet tamen ad multa, propter quæ potest expeti: & Deus inter alia beneficia sua Dauidi collata, commemorat *nomen grande*, *Fecique tibi*, inquit, *nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra*, 2. Reg. 7.

16. Notanda de abstinentia. Idem prætereà dicendum est de abstinentia à cibo, & potu, & vestitu, & cubitu, & habitatione, deque tota austeritate vitæ, & consectatione molestiarum. Hi enim actus si fiant cum ratione vera, ad punienda peccata, vel ad sensum dolori & molestiæ assuefaciendum propter virtutem veram, vel ad malas inclinationes frangendas; sunt valde boni, dummodo discretè & vtiliter fiant. Per se verò boni non sunt, & meliora interdum impediunt, quando sine discretione, & cæco impetu exercentur. Quique illis valde incumbunt debent duo cauere vitia; impatientiam, & superbiam: vt post Gregorium Magnum 3. parte Pastoralis, admonit. 20. obseruant. Less. lib. 4. cap. 2. dub. 1. & Dicastill. lib. 1. disputat. 3. dubit. 7. num. 72. Impatientiam, quia abstinentia facit biliosos, accendendo humores, & corpus exsiccando. Superbiam, quia tales magni fieri solent ab hominibus; eò quòd magna, & insignis abstinentia, est res valde difficilis, & sanctitatis eximiæ speciem præ se fert, exteriùsque omnibus apparet.

SECTIO III.

De speciebus Temperantiæ in particulari: & primò de Abstinentia.

17. Quid sit Abstinētia? Abstinentia definitur à D. Thoma quæst. 146. art. 1. Subtractio ciborum secundùm rationem regulata, & in eo consistens, quòd homo à cibis abstineat prout oportet pro congruentia hominum cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. Hæc autem subtractio dupliciter fieri potest. Primùm, subtrahendo ea tantùm, quæ temperantia non permittit, & in quibus foret excessus vitiosus per immoderantiam cibi. Et hæc propriè dicitur Temperántia. Secundò, priuando se voluntariè eâ quantitate, vel qualitate ciborum, quam Temperantia permittit, quæque si sumeretur, nullus foret excessus. Et hæc magis propriè, iuxta modum loquendi vsitatum, vocatur abstinentia. Nam qui abstinent tantùm ab excessu, vocantur potius temperantes, quàm abstinentes. Potest autem laudabiliter fieri huiusmodi subtractio, vt mens sit magis idonea suis functionibus nobilioribus, & pars inferior meliùs seruiat superiori, magisque sit illi subiecta: quâ ratione hæc subtractio pertinet ad temperantiam. Potest tamen ad alios fines referri, & ad alias virtutes pertinere: vt ad Deum placandum, & ad satisfaciendum pro peccatis; & sic est actus pœnitentiæ: ad cultum Dei, vel Sanctorum; & sic est actus Religionis: ad placendum Deo, cui omnia virtutum opera grata sunt; & sic est actus charitatis; ad subtrahendum sibi alimentum non necessarium, vt subueniatur pauperi indigenti; & sic est actus misericordiæ & charitatis erga proximum.

Rursus tripliciter fieri potest hæc subtractio ciborum. Primò, quoad qualitatem tantùm, abstinendo à cibis delicatioribus, vel aptioribus nutritioni: putà, à carnibus, ouis, & lacticinijs. Secundò, quoad quantitatem, semel tantùm in die naturali (id est, intra viginti quatuor horas) aut rariùs comedendo; vel aliter minus cibi, quàm temperantia permittit, accipiendo. Tertiò, quoad vtrumque simul. 18. Subtractio ciborum triplex. Primi generis abstinentia est & fuit semper in vsu certis diebus in Ecclesia: & à Tertulliano cap. 9. contra Psychicos, vocatur ieiunium portionale, id est, ieiunium imperfectum, & ex parte tantùm. *Exceptio*, inquit, *eduliorum quorundam, portionale ieiunium est*: quod idcirco ait, quia ad ieiunium perfectum & simpliciter dictum, præter illam abstinentiam à certo genere ciborum, requiritur etiam subtractio quoad quantitatem refectionum: ita vt cibus semel tantùm in die sumatur, & certâ horâ, iuxta morem receptum in Ecclesia, de quo dicemus Sect. sequenti. Eadem est in vsu perpetuo, ex voto, aut ex præcepto & constitutione peculiari, apud multos Ordines sacros Religiosorum, à quibus laudabiliter & constanter seruatur. Et quoniam ab Hæreticis huius temporis, pœnitentiæ osoribus, & laxioris vitæ amantibus impugnatur, duo contra illos nobis probanda sunt. Primum, posse nunc etiam in lege gratiæ laudabiliter abstineri à certo genere ciborum. Secundum, potuisse conuenienter hanc abstinentiam lege præcipi, siue generali pro tota Ecclesia, siue peculiari pro certis Ordinibus Religiosorum.

19. Abstinētia à certo genere ciborum est laudabilis. Dico igitur primò, abstinentiam à certo genere ciborum, quos alioqui temperantia permittit, & qualis nunc est in vsu Ecclesiæ, esse bonam, & laudabiliter in lege gratiæ vsurpari. Probatur, quia ea quæ laudantur in sanctis veteris Testamenti, & non sunt specialiter in noua lege prohibita, possunt nunc etiam bene & laudabiliter vsurpari. Atqui abstinentia à certo genere ciborum, quæ nunc est in vsu Ecclesiæ, laudatur in sanctis veteris Testamenti, & non fuit prohibita in lege noua: Ergo, &c. Maior est euidens. Minor probatur. Nam quòd in lege noua non fuerit prohibita, patebit inferiùs respondendo argumentis Hæreticorum. Quòd verò laudetur in sanctis veteris Testamenti, patet ex Danielis 1. vbi laudantur Daniel & socij, quòd voluntariè à cibis Regijs abstinentes, leguminibus tantùm vterentur in cibum, & aquâ in potum. Quod sibi gratum esse Deus ostendit, meliùs eos sic reficiendo, & scientiam ac disciplinam illis impertiendo. Probatur ex Script. Et cap. 10. ver. 2. Daniel de seipso sic loquitur: *Et ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, & panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Quam abstinentiam Deo placuisse ostendunt verba Angeli mox illi postea apparentis, & sic eum

alloquentis ver. 12. *Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.* Item Matth. 3. ver. 4. laudatur abstinentia Ioannis Baptistæ, cuius esca non erat alia, quàm locustæ, & mel syluestre. Quare abstinebat non modò ab ijs ciborum generibus, à quibus nunc abstinet Ecclesia, sed etiam à pluribus alijs: proptereáque Iudæis summæ fuit admirationi. Et tota eius viuendi ratio, velut Angelica, & maior humanâ, laudatur à Christo Matth. 11. ver. 7. & sequentibus.

10. Confirmatur ratione. Probatur secundò, quia bonum est & laudabile, etiam nunc in lege gratiæ, corpus voluntariè castigare, & in seruitutem redigere, vt spiritus saluus fiat, vel vt meliùs Deo seruiat, & rationi minùs obsistat. Atqui ad hanc castigationem, medium aptissimum est subtractio eorum ciborum, qui ex genere suo magis nutriunt, & magis carnem delectant atque reficiunt: cuiusmodi sunt carnes, oua, & lacticinia: Ergo, &c. Minor est euidens. Maior probatur verbis & exemplo Apostoli, qui de seipso ait 1. Cor. 9. ver. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Et exemplo Sanctorum. Probatur tertiò, exemplo sanctorum noui Testamenti, & praxi antiquæ Ecclesiæ. Nam vt omittam Ioannem Baptistam, de quo suprà, quia ad vetus Testamentum pertinuit, vel vtriusque limes fuit: scribit Gregorius Nazian. in oratione 16. *de pauperum amore*, Petrum Apostolum adeo tenuiter & austerè vixisse post ascensionem Christi, vt nihil aliud ederet præter lupinos vnico asse væneuntes. Et Eusebius lib. 2. Historiæ, cap. 23. refert ex Egesippo, Iacobum Apostolum fratrem Domini à carnibus, vino, & sicera semper abstinuisse. Matthæum quoque Apostolum carnium vsum sibi interdixisse; oleribúsque, baccis, & seminibus victitasse narrat Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 1. versus finem. Similem abstinentiam à carne & vino laudat Hieronymus in Essenis, quos Christianos à Sancto Marco Euangelista Alexandriæ eruditos fuisse putat, lib. de viris illustribus, in Philone: & Epist. 22. ad Eustochium *de custodia virginitatis*, affirmat multos Anachoretas, putà, Paulum, Antonium, Hilarionem, & plurimos eorum asseclas, perpetuò abstinuisse à carnibus. Cuius etiam rei testes sunt fide dignissimi Athanas. in vita S. Antonij, August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. alijque Patres eorum contemporanei, & Cassian. lib. 4. Institut. cap. 11. Eandem denique

Abstinētia Quadragesimæ. abstinentiam à carnibus fuisse in vsu totius antiquæ Ecclesiæ, tempore Quadragesimæ, & alijs diebus ieiunij, testantur Cyrillus Hierosolymit. Catech. 4. tit. *De cibis*, vbi affirmat Christianos ieiunantes abstinuisse suo tempore à vino, & à carnibus, Basilius Hom. 1. de Ieiunio, prope finem, Tertull. lib. de Ieiunio contra Psychicos, August. lib. 30. contra Faustum cap. 5. & Serm. 64. de tempore, vbi sic habet: *Sed & illa est in Quadragesima diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus alijs diebus vti licet; qui nos abstinemus à vino, quo moderatè vti licet: qui ergo ista vitamus quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent.* Et S. Leo Serm. 4. de Quadragesima, cap. 2. *Non in sola*, inquit, *abstinentiâ cibi, stat nostri summa ieiunij; aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur.* Et paulò post, cap. 5. *Scientes quoniam bonum est, etiam a licitis abstinere: & cùm castigatiùs viuendum est, ita discernere cibos, vt vsus eorum semoueatur, non natura damnetur.* Et Gregor. Magnus in Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum, relatâ in Decret. dist. 4. cap. 6. *Par est*, inquit, *vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis.* Loquitur autem ibi de quadragesimali ieiunio. Fuisse etiam in primitiua Ecclesia certis diebus, sicut nunc etiam est, abstinentiam ciborum sine ieiunio, colligitur ex Tertul. cap. 9. contra Psychicos, vbi eam vocat *ieiunium portionale*, vt supra notauimus. Et cap. 13. eandem vocat *semi-ieiunium.* Ecce (inquit Catholicis eius errori resistentibus) *conuenio vos & præter Pascha ieiunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus; & stationum semi-ieiunia interponentes; & vos interdum pane & aqua victitantes, &c.*

Dico secundò, abstinentiam à certis quibusdam generibus ciborum potuisse conuenienter ab Ecclesia præcipi: siue vniuersaliter lege generali pro omnibus fidelibus; siue peculiari, pro certis Ordinibus Religiosorum. Prima pars probatur exemplo Apostolorum, Act. 15. qui in Concilio Hierosol. præceperunt fidelibus vt à quibusdam cibis abstinerent: nempe ab esu sanguinis, & suffocati, & ab immolatis. Nam si Apostoli conuenienter eam legem tulerunt ob finem bonum, vt nimirum faciliùs Iudæi & Gentiles in vnam Christi Ecclesiam conuenirent: cur Prælati, qui in Ecclesiæ regimine Apostolorum locum tenent, non poterunt legem statuere abstinendi à certo genere ciborum, ob alium bonum finem, nempe ad subjiciendam carnem spiritui, & frangendam eius rebellionem; aut propter studium & exercitium pœnitentiæ; vel ad Deum placandum exemplo Niniuitarum, & Dauidis; vel ad aliquid impetrandum exemplo Danielis; aut quid simile? Item, si Ionadab pater Rechabitarum potuit illis prohibere vsum vini in perpetuum: idque conuenienter, quandoquidem Deus ipse Hierem. 35. laudat illius præceptum, & obedientiam filiorum: cur Ecclesia, mater omnium Christianorum, non poterit illis ad certum tempus prohibere vsum quorundam eduliorum, pœnitentiæ gratiâ, vel alijs iustis de causis? 11. Potuit conuenienter ab Ecclesia præcipi omnibus.

Probatur secundò, quia hæc prohibitio ab Apostolis ipsis manauit, vt testatur Hieron. in Epist. ad Marcellam aduersus Montanum, vbi sic habet: *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus: illi* (Montanistæ scilicet) *tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint saluatores. Non quòd & per totum annum,* 12. Hoc præceptum ab Apostolis manauit.

excepta Pentecoste (id est, quinquaginta diebus post Pascha) *ieiunare non liceat : sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Quibus postremis verbis clarè significat ieiunium Quadragesimæ fuisse necessarium ex præcepto Apostolico : Quod etiam colligitur ex Tertul. lib. aduersus Psychicos, cap. 2. vbi de Catholicis sui temporis sic scribit : *Nam quod ad ieiunia pertinet, certos dies à Deo constitutos opponunt.* Et paulò post : *Certe in Euangelio illos dies ieiunijs determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus* : id est, dies quadragesimæ ; quibus mortis Christi memoria celebratur : *& hos esse iam solos legitimos ieiuniorum Christianorum, abolitis legalibus & propheticis vetustatibus.* Et inferiùs : *Itaque de cætero ieiunandum indifferenter ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ, pro temporibus & causis vniuscuiusque. Sic & Apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum, & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum.* Hæc Tertullianus : ex quibus liquet sensum Catholicorum illius temporis fuisse, quòd ieiunia illa, quæ omnes necessariò in commune obseruabant, essent iugum, siue onus & præceptum ab Apostolis impositum. Idem quoque significat S. Leo Serm. 6. de Quadragesima cap. 2. his verbis : *Quod ergo dilectissimi omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc solicitiùs est, & deuotiùs exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed priuatione maxime vitiorum*, & initio Sermonis 9. de Quadragesima, *Sanctis Apostolis*, inquit, *per doctrinam Spiritus sancti maiora sunt instituta ieiunia : vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.* Quod autem ieiunium quadragesimale obligaret ad abstinentiam à certis cibis, docent idem S.Leo Serm.4. de Quadragesima ; alijque Patres citati suprà num. 20. quibus adde Theophilum Alexandrinum orat. 3. Paschali, quam S. Hieronymus in Latinam linguam vertit, & operibus suis inseruit : vbi dicitur, semper in Ecclesia fuisse legem abstinendi à carnibus in Quadragesima ; esséque reos criminis, qui tunc temporis carnibus, clam etiam, & sine aliorum scandalo vescuntur. Quod ostendit præceptum illud grauiter obligare, & per se, ac non tantùm ratione scandali.

Ostenditur Quadragesimam esse institutionis Apostolicæ.

23. Atque hinc sumitur tertium & efficax contra Hæreticos argumentum. Nam præceptum, quod ab ipso initio fuit semper in Ecclesia Christi, sine dubio legitimum est. Atqui præceptum abstinendi certis temporibus à certo genere ciborum, fuit semper in Ecclesia, vt patet ex Theophilo Alexandrino, alijsque Patribus : Ergo, &c. Confirmatur, quia, vt rectè dicit S. August. lib. 4. de baptismo contra Donatist. cap. 24. Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Atqui lex de ciborum abstinentia certis diebus est huiusmodi, vt eam teneat vniuersa Ecclesia, neque Concilijs instituta, sed semper retenta sit : Ergo rectissimè credi debet tradita fuisse auctoritate Apostolica. Minor probatur, quia nullum est Concilium in quo reperiatur fuisse instituta : imò illius mentionem faciunt Sancti Patres antiquiores omnibus Concilijs post Apostolos celebratis. Nam quadragesimalis obseruantiæ, velut antiquioris meminerunt Ignat. in Epist. ad Philippenses, prope finem, Irenæus Epist. ad Victorem, & alij commemorati ab Euseb. lib. 5. Histor. cap. 23. & Origen. Hom. 10. in Leuit. in fine. Item, vt rectè affirmat August. Epist. 118. ad Ianuarium, circa medium, si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est. Atqui huiusmodi est abstinentia ciborum certis diebus ; cuius lex vbique seruatur in tota Ecclesia. Ergo insolentissimæ est insaniæ, disputare vtrum lex illa sit rectè & conuenienter lata ; disputare scilicet contradicendi animo, vel illam improbandi.

Confirmatur efficaciter.

24. Quartò, si abstinentia à certo genere ciborum, bono fine suscepta, bona est & laudabilis ; potest conuenienter præcipi ab Ecclesia, modò non desit illi potestas præcipiendi. Sed abstinentia illa bona est & laudabilis, vt patet ex conclusione 1. Neque fit mala ex eo quòd præcipiatur à legitimo superiore. Nam potiùs illi ex eo accedit laus obedientiæ : vt neque abstinentia vini in Rechabitis, ideo mala erat, quia præcepta à Ionadab : vel abstinentia à sanguine & suffocatis, quia erat præcepta ab Apostolis. Dici quoque non potest nimis esse difficilem, & legi humanæ disproportionatam: nam contrarium ostendit experientia, & ab illa excusantur ij omnes, quibus nimiùm grauis est, & à quibus sine graui incommodo seruari nequit. Ecclesia quoque habet legitimam potestatem ferendi leges, & præcipiendi fidelibus, vt patet ex dictis in tract. de legibus. Ergo potest conuenienter abstinentiam illam præcipere. Quare licet non fuisset præcepta ab Apostolis, sufficere deberet præceptum Ecclesiæ. Denique S. August. lib. 30. contra Faustum cap. 6. in fine, affirmat hanc abstinentiam esse secundùm doctrinam Apostolorum, cùm sic ait : *Videtis multùm interesse inter abstinentes a cibis propter sacram significationem, vel propter corporis castigationem : & abstinentes à cibis quos Deus creauit, dicendo quòd Deus non creauit. Proinde illa doctrina est Prophetarum, & Apostolorum : hæc, Dæmoniorum mendaciloquorum.*

Ostenditur abstinentiam ciborum potuisse præcipi ab Ecclesia.

25. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet abstinentia illa potuerit conuenienter lege peculiari præcipi pro certis ordinibus Religiosorum, id est, pro ijs qui voluntariè se illis ordinibus aggregant, non modò pro certis diebus, sicut præcipitur lege communi Ecclesiæ, sed etiam in perpetuum, vt fit in ordine Benedictinorum, Chartusiensium, Minimorum, & aliorum quorundam ; probatur, quia sicut Ecclesia potuit conuenienter obligare ad perpetuam castitatem eos omnes, qui voluntariè sacris ordinibus initiantur, propter reuerentiam & puritatem status quem suscipiunt, specialémque obligationem vacandi frequenter orationi, & seruiendi altari ; quam legem Ecclesiasticam esse valde antiquam & conuenientem ostendimus in tract. de Ordine : Par est ratio vt ipsa, vel

Potuit etiam specialiter præcipi Religiosis.

Vide tom. 5. disp.67. sect.3.

potiùs fundatores ordinum Religiosorum, quorum constitutiones & institutum approbat, obligare possint ad perpetuam abstinentiam à certo genere ciborum eos omnes, qui sponte volunt tale viuendi genus amplecti, maioris perfectionis gratiâ, vel pœnitentiæ studio, & carnis magis domandæ, mentisque liberiùs in Deum eleuandæ. Et quidem huiusmodi instituta eorúmque viuendi rationem sibi placere Deus satis significauit illustribus miraculis, quibus eorum fundatores illustrauit, & omnibus commendabiles reddidit. Vt Benedictum, cuius insignia miracula ab ipso Gregorio magno in libris dialogorum scripta sunt: Brunonem, cuius ordo Sanctissimus, & per tot sæcula incorruptus, perpetuum miraculum est: Bernardum, quem *Sanctum* ipsimet Hæretici Caluinus, & Lutherus, alijque appellant: Dominicum, Franciscum de Paula, & alios; quorum postremus, cùm votum peculiare vitæ Quadragesimalis perpetuæ, tribus alijs votis communibus paupertatis, castitatis, & obedientiæ, addere vellet, illudque nimis durum videretur Patribus eiusdem ordinis, quibus consilium suum in publico consessu seu Capitulo proponebat: ostendit insigni miraculo (cuius ego ipse vestigia in eius monasterio Turonensi adhuc extantia conspexi) ostendit, inquam, & probauit omnibus ingenti miraculo in eum finem edito, quantum illud votum Deo gratum fore, illiusque addendi voluntatem sibi fuisse à Spiritu sancto immissam. Nam cratem ferream, frigoris pellendi causâ in medio Capituli de more positam, & prunis ardentibus plenam, atque candentem; illæsis manibus apprehendit, & in altum sublatam diu sustinuit: donec omnes tanto miraculo attoniti, & conuicti assenserunt. Est quoque mirabile quòd in tanta vitæ austeritate diutissimè vixit. Annum enim vitæ nonagesimum primum attigit.

26. Confirmatur. Deinde, bonum est, & laudabile Religiosis, velle imitari sanctos illos eximios primitiuæ Ecclesiæ (inter quos fuerunt aliqui Apostolorum, vt vidimus conclusione 1.) qui maioris perfectionis desiderio, perpetuam à carnibus, & certis alijs ciborum generibus abstinentiam seruauerunt. Quòd autem Religiosi, ex voto, aut constitutione peculiari sui ordinis, huic abstinentiæ se adstringant, non minuit illius honestatem, & laudem; sed potiùs addit decorem firmitatis, seu constantiæ in bono, & virtutis Religionis, vel obedientiæ. Constátque ipsâ experientiâ votum illud, aut constitutionem non esse de re impossibili, aut nimis difficili, & fragilitati humanæ intolerabili: cùm huius obseruantiæ cultores & diu viuant, & satis bona valetudine fruantur. Peculiaris verò difficultas circa constitutionem singularem Chartusianorum de abstinendo à carnibus etiam in periculo mortis à morbo imminentis, soluta fuit alibi in tract. de legibus.

27. Locus Pauli exponitur. Aduersus hæc nihil faciunt quæ opponunt Hæretici ex Coloss. 2. ver. 16. & sequentibus. *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, &c.* Nam Apostolus ibi loquitur de illis, qui volebant Christianos adhuc obligari legali ciborum distinctione, alijsque obseruantijs & ceremonijs Mosaïcis, per Christum abolitis: vt exponunt Hieron. in Epist. 151. ad Algasiam, quæst. 10. Chrysostomus Hom. 7. in Epist. ad Coloss. circa locum illum Pauli, & August. Epist. 59. ad Paulinum, quæst. 7. Verba Hieronymi loco citato hæc sunt: *Loquitur vniuersa contra eos, qui credentes ex Iudæis in Dominum Saluatorem, Iudaïcas ceremonias obseruare cupiebant, super qua re & in Actis Apostolorum non parua quæstio concitata est. Vnde & suprà Paulus ait de ijs, qui magistros legis esse se iactant: Nemo vos iudicet in cibo & potu, quasi alia munda sint, alia immunda:* iuxta discretionem scilicet factam à Moïse. Similiter quod objiciunt ex 1. Timoth. 4. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, &c. prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione:* dictum est de Manichæis, Tatianis, siue Encratanis, & similibus Hæreticis, quos Paulus in spiritu futuros præuidit, prohibentibus absolutè nuptias, & certos cibos, tanquam per se malos, & immundos: vt exponunt Tertull. lib. de ieiunio, cap. 15. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinian. num. 40. & August. lib. contra Adimantum cap. 14. cuius verba hæc sunt: *Et quodam loco apertissimè istos* (Manichæos) *significauit, cùm dicit: In nouissimis temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creauit. Hos enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant: sed quia carnes ipsas immundas putant: & earum creatorem Deum esse negant.* Et Hieron. vbi suprà, *Marcionem*, inquit, *designat, & Tatianum, & cæteros Hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris.* Quod longissimè abest à sensu & intentione Ecclesiæ. Quare Scripturæ verba relata, & his similia, non pugnant contra abstinentiam siue communem Christianorum, siue peculiarem Religiosorum, non introductam per falsam eiusmodi persuasionem, aut prauam intentionem, neque etiam per hypocrisim aut falsum prætextum pietatis (quæ duo vitia in ijsdem Hæreticis damnat Apostolus) sed sincero virtutis & perfectionis studio seruatam.

Quinam dicantur ab Apost. prohibere cibos?

Nihil etiam proficit quod objiciunt ex eodem cap. 4. Epistolæ 1. ad Timotheum, *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Et 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et Math. 15. *Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Et Luc. 10. ver. 8. *In quamcunque ciuitatem intraueritis, & receperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Ad primum enim respondeo, omnem quidem creaturam Dei bonam esse, & nullam esse rejiciendam tanquam malam: posse tamen laudabiliter à quibusdam, licet bonis, abstineri, quia minùs aptis do- 28. Exponuntur alia Script. loca.

mando corpori, vel exercitio pœnitentiæ, & studio vitæ perfectioris. Ad secundum: sensus Apostoli est, non debere Christianos, quando in macello emunt carnes ab Infidelibus, vel ab illis inuitantur, interrogare illos, num carnes, quas vendendas exponunt, aut edendas apponunt in mensa, fuerint Idolis immolatæ; ne fortè peccent, si audiant esse immolatas, & edant contra conscientiam, & cum aliorum scandalo. Ad tertium: Christus ibi reprehendit tantùm errorem Iudæorum, existimantium animam pollui, si quis illotis manibus manducauerit: aut cibos quosdam esse naturâ suâ immundos, ideóque fuisse à Deo prohibitos ne animam polluerent. Non verò negat animam pollui per cibum & potum, si intemperanter sumatur, vel contra obedientiam superioribus legitimis debitam: alioqui crapula, & ebrietas, & cibi furto sublati, aut à Deo prohibiti, vt esus pomi Adamo, non polluerent animam. Ad quartum: præcipit Christus Apostolis vt contenti sint alimentis quibuscumque sibi appositis, licet fortè vilioribus, & gustui non gratis. Quare docet solùm temperantiam, & modestiam: non autem inobedientiam, & contemptum legum Ecclesiæ circa abstinentiam.

29. Obiectio ex Concil. Gangrensi. Frustra quoque opponunt, in Concilio Gangrensi Eustachium siue Eusebium Episcopum Sebastæ, fuisse damnatum; eò quòd ciborum & vestimentorum distinctionem induxisset, quamvis diceret se id non fecisse superbâ contumaciâ, sed piæ disciplinæ causâ, & secundùm Deum: vt refert Sozomen. lib. 3. cap. 13. Et Ignatium martyrem in Epist. ad Heronem, illi præcipere vt à vino, & carnibus non penitùs abstineat, neque enim abominabilia sunt. Ex quibus verbis occasionem sumpserunt arguendi Chartusianos, & alios Religiosos qui à carne perpetuò abstinent.

Cur ibi reprehensus Eustachius? Ad primum enim respondeo Eustachium illum non fuisse damnatum eò quòd distinctionem ciborum, & vestium induceret pro se, & alijs voluntariè pium aliquod viuendi genus amplecti volentibus. Id enim solum si fecisset, non damnationem, sed laudem meruisset, qualem Antonius, Macarius, Hilarion, Pachomius, Martinus, & alij Sancti eximij, à nullo reprehensi, imò à Sanctis Patribus valde laudati; qui circa illud tempus vitam abstinentiâ mirabili, & vestimentorum vilitate, à communi Christianorum victu & vestitu longè differentem instituerunt, vt testatur Sozomenus eodem capite: Sed quia ieiunia Ecclesiæ contemnebat, cibos carnium illicitos reputabat, & edentes damnabat, nuptias accusabat, & nullum in coniugali gradu positum spem in Deum habere posse affirmabat: vestitum communem spernebat, & de nouo suo vestitu ita superbiebat, vt aliqui eius discipuli se per illum sanctificari crederent. Qui eius errores, & plures alij recensentur in præfatione Concilij Gangrensis, & damnantur præcipuè can. 1. 2. 3. 12. & 19. Ignatius verò monet tantùm Heronem ne abstineat à vino, & carnibus tanquam abominabilibus, vt faciebant eodem tempore Ebionitæ, teste Epiphanio Hæresi 30. sed non prohibet vt citra illam falsam opinionem, imitetur, si velit, Iacobum Apostolum, & alios Sanctos illustres, qui eodem tempore, perpetuò à carne, & à vino abstinebant, vt probauimus conclusione 1. Cætera, quæ objiciunt, sunt minoris momenti, & plenè soluta videri possunt apud Bellarm. lib. 2. de bonis operibus cap. 8. & sequentibus, Barrault tom. 2. Clypei cap. 18. & alios Controuersiarum Scriptores, & Valent. disp. 9. quæst. 2. punct. 2. §. *Secundo controuersum.*

SECTIO IV.

De Ieiunio.

Ieiunium duplex est. Vnum naturale, consistens in omnimoda priuatione cibi, & potus, ita vt nihil planè illius per os in stomachum traijciatur. Cuiusmodi ieiunium esse necessarium ex præcepto Ecclesiastico, & Apostolico, ad sumptionem Eucharistiæ, dicemus suo loco. Alterum vocatur ieiunium Ecclesiasticum, consistens in eo quòd abstineatur à certo genere ciborum, & semel tantùm in die refectio sumatur, idque cœnæ loco, & certâ diei horâ, iuxta Ecclesiæ præceptum, aut consuetudinem. 30. Ieiunium duplex: Naturale & Ecclesiasticū.

Itaque ad ieiunium Ecclesiasticum, de quo nunc disputamus, tria requiruntur. Primò, abstinentia à cibis aliquibus, ex suo genere magis reficientibus, & minùs aptis corpori domando. Quæ abstinentia neque semper eadem fuit in Ecclesia, neque nunc etiam vbique, & quovis tempore ieiunij, eadem est. Nam olim tempore Quadragesimæ cibi tantùm aridi permittebantur: vt patet ex Concilio Laodiceno, can. 50. & à vino etiam abstinebatur, vt patet ex D. August. Sermon. 64. de tempore, Theophilo Alexandr. orat. 3. Paschali, & Cyrillo Catechesi 4. titulo *De cibis.* Nunc autem iure communi præcipitur solùm vt eo tempore abstineatur à carnibus, & ab ijs omnibus quæ sementinam carnis originem trahunt; id est, à lacte, caseo, & ouis, vt habetur in Decreto, dist. 4. cap. 6. Imò etiam quibusdam in locis permittuntur lacticinia. Alijs verò ieiunij diebus prohibetur solùm esus carnis iure communi, vt docet S. Thom. quæst. 147. art. 8. ad 3. Quamvis, vt rectè monet ibidem, diuersæ hac de re consuetudines existant apud diuersos, quas quisque obseruare debet secundùm morem legitimum eorum inter quos conuersatur. Ratio huius diuersitatis est, quia lex ista est purè Ecclesiastica, in qua potest dispensari pro necessitate locorum, temporum, & personarum: quæque potest contraria consuetudine legitima mutari, ita vt rigor ille magis aut minùs relaxetur. Quæ consuetudo vt legitima sit, non eget præscriptione longi temporis; sufficit enim breue tempus cum tacito consensu Prælatorum id videntium, & non contradicentium. Hanc autem abstinentiam violare diebus ieiunij ab Ecclesia præceptis, graue peccatum est, nisi materiæ paruitas excuset; vt bene docent Bonac. disp. vlt. de præceptis Eccles. q. 1. p. 2. nu. 2. & plures alij. Ad hoc requiritur 1 abstinentia à certo genere ciborum.

31. 2. Vt semel tantùm refectio sumatur.
Secundò, ad ieiunium requiritur vt semel tantùm in die naturali, id est, intra viginti quatuor horas sumatur refectio. Quia, vt ait S. Thom. quæst. cit. art. 6. ieiunium ab Ecclesia institutur ad concupiscentiam frænandam, ita tamen vt naturæ non subtrahatur quod necessarium est. Ad hoc autem sufficit vnica refectio, per quam homo potest naturæ satisfacere: & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit diminuendò comestionum vices. Ideóque Ecclesiæ moderatione statutum est vt semel in die à ieiunantibus comedatur. Hunc autem fuisse veteris Ecclesiæ morem patet ex D. August. lib. de morib. Eccles. cap. 33. vbi ait, *Ieiunare quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, vsquequaque fuisse vsitatissimum*: & patebit amplius ex dicendis num. sequenti. Permittit tamen consuetudo vt vltra vnam refectionem sumatur collatiuncula: cuius mensura ex eadem consuetudine pro varijs locis, & temporibus, & generibus personarum sumenda est. Possunt etiam per modum medicinæ sumere parum aliquid cibi ante refectionem omnes illi, qui eo multùm indigent, debilitatis, aut laboris, & negotiorum causâ. Non prohibentur quoque parua quædam electuaria, dummodo non frequenter sumantur in fraudem ieiunij; vt docent Villalobos, Reginald. & alij quos citat & sequitur Diana parte 1. tract. 9. resolut. 24. Neque potus, etiam vini, vltra tempus refectionis: vt docent fere omnes cum D. Thoma quæst. 147. art. 6. ad 2. Et modicum cibi sumere plusquam permittat lex ieiunij, leue tantummodo peccatum est, propter leuitatem materiæ.

32. Et vt sumatur tardiùs, loco cœnæ.
Tertiò, requiritur vt refectio sumatur tardiùs, loco cœnæ. Ratio ex D. Thoma quæstione 147. art. 7. hæc est; quia ieiunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ: affligendo scilicet, & domando carnem. Vnde oportet quòd aliquid addat supra communem consuetudinem: ita tamen vt per hoc multùm natura non grauetur. Longiùs ergo, refectio differenda est: vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione. Tempus autem designatum olim refectioni sumendæ erat hora diei nona, id est, tertia post meridiem: vt patet ex multis antiquorum testimonijs, Tertulliani lib. de ieiunio contra Psychicos cap. 10. Athanasij lib. de virginitate, Basilij oratione 1. de ieiunio, Prudentij in hymno post ieiunium, Augustini Epist. 118. ad Ianuarium, prope finem, & aliorum, quos refert Bellarmin. lib. 2. de bonis operibus cap. 2. Eadémque consuetudo vigebat adhuc tempore D. Thomæ, vt patet ex articulo suprà citato, in fine corporis. Vbi addit, conuenienter horam illam fuisse taxatam ieiunantibus: tum quia dilatio illa non est nimia, & sufficit carni affligendæ: tum etiam quia hora illa conuenit mysterio passionis Christi, quæ completa fuit horâ nonâ, quando *inclinato capite tradidit spiritum*. Ieiunantes autem dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundùm illud Apostoli ad Galat. 5. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Nunc verò consuetudo passim recepta, & legitima est, vt circa meridiem sumatur refectio: (Olim hora 3. post meridiē.) ita vt non liceat notabiliter horam illam præuenire: quamvis liceat differre, quantum quisque volet: sicut olim vltra nonam horam differre licebat, & à multis præsertim ab Anachoretis, differebatur ad vesperam. Imò etiam Quadragesimalis ieiunij diebus debebat eò vsque differri, vt patet ex Bernardo Serm. 3. de Quadragesima, & ex Micrologo in lib. de Eccles. obseruat. cap. 49. vbi dicit, In eo Quadragesimale ieiunium ab alijs differre, quòd in alijs post nonam, in hoc autem post vespertinam reficere debemus. Nec iuxta Canones Quadragesimaliter ieiunare censemur, si ante vesperam reficimur. Nempe iuxta Canonem Concilij Cabilonensis, relatum capite *Solent, de consecrat. dist. 1.* qui sic habet: *Solent plures, qui se ieiunare putant, in Quadragesima, mox vt audierint signum ad horam nonam, manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium.* Eáque de causa tempore Quadragesimæ recitantur etiam nunc vesperæ antequam sumatur refectio, vt eatenus retineatur antiqua consuetudo: sed anticipatur recitandi hora, sicut & tempus refectionis. Non peccant tamen qui priuatim non recitant vesperas ante refectionem, vt bene docent Caiet. Tanner. & plures alij. Neque est peccatum plusquam veniale anticipare notabiliter horam refectionis, vel illius horam mutare in tempus collatiunculæ, quamvis id fiat sine iusta & rationabili causa; vt dicemus paulò post. (Et post vesperam in Quadragesima.)

Ad maiorem præcedentium declarationem quæritur primò, an qui non potest abstinere à cibis prohibitis tempore ieiunij, teneatur petere licentiam, & à quo? Respondeo, si impotentia est manifesta, non tenetur, per se loquendo: interdum tamen tenetur ratione scandali. Sin autem est dubia, tenetur petere ab Episcopo, vel ab eius Vicario, si commodè adiri potest. Sin minùs, à Parocho, qui propter frequentem necessitatem habet ius dispensandi hac in re, saltem defectu Episcopi, aut eius Vicarij: Imò & sine illo, ijs in locis, in quibus consuetudine ita receptum est. Potuerunt enim Parochi hoc ius acquirere per consuetudinem, aut tacitam concessionem Episcoporum. Consentit in hoc responsum Bonacina disp. vlt. de legibus & præceptis, punct. 2. num. 5 post plures alios quos citat. 33. (Qui non possunt à cibis abstinere, debentne petere dispensationem?)

34. Qui dispensatur à cibis, dispensaturne à ieiunio?
Quæritur secundò, an ille, cui datur facultas, aut priuilegium edendi carnes die ieiunij, hoc ipso dispensetur à reliquis ad ieiunium pertinentibus: ita vt possit sæpius, & quâ volet horâ, se reficere? Affirmant Azor. lib. 7. cap. 10. quæst. 3. Tolet. lib. 6. cap. 3. & quidam alij. Quia, inquiunt, abstinentia à carnibus est de substantia ieiunij. Non tenetur autem ad ieiunium, qui non potest seruare id, quod pertinet ad illius substantiam. Sed meliùs alij distinguunt. Et si quidem hoc priuilegium concessum fuit propter naturæ debilitatem, affirmant tunc non teneri ad abstinendum à multiplici refectione, & alijs ad ieiunium pertinentibus. Quia recta ratio dictat hoc priuilegium esse tunc ampliandum, propter causam cuius intuitu concessum fuit. Si verò datum est so-

lummodo propter nauseam piscium, & aliorum ciborum: tenetur reliquum ieiunij seruare: quia tale priuilegium est odiosum, relaxans ius commune, & strictè interpretandum: nisi fortè absolutè concedatur, vt solet. Ita Bonac. suprà, num. 3. post Less. Reginald. victoriam, Nauarr. Cordubam, & alios, quos citat. Qui autem dispensatur, vel excusatur à sumenda multiplici refectione; non propterea dispensatur, vel excusatur ab abstinentia à cibis illicitis, & præsertim ab esu carnis.

35. Licetne carnem dare hæreticis in die ieiunij? Quæritur tertiò, an peccet qui diebus ieiunij, vel alijs, administrat Hæreticis carnem, vel alios cibos prohibitos? Respondeo cum Lessio cap. 2. dub. 4. num. 23. Filiucio tract. 27. parte 2. cap. 6. num. 92. Diana parte 3. tract. 5. resolut. 36. Solone, Petro & Martino Lodesma, Fausto, & alijs à Diana relatis, posse id licitè fieri, si ipsi petant, & non possit negari sine notabili incommodo negantis; vel sine periculo maioris mali: Putà, quia hospes, qui negauit, deseretur à plurimis, neque frequentabitur eius hospitium: vt facilè contingit in locis Hæreticorum, de quibus hîc sermo est. Vel quia periculum est ne ijdem vescantur alibi carnibus cum maiore scandalo, & detrimento aliorum, vel blasphemias aut maledicta in alium hospitem conjiciant, qui carnes illis negauit. Ratio est, quia licitum est suadere minus malum illi, qui maius facere paratus est, & aliter à maiori non potest impediri. Licitum est quoque propter commodum magni momenti, licet temporale, vel ad vitandum graue incommodum, vti malo alterius ad hoc parati, & potentis vitare si velit: faciendo aliquid de se bonum, aut indifferens, quamvis sciamus alterum hac occasione malè facturum esse. Sic enim licet petere iuramentum ab infideli, quem scis esse iuraturum per falsos Deos: & petere mutuum ab vsurario, quamvis scias non daturum sine vsura. Exhibere autem carnes in mensa, est aliquid de se indifferens, circa quod potest alter bene vel malè se habere, edendo, vel abstinendo. Quare non teneor cum magno meo incommodo non exhibere. Adde quòd potest etiam id licitum fieri ratione consuetudinis. Quando scilicet ita faciunt omnes hospites, & nemo eos reprehendit. Potest enim consuetudo limitare hoc præceptum circa vnum genus personarum. Sicut viduæ excusantur ratione consuetudinis, ne aliquandiu post mortem coniugis teneantur domo exire ad audiendum sacrum. Qua etiam de causa excusant aliqui hospites qui in locis Hæreticorum, vbi id fieri solet, apponunt viatoribus pisces simul, & carnes, vt vnumquemque suæ conscientiæ relinquant, & vtrique parti satisfaciant. Sed hanc consuetudinem neque sequendam, neque tolerandam esse existimo: censeóque non debere carnes apponi nisi petant, & nisi negando incurratur graue incommodum, aut periculum de quo supra.

36. Licetne inuitare ad cœnã die ieiunij? Quæritur quartò, an peccet qui die ieiunij inuitat ad cœnandum, eum quem scit alioqui non seruaturum esse ieiunium? Respondent aliqui non peccare eum, qui honestatis solùm causâ inuitat. Sic Nauar. cap. 21. Manual. num. 24. citans Caietanum in eandem sententiam. Sed meliùs alij docent non licere seriò inuitare: quia illud est inuitare & incitare ad faciendum aliquid, quod ille sine peccato facere nequit. Suppono enim talem nullam habere excusationem legitimam, idque certò constare. Alioqui enim non est peccatum inuitare eum, cuius excusatio nota est. Sicut non peccant hospites inuitantes, & apponentes cœnam illis, quos constat non teneri ad ieiunium ob laborem itineris, aliámve causam. Si verò dubium est, non debent inuitari: sed si petunt, & non possunt honestè interrogari an excusentur à ieiunio, debet dari: quia dubia sunt in partem benigniorem interpretanda, & nemo in dubio præsumitur velle peccare, *L. Merito, ff. Pro socio*. Item, quamvis notum sit eos non excusari à ieiunio; tamen non peccant hospites, si non possunt negare sine suo magno incommodo, aut periculo mali grauioris, vt suprà diximus de cibis prohibitis. Qua etiam de causa excusantur Domini, qui seruis, aut domesticis permittunt cœnam, vt vitent obmurmurationes, & alia peccata, quæ per impatientiam committerent. Similique ratione excusandus esset qui ad cœnam admitteret alium, seipsum inuitantem, aut intromittentem. Excusant etiam à mortali eum, qui solùm vrbanitatis & amicitiæ causâ inuitat alium, alioqui cœnaturum, Valent. disp. 9. quæst. 2. p. 3. dub. 2. & Diana p. 1. tract. 9. resolut. 38. Vbi multos alios citat, & Tannerus disp. 3. quæst. 3. dub. 5. num. 94.

Quæritur quintò, an qui plures sumit refectiones, quàm permittat lex ieiunij, toties peccet mortaliter, quoties sumit? Affirmant tanquam probabilius Ioann. Medina, cod. de ieiunio tract. 4. quæst. 5. & Couarr. lib. 4. Variarum, cap. 20. num. 13. Idem etiam censuerunt olim quidam alij, quos tacito nomine refert Durand. in 4. dist. 15. quæst. 11. propter hæc præcipuè argumenta. Primò, quia præceptum de sumenda vnica refectione in die ieiunij, est negatiuum. Neque enim præcipit vt comedatur semel; alioquin ille, qui tota die non comederet, transgrederetur præceptum ieiunij: quod est falsum. Quare præcipit solùm vt ne plus quàm semel refectio sumatur. Ergo per totum diem ad hoc obligat: nam præceptum negatiuum obligat pro semper. Ergo quacumque hora diei, & quotiescunque vltra vnicam refectionem comeditur, fit contra præceptum ieiunij. Ac sicut ille, qui plusquam semel in die celebrat sine facultate, peccat mortaliter, quoties vltra vnam vicem celebrat: ita, &c. quia sicut Ecclesia prohibet celebrare plusquam semel in die: ita prohibet plusquam semel comedere. Secundò, aliæ refectiones, vltra secundam quâ cœpimus transgredi ieiunium, non minùs obsunt fini, & intentioni Ecclesiæ præcipientis ieiunare: quia per illas non minùs fouetur caro, imò multo magis: ergo non minùs prohibentur, sed multò magis. Tertiò, si quæ ratio excusaret à peccato sæpius comedentem, esset quia talis non potest ampliùs seruare ieiunium, postquam semel illud transgressus est. Sed hæc ratio non valet. Nam

37. Peccétne sæpius qui sæpius comedit die ieiunij? Rationes sententiæ affirmantis.

Nam etiam qui bis celebrauit in die, non potest seruare simpliciter præceptum de celebrando semel tantùm: & tamen peccat si tertiò, & quartò celebrat. Quique semel manducauit cibos prohibitos, non potest simpliciter seruare præceptum abstinendi ab illis: & tamen peccat si sæpius eos comedat, vt fatentur aduersarij.

38. Sententia negans. Contrarium sentiunt Durandus in 4. dist. 15. quæst. 11. Syluester V. *Ieiunium*, quæst. 8. Caiet. 2. 2. quæst. 147. art. 8. Nauar. cap. 21. Manual. num. 14. Valent. disp. 9. quæst. 2. Puncto 3. dub. 1. Less. lib. 4. cap. 2. dub. 3. Tanner. disp. 3. quæst. 3. dub. 5. num. 93. & alij recentiores. Ratio Durandi, quem fere alij sequuntur, est quia præceptum de semel comedendo in die ieiunij, tametsi negatiuum est, non videtur tamen aliud prohibere, quàm vt nemo transiliat limitem ieiunij qui limes est comestio vnica. Sed sola secunda comestio habet rationem transgressionis huius limitis. Ergo illa sola prohibetur. Quemadmodum enim qui iuberetur non vrbe egredi, peccaret quidem si semel egrederetur: sed post egressum non peccaret quamvis longiùs vagaretur, nisi fortè ratione maioris contemptus præcepti: sic, &c. Confirmatur, quia Ecclesia sine dubio potuit sic præcipere. Videtur autem communior hominum, & ieiunantium consuetudo ita præceptum hoc intelligere. Neque enim putant se ieiunium violare, nisi quando secundò se reficiunt; neque in confessione se accusant de numero refectionum, si plures duabus sumpserunt: quod alioqui facere deberent, si peccarent mortaliter in singulis. Item, præcepta pœnalia, maximéque illa quæ respiciunt communitatem, non sunt amplianda, vt sint in laqueum damnationis: sed potiùs restringenda: præsertim quando sunt de ijs, quæ aliàs sine peccato fieri possunt. Tale autem est præceptum ieiunij. Ergo, &c. Confirmatur secundò, quia illi, quibus propter infirmitatem, aut alia de causa, licet in die ieiunij sumere secundam refectionem: possunt etiam licitè sumere tertiam, & quartam, tametsi possent ab illa abstinere, si vellent. Ergo signum est Ecclesiam habere tantùm rationem secundæ refectionis, reliquas verò non pertinere ad præceptum ieiunij. Addit tertiò Lessius suprà, num. 17. plures refectiones non prohiberi die ieiunij, nisi quatenus earum abstinentia videtur pertinere ad mortificationem carnis. Sed abstinentia solùm à secunda videtur multùm & notabiliter ad illam valere. Pauci enim, præter mechanicos, plures duabus refectiones sumunt: & qui duas sumunt, non videntur aliquid facere notabile ad mortificationem, abstinendo à tertia. Ergo, &c.

39. Vera sententia. Existimo esse distinctione vtendum, & dicendum primò, leuem sumptionem, etiam frequentiorem, supra id quod permittit lex ieiunij, non esse peccatum mortale, saltem nisi plures simul sumptæ efficiant vnam notabilem refectionem: vt dici solet de pluribus furtis minutis, simul in vnum collectis, & magnam quantitatem efficientibus; alioqui enim excusantur à peccato mortali, propter materiæ paruitatem. Secundò, Esse quoque probabile, eum qui post secundam refectionem sumit tertiam, & plures, non peccare mortaliter; vt benè probant aliquæ ex rationibus pro secunda sententia allatis. Probabilius tamen videri quòd peccet saltem venialiter, & aggrauet peccatum præcedens, ratione maioris transgressionis præcepti. Nam iuxta communem hominum sensum, æstimantur illi magis violare ieiunium, magisque transgredi limites præcepti, dum sæpius comedunt eo die, quo semel tantùm comedere licitè possunt. Maior etiam in eo apparet indecentia, & oppositio ad præceptum ieiunij. Qua etiam de causa puto eum, qui mane sumpsit refectionem, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, quia ignorabat esse ieiunium, aut volebat iter suscipere, à quo postea impeditur, teneri ad seruandum reliquo die ieiunium, si potest, abstinendo à secunda refectione: licet nonnulli ex auctoribus suprà citatis contrarium sentiant.

40. Soluuntur argum. sententiæ negantis. Neque est difficile respondere argumentis secundæ sententiæ, quatenus obsunt nostræ modificationi. Nam ad primum dicendum est, sensum illum præcepti Ecclesiæ non esse certum: & si spectetur eius intentio, quæ est carnem domare per ieiunium, probabilius esse prohibere quamcunque aliam refectionem, præter vnicam: quia plures, quotquot sunt, aduersantur illi intentioni; & eò magis aduersantur, quò plures sunt. Quemadmodum si tempore belli prohiberetur ciuibus vrbe egredi, ne caperentur ab hostibus: magis peccaret contra hoc præceptum, qui longiùs ab vrbe vagaretur, quia maius periculum incurreret incidendi in manus hostium. Ad secundum respondeo, non omnes ita præceptum Ecclesiæ interpretari, & intentionem Ecclesiæ obesse huic interpretationi; plurimósque, & meritò existimare se transgressionem ieiunij continuare, & indecentiùs agere, longiúsque à præcepto ieiunij recedere, si post secundam refectionem, iterum atque iterum comedunt. Ideo autem plures illas refectiones post secundam non exprimunt in confessione, quia censent esse tantùm veniales, aut esse continuationem eiusdem peccati, quod per illas aggrauatur, & sufficienter explicatur dicendo ieiunium fuisse absolutè violatum. Porro explicare præceptum Ecclesiæ conformiter ad illius intentionem, non est illud ampliare. Alia verò est ratio de illis, quibus propter infirmitatem vel quid aliud, licitum est in die ieiunij sumere secundam refectionem. Nam isti non obligantur lege ieiunij: & præcepto cessante, non tenentur, vi illius, abstinere à pluribus refectionibus. Quemadmodum illi, qui sunt adeo infirmi, vt excusentur etiam ab esu carnium, possunt sæpius comedere carnes sine peccato. At illi, quorum respectu viget præceptum, peccant sine dubio quoties vescuntur carnibus, vt fatentur auctores secundæ sententiæ. Par autem est ratio vt peccent, saltem venialiter, qui plusquam semel, iterum atque iterum se reficiunt, si tenentur præcepto ieiunij quatenus præcipit semel tantùm in die sumere refectionem. Itaque Ecclesia habet rationem tertiæ, & quartæ refectionis, respectu eorum qui tenentur præcepto ieiunij: quamvis non habeat respectu aliorum, qui eo non obligantur: nam

circa illos perinde se habet præceptum, ac si non esset. Ad tertium respondeo probare tantùm non peccari grauiter in tertia, & quarta refectione, quod probabilius esse fatemur. Quamvis interdum contingat tertiam aut quartam refectionem notabiliter facere contra mortificationem, carnis, & victoriam concupiscentiæ intentam ab Ecclesia. Verùm in ferendis legibus humanis, spectatur id quod communiter euenit.

41. Respondetur argum. sententiæ affirm. Argumentis verò primæ sententiæ ita satisfaciendum est. Ad primum, dico præceptum negatiuum obligare pro semper ad id, circa quod cadit, & eo modo quo cadit. Præceptum autem semel tantùm comedendi in die ieiunij, vel cadit dumtaxat in secundam refectionem, ita vt tota die non possit sumi; quemadmodum vult secunda opinio. Vel grauiter cadit in secundam dumtaxat, & leuiter in alias, vt nos probalius esse existimamus, & fatentur aliqui ex auctoribus suprà citatis pro secunda sententia: nominatim Lessius dub. cit. num. 17. in fine. Neque par est ratio eius, qui sæpius in die celebrat. Nam singulæ celebrationes præter vnicam, grauiter prohibentur, omnium consensu: propter reuerentiam sacrificij, & humanam fragilitatem. Quia, vt bene ait Durandus quæst. cit. num. 13. huic Sacramento debetur summa veneratio, cum summa puritate, & deuotione. Et quia vix homo posset se pluries in die ad debitam venerationem, & deuotionem parare, præsertim cùm vires ad hoc minuantur per frequentationem: ideo concessum fuit tantùm semel in die Missam celebrare, nisi casus necessitatis aliud suadeat; & excepto priuilegio festi Natalis Domini. Huic autem rationi prædicti statuti obuiat tertia & quarta celebratio, non minùs quàm secunda. Secus verò est de præcepto ieiunij.

42. Ad secundum, patet ex dictis tertiam, & quartam refectionem non tam obesse, communiter saltem, fini Ecclesiæ præcipientis ieiunium, quàm secundam. In quo etiam est differentia inter eum qui sæpius edit cibos prohibitos. Nam qualibet refectio ex cibis prohibitis, si notabilis est, aduersatur notabiliter mortificationi carnis. Vnde censeo cum communi sententia, toties peccari mortaliter, quoties illi comeduntur, nisi tam parum sumatur, vt leuitas materiæ excuset à mortali. Ad tertium patet ex dictis quænam sit vera ratio cur excusentur à peccato, saltem mortali, tertia & quarta refectio.

43. Liceatne ieiunanti habere vinum extra refectioné? Quæritur quintò, an peccet contra præceptum ieiunij, qui sæpius in die vinum bibit vt se reficiat, & famem extinguat? Affirmant Ioann. Medina cod. de ieiunio, tract. 4. quæst. 11. §. *In his*, Reginaldus lib. 4. num. 153. & pauci alij, quibus fere accedit Azor. lib. 7. cap. 10. quæst. 7. §. *Sciendum*. Ratio illorum præcipua est, quia qui facit aliquid in fraudem legis, peccat contra legem. Sed qui sæpius vinum sumit vt se reficiat in die ieiunij, facit in fraudem legis. Dicitur enim facere aliquid in fraudem legis, ille qui saluis verbis legis, eius sententiam circumuenit, *L. Contra legem, ff. de legibus*.

Contraria sententia, & vera, est communis Theologorum: & in primis D. Thomæ quæst. 147. art. 6. ad 2. Cuius ratio est, quia potus, etiam vini, per se magis ordinatur ad sedandam alterationem corporis, & iuuandam ciborum digestionem, quàm ad nutritionem: licet aliquo modo nutriat, sed minùs quàm cibus, & per accidens: Vnde Ecclesia, eius rationem non habuit. Ad argumentum autem propositum dicendum est, non dici facere in fraudem legis eum, qui facit aliquid sibi licitum per legem. Lex autem ieiunij permittit sæpius sumere potum in die ieiunij. Nec obest quòd iste intendit refectionem. Nam Ecclesia non prohibet intentionem internam, sed externam refectionem cibi.

Quæritur sextò, an peccet mortaliter frangendo scilicet ieiunium, ille qui sine iusta causa, præuenit notabiliter tempus refectionis in die ieiunij? Affirmant Conar. lib. 4. Variar. cap. 20. num. 14. in fine, & Nauar. in Manuali, cap. 21. num. 27. Ratio præcipua est, quia dilatio refectionis notabiliter facit ad mortificationem carnis, multúmque auget difficultatem ieiunij. Ergo peccare contra illam, est peccare notabiliter contra ieiunium. Est autem notabilis præuentio, si duabus horis refectio anticipetur. 44. Sitne P.M præuenire tempus refectionis?

Contraria tamen sententia est communis, & vera. Quia per eiusmodi anticipationem non violatur substantia ieiunij, sed circunstantia quædam accidentalis, quæ non tanti momenti est, & circa quam magna fuit varietas in Ecclesia, vt patet ex dictis num. 32. Neque vrget ratio allata in contrarium. Nam sicut anticipatio horæ refectionis minuit difficultatem & mortificationem quæ sentitur ante refectionem: Ita auget illam quæ post sentitur vsque ad horam collatiunculæ. Quare non minuitur notabiliter mortificatio, & difficultas intenta per legem ieiunij. Quia tamen neque lex ieiunij, neque consuetudo permittit præuenire sine iusta causa: vt neque etiam mutare horam collatiunculæ in tempus refectionis: peccant venialiter qui sine causa id faciunt. Causæ verò excusantes à peccato veniali hac in parte sunt, si iter faciendum est, si concio habenda, si studendi labor, aut ieiunantis debilitas, vel difficultas dormiendi noctu sine refectione recens sumpta, vel quid aliud simile, id exigat. Respondetur negatiuè.

SECTIO V.

An ieiunium sit opus bonum, & ex præcepto necessarium? déque causis ab illo excusantibus.

45. Ieiunium commédatur in Scriptura. Circa primum: Ieiunium esse opus bonum patet ex Scriptura, quæ sæpius illud commendat, & laudat in vtroque Testamento. Vt Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna*. Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*. Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, &c. & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Vbi obiter nota contra Hæreticos huius temporis, ieiunium valere etiam ad merendum

apud Deum. Et 2. Cor. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate.*

Et à SS. Patrib. Idem patet 2. ex SS. Patribus, qui illud idem commendant, & simul eius vtilitates exponunt. Vt Athanas. in lib. de virginit. *Amplectamur,* inquit, *valde ieiunium. Magnum enim munimentum est, &c. Dæmones fugat, maláſque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit.* Basilius orat. 1. de ieiunij laudibus, *Ieiunium,* inquit, *Prophetas genuit, potentes confirmat, atque roborat. Ieiunium legislatores sapientes facit, animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum & arma, athletis exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est, &c.* Chrysostomus tom. 5. veteris editionis, homilia 1. de ieiunio, *Ieiunium Angelorum imitatio est pro nostra virili, contemptus præsentium, Schola precum, alimonia animæ, frænum oris. Mitigat concupiscentias, vt sciunt qui ieiunant: mitigat voluptates, non ignorant qui tentarunt: mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram facit animam, alleuiat carnem, fugat nocturnas fœditates, ab ebrietate liberat, capitis dolores tollit, claros affert & colores, & aspectus, &c.* Cyprian. vel alius auctor Serm. de ieiunio & tentationibus Christi, *Ieiunijs vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Æthnæ incendium, &c.* Ambros. lib. de Elia, & ieiunio cap. 4. *Gula nudos facit: Ieiunia operiunt & exutos. Vnde Dominus ait per Psalmistam,* Psal. 68. *Operui in ieiunio animam meam. Bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.* Leo Serm. 2. de ieiunio decimi mensis, *Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur, virtutibus spiritus innouatur.*

Fuit à Sanctis frequentatum. Probatur tertiò, exemplo Sanctorum, & Apostolorum ipsorum, ac Christi Domini, qui suo exemplo ieiunium esse bonum & vsurpandum docuerunt. Christus quidem Matth. 4. quadraginta diebus, & noctibus continuis post baptismum ieiunauit: ad cuius imitationem institutum fuit, & præceptum ab Apostolis, ieiunium Quadragesimale, vt dicemus paulò post. De ipsis verò Apostolis sic dicitur Act. 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus, dimiserunt illos.* De sanctis quoque illustribus primitiuæ Ecclesiæ patet ex Athanasio in vita Sancti Antonij, Hieronymo in vita Pauli Eremitæ, & Hilarionis, & in Epitaphio Paulæ, Theodoreto in vita Simeonis Stylitæ, Sulpitio in vita S. Martini, Palladio in Lausiac. & Cassiano pluribus locis. Vt omittam ieiunia Moÿsis, Eliæ, Danielis, Dauidis, & aliorum Sanctorum veteris Testamenti. Atque hæc veritas adeo clara est, vt in ea fusiùs probanda superuacaneum esset ampliùs immorari.

Circa secundum, Dico primò ieiunium esse necessarium ex præcepto, partim diuino, & partim Ecclesiastico. De diuino probatur, quia iure diuino, atque etiam naturali, tenemur ieiunare, quando id iudicatur esse necessarium vel ad carnem spiritui subjiciendam, & vincendas tentationes, præsertim libidinis: vel ad Deum placandum, & diuina flagella auertendâ. Nam vt rectè ait D. Thomas quæst. 147. art. 3. quia ieiunium vtile est ad deletionem & cohibitionem culpæ, & ad eleuationem mentis in spiritualia: vnusquisque ex naturali ratione tenetur (ac proinde iure diuino, confirmante quidquid iure seu ratione naturali necessarium est) tantùm ieiunijs vti, quantùm sibi necessarium est ad prædicta. Porro non vrget hæc necessitas quando suppetit aliud medium sufficiens ad fines prædictos. Tunc enim vnicuique liberum est hoc aut illud assumere, spectato præcisè solo iure naturali, vel diuino. Et quia id raro contingit, raro etiam necessarium esset ieiunare attento solo iure naturali, aut diuino, nisi accederet Ecclesiasticum. De quo 46. Est in præcepto diuino, & Ecclesiastico.

Dico secundò, ieiunium ex præcepto solùm Ecclesiastico certis quibusdam & determinatis diebus esse necessarium. Hæc conclusio est contra nonnullos, qui putant ieiunium, saltem quadragesimale, esse institutionis & præcepti diuini. Quibus fauere videntur aliqui Patres: vt Tertullianus lib. de ieiunio contra Psychicos cap. 2. vbi de Catholicis sui temporis sic ait: *Nam quod ad ieiunia pertinet, certos dies à Domino constitutos opponunt.* Et Ambros. Serm. 25. vbi sic habet: *Non leue peccatum est fidelibus indictam à Domino quadragesimam violare: & ieiunia consecrata, ventris voracitate dissoluere.* Et paulò post, *Si ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluerit, morti addicitur: qui sciens à Christo indictum resoluit, quid meretur?* Et August. in Psal. 110. vbi dicit quadragesimam nobis præcipi ex lege, & ex Prophetis, & ex ipso Euangelio: & S. Leo Serm. 12. de quadragesima, vbi eam vocat *ieiunia diuinitus instituta.* 47. Ecclesiasticum ad certos dies obligat.

Verùm, quòd ipsum etiam quadragesimale ieiunium sit tantùm præcepti Ecclesiastici, comprehendendo Apostolicum sub Ecclesiastico, quódque non ab ipso Christo, sed ab Apostolis vt Ecclesiæ rectoribus institutum fuerit, docent communiter Theologi: & colligitur ex Tertulliano lib. de ieiunio contra Psychicos cap. 2. vbi de Catholicis sui temporis sic ait: *Certe in Euangelio illos dies ieiunijs determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus,* id est, dies Quadragesimæ: *& hos esse iam solos legitimos dies ieiuniorum Christianorum, abolitis legalibus & Propheticis vetustatibus, &c. Itaque de cetero ieiunandum indifferenter ex arbitrio, non ex imperio noua disciplina, pro temporibus & causis vniuscuiusque. Sic & Apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum, & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum.* Hæc ille: vbi nota quadragesimale ieiunium dici à Catholicis secundi post Apostolos sæculi, esse iugum ab Apostolis impositum. Et Hieron. in Epist. ad Marcellam aduersus Montanum, *Nos* 48. Ieiunium quadrag. est tantùm institutionis Apostolicæ.

vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Et S. Leo Serm. 9. de Quadragesima, *A Sanctis Apostolis*, inquit, *per doctrinam Spiritus sancti, maiora sunt instituta ieiunia.* Et Serm. 6. de Quadragesima, vocat ieiunium quadraginta dierum, institutionem Apostolicam. Idem quoque significat Clemens Rom. lib. 5. Constitut. cap. 12. vbi præceptum ieiunij quadragesimalis recenset cum alijs præceptis positiuis Ecclesiast. celebrandi festa quædam. Adde quòd magna in Ecclesia fuit varietas circa ieiunium quadragesimale quoad tempus, & modum abstinendi: vt patet ex dictis num. 30. & 32. Aliquando etiam tempus eiusdem ieiunij fuit breuiùs, aut longiùs protractum: & Ecclesiæ Prælati circa illud dispensant interdum quoad ciborum qualitatem. Quæ omnia non fierent, si fuisset iure diuino præceptum & determinatum. Nam lex humana, vel consuetudo non præualet iuri diuino, & non potest illud mutare, vel abrogare.

49. Soluuntur argumenta contraria. Neque vrgent quæ in contrarium allata sunt ex Patribus. Ad primum enim respondeo, patere ex verbis Tertulliani posteriore loco relatis, quo sensu Catholici intellexerint dies illos ieiunij fuisse à Domino constitutos. Nimirum non per seipsum, sed per Apostolos auctoritate & potestate sibi ab eo concessa. Ambrosius verò, cùm ait Quadragesimam à Domino fuisse indictam, intelligit similiter, per Apostolos, instinctu diuino: vel etiam quia Christus exemplo suo eam nobis commendauit, quod exemplum, accedente præcepto Apostolico, edicti loco & mandati nobis esse debet. Similique modo D. Augustinus, loco citato, intelligendus est: iuxta id quod ait Epist. 119. ad Ianuarium cap. 15. *Quadragesima sane ieiuniorum habet auctoritatem & in veteribus libris, ex ieiunio Moisi & Eliæ: & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à lege, & Prophetis.* Leo denique eodem sensu affirmat, quadraginta dierum ieiunia fuisse diuinitus instituta: quatenus Christus illorum nobis exemplum dedit suo ieiunio, quod pro nostra tenuitate, & fragilitate imitari conamur: quamvis illud fuerit longè excellentius, quandoquidem Christus ab omni cibo & potu, toto eo tempore, prorsus abstinuit.

50. Soluitur obiectio præcedenti opposita. Contrà verò, ad probandum quòd ne quidem ab Apostolis institutum fuerit quadragesimale ieiunium, objici potest illud Augustini Epist. 86. ad Casulanum, post medium, *Ego in Euangelicis, & Apostolicis literis, totóque instrumento quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video preceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare & quibus oporteat, precepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.* Sed respondendum est Augustinum dicere solùm se id non inuenire Scriptum in nouo Testamento, in quo fatemur non fuisse id expressum. Non negare autem quòd Apostoli viua voce præceptum illud Ecclesiæ tradiderint, vt affirmant Hieronymus, & alij suprà citati: sicut & præceptum sumendi Eucharistiam ante sumptionem cuiuscunque alterius cibi, aut potus; & alia quædam; vt testatur idem Augustinus Epist. 118. ad Ianuar. Ad probandum verò ieiunium illud fuisse ab Apostolis, institutum, valet quod ait idem S. Doctor lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 24. Institutionis Apostolicæ censendum esse quidquid in tota seruatur Ecclesia, & nusquam in Concilijs reperitur institutum: quod de ieiunio quadragesimali verissimum esse patet ex Concilio Nicæno primo, Canone 5. vbi illius velut antiquioris, & ab omnibus iam antea obseruati, mentionem facit: & ex Patribus suprà citatis, qui præcesserunt Ecclesiæ Concilia: ac denique nullum proferri potest Concilium in quo facta sit prima illius institutio.

51. Ecclesia potuit certos dies ieiunij præscribere. Dico tertiò, Ecclesiam conuenienter præcepisse certos dies ieiunij, eiusque præceptum obligare fideles in conscientia, & sub peccato. Hæc assertio est indubitata apud Catholicos: rectéque probatur à D. Thoma, quæst. 147. art. 3. c. quia sicut, inquit, ad Principes sæculares pertinet præcepta legalia iuris naturalis determinatiua tradere de his quæ spectant ad communem vtilitatem in rebus temporalibus: ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad vtilitatem communem fidelium pertinent in bonis spiritualibus. Atqui ieiunium est aliquo modo iuris naturalis, vt patet ex dictis num. 46. & pertinet ad communem vtilitatem fidelium: valet enim ad vitia comprimenda; mentem purgandam, & eleuandam; virtutem fouendam, & augendam; aliosque fines bonos, vt constat ex dictis initio Sect. Ergo pertinuit ad Prælatos Ecclesiasticos determinare tempus & modum ieiunandi secundùm conuenientiam & vtilitatem populi Christiani.

52. Ecclesia vsa est hac potestate, in præcipienda Quadragesima. Hac autem potestate vsam fuisse Ecclesiam per Apostolos, & per alios Prælatos eorum successores, & ad certa ieiunia nos suo præcepto adstrinxisse, probatur primò ex dictis concl. 2. de ieiunio quadragesimali, instituto & præcepto ab Apostolis vt Ecclesiæ rectoribus. Nam quòd ieiunium illud fuerit necessarium ex præcepto, patet ex verbis Ambrosij, & Tertulliani, ibi relatis: quibus adde Hieronymum in Epist. ad Marcellam, vbi postquam dixit fideles quotannis vnam quadragesimam ieiunare, secundùm traditionem Apostolorum: hæc addit: *Non quòd & per totum annum ieiunare non liceat: sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate offerre.* Significans ieiunium illud fuisse necessarium ex præcepto, alia verò esse voluntaria & libera. Intellige, nisi etiam quædam alia ab Ecclesia præciperentur. Nam quòd etiam tunc, & prioribus sæculis, solerent alia præcipi à Prælatis Ecclesiæ, constat ex Tertulliano lib. de ieiunio contra Psychic. cap. 13. vbi sic ait de Catholicis: *Bene autem quod & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent.* Loquitur enim ibi Tertull. de ieiunijs extra quadragesimam, vt patet ex eo, quòd inde vult inferre, potuisse Montanum præcipere secundam, & tertiam quadragesimam, vltra primam ab Apostolis institutam: sicut Episcopi Catholici poterant alia præcipere ie-

iunia. Et Basil. orat. 2. de ieiunio, sic loquitur de Quadragesima: *Omnes aequaliter & praeceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt, &c. Vide ne propter paruam eduliorum voluptatem & prioeris Angeli recensione, & teipsum, apud eum qui recensuit exercitum, obnoxium facias desertoris crimini.* Et Theophilus Alexandrinus orat. 3. Pasch. affirmat grauiter peccare eos, qui decretum Ecclesiae violant circa ieiunium quadragesimale, *Nescientes*, inquit, *quod etiamsi conscientiam hominum fugiunt, & clausis parietibus vescuntur carnibus, diebus quadragesimae, corripiat huiuscemodi Dominus, & dicat: Iniquitates magnas faciunt isti, vt recedant à Sanctis meis.*

52. Et alijs quibusdã ieiunijs. Probatur secundò ex Concilio Gangrensi can. 19. vbi generaliter de ieiunijs ab Ecclesia indictis sic asserit: *Si quis eorum qui continentiae student, absque necessitate corporea, ieiunia, quae communiter custodiuntur ab Ecclesia, dissoluat, anathema sit.* Idémque, & iisdem fere verbis repetitur in Concilio Moguntino sub Carolo Magno, can. 35. vbi statuitur vt qui ieiunium obseruare cum Christianis caeteris noluerit, vt in Concilio Gangrensi praecipitur, anathematizetur, nisi emendare se studeat. Epiphan. quoque haeresi 75. August. lib. de haeresibus, haer. 53. & Damasc. lib. etiam de haeresib. inter Aërij haereses hanc referunt, quòd negaret se lege ieiuniorum teneri; diceretque ieiunia debere esse libera, ne alioqui videamur sub iugo seruitutis legis Mosaïcae contineri. Verba illius apud Epiphan. haec sunt: *Sed neque ieiunium erit ordinatum. Haec enim Iudaïca sunt, & sub iugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita: sed & matricidis, & reliquis. Si verò omnino volo ieiunare, qualemcumque eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatem.* Et August. suprà, dicit illum, in Arianorum haeresim lapsum, propria quoque dogmata addidisse nonnulla; dicendo, Orare, vel offerre pro mortuis oblationes non oportere; neque statuta solemniter celebranda esse ieiunia: sed cùm quisque voluerit, ieiunandum, ne videatur esse sub lege. In quam haeresim lapsi sunt huius temporis Sectarij, & nominatim Caluinus lib. 4. Institut. cap. 12. affirmantes obligationem praecepti ad ieiunandum, pertinere ad seruitutem legis veteris, à qua Christus nos liberauit; neque posse Ecclesiam nos illi subijcere: ac denique superstitionis esse Iudaïcae ieiunare velut ex obligatione.

54. Refutatur error contrarius. Qui error iampridem damnatus ab Ecclesia, planè stolidus est. Neque enim sumus sub lege Mosaïca, quamvis ieiunia obseruemus ab Apostolis instituta, & ab Ecclesia praecepta. Et Christus nos eximens à iugo legis Mosaïcae, non propterea exemit ab obedientia debita legitimis Ecclesiae Praelatis, quam potiùs expressè commendat, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, &c.* Et Paulus Hebraeorum 13. *Obedite praepositis vestris, & subiacete eis.* Ac si possunt Superiores temporales obligare suis praeceptis in conscientia, vt expressè affirmat idem Apost. Rom. 13. multò magis Superiores Ecclesiastici. Et quamvis ieiunia praecepta fuerint in lege Mosaïca; non idcirco praecipi nequeunt in lege Euangelica: neque sunt opera purè figuratiua & ceremonialia: sed sunt opera de se bona, & iuris naturalis in communi, vt suprà diximus; ideóque possunt praecipi conuenienter in quavis lege: sicut eleemosyna, oratio, & alia eiusmodi bona opera, ad legem naturalem in communi, vel in particulari pertinentia. Nec obest quòd Ecclesia praecipit aliqua ieiunia Iudaïcis similia, nempe ea quae quatuor anni temporibus indixit: nam alia ieiunia, quadragesimae scilicet, & vigiliarum, non erant praecepta in lege Mosaica. Hoc, inquam, non obest; quia lex illa praecipiebat etiam multa bona opera nostris similia, vt opera misericordiae, & poenitentiae, quae nihilominus in lege noua praecipiuntur. Cúmque ieiunia Iudaïcis similia praecipiuntur ab Ecclesia, vt ieiunia quatuor temporum; non praecipiuntur vi illius legis, neque quatenus erant ceremonialia, & figuratiua: sed alia de causa, & ob alios fines legi Euangelicae congruentes. Nam vt rectè ait S. Leo Serm. 7. *de ieiunio septimi mensis*. Quòd ieiunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subjicimus: sed vtilitatem continentiae, quae Christi Euangelio seruit, amplectimur.

Dico quartò, obligationem praecepti de ieiunio esse de se grauem, & obligare sub poena peccati mortalis: illámque obligationem adhuc vigere, non obstante multorum consuetudine contraria. Prima pars huius assertionis est contra nonnullos, quorum meminit Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 5. num. 32. affirmantes non obligare sub mortali, nisi violetur vel ex contemptu, id est, eo fine vt praeceptum Ecclesiae, aut opus ieiunij contemnatur: vel ex consuetudine; quia, inquiunt, consuetudo est quidam contemptus interpretatiuus praecepti. Quod etiam censent de omnibus alijs praeceptis humanis. Sed contrà, quia Ecclesia simpliciter & sine modificatione praecipit ieiunium: quod est res de se grauis. Ergo grauiter ad illud obligat. Nam, vt patet ex dictis in tract. de legibus, quando legislatores praecipiunt simpliciter aliquid, & sine modificatione; accommodant se materiae praecepti: ita vt de grauitate obligationis iudicandum sit ex grauitate rei praeceptae absolutè. Quod etiam verum est de praeceptis ipsius Dei, qui non minùs vult salutem nostram, quàm Ecclesia: neque minùs nouit fragilitatem hominum, illique se accommodat, vt ne laqueum damnationis injiciat. Deinde, Canones Ecclesiastici grauibus poenis mulctant transgredientes praeceptum ieiunij, nulla facta mentione contemptus. Ergo censet Ecclesia graue peccatum committi à transgredientibus, etiam secluso contemptu. Antecedens patet ex Canone 68. Apostolorum vbi statuitur vt laïci priuentur communione, si non ieiunauerint diebus ab Ecclesia praeceptis: Clerici verò deponantur ab officio. Et in Concilio Gangrensi, & Mogunt. supra cit. anathematizantur qui contra fecerint. Patres quoque suprà relati clarè significant graue illud peccatum esse: vt Ambrosius, cùm dicit Serm. 25. Non leue peccatum esse indictam à 55. Praeceptũ ieiunij grauiter obligat.

Domino Quadragesimam violare; & ieiunio consecrata, ventris voracitate dissoluere: & Theophilus Alexand. quando peccatum illud vocat *iniquitatem magnam*.

56. Non illi derogauit consuetudo. Secunda pars eiusdem assertionis est etiam contra nonnullos existimantes præceptum hoc ieiunandi, ijs in locis, in quibus à viginti vel quadraginta annis non fuit hactenus seruatum, iam abrogatum esse per contrariam consuetudinem, etiamsi diebus Dominicis sæpius in anno publicetur in Pronis Ecclesiasticis per Parochos, & initio quadragesimæ per concionatores. Primò quia, inquiunt, omnes antiqui ieiunabant tribus diebus Rogationum, vt patet ex cap. *Rogationes. dist. 3.* de Consecrat. & in Aduentu quoque Domini, vt habetur *Extra, de obseruatione ieiuniorum, cap. Consilium nostrum*: quæ ieiunia iam sunt abrogata per contrariam consuetudinem. Item, multi excusantur ab audiendo sacro diebus festis ratione consuetudinis: vt verbi gratiâ, viduæ quarum mariti recens mortui sunt, & propter hoc se domi continent.

Soluuntur argum. cõtraria. Sed hæc argumenta leuia sunt, & illorum sententia caret omni probabilitate. Nam quod aiunt de Rogationum & Aduentus ieiunijs iam abrogatis, non est ad rem. Nusquam enim iam promulgantur ista ieiunia. Itaque non est mirum si eorum obligatio cessauit per contrariam consuetudinem: quia illorum promulgatio iam à multis annis omissa fuit, & Prælati non restiterunt consuetudini, sed potiùs illi tacitè saltem consenserunt. Secus autem res se habet de præcepto ieiunandi, vt mox dicam. Non est quoque ad rem quod afferunt de viduis. Quia longe diuersa sunt, aliquem eximi à lege ob causam legitimam; &, legem ipsam abrogari. Nullum est enim præceptum Ecclesiæ, à quo legitima causa excusare non possit vel vnum, vel plures: non tamen idcirco abrogantur omnia Ecclesiæ præcepta, sed alios omnes obligant qui talem excusationis causam non habent. Ex. gr. excusantur quidem ab audiendo sacro viduæ supradictæ: sed præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam manet quoad alios. Deinde, consuetudo non potest abrogare legem vi præscriptionis, nisi fuerit legitimè præscripta, *Extra, de consuetudine, can. finali.* Et sine possessione præscriptio non procedit, *de regulis iuris in 6. regula 3.* Hæc autem possessio debet esse pacifica, & non interrupta, *Extra, de præscriptionibus, can. 1. & 3.* Atqui consuetudo contra ieiunia Ecclesiæ, de quibus loquimur, non fuit talis. Nam Prælati Ecclesiæ se illi semper opposuerunt, & sæpius opponunt singulis annis, præcipientes ea seruari, per Parochos, & concionatores, atque interdum per seipsos. Quare consuetudo illa non fuit pacifica, & præscribere non potuit. Sed neque etiam sine præscriptione longi temporis potuit legem abrogare. Nam ad hoc requiritur vt superiores, seu legislatores tacitè saltem consentiant. Non consenserunt autem consuetudini, de qua loquimur; quippe cui expressè contradixerunt.

57. Dico quintò, obligationem præcepti Ecclesiastici de ieiunio ad omnes fideles pertinere, ita vt omnes & singuli teneantur ieiunare diebus iniunctis ab Ecclesia, nisi excusentur aliquâ causâ legitimâ. Hæc assertio est contra Beguardos, & Beguinas, damnatos in Concilio Viennensi sub Clemente V. quorum tres primi errores hi erant: I. *Hominem hac in vita, tantum, & talem perfectionis gradum posse acquirere, vt reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratiâ proficere non valeat.* II. *Ieiunare non oportere hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assequutus: quia in eo sensualitas ita perfecte spiritui & rationi subiecta est, vt homo possit corpori concedere liberè quidquid placet.* III. *Quòd illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ, neque ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur. Quia vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Hæc illi: quorum fundamentum fuit alibi refutatum in hoc ipso tract. disp. 17. Sect. 7. & tom. 2. disp. 43. Sect. 4. vbi ostendimus neminem tantam perfectionem assequi hac in vita, vt maiorem non possit. Quare ex hoc capite non potest excusari ab obligatione ieiunij, & aliarum legum Ecclesiasticarum. Neque ille fuit sensus Patrum supra relatorum, & aliorum Sanctorum, qui quamuis magnam adepti perfectionem, ieiunia tamen ab Ecclesia indicta exactissimè seruarunt, & plura alia voluntariè addiderunt: ita vt nonnullorum vita ieiunium fere perpetuum fuerit, vt Pauli, Antonij, Hilarionis, Martini, & aliorum, de quibus supra; Meritò itaque Sanctus Leo Sermone 11. de quadragesima, dicit maximi sacratissimique ieiunij obseruantiam vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiari. *Quia nemo tam Sanctus est, vt non Sanctior; nemo tam deuotus est, vt non debeat deuotior esse.* Pertinet ad omnes fideles.

58. Confirmatur, quia præceptum Ecclesiæ de ieiunio, latum est vniuersaliter fidelibus, & verbis generalibus, de se omnes comprehendentibus; vt patet ex testimonijs Patrum, & Canonibus suprà relatis. Causa etiam præcepti est communis omnibus: nimirum castigatio carnis vt meliùs subjiciatur spiritui, eleuatio mentis in Deum, vitiorum extinctio, & satisfactio pro peccatis, virtutis augmentum, & præmij æterni meritum. Quare meritò Ecclesia his de causis vniuersaliter ieiunium præcepit. Atque ita eius præceptum intelligunt S. Thom. quæst. 147. art. 4. cæterique Theologi, qui communi consensu docent ad ieiuniorum Ecclesiæ obseruationem vniuersos fideles obligari, nisi habeant legitimam excusationem, seu rationabile impedimentum, quod obseruantiæ statuti repugnet.

59. Causæ excusantes à ieiunio. Huiusmodi causæ generaliter loquendo tres sunt, vt communiter tradunt Doctores: Infirmitas, siue impotentia, labor, & pietas. Infirmitatis titulo excusantur infantes, & iuuenes vsque ad annum 21. expletum. Quia, vt ait S. Doctor art. cit. ad 2. indigent illi multo nutrimento, propter necessitatem augmenti: nam corpus eò vsque multùm crescit. Et quamuis etiam tunc conueniens sit eos ad ieiunium exerceri: imò debeant, quando incipiunt feruore sanguinis ad motus libidinis excitari; maluit tamen Ecclesia huius necessitatis deter-

minationem relinquere prudentiæ confessarij. Excusantur etiam eodem titulo infirmi, quia exiguo, & frequenti cibo indigent: & senes, id est, illi quibus propter ætatem vires corporis notabiliter deficere incipiunt: quod communiter contingit anno sexagesimo. Quibusdam tamen citiùs & alijs etiam tardiùs, qui propterea tenentur, si constat certò aut euidenter posse adhuc sine incommodo ieiunium seruare. In dubio autem non tenentur experiri; quia experimentum periculosum est. Possunt etiam ijdem habere rationem conseruationis virium, & prudenter consulere prorogationi vitæ. Neque est improbabile quod affirmant Sanchez lib. 7. de Matrim. disput. 32. num. 17. Anglez in 4. p. 2. quæst. 6. dub. 6. Emm. Sa. V. *Ieiunium*, n. 9. alijque multi, quos refert & sequitur Diana p. 1. tract. 9. resolut. 20. neminem obligari ad ieiunium post annum sexagesimum: sicut neque ante vigesimum primum. Excusantur præterea nutrices, & prægnantes; quia egent multo cibo, pro se, & pro fœtu, vel alumno. Itémque pauperes non habentes sufficiens alimentum ad vnicam refectionem.

60. Ratione verò laboris excusantur agricolæ, & fabri ferrarij, lignarij, cæmentarij, sutores, & alij qui opera exercent dura & laboriosa, ita vt non possint cum ieiunio ea commodè præstare. Neque tenentur abstinere à labore vt ieiunent, quamvis aliunde habeant vnde viuere possint, & familiam sustentare. Non tenentur etiam ieiunare diebus festis quibus non laborant; sed possunt reficere, & conseruare vires, vt alijs diebus laborent. Idémque dico de famulis seruientibus in operibus valde laboriosis: déque viatoribus, saltem pedestribus: modò tamen non suscipiatur iter tempore ieiunij de industria, in fraudem legis. Equites quoque excusantur si longum iter suscipiunt, & probabile sit passuros esse à ieiunio nimiam debilitatem. Quod verum etiam est de illis qui curru, aut lecticâ iter agunt posito verè tali periculo. At non excusantur præcisè ratione laboris pictores, sartores, sculptores, tonsores, & similes, quorum opera leuis & facilis est.

61. Ratione denique pietatis excusantur illi, qui exercent opera præstantiora, vel magis necessaria, quæ cum ieiunio præstare nequeunt. Vt qui concionantur, vel administrant Sacramenta infirmis, & alijs qui docent publicè, & alia munia pia obeunt, si verè nequeunt ieiunando ea obire. Excusant etiam aliqui coniuges, si alioquin sunt impotentes ad debitum reddendum, adiuncto saltem periculo incontinentiæ nisi reddant: & vxorem prohibitam à marito, timente eius valetudini, aut formæ; secus autem si prohiberet in contemptum Religionis, aut virtutis. Ita Fumus. V. *Ieiunium*, §. 4. Tabiena tom. 3. disp. 9. Punct. 5. a. 2. Azor lib. 7. cap. 28. Toletus lib. 6. Instruct. cap. 4. Sa. V. *Ieiunium*, num. 3. Nauarr. cap. 21. Manualis, & plures alij. Porro in dubio num quis aliqua ex his causis excusetur, recurrendum est ad superiorem, si fieri possit, & petenda est dispensatio: id est, ad Episcopum, aut Parochum, vt dixi suprà de abstinentia cibotum. Quorum loco Religiosi habent superiores quibus subsunt. Quòd si non potest recurri; deponendum est dubium, & in benigniorem partem interpretandum, iuxta ea quæ diximus in tract. de actibus humanis, disp. 14. Sect. 3. Vtrum autem peregrini & viatores teneantur seruare ieiunia particularia locorum per quæ transeunt, aut ea quæ seruantur in suo territorio, constat ex dictis in tract. de legibus, disp. 28. Sect. 4. Notandum verò est non quicunque excusantur à ieiunio quoad abstinentiam, multiplici refectione, excusari simul quoad abstinentiam à cibis illicitis, præsertim à carnibus. Nam ad hoc requiritur specialis impotentia viuendi sine illis, de qua in dubio iudicium ferre spectat præcipuè ad medicos.

SECTIO VI.

De vitio Gulæ, opposito Abstinentiæ.

Abstinentiæ, sumptæ pro moderatione circa cibum, opponitur Gulæ vitium, id est, inordinatus appetitus & vsus cibi. Quod vitium quinque præcipuè modis committitur, enumeratis à D. Thoma, quæst. 148. art. 4. argumento 1. & hoc versu comprehensis, 62. Peccatū Gulæ quid sit, & quot modis committatur?

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Quinque enim modis (vt ait S. Gregorius Magnus, verbis ibidem relatis à D. Thoma) nos Gulæ vitium tentat. Aliquando scilicet indigentiæ tempora præuenit. Aliquando lautiores cibos quærit. Aliquando, quæ sumenda sunt, præparari accuratiùs appetit. Aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit. Aliquando ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat. Ratio huius diuersionis hæc redditur à D. Thoma, in corpore eiusdem articuli: Quia Gula importat inordinatam concupiscentiam edendi. In esu autem duo considerantur: scilicet ipse cibus qui comeditur, & eius comestio. Potest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi dupliciter. Vno quidem modo, quantùm ad ipsum cibum qui sumitur. Et sic, quantum ad substantiam vel speciem cibi quærit aliquis cibos *lautè*, id est, pretiosos: nimirum suprà quàm conditio personæ permittat: vt si vir plebeius nolit comedere nisi perdices, & phasianos. Quantum ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, id est, *studiosè*: Vt si idem nolit quidquam comedere nisi saccharo conditum. Quantum ad quantitatem, excedit in *nimis* edendo, nimirum plus quàm natura requirat, aut permittat lex abstinentiæ. Alio modo attenditur inordinatio concupiscentiæ quantum ad ipsam sumptionem cibi: vel quia præuenit debitum tempus comedendi, quod est *præproperè*. Quò etiam pertinet, si sæpius comedat, quàm par sit: si edat ante communionem: si in loco indebito, putà, in templo, & tempore sacri, nolens expectare donec domum redierit. Vel denique peccat quia non seruat modum debitum in edendo, quod est, *ardenter*. Putà, si voraciter comedat, canum aut leonum more.

Lib. 30. Moral. cap. 27. alias 13.

63\. Præter hos quinque modos potest aliter peccari vitio Gulæ, circa qualitatem cibi, si quis cibos illicitos comedat, & prohibitos vel iure positiuo, vt si tempore quadragesimæ vescatur carnibus sine legitima excusatione: vel etiam iure naturali, vt si quis comedat cibos noxios, purà carbones; vel horribiles naturæ & execrandos, vt carnes humanas, saltem non excusante extrema necessitate, qua de re paulò post.

Quando-nam est mortale? Addit S. Doctor. art. 2. quæst. cit. peccatum Gulæ non esse mortale, nisi quando hominem auertit à fine vltimo. Quod contingit, inquit, quando delectationi Gulæ inhæret homo tanquam fini propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere vt delectationes huiusmodi assequatur: id est, quando aliquis, vt Gulæ satisfaciat, paratus est graue aliquod Dei præceptum violare: putà, rapere alienum, aut non restituere, vt habeat vnde lautè viuat: vel si vt Gulæ satisfaciat, est sibi causa scienter & liberè grauis incommodi corporalis, aut spiritalis: grauis morbi scilicet, aut tentationum carnis, & motuum libidinis, cum graui periculo succumbendi, aut grauis alterius mali. Vel si cibos comedit grauiter prohibitos iure naturali, aut positiuo: vt carnes humanas, aut cibos interdictos diebus ieiunij, vel abstinentiæ, statutis ab Ecclesia; multóque magis, si in Gulæ voluptatibus summum bonum & finem suum vltimum constitueret, viueretque vt ederet, sicut pingues & nitidi faciunt Epicuri de grege porci.

64\. Filiæ Gulæ. Ex hoc vitio veluti capitali oriuntur quinque alia, quæ D.Thomas eâdem quæst. 148. art. 6. exponit, & Gulæ filias appellat, post Gregorium Magnum, lib. 31. Moral. Nimirum inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam. Nam, inquit, ex immoderatione cibi & potus hebetatur animus, propter fumositates ciborum, perturbantes caput. Sicut è contrario abstinentia confert ad Sapientiæ perceptionem, iuxta illud Ecclesiastici 2. *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad Sapientiam.* Deinde, quasi sopito, per immoderantiam cibi, & potus, gubernaculo rationis, erumpit animus in ineptam lætitiam, corpore bene pasto; & in verba inordinata, seu multiloquium; & in scurrilitatem, id est, iocularitatem quandam prouenientem ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba: ita non potest cohibere exteriores gestus. Ex eadem denique immoderatione cibi & potus oritur immunditia, siue quoad inordinatam emissionem quarundam superfluitatum, & fœdarum excretionum, siue specialiter quoad emissionem seminis.

65\. Licetne vesci carne humana. Disputant hoc loco Recentiores, vtrum in aliquo casu liceat vesci carne humana? Consentiuntque omnes esse graue peccatum eas comedere sine necessitate. Sed in extrema necessitate licitum esse docent Abulens. in lib. 4. Reg. cap. 6. quæst. 32. Caiet. 2. 2. quæst. 148. art. 2. ad 2. argumentum Martini. Toletus lib. de peccatis mortalibus cap. 60. Less. lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 10. cuius præcipuum argumentum est, quia licitum est, inquit, medicinæ causâ vti carne humana condita, vt vsus receptus declarat in mumia, quæ nihil aliud est, quàm caro corporis humani, cum pretiosis vnguentis sepulti. Quidni ergo in extrema necessitate famis, quæ morbi maximi instar est, liceat vesci eâdem non conditâ? Licitum est etiam haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis extractum, ad conciliandum vigorem corpori senili, vt præscribunt aliqui Medici, & ad senectutem prorogandam. Quidni ergo id liceat vitæ conseruandæ causâ in extrema necessitate famis? Nec obest quòd alimentum debet esse ignobilius alito, secundùm rectum ordinem: quippe quod per sui destructionem ordinatur ad edentis conseruationem, & ex gradu inferiori ad superiorem euehitur: sicut plantæ aluntur succo terræ, brutæ animantes plantis, homines brutis animantibus. Nam caro humana mortua, vel sanguis humanus, est res inferior homine: & cadauer hominis potest criminis causâ licitè exponi feris, vel auibus edendum, & dilaniandum. Quidni ergo necessitatis extremæ causâ possit edi ab hominibus? Sententia affirmās.

66\. Sententia negans. Contrarium sentiunt Victoria in relect. de Temperantia num. 6. Valent. disp. 9. quæst. 3. p. 1. §. *Ex quibus rationibus*, & alij, quibus fauet S. Thom. quæst. 141. art. 4. ad 3. vbi significat comestionem carnis humanæ esse vitium contra naturam, perinde ac Sodomiam & Bestialitatem: adeóque esse per se, & intrinsecè malam. *Illa vitia*, inquit, *quæ excedunt modum humanæ naturæ, sunt magis exprobrabilia, &c. sicut si aliquis delectatur in comestione carnium humanarum, aut in coitu bestiarum, aut masculorum.* Atque hoc primum & præcipuum est huius sententiæ argumentum: quia scilicet vesci carne humana per modum cibi, est per se & intrinsecè malum, vt patet ex verbis relatis D. Thomæ. Quod autem est per se & intrinsecè malum, non potest esse licitum in vllo casu: quia non potest desinere esse malum. Addunt secundò hunc esse communem hominum sensum. Nam semper barbarum, inhumanum, & crudele habitum est, cùm etiam in extrema necessitate, vt in vrbium obsidionibus, carnes humanæ fuerunt in cibum assumptæ. Vt patet ex 4. Reg. 6. Et ex Iosepho lib. 7. de bello Iudaïco cap. 8. alijsque historicis.

67\. Iudicium de vtraque. Vtraque sententia probabilis est, propter graues auctores quibus placet, & rationes eorum probabiles. Quibus tamen non est difficile respondere. Nam ad primum argumentum prioris sententiæ dici potest aliud esse vti carne humana corrupta, aut valde alterata per condimenta, medicinæ causâ: & aliud, vti in cibum solius nutritionis gratiâ. Ad secundum: præscriptum illud medicorum videtur esse crudele & inhumanum, & hominum nimis vitam amantium. Quamvis enim possit parum aliquid sanguinis humani sumi in necessitate per modum medicamenti, vt de carne suprà diximus: non tamen magnâ copiâ per modum potus hauriri. Et quidem D. August. lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum,

cap. 9. dicit videri horribilius *humanam carnem manducare, quam perimere: & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Ad tertium: non est illa ratio adæquata cur in nullo casu liceat homini vesci carne humana per modum cibi: sed quia illud contra naturam est, adeóque per se & intrinsecè malum, vt ait D. Thom. loco suprà citato, & communis hominum sensus iudicat.

68. Ad argumenta verò secundæ sententiæ responderi potest, non esse per se notum quod affirmatur ex D. Thoma quodque magis supponitur, quàm probatur: neque hunc esse omnium hominum sensum, cùm non desint viri graues & docti qui contrarium iudicent. Quòd si homines in extrema necessitate non vtuntur hoc cibo, ideo est, quia valde ab illo abhorrent, quamvis non planè illicitum esse iudicent. Fateor tamen hoc ipsum, quòd natura tantopere ab hoc cibo abhorreat, quódque paucissimi, & fere nulli homines non planè barbari, vtantur illo in extrema necessitate, imò audire horreant & execrentur id ab aliquo factum; magnum argumentum esse quòd communis hominum sensus existimet comestionem illam esse contra naturam, & in extrema quoque necessitate illicitam. Qua etiam de causa censeo hanc secundam sententiam esse magis probabilem, vt magis instinctui naturali, & sensui communi conformem. Iuxta priorem verò notandum est primò, illam non permittere occidi hominem, vt carnes eius edantur. Fatetur enim extremam necessitatem non dare licentiam occidendi hominem, aut carnes eius viuas comedendi. Secundò, neminem teneri modo illo, quamvis licito, vitam conseruare. Cùm enim tandem moriendum sit: vita, quæ superest, non est tanti momenti, vt necessariò debeat conseruari medio tam difficili, & horribili. Præsertim cùm multis alijs de causis possit rationabiliter exponi: & ægroti non teneantur quibuscumque medicamentis aut sectionibus valde difficilibus, aut doloriferis mortem vitare, aut valetudinem quærere: ac denique vt alibi diximus, Chartusiani licitè possint abstinere à carnibus, etiam cum periculo mortis à morbo imminentis, tametsi possent illarum esu vitam prorogare, & valetudinem recuperare.

Præfertur sententia negans.

SECTIO VII.

De Sobrietate, déque vitio Ebrietatis illi opposito.

69. SObrietas latè sumitur pro moderatione in cibo, & potu: dicuntur enim vulgo sobrij, qui temperatè edunt, & bibunt. Strictè verò sumitur in præsenti pro moderatione circa potum: & distinguitur ab abstinentia strictè etiam sumpta pro moderatione circa cibum. Definirique potest ex D. Thoma quæst. 149. art. 1. & 2. Appetitus, & vsus moderatus circa potum inebriandi vim habentem: cuiusmodi est præcipuè vinum: iuxta illud Eccles. 31. *Æqua vita hominibus vinum in sobrietate. Si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Addit autem D. Thomas sobrietatem esse virtutem specialem; distinctam scilicet ab abstinentia, & ab alijs Temperantiæ speciebus; propter speciale impedimentum vsus rationis quod affert potus inebrians, ad quod remouendum hæc virtus ordinatur. Adde etiam propter specialem difficultatem quæ est in vitando excessu circa potum inebriantem, & præcipuè circa vinum. Multi enim qui à cibo immoderato abstinent, peccant tamen circa excessum vini, & ab illo solent homines difficiliùs abstinere.

Sobrietas quid sit?

Subiungit S. Doctor art. 4. eiusdem quæstionis, sobrietatem esse quidem omnibus necessariam: sed multò magis quinque generibus personarum. Primò scilicet, iuuenibus: quia in eis maior est pronitas ad concupiscentias, quas oportet refrænari per sobrietatem, & abstinentiam à vino immoderato, quo libidinis faces accenduntur. Secundò, mulieribus: propter mentis debilitatem, quæ facilè vini potu turbatur, ex quo procliuè illis est labi ad indecora. Vnde sicut testatur Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. apud Romanos mulieres abstinebant à vino. Tertiò, senibus, in quibus ratio vigere debet vt alios erudire valeant. Quartò, Episcopis, & quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente deuota debent spiritualibus officijs insistere. Quintò, regibus, & magistratibus, qui per sapientiam, vigilantiam, & iustitiam debent populum sibi subditum regere. Quocirca illis omnibus specialiter sobrietas in Scriptura indicitur. Iuuenibus quidem, Titi 2. v. 6. *Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint.* Mulieribus, 1. Timoth. 3. ver. 11. *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* Senibus, Titi 2. ver. 2. *Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes.* Episcopis, 1. Timoth. 3. ver. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, &c.* Regibus denique, Prouerb. 31. ver. 4. & 5. *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas: & ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* 70.

Quibusnam maximè necessaria?

Huic virtuti, seu speciei & parti Temperantiæ, opponitur Ebrietas, id est, potus immoderatus vini, vel alterius liquoris inebriare valentis, delectationis gratiâ assumptus, vel sine causa rationabili, vsque ad violentam priuationem vsus rationis. Dixi primò, *vsus immoderatus:* tum quia ebrietas hic sumitur, non pro ipso defectu vsus rationis per immoderatum potum inducto, qui non est propriè peccatum, sed effectus peccati: (quamvis hic quoque soleat appellari ebrietas) sed sumitur pro ipsa potatione quæ hunc defectum inducit. Tum etiam quia si quis odore solo vini, vel lupuli, aut quia in eo cubat, vel suffitu peti seu tabaci, amittit vsum rationis: non est propriè ebrietas, de qua nunc loquimur: an verò sit peccatum, & quale, dicemus paulò post. Dixi secundò, *vini, vel alterius liquoris, &c.* quia sunt alij quidam liquores præter vinum, qui habent vim inebriandi. Et vt bene dicit Hieron. in cap. 5. Epist. ad Galat. *Ebrietas tam ex vino, quàm ex cæteris bibendi generibus, quæ vario modo conficiuntur, potest accidere. Ex quo de sancto Ioanne Baptista dicitur, Vinum, & sice-* 71.

Ebrietas opponitur sobrietati.

Explicatur eius definitio.

ram non bibet. Luc. 1. ver. 15. Additur autem, *inebriare valentis:* quia alij potus, vt aquæ v.g. dicuntur pertinere potiùs ad abstinentiam.

71. Excusatur aliquando à peccato. Dixi tertiò, *delectationis gratiâ assumptus, vel sine causa rationabili:* quia si quis v.g. ex præscripto medicorum sumeret vinum, aut alium liquorem inebriare valentem, vsque ad violentam priuationem vsus rationis, contra venenum frigidum, quod aliter expelli nequit, vel contra morbum, cui tale remedium sit necessarium; non est propriè ebrietas, & excessus contra Temperantiam & sobrietatem, respectu hominis in tali necessitate constituti, potúque illo rationabiliter indigentis: vt bene docent S. Thomas quæst. 150. art. 2. ad 3. iuncta interpretatione Caietani ibidem, & in Summa V. *Ebrietas, num. 4.* Sa ibidem, Syluester *eodem verbo, quæst. 3.* Valent. disp. 9. quæst. 3. p. 2. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 3. & 4. Filliucius tract. 30. cap. 1. quæst. 4. assertione 1. Layman. lib. 3. Sect. 4. num. 5. Bonac. disp. vlt. de præceptis, quæst. 1. p. 1. num. 3. & plures alij: qui eâdem de causa talem excusant à peccato etiam veniali. Excusat quoque Lessius à peccato, saltem mortali, eum, qui non intendens quidem ebrietatem, sed vitæ conseruationem, & vt vitet præsens mortis periculum, bibit vsque ad priuationem vsus rationis: putà si cogitur bibere ad pares haustus, ab aliquo adeo barbaro (quales alicubi esse dicuntur) vt nisi respondeat, sit ad duellum prouocandus, vel inuadendus gladio. Ratio illius est, quia si licet medicinæ causâ ad pellendum, vel arcendum morbum, vt iam diximus: quidni etiam ad vitandam mortem ab alio intentatam? Nam tunc etiam talis potus non est re vera immoderatus, sed ad salutem corporis necessarius in omnibus illis circunstantijs. Nec obest quod ait D. August. Serm. 232. de tempore, moriendum potiùs esse, quàm bibendum vsque ad ebrietatem, etiamsi aliquis mortem minetur nisi bibas: quia, inquit, *melius est vt caro tua sobria occidatur, quàm vt anima per ebrietatem moriatur.* Hoc enim dicit de eo, qui cogeretur bibere in contemptum virtutis: non autem ideo solùm quia cogens existimat se contemni, aut iniuriam sibi fieri.

73. Non est necesse vt fiat delectationis causâ. Consultò autem vsus sum hac disiunctione, *delectationis gratiâ, vel sine causa rationabili:* contra Lessium, & Valent. vbi suprà, existimantes ad ebrietatem requiri vt potus immoderatus sumatur delectationis causâ: quia, inquiunt, ebrietas aduersatur Temperantiæ, cuius est moderari delectationes circa gustum & tactum. Sed meliùs alij cum Bonac. loco cit. num. 2. censent ebrietatis peccatum posse committi, licet potus alio fine, quàm voluptatis gratiâ sumatur: sicut pollutio est culpabilis, non modò si voluptatis & libidinis explendæ causâ procuretur, verùm etiam si alio fine. Ratio est, quia contra Temperantiam est immoderatus vsus cibi, & potus, siue voluptatis causâ, siue aliter sumatur. Immoderatus, inquam, id est, plus quàm exigat naturæ necessitas, aut quàm aliqua iusta causa permittat. Ergo est contra sobrietatem plus vini sumere, quàm par sit, quocunque fine sumatur. Et si excessus vsque ad violentam priuationem vsus rationis procedit, est vitium ebrietatis: neque enim pertinet ad aliam speciem intemperantiæ.

Dixi quartò, *vsque ad violentam priuationem vsus rationis:* nam excessus bibendi nisi eousque perueniat vt bibens amittat vsum rationis, & discernere nequeat inter bonum & malum: non est ebrietas, sed crapula & intemperantia quædam, quam plerique dicunt esse peccatum veniale tantùm ex se, id est, secluso scandalo, vel alio graui periculo: tametsi sensus perturbentur, gressus titubet, domus circumuerti videatur: vt docent Caiet. suprà, Valent. p. cit. col. 2. §. *Item diximus* Syluest. V. *Ebrietas, quæst. 1.* & Less. dub. cit. num. 30. qui tamen fere omnes addunt, quòd si eiusmodi crapula exerceatur ex directa intentione, valde parum abest à mortali. Dicitur autem hæc priuatio vsus rationis *violenta:* quia non fit modo à natura instituto ad reparationem virium, & spirituum animalium: vt illa quæ contingit in somno, suaui quodam & frigido humore cerebrum occupante, & obstruente neruos sensorios, atque naturali calore, & spiritibus animalibus retractis in centrum: sed fit calore vini immodico phantasiam perturbante, & tanta vaporum multitudine cerebrum implente, vt ne in vigilia quidem vsum rationis habere possit ebrius, sed mentis lumine per ebrietatem priuatus, inter bestias ratione carentes numerari iure possit, & illis similis, aut deterior videri: vt rectè ait S. Basilius *Homil. 14. in ebrietatem, & luxum.* 74. Non fit sine amissione vsus rationis.

Hoc vitium esse peccatum mortale, non modò si sæpius committatur, & propter consuetudinem, vt malè quidam senserunt, teste Caiet. ad art. 2. quæst. 150. sed quotiescunque voluntariè committitur; siue directè intendatur, siue indirectè, docent communiter Theologi. Vt probatur efficaciter ex Scriptura, 1. Cor. 6. vbi ebrietas numeratur inter peccata quæ à regno Dei excludunt: *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et ad Galat. 5. ver. 19. & sequentibus, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes* (Græcè κῶμοι, id est, lasciuæ compotationes cum temulentis & lasciuis dictis & factis, vt sunt turpes cantilenæ, verba obscœna, saltationes, tactus, & oscula impudica, contumeliæ: vt bene exponit Cornel. ibidem) *& his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Nec refert quòd priori loco Apostolus ait, *Ebriosi,* quæ vox ebrietati deditum & assuetum significat. Nam in Græco est, μέθυσοι, quæ vox tam ebrium, quàm ebriosum significat, neque hîc propriè frequentiam vel consuetudinem se inebriandi, sed actum denotat: sicut cætera ibidem expressa, *fornicarij, idolis seruientes, adulteri, molles, &c.* 75. Est peccatum mortale. Probatur ex Scriptura.

actum significant; Vnus enim istorum actus eos à regno cœlorum excludit: vt bene aduertit Cornel. ibidem. Quare sicut in alijs peccatis ab Apostolo enumeratis, non tantùm ille, qui sæpius ea committit, excluditur à regno cœlorum; sed etiam qui semel; nisi pœnitentiam egerit: sic in ebrietate.

76. Et ex SS. Patribus. Probatur secundò ex SS. Patribus, qui hunc Pauli locum sic intelligunt, & ebrietatem condemnant peccati mortalis: vt D. August. Serm. 231. vbi sic ait: *Qui credit ebrietatem esse paruum peccatum: si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis, æterna sine remedio illum pœna cruciabit.* Et Serm. præcedenti dixerat ebrietatem esse quasi inferni puteum; quæ quoscunque susceperit, nisi digna pœnitentia subuenerit, ad charitatis lucem redire non permittit. Et Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 14. *Certe veneno, caro vulneratur; vino, mens. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem: menti etiam crimen adiungit, &c.* Crimen autem graue peccatum significat. Et Chrysost. homil. 57. ad populum, *Vbi ebrietas, ibi diabolus.* Et Basil. homil. 1. de ieiunio, *Ebrietas Spiritum sanctum propellit.* Et homil. 14. *in ebrietatem, & luxum*, paulò post initium, hæc addit: *Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperato lasciuum: iustitiam ignorat, prudentiam extinguit, &c.* Similia habent alij Patres.

77. Confirmatur ratione. Probatur tertiò ratione: quia ebrietas continet grauem inordinationem, in eo quòd homo ex rationis gradu, quo præstat cæteris animalibus, & ad Angelos, Deúmque ipsum accedit, voluntariè & violenter seipsum dejicit, atque ad brutorum statum, & stoliditatem abjicit, priuans se non solùm vsu rationis, sed etiam proxima vtendi potestate, ita vt vigilans eâ vti non possit. Quod quam graue, & turpe sit, rectè ponderat S. Basil. homil. 14. in ebrietatem, & luxum, paulò post initium, *Qua in re*, inquit, *dic ô homo miser a brutis differs? Nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliqua creaturæ omnis factus Dominus & Imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis videri. Nec solùm peiores brutis ebrij, quod mente insani, sed etiam quòd sensibus longè infra illa desicere videntur. Quod, quæso, animal ita visu, auditúve, atque homo debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò sæpe vt domesticis congrediuntur? An non vmbras sæpenumero tanquam sulcos, aut loca prærupta transiliunt, aures terrifico sonitu, more fluctuantis maris refertas habent: terra interdum insurgere, ac in arduum & rectum erigi, montes verò circummoueri videntur, &c.* Sanè (vt Caiet. loco suprà cit. ratiocinatur) Vsus rationis est multò maius bonum, quàm vsus domus: cum sit bonum præstantissimum hominis inter omnia naturalia. Constat autem quòd priuans aliquem violenter vsu domus suæ, non solùm in perpetuum, sed etiam ad tempus, putà vno die, peccat mortaliter. Quoniam vsus quo priuatur, est bonum notabile: & temporis circunstantia non facit vt pro nihilo habeatur. Quantò ergo magis priuans proximum suum vsu rationis per vnum diem peccat mortaliter? Et eâdem ratione priuans seipsum vsu rationis peccat mortaliter: quoniam vsus rationis non est bonum voluntarium (id est, cuius Domini simus, ita vt de illo possimus liberè disponere) sicut domus: sed est bonum naturale, sicut oculus, & cætera naturalia. In naturalibus autem ita peccat mortaliter priuans seipsum, sicut priuans proximum: quia homo non est Dominus suorum naturalium vt possit se illis priuare quando vult, sicut potest donare domum, & illius vsum. Inuenitur ergo in ebrietate, quæ vsum rationis violenter tollit, iniuriosa (id est, inordinata) priuatio boni notabilis ex suo genere: neque ex imperfectione actus propter breue tempus excusatur: sicut nec excusaretur, si tanto tempore quis violenter impediret aliquem ab vsu manuum suarum, ligando illas. Hucvsque Caietanus.

Nec obstat quòd D. August. Serm. 4. *in diebus animarum*, distinguens peccata mortalia à venialibus, ponit ebrietatem, si assidua sit, inter mortalia; significans non esse aliter peccatum mortale. Idémque sentit Glossa in cap. 5. ad Galat. V. *Ebrietates*, & D.Thomas ibidem, qui etiam quæst. 2. de malo art. 8. ad 3. & quæst. 7. art. 4. ad 1. affirmat ebrietatem non esse ex genere suo peccatum mortale. Hæc inquam, nonobstant nostræ assertioni. Nam D. Thomas re meliùs considerata seipsum correxit 2. 2. quæst. 150. art. 2. c. vbi affirmat ebrietatem, si voluntaria sit, esse peccatum mortale simpliciter. Et in solutione primi argumenti exponit locum obiectum ex D. August. dicens mentem illius esse quòd assiduitas faciat ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus: sed quia non potest esse quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties expetitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem. In eundémque sensum Glossa intelligenda est. Quare tam illa, quàm D. Augustinus requirit solùm assiduitatem ad hoc vt ebrietas scienter & liberè incurratur, non excusante inaduertentia: sed non negat esse peccatum mortale quotiescunque ita incurritur, etiam tunc, cùm primò scienter & liberè aliquis inebriatur. 78. Soluitur obiectio.

Non obest etiam quòd per odorem vini, aut lupuli, si quis in eo cubauerit, atque etiam per suffitum tabaci, tollitur violenter vsus rationis: & tamen in istis non est peccatum mortale. Nam per illum suffitum non tollitur nisi in somno, inducendo soporem. Odor autem vini, aut lupuli, non planè inebriat, sed tantùm caput perturbat. Quòd si perfectè inebriaret non excusarem, cum Lessio, à peccato mortali, eum qui absque necessitate se odore illo inebriari voluntariè sineret.

Præcedenti rationi addi possunt grauia incommoda corporis, & animæ, quæ ex ebrietate sequuntur: quæque eleganter describit S. Ambros. lib. de Elia, & ieiunio cap. 16. *Ebrietas*, inquit, *fomentum libidinis: ebrietas* 79. Ebrietatis incōmoda.

incentiuum insaniæ : ebrietas venenum Sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat, & formas. Per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam, vini calore inflammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, &c. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens, semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium, &c. Et Basil. homil. 14. in ebrietatem & luxum, propiùs ad finem, quàm ad medium, *Quid aliud quæso*, inquit, *sunt ebrij quam Gentium idola? Oculos habent, & non vident. Aures habent, & non audiunt. Manus habent paralysi affectas, pedes infirmos ac facilè offendentes.* Et aliquantò antè dixerat: *Quousque tandem vinum. Quousque ebrietas? Periculum est ô miser? ne pro homine cœnum lutumque fias.* Similia habet D. August. Serm. 231. de tempore, vbi etiam ebriosos comparat *paludibus, quæ nihil aliud proferunt, nisi serpentes, sanguisugas, ranas, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quàm aliquid ad victum exhibere. Nam & ipsæ herbæ, vel arbores, quæ in ipsis paludibus nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur: in tantum vt annis singulis incendio concrementur. Videte: quod de ebrietate nascitur, igni preparatur.*

80. Peccat grauiter inducens alium ad ebrietatem. Hinc sequitur, grauiter etiam peccare eos, qui alium ad ebrietatem inducunt, vt multi solent, inuitando ad pares haustus. Quem morem execrantur, & grauiter damnant SS. Patres Basil. homiliâ sæpius cit. *in ebrietatem, & luxum*, Ambrof. lib. de Elia, & ieiunio, cap. 13. Hieronymus in caput 1. Epist. ad Titum, Augustinus Sermone 231. & 232. de tempore: quorum verba relata videri possunt apud Valentiam disp. 9. quæst. 3. p. 2. & Lessium lib. 4. cap. 3. dub. 4. vbi rectè notat in aliquo tamen casu, licitum esse prouocare alium ad bibendum vsque ad ebrietatem, non ipsam directè intendendo, sed euasionem grauioris mali, quod aliter vitari nequit, & à quo ille non potest aliter auerti, quàm ipsum consopiendo. Vt si captus à latronibus, non potest aliter euadere: vel si proditores, paratos iam ad vrbem dedendam, non potest aliter impedire. Ratio est, quia licitum est suadere minus malum ei, qui maius facere paratus est, & alio modo non potest ab illo auerti. Nec obest quòd non fiat expresè hæc comparatio, *Istud potius fac, quàm illud*: sufficit enim quòd fiat tacitè, & prouocetur ille ad bibendum largiter, eo tantùm fine, vt à maiori malo auertatur.

81. Quomodo imputentur quæ malè fiunt ab ebrio? Quomodo autem mala, quæ committuntur ab ebrio sint peccata culpabilia, & quatenus imputentur, patet ex tractatu de actibus humanis: vbi diximus illa non esse in se immediatè culpabilia, sed in causa, in qua scienter & liberè acceptantur directè, vel indirectè. Cùm quis scilicet ea præuidens certò, aut probabiliter ex ebrietate sequutura; non propterea abstinet ab ebrietate, à qua tamen hac etiam de causa deberet abstinere. Vnde si mala illa nullo modo præuidentur, non sunt peccata formaliter, & imputabilia: cuiusmodi fuit incestus Loth Genes. 19. de quo D. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 44. dicit culpandum illum esse non quantùm incestus, sed quantùm meretur ebrietas: quia scilicet incestum non præuidit, ebrietatem verò scienter & liberè incurrit, alioqui nec ipsa fuisset imputabilis: qua de causa Noëmo neque ebrietas non præuisa, neque nuditas inde sequuta, fuit culpabilis. Si verò mala præuidentur aliquo modo, atque ita, saltem indirectè, acceptantur in causa: sunt etiam in illa, & ratione illius, imputabilia. Vt autem ad peccatum mortale imputentur, duo sunt necessaria. Primò, vt sufficienter aduertantur. Nam si tantùm leuis aliqua dubitatio de illis occurrat, & per leuem negligentiam prætermissa fuerit maior consideratio; non possunt ad graue peccatum imputari: quia obligatio mala illa vitandi non est grauis cum tam leui apprehensione; & negligentia maioris considerationis, leuis etiam fuit. Secundùm est, vt ipsa ebrietas fuerit perfectè voluntaria, & satis plenè deliberata. Nam cùm ista non sint voluntaria nisi in causa, in quæ acceptantur: si leuiter tantùm peccatur ex inaduertentia & indeliberatione in ponenda eorum causa; non possunt ad grauem culpam imputari. Dixi, *ex inaduertentia, & indeliberatione*: quia ex alio capite fieri potest vt ebrietas sit imperfecta, seu potiùs crapula & intemperantia sit tantùm venialis; & tamen opus ex ea sequutum imputetur ad mortale. Quando scilicet ebrietas, siue crapula, est imperfecta ratione sui ipsius, quia non peruenit omnino vsque ad priuationem vsus rationis, licet alioqui sit plenè voluntaria, vel ob directam intentionem, vel ob negligentiam in ea præcauenda; & tamen in ea sufficienter præuidentur mala sequutura, ratione vehementis passionis, & debilitatis vsus rationis. Tunc enim illa peccata, de se grauia; satis voluntariè acceptantur in causa: ideóque sunt grauiter imputabilia ratione illius, quamvis postea non plenè liberè fortasse committantur, passione libertatem præueniente, aut voluntatem abripiente. Quare non assentior Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 26. in fine, si hoc negare intendit, quando ait, fieri non posse vt ebrietas sit peccatum veniale, & opus ex ea sequutum imputetur vt mortale.

SECTIO VII.

De Castitate.

CAstitas dupliciter sumitur, vt notat S. Thomas quæst. 151. art. 2. Vno modo propriè: & sic est quædam specialis virtus, habens specialem materiam, scilicet concupiscentias delectabilium quæ sunt in venereis. Sicut enim abstinentia moderatur affectum, & vsum circa cibum; sobrietas, circa potum: ita castitas delectationes venereas. Alio modo nomen castitatis accipitur metaphoricè, pro moderatione affectus, & delectationis circa rem quamlibet, ita vt mens nullo inordinato affectu, nullàque illicita delectatione inquinetur. Et sic est virtus generalis, seu virtutum omnium complexio: quia per quamlibet virtutem retrahitur 82. Quid sit castitas?

mens

mens humana, ne prauis & inordinatis affectibus maculetur, néve rebus illicitis delectabiliter coniugatur. Principaliter tamen ratio huius castitatis consistit in charitate, & in alijs virtutibus Theologicis, quibus mens hominis coniungitur Deo, & ab impuro affectu creaturarum abstrahitur. Similitérque vitium fornicationis, oppositum castitati, dupliciter accipitur. Vno modo propriè, pro copula carnali illicita. Altero metaphoricè, pro quocunque inordinato affectu, & coniunctione mentis cum quibuslibet rebus creatis contra debitum diuini ordinis, quæ dicitur fornicatio spiritualis, iuxta illud Ierem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.*

83. Est virtus specialis. De castitate iuxta priorem sensum strictum & proprium in præsenti sermo est. Quam esse virtutem specialem, & partem, seu speciem Temperantiæ, distinctam ab Abstinentia, & Sobrietate, docet S. Thomas art. 3. quæst. cit. rectéque probat ex eo, quòd versatur circa rationem delectationis valde differentem. Nam, vt ait Aristot. relatus ibidem à D. Thoma, Delectationes proportionantur operationibus, quarum sunt perfectiones. Atqui longè differentes sunt operationes pertinentes ad vsum ciborum, quibus natura indiuidui conseruatur: & operationes pertinentes ad vsum venereorum, quibus conseruatur natura speciei. Et ideo castitas, quæ est circa delectationes venereorum, est virtus distincta ab abstinentia, quæ est circa delectationes ciborum. Ob eandémque rationem distinguitur etiam à sobrietate, quæ est circa delectationem & vsum poculentorum. A pudicitia verò differt velut à circumstantia, quatenus scilicet castitas, circa venereas delectationes pudorem illum adhibet, qui conueniens est. Vel etiam quia pudicitia dicitur, quatenus cohibet aspectus, oscula, & alia quædam signa externa, quæ cùm sint manifestiora, maiorem afferunt pudorem.

84. Castitas duplex: coniugalis, & virginalis. Itaque castitas propriè sumpta est virtus quæ affectum moderatur, & cohibet circa delectationes venereas. Quæ cohibitio duplex esse potest. Vna est circa illicitas tantùm, permittendo tamen vsum licitarum in matrimonio, eásque moderando iuxta præscriptum rectæ rationis: quæ moderatio in eo consistit, quòd sumantur nec plus, nec alio modo, loco, tempore, vel fine, quàm par sit. Et hæc dicitur castitas coniugalis. Alia est circa omnes, tam licitas, quàm illicitas. Et hæc differt à priori, inquit D. Thomas quæst. 152. art. 3. sicut magnificentia, quæ versatur circa magnos sumptus, differt à liberalitate, quæ communiter se habet circa pecuniarum vsum. Nam conseruare se immunem ab experimento omnis venereæ voluptatis, habet quandam excellentiam laudis, supra hoc quod est conseruare se immunem dumtaxat ab inordinatione venereæ voluptatis, permittendo ordinatas & coniugales.

Virginitas quid propriè sit? Eadémque, si adiunctam habet carnis integritatem, appellatur virginitas: quæ consistit partim & materialiter in quadam carnis incorruptione, quam connotat nomen virginitatis: partim & præcipuè ac formaliter in proposito abstinendi perpetuò ab omni delectatione venerea: vt docet S. Thomas quæst. 152. art. 1. c. & in solutione 1. & 2. argumenti. Vbi etiam virginitatem sic definit ex Ambrosio, lib. de Virginibus: Castitas virginalis est expers corruptionis integritas: & ex D. August. lib. de sancta Virginitate, cap. 13. Virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio: id est, propositum rationis, seu voluntatis; vt exponit D. Thomas, vel iugis attentio, & cura illam conseruandi, vitandique quidquid illi opponitur: quæ attentio, & cura diligens, atque sollicita, ad illius conseruationem necessaria est.

Circa quæ, nota primò, ipsam carnis integritatem non esse quidem virtutem, sed naturale quippiam, nobis innatum, quodque potest nobis inuitis auferri: esse tamen obiectum virtutis, quatenus est in nostra potestate illam conseruare, aut perdere: pertineréque ad conceptum virginitatis, & integrum huius nominis significatum, quòd voluntariè perdita non sit. 85. Integritas carnis quomodo ad illam necessaria? Nam sine hoc non potest quispiam denominari virgo, neque habet totum id, quod nomine virginitatis designatur. Sicut enim nomine innocentiæ significatur non modò quòd aliquis sit iam purus à peccato, sed etiam quòd nunquam peccauerit, ita nomine virginitatis significatur quòd nunquam integritatem carnis voluntariè amiserit. Et hac ex parte virginitas semel amissa nunquam potest recuperari; quia quod semel factum est, infectum esse nequit. Tametsi potest recuperari quoad affectum, & habitum virtutis circa illam integritatem versantis, & quoad propositum abstinendi deinceps ab omni voluptate venerea, detestandique præteritam corruptionem: quæ detestatio ad eandem virtutem pertinet. Eiusdem enim virtutis est amare bonum, & odisse malum illi oppositum. Dixi autem, pertinere ad conceptum & rationem significatam nomine virginitatis, quòd carnis integritas non fuerit amissa voluntariè: quia si perditur inuoluntariè, vt si virgo planè inuita opprimatur, aut aliter claustri virginalis fractionem inuoluntariè patiatur: non desinit esse & dici virgo, nihilque illi perit de Sanctitate corporis, & animæ: vt bene docent S. August. lib. 1. de ciuit. cap. 18. & D. Thom. quæst. 152. art. 1. ad 3. vbi sic habet: *Integritas corporalis membri, per accidens se habet ad virginitatem: in quantum scilicet, per hoc, quòd ex proposito voluntatis abstinet quis à delectatione venerea remanet integritas in membro corporeo:* id est, integritas illa corporis non pertinet ad virginitatem: nisi tanquam illius obiectum, & quatenus in nostra est libera potestate illam conseruare, abstinendo à motibus, vel actibus, per quos corrumpitur. *Vnde si contingat quòd per alium modum, aliquo casu, membri integritas corrumpatur: non magis præiudicat virginitati, quàm si corrumpatur manus, aut pes.*

86. Quomodo amittitur. Nota secundò, integritatem illam corporis, quæ connotatur nomine virginitatis, quæque materialiter ad illam se habet, dupliciter amitti. Vno modo, ex parte viri, per voluntariam copulam carnalem, siue licitam, siue illicitam: ex parte verò fœminæ per voluntariam claustri virginalis violationem, siue in copula, siue ex-

tra per aliam turpitudinem. Alio modo amittitur etiam per voluntariam pollutionem: vt docet S. Thomas art. cit. ad 4. vbi ait, resolutionem seminis, si procedat ex mentis proposito, tollere virginitatem, siue fiat per concubitum, siue absque concubitu. Si autem prouenit præter propositum mentis, vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non consentit quamvis caro delectationem experiatur, vel etiam ex infirmitate naturæ, vt in his qui fluxum seminis patiuntur: sic non perditur virginitas; quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit. Nec obest quòd D. August. lib. de sancta Virginitate cap. 13. videtur ad virginitatem requirere solùm abstinentiam ab omni concubitu, cùm sic ait: *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est.* Nam, vt exponit D.Thomas art. cit. ad 1. Augustinus non excludit aliud, exprimendo illud quo communiter integritas carnis amittitur. Vel potiùs nomine illo *virginitatis integritas* non idem planè intelligit, quod verbis sequentibus, *& per piam continentiam, &c.* sed nomine illo generaliter omnia comprehendit, verbis autem sequentibus vnam tantum eius partem exprimit, consistentem in abstinentia à concubitu.

87. Addunt aliqui perdi etiam per turpia desideria, & consensum internum in opus turpe; atque etiam per morosas delectationes, per aspectus, oscula, & tactus impudicos, eos præsertim qui de se apti sunt, & sufficiunt ad pollutionem, siue sequatur re ipsa, siue non, propter naturæ debilitatem in tali persona, vel propter morbum, aut quid aliud. Et verum quidem est per illa omnia perdi virginitatem, saltem quoad formale. Nam cùm hæc omnia repugnent incompatibiliter castitati; repugnant etiam virginitati, quæ est castitas omnimoda, & perfectissima. Existimo tamen non perdi virginitatem quoad materiale, id est, quoad carnis integritatem, nisi duobus illis modis enumeratis à D. Thoma: copulâ scilicet voluntariâ quacunque, aut violatione claustri virginalis: & pollutione voluntaria, etiam extra copulam. Quin etiam', vt notat Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 16. num. 120. non desinit puella, secundùm vulgarem & communem loquendi modum, censeri, & vocari virgo, quandiu retinet claustrum virginitatis illæsum, quamvis ab actibus illicitis non abstinuerit. Potéstque, si velit, petere & accipere velum consecrationis (quod distinguitur à velo professionis Religiosæ) & consecrari more virginum: vt post Syluestrum, Fumum, & Caietanum docet ibidem Lessius: quia, inquit, Licet coràm Deo non sit virgo; neque laureolam virginum habitura sit: tamen apud homines censetur virgo: & Ecclesia, quæ vtitur vocibus in sensu vulgari, idem nomine virginis, aut virginitatis intelligit, quod vulgus. Nec obest quòd Pontificale Romanum præscribit vt puella, velum consecrationis petens, interrogetur de vita, de conscientia, & de carnis integritate. Nam per carnis integritatem intelligit, more vulgari, integritatem claustri virginalis.

Nota tertiò, virginitatem quoad formale, amitti etiam, ex parte, per voluntatem nubendi, & fruendi voluptatibus licitis. Cùm enim consistat in proposito abstinendi perpetuò ab omni voluptate venerea, tam licitâ, quàm illicita: non potest hoc propositum stare cum voluntate abstinendi solùm ab illicitis, & fruendi coniugalibus. Dixi, *ex parte:* quia tunc amittitur solùm quoad illam perfectionem affectus, quam significat virginitas, & quoad habitum naturalem illi respondentem. Nam castitas habitualis supernaturalis, quam puto eandem esse in virginibus, & quibuslibet alijs iustis, non propterea perditur: quippe quæ non desinit, nisi simul amissa charitate per peccatum mortale: non est autem peccatum mortale, ac ne veniale quidem, in eo quòd velit aliquis frui voluptatibus licitis, & modo sibi licito. Et quamvis in tali subiecto non possit valere ad actus efficaces volendi abstinere ab omni voluptate, tam licita, quàm illicita: quippe qui sunt incompatibiles cum proposito de quo loquimur, quodve supponimus constanter in eo persistere; valet tamen ad complacentiam inefficacem circa eiusmodi affectum, & ad alios affectus castitatis, præsertim coniugalis. Item, licet id, quod in virginitate præcipuum est & formale, vt ait D. Thom. artic. 1. sit affectus ille perpetuò abstinendi à voluptatibus venereis, & perpetuò conseruandi illæsam carnis integritatem: quia tamen id quod vulgò præcipuè spectatur in virginitate, est ipsa carnis integritas; idcirco non desinit censeri & dici virgo, puella volens nubere, donec re ipsa nubat: præcipuè verò quandiu non modò à copula & infractione sigilli virginalis, sed & ab omnibus venereis voluptatibus abstinet. 88. Amittiturne per voluntatem nubendi?

Porro virginitatem formaliter sumptam pro firmo & constanti proposito conseruandi perpetuò carnis integritatem, & abstinendi ab omnibus venereis delectationibus vt mens liberior sit, & aptior ad orandum & vacandum rebus spiritualibus, præcipuéque diuinis & cœlestibus; virginitatem, inquam, ita sumptam esse virtutem excellentem, & castitate coniugali præstantiorem, certissimum est. Id enim docet Scriptura pluribus locis: vt 1. Cor. 7. vbi Apostolus ver. 1. sic ait: *Bonum est homini mulierem non tangere:* bonum, inquit, comparatiuè, id est, melius quàm tangere: vt exponit Hieronym. ibidem. Deinde ver. 7. consilium dat virginitatis, tanquam rei melioris, sic dicens: *Volo vos omnes esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Quod consilium repetit ver. 25. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Et versu 38. expressè dicit virginitatem meliorem esse coniugio, his verbis: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit. Et qui non iungit, melius facit.* Imò etiam statum viduitatis præfert statui coniugij, dicens de vidua immediatè post, posse quidem nubere, si velit: *Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium:* 89. Virginitas est virtus excellés, & castitate coniugali præstantior. Probatur ex Script.

puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Ibidémque ver. 32. 33. & 34. rationem hanc reddit cur status virginitatis sit melior: quia, inquit, *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Atque inde etiam D. Thomas quæst. 152. a. 4. c. sumit præcipuè rationem præcellentiæ virginitatis, cùm ait errorem Iouiniani contrarium sentientis, præcipuè destrui & exemplo Christi, qui, virginitatem seruauit, & matrem virginem elegit; & ex doctrinâ Apostoli, qui 1. Cor. 7. virginitatem consuluit, tanquam melius bonum: Et etiam ratione: tum quia bonum diuinum est potius humano bono: tum quia bonum animæ præfertur bono corporis: tum etiam quia bonum vitæ contemplatiuæ præfertur bono actiuæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ secundùm vitam contemplatiuam, quod est cogitare ea quæ sunt Dei: coniugium autem ordinatur ad bonum corporis (quod est corporalis multiplicatio generis humani) & pertinet ad vitam actiuam, quâ vir & mulier in matrimonio viuentes, necesse habent cogitare quæ sunt mundi, vt ait Apostolus ibidem. Vnde indubitanter virginitas præferenda est continentiæ coniugali. Hucusque D. Thomas.

90. Confirmatur. Item, Christus ipse hanc præcellentiam virginitatis non obscurè significat Matth. 19. vbi postquam Apostoli dixissent, *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*, id est, minùs expedit, & melius est non nubere: subiunxit Christus eorum dictum approbans: *Non omnes capiunt verbum istud:* (hoc est, vt rectè exponit Maldonat. non omnes id intelligunt, siue simplici intelligentia & speculatiua, siue potiùs practica & affectiua) *sed quibus datum est* (id est, quos Dei gratia iuuat ad intelligendum & volendum, quique Dei gratiæ consentiunt) *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum* (id est, propter vitam æternam, non autem propter solam Euangelij prædicationem, vt ineptè volunt Hæretici. Alioquin hæc Christi exhortatio non ad alios pertineret, quàm ad Ministros verbi Dei, quorum tamen nullus inter eos, virginitatem aut abstinentiam perpetuam à coniugio profitetur) *Qui potest capere capiat.* Quibus verbis Christus hortatur & inducit ad optandam præ coniugio eligendámque virginitatem, vt ex verbis ipsis perspicuum est, & agnoscunt omnes Catholici interpretes, & Sancti Patres: vt Chrysost. Homil. 63. in Matth. circa medium, Basilius lib. de vera virginitate, Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, & August. lib. de sancta virginitate cap. 23. cuius verba, Hæreticorum huius temporis errori directè opposita, hæc sunt: *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit eos qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerint castrare seipsos propter regnum cœlorum. Et contrà, humana vanitas impiâ temeritate contendit eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare: & in regno cœlorum amplius quidquam cæteris non habere.* Item, Apocalypsis 14. ver. 3. & 4. significatur aliquod præmium singulare, nullique alteri Beatorum communicandum, datum iri virginibus in cœlo, cùm dicitur virgines sequi agnum quocunque ierit; & canere canticum, quod nemo alius dicere potest. Et Matth. 22. istis Christi verbis, *In resurrectione non nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, indicatur statum virginitatis, expertem coniugij, & purum ab omni contagione carnali, esse sublimius aliquid, hominémque de statu conditionis animalis altiùs euehere ad statum Angelicum.

Secundò, idem etiam docent communi consensu Sancti Patres: Augustinus lib. supra cit. & lib. de bono coniugali, Cyprian. lib. de disciplina, & habitu virginum. Athanas. Basil. Chrysost. & Ambros. in libris quos scripserunt de virginitate, Fulgent. Epist. 3. Anselm. Theophylact, Oecumen. & alij Pauli interpretes in cap. 7. prioris ad Corinth. & qui instar omnium esse potest, Hieron. in libris contra Iouinianum, vbi potenter & accuratè contrarium eius errorem refutauit, quem renouarunt Lutherus & Caluinus, alijque huius temporis Hæretici. Verba Chrysostomi lib. de Virginit. cap. 11. hæc sunt: *Vides virginitatis decus? Eorum qui in terris degunt, cum cœlitibus similitudinem vitæ molitur. Corpore vestitos vinci ab incorporeis copijs non permittit. Mortales, Angelorum æmulos reddit.* Et toto illo lib. virginitatis prærogatiuas, & excellentiam supra coniugium eleganter ostendit. Et Hieron. lib. 1. contra Iouin. paulò post init. *Non ignoramus*, inquit, *honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Legimus primam Dei sententiam, Crescite, & multiplicamini: Sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs nascitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? Aut arboris & segetis contumelia est, si radici & folijs, culmo & aristis, poma præferantur & fructus?* Et August. lib. de sancta virginitate cap. 13. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis.* Et cap. 19. eiusdem lib. sic ait: *Et certa ratione, & sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias inuenimus, nec eas bono virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* Et Cyprian. lib. supra cit. *Nunc nobis*, inquit, *ad virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria est, eo maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, &c.* 91. Idē probatur ex SS. Patribus.

Probatur tertiò ratione: quia illud melius est, & Deo gratius, per quod reddimur aptiores vt Deo placeamus, & sanctitatem coram Deo assequamur, quodque magis auocat mentem à curis sæcularibus vt cogitet quæ Dei 92. Confirmatur ratione.

sunt. Talis autem est virginitas præ coniugio, vt docet Apost. 1. Cor. 7. ver. 32. & sequent. affirmans virgines, & expertes coniugij cogitare quæ Domini sunt, & sollicitos esse quomodo placeant Deo: Coniugatos autem cogitare quæ sunt mundi, & solicitos esse quomodo placeant coniugi, & cor in multa diuisum habere. Item, illud melius est, & magis ad cultum Dei, bonúmque nostrum spiritale conducit, quod nos magis liberos & expeditos reddit ad orandum, & Deo seruiendum. Talis autem est virginitas præ coniugio, vt patet ex Apostolo 1. Cor. 7. ver. 5. vbi monet abstinere ab vsu conjugij quando orationi vacandum est: *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem, nisi fortè ad tempus, vt vacetis orationi.* Quem locum expendens Hieronymus lib. 1. in Iouinianum longè post initium. *Oro te, inquit, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani:* alias *continentis.* Denique illud melius est per quod homo à carnalibus voluptatibus abstractus, Christo & Angelis similis efficitur. Talis autem est virginitas, vt patet ex suprà dictis, & confirmat Hieron. Epist. 22. ad Eustochium, de custodia virginitatis, vbi inter alia sic habet: *Statim vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit: vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos & in terris*, & qui virgo virginem matrem elegit, Apostolósque aut continentes reperit, aut fecit; cœtum virginum plurimarum haberet eius exemplum sequentium, & illi veluti sponso, spretis carnis voluptatibus adhærentium, iuxta illud Psal. 44. *Adducentur regi virgines post eam, &c.* Et Ambros. lib. 1. de virginibus: *Non meum*, inquit, *est illud, quoniam quæ non nubunt, neque nubuntur; erunt sicut Angeli Dei. Nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.*

93. Obiectiones Hæreticorum. Opponunt Hæretici quædam Scripturæ loca, quibus præcipitur matrimonium, Genes. 1. & 9. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Et 1. Timoth. 5. *Volo iuniores nubere filios procreare, &c.* Vel quibus dicitur continentiam esse donum Dei, & non esse omnium, Sapient. 8. *Nemo potest esse continens nisi Deus det.* Et Matth. 19. *Qui potest capere capiat.* Et 1. Corint. 7. *Vnusquisque proprium donum habet, alius quidem sic, alius verò sic.* Et, *Melius est nubere, quàm vri:* ibidem, ver. 9. Et denique, bonum commune melius est priuato: vt per se notum est, & docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. Sed coniugium ordinatur ad bonum commune, nempe ad conseruationem humani generis. Virginitas autem ordinatur ad bonum speciale, vt scilicet vitetur tribulatio carnis quam sustinent coniugati, sicut ait Apost. 1. Cor. 7. Ergo virginitas non est potior continentiâ coniugali. Addunt Hæretici obseruantiam virginitatis esse superstitiosam, si fiat cum opinione cultus diuini, velut obsequium ei gratum: quia nihil assumendum est in cultum Dei, quod ipse non præceperit, iuxta illud Deuteron. 12. ver. vlt. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec quidquam addas, nec minuas.* Esse verò præsumptuosam, si fiat cum opinione meriti apud Deum: & denique stultam, si cum obligatione voti, nisi vouens sciat se habere donum singulare continentiæ, paucissimis concessum.

Ad primum respondeo matrimonium esse in præcepto naturali, & diuino, respectu communitatis, ita vt aliqui ex illa debeant coniugalem statum assumere ad conseruationem generis humani: at non respectu singulorum, quasi nullus ab illo abstinere possit: alioquin vterque Ioannes, Baptista & Euangelista, & Paulus Apostolus, & plures alij sancti eximij peccassent contra illud præceptum: & peccaret similiter, quisquis exemplo illorum, & ipsius Christi Domini, viueret sine coniugio, tametsi donum haberet continentiæ: quod est contra doctrinam ipsorummet Hæreticorum. Quomodo matrimonium est in præcepto?

Ad secundum: Apostolus loquitur ibi de iunioribus incontinentibus, præsertim viduis, quas vult nubere potiùs, quàm malè viuendo *occasionem dare aduersario maledicti gratia*, vt addit verbis immediatè sequentibus. De iunioribus, inquam, viduis, quæ voto castitatis facultatem nubendi sibi ademerunt. Nam istis nuptias esse illicitas docet idem Apostolus 1. Timoth. 5. ver. 11. & 12. *Adolescentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt.* Quem locum expendens D. Augustinus in Psalm. 75. circa illa verba, *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*, sic ait: *Quisque quod vouere voluerit voueat: Illud attendat, vt quod vouerit reddat. Vnusquisque Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. &c. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? quia iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dicis de talibus Apostolus Paulus, cùm dicat viduas adolescentulas nubere si velint? Sed tamen ait quodam loco, Beatior autem erit si sic permanserit secundùm meum consilium. Ostendit beatiorem si sic permanserit, non tamen damnandam si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt.* 94. Quibusnã Apost. præcipit, aut consulit nubere?

95. Status continentiæ à quibus suscipiendus? Ad tertium respondeo, opus quidem esse Dei gratiâ ad seruandam continentiam, non modo virginalem, verùmetiam coniugalem, & vidualem: sed illam non deesse petentibus sicut oportet, & cooperari volentibus. Addo statum virginitatis, aut continentiæ perpetuæ, quia difficilior est, non esse temere à quolibet suscipiendum ex voto; sed consultò, & ex instinctu Spiritus sancti; qui si dat velle, dabit etiam posse, & perficere, cooperantibus ipsius gratiæ. Quod autem Paulus addit, melius esse nubere, quàm vri, non intelligit de ijs, qui carnis tentationibus viriliter resistunt, & motibus libidinis inuoluntarijs non consentiunt: sed de ijs, qui ab illis vincuntur, & turpiter succumbunt. Nam, vt bene exponit Cornel. ibidem post Ambros. Vri non significat calere, aut tentari libidinis ardoribus; sed ijs lædi, vinci, & consentire. Vri enim ab igne dicitur non qui eius calorem sentit, sed qui ab eo

Exponitur illud Apost. *Melius est nubere, quàm vri.*

læditur & aduritur. Non loquitur etiam Apostolus de ijs, qui voto cœlibatus adstricti sunt; vt rectè notat Ambros. lib. de virgine lapsâ cap. 5. Nam illis peius est inire matrimonium cum perpetuo sacrilegio, quàm interdum & transeunter vri libidine: sicut peius est esse in continuo peccati statu, quàm interdum obiter in peccatum labi. Denique alijs melius quidem est nubere, quàm vri: sed optimum est nec nubere, nec vri, sed continere.

96. Non omne bonũ cõmune est melius priuato.

Ad quartum iam pridem respondit S.Thomas quæst. 152. art. 4. in solutione tertij argumenti: bonum commune esse melius priuato, si sit eiusdem generis. Secus verò potest esse bonum aliquod priuatum, quod sit melius secundùm suum genus. Cuiusmodi est bonum spiritale ad quod virginitas ordinatur: nempe mentis libertas vt rebus spiritalibus & diuinis meliùs intendat, & magis Deo placeat, orationi vacet, & cogitet quæ Dei sunt; vt ait Paulus 1. Cor. 7. ver. 5. 32. 33. & 34. quod est præstantius bono corporali, ad quod ordinatur coniugium, nempe ad propagationem speciei humanæ. Et vt ait Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. num. 17. *Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum.* Ex quo etiam patet virginitatem valere ad cultum & obsequium Dei. Nam sine dubio confert ad eius cultum & obsequium, id cuius obseruantia facit vt Deo meliùs seruiamus, orationi vacemus, & cogitemus quomodo Deo placeamus, per quod denique virgo sit sancta corpore, & spiritu, vt ait Apostolus ibidem ver. 34. Præterquam quòd omnis actus virtutis valet ad cultum & obsequium Dei, si eò referatur. Virginitas autem est pars præstantissima virtutis Temperantiæ, perfectissimè se opponens motibus concupiscentiæ, & de illis triumphans.

Exponitur locus Deuteron.

Ineptè verò objicitur in contrarium locus Deuteron. in quo sermo tantùm est de præceptis eodem capite contentis: Et sensus est, quòd Deus velit integrè seruari quæcunque ibi præcipit, nullóque modo ea deprauari falsâ interpretatione. Itaque non vult dicere, Non seruabitis aliud, quàm id, quod nunc præcipio (nam multa alia deinceps addita fuerunt, vt ostendam paulò post) sed, in hoc, quod præcipio, nihil mutabitis addendo, vel minuendo, vel perperam interpretando; sed integrè facietis vt iubeo, & non aliter: quemadmodum rectè exponit Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 10. §. *Ad primum*, & fusiùs lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 17. Potest etiam intelligi de additione contrarij: ita vt Deus præcipiat solummodo nihil addi contrarium ijs quæ præcipit. Et quidem alia quædam ad cultum Dei pertinentia fuerunt deinceps addita, Esther 9. v. 21. Iudith vlt. in fine, & 1. Machab. 4. vers. 59. multóque plura à Christo & Apostolis in nouo Testamento; imò & ab ipsis Hæreticis in suis constitutionibus Ecclesiasticis, vt videre est in Ordinarionibus Ecclesiæ Gebennensis.

97. Obseruantia virginitatis est meritoria.

Quod autem obseruantia virginitatis valeat etiam ad merendum apud Deum, patet ex Matth. 19. & Apoc. 14. ver. 3. & 4. verbis supra relatis & expensis. Ac denique posse laudabiliter voueri, & hanc obligationem sponte contractam debere necessariò seruari, liquet ex verbis paulò ante citatis ex 1. Timoth. 5. Neque est opus volentem expectare vt certò sciat se habere donum continentiæ virginalis, priusquam Christo fidem det de seruanda virginitate: sicut non est necessarium expectare nubentem donec certò sciat se habere donum continentiæ coniugalis ad seruandam fidem marito, vel vxori, priusquam illi se obstringat vinculo matrimonij. Sufficit vtrique probabilis spes seruandi cum Dei gratia: & seruabit re ipsa si faciat quod in se est, vtendo medijs ad id conuenientibus, vt oratione, Sacramentorum frequentia, ieiunio, & castigatione corporis, fœminarúmque aut virorum, & aliarum occasionum deuitatione.

SECTIO IX.

De Luxuria.

98. Quid sit Luxuria?

LVxuria latè sumitur pro quacunque superfluitate in cibo, & potu, vestitu, supellectili, & similibus; vt notat glossa in caput 5. Epist. ad Galat. V. *Impudicitia, luxuria, &c.* Et S. Thom. quæst. 153. art. 1. ad 1. Strictè verò & propriè sumitur pro excessu circa voluptates venereas, vt docet idem S. Doctor in corp. artic. citati. Dicitur enim, inquit, luxuriosus, quasi luxatus, & solutus in voluptates, vt ait Isidor. lib. 10. Ethym. cap. 11. maximè autem voluptates venereæ animum soluunt. Et ideo circa voluptates venereas maximè luxuria consideratur. Hoc sensu de luxuria in præsenti est sermo. Sicque est vitium castitati oppositum: & mortale ex suo genere, atque capitale. Mortale quidem: Quia grauiter aduersatur rei valde necessariæ ad bonum commune, nimirum, conseruationi humani generis, quæ maioris est momenti, quàm conseruatio indiuidui. Quantò autem aliquid est magis necessarium, tantò magis oportet vt circa illud rationis ordo seruetur: magisque peccatur, si rationis ordo prætermittitur. Est verò capitale, quia multa alia vitia ex illo oriuntur in genere causæ finalis, vel efficientis: propter vehementem delectationem, cum qua coniunctum est, quáve homines alliciuntur vehementer ad multa alia peccata perpetranda, aut in alia vitia incurrunt. Sunt autem hæc præcipuè octo, enumerata à D.Thoma, art. 5. quæst. citatæ, post Gregorium Magnum lib. 31. Moral. cap. 31. Nimirum Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, & Horror futuri.

Est peccatum mort. & capitale.

Luxuriæ filiæ.

99. Ratio ex D. Thoma ibidem est, quia quando potentiæ inferiores vehementer afficiuntur ad sua obiecta, consequens est vt superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer afficitur & intendit suo obiecto delectabili, propter vehementiam passionis, & delectationis. Vnde consequens est vt per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, videlicet ratio, & voluntas. Sunt autem quatuor actus rationis

siue intellectus, in agendis: & duo voluntatis. Cæcitas mentis. Nam ad intellectum pertinet primò, cognoscere finem bonum, & conuenienter prosequendum. Et iste actus impeditur per luxuriam, quæ ad illicitas delectationes prosequendas inducit; iuxta illud Daniel. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Et quantum ad hoc ponitur Cæcitas mentis. Præcipitatio. Secundò, ad rationem pertinet consilium de his quæ sunt agenda propter finem. Et hoc etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ, quæ præceps, moræque impatiens est, & non admittit accuratam mediorum consultationem, & collationem cum fine: iuxta illud Terentij in Eunucho, de amore libidinoso. *Quæ res in se neque consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes.* Et quantum ad hoc ponitur Præcipitatio, id est, subtractio consilij. Inconsideratio. Tertiò, ad rationem pertinet iudicium de agendis. Et hoc etiam impeditur per luxuriam, auertentem animum à consideratione eorum, quæ ad rectè iudicandum faciunt: iuxta illud Daniel. 13. de senibus luxuriosis, *Auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Et quantum ad hoc ponitur Inconsideratio. Inconstantia. Quartò, ad rationem pertinet præceptum de agendo, id est, iudicium vrgens executionem. Et hoc etiam impeditur per luxuriam, quatenus homo impeditur ex impetu concupiscentiæ ne exequatur id, quod rectè decreuit esse faciendum. Vnde Terent. in Eunucho, de quodam qui dicebat se recessurum ab amica: *Hæc verba*, inquit, *vna falsa lacrymula restinguet.* Et Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 11. dicit luxuriâ maximè impediri prudentiam: *Voluptates*, inquit, *impedimento prudentiæ sunt. Atque quò magis hisce quispiam gaudet, eò magis impeditur: vt in venerea fit voluptate. Nemo namque, dum est in illa, mente quidquam perspicere potest.* Ex quo rectè infert Lessius hoc vitium esse maximè perniciosum superioribus Sæcularibus, & Ecclesiasticis, & omnibus qui debent alios regere, & prudentiâ antecellere. (Lessius lib. 4. cap. 3. num. 42. in fine.) Amor sui, & odium Dei. Quintò, ad voluntatem pertinet appetitus finis. Et hunc impedit concupiscentia, trahendo ad amorem sui, id est, ad amorem carnis suæ, & sensualitatis, tam immoderatum, vt tandem nihil aliud quærat, quàm ei placere, & per illicitas voluptates ei satisfacere, atque in illis quodammodo suum vltimum finem constituat. Ex quo etiam sequitur odium Dei, inquantum scilicet prohibet & seuerè punit eiusmodi voluptates tantopere concupitas. Affectus præsentis sæculi, & horror futuri. Sextò denique, ad voluntatem pertinet appetitus eorum quæ sunt ad finem, id est, mediorum conuenientium ad bonum finem assequendum, præcipuéque æternam beatitudinem. Et hic impeditur per luxuriam ingenerantem affectum præsentis sæculi, & horrorem futuri: id est, amorem vitæ præsentis, in qua sola frui potest carnis voluptatibus, velletque semper in ea manere, vt semper frueretur: & horrorem vitæ futuræ, in qua illis priuandus est, & grauibus æternisque suppliciis puniendus. Vnde fit vt voluptuosi mortem vehementer abhorreant. Ingenerat etiam desperationem, siue potius æternæ beatitudinis contemptum: quia dum nimis detinetur homo carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit eas.

100. Turpiloquia, scurrilia, ludicra, & stultiloquia. His octo vitijs ex luxuria manantibus, quæ interna sunt, addit alia quatuor Isidorus externa, & ad locutionem pertinentia. Nimirum turpiloquia; scurrilia, siue leuiter & inconsideratè dicta; ludicra, seu faceta; & stultiloquia. Nam vt rectè ait D.Thom. q. 153. art. 5. ad 4. qui venereis voluptatibus sunt dediti, & quorum cor turpibus concupiscentijs plenum est, erumpunt facilè in verba obscœna: ex abundantia enim cordis os loquitur, Matth. 12. Et quia laborant inconsideratione, & præcipitatione mentis, facilè prorumpunt in verba leuiter & inconsideratè dicta, quæ dicuntur scurrilia. Et quia toti sunt in quærendis delectationibus, ludicra verba, seu faceta sectantur. Ac demum, quia laborant cæcitate mentis, incidunt frequenter in stultiloquia, præsertim loquendo de suis delectationibus, quas quibuscunque alijs rebus præferunt.

101. Species Luxuriæ. Partes verò, seu species luxuriæ sex numerantur à D. Thoma, quæst. 154. art. 1. scilicet fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam. Quibus addit art. 10. sacrilegium, contra personam, vel rem sacram, id est, contra personam voto castitatis adstrictam, aut rem cultui diuino specialiter consecratam, commissum. Addunt etiam alij impudicitiam, circa morosas cogitationes, verba, tactus, & oscula impudica: quæ licet pertineant ad alias species, quando ad illas ordinantur, fiuntque ex intentione fornicandi, aut adulterandi, vel alterius copulæ illicitæ, velut eius præambula & dispositiones: possunt tamen sine tali intentione fieri: & in simplicibus cogitationibus morosis abstrahitur communiter ab illis differentijs. Porro inter eiusmodi species quædam sunt quarum differentia pertinet propriè ad genus castitatis, inducitque specialem inordinationem contra illam virtutem: vt fornicatio, & vitium contra naturam: Aliæ verò sunt accidentales luxuriæ, & alteri virtuti opponuntur, constituuntque peccatum in alia specie: vt adulterium, stuprum, & raptus, quatenus fiunt cum iniuria proximi; & incestus, contra reuerentiam sanguinis; & sacrilegium, contra Religionem. Præterquam quòd adulterium, & incestus, & sacrilegium contra votum solenne castitatis, irritans matrimonium, continent specialem deformitatem, & disconuenientiam in genere ipso luxuriæ, propter specialem ineptitudinem ad copulam licitam, inter huiusmodi personas, ratione matrimonij cum alio initi, vel consanguinitatis, affinitatis, aut voti solennis, impedientis ne possint validè inter se contrahere, licitéque copulari.

SECTIO X.

De speciebus Luxuriæ.

His præmissis de Luxuria generatim, iam de singulis illius speciebus dicendum est, 102.

Fornicatio quid sit? & quàm graue peccatum?

quæ septem numerantur. Fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam. Primo igitur Fornicatio est copula illicita soluti cum soluta, id est inter virum & fœminam qui non sunt matrimonio coniuncti, neque inter se neque cum altero. Quam esse graue peccatum & mortale docet Scriptura 1. Cor. 6. *Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, &c. Regnum Dei possidebunt.* Et Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis Fornicatio, Immunditia, &c. Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et Ephes. 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et Apoc. 21. *Homicidis, & fornicatoribus, &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Idem etiam docent SS. Patres. Et in Decreto, causa 22. quæst. 1. cap. *Prædicandum*, dicitur talem de periurio (quod grande scelus ibidem nominatur) pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitijs. Ergo fornicatio est peccatum criminale, seu mortale. Ratio præcipua est, quia repugnat fini à natura intento per copulam, qui est proles perfecta. Repugnat enim bonæ educationi prolis, vt alij concurrant ad illius generationem, nisi qui nexu insolubili matrimonij sunt inter se deuincti, & obligati ad simul viuendum perpetuò, concurrendúmque ad prolis educationem, & bonam institutionem, quæ vtroque parente indiget, per se loquendo. Nec obest quòd interdum potest aliter illi prouideri. Nam hoc non tollit inordinationem quam actus per se habet, quatenus prætermittitur illa conditio, quæ ex natura rei requiritur.

Atque hinc patet non tantùm iure positiuo diuino (vt perperam Durando visum est) verùm etiam naturali, fornicationem grauiter prohiberi. Nam potiùs idcircò prohibetur grauiter iure diuino, locis Scripturæ citatis, quia est grauiter illicita iure naturali, cui iuri Deus solet præcepta sua accommodare, censeturque ita facere quotiescumque non aliud significat. Cùm autem in omnibus graue peccatum sit, vt ex dictis patet: grauius tamen est in Christianis, quorum corpora per baptismum facta sunt Christi membra, & templa Spiritus sancti: vt rectè ponderat Apostolus 1. Cor. 6. ver. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis? Absit.*

103. Adulteriũ quid sit?

Dico secundò, Adulterium, sicut nomen ipsum sonat, esse accessum ad thorum alienum; vt ait D. Thomas art. 8. quæst. 154. id est, ad personam alteri deuinctam per matrimonium. Quando scilicet vel vnus eorum qui copulam illicitam exercent, vel vterque, est iunctus alteri per matrimonium, violátque fidem coniugalem illi datam, & ius quod ille habet in corpus coniugis. Quod peccatum esse mortale, patet ex Iob 31. vbi vocatur nefas, & iniquitas maxima: & Leuit. 20. vbi morte damnatur: *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus, & adultera.* Et Deuter. 27. *Maledictus qui dormit cum vxore proximi sui:* Et 1. Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarij, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt.* Ratio est, quia continet totam malitiam fornicationis, quatenus est accessus ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ bene educandæ: & insuper addit specialem, & grauem deformitatem iniustitiæ, quatenus est contra fidem datam coniugi per contractum matrimonij, & ius illi acquisitum in corpus vxoris, aut mariti, atque etiam contra reuerentiam debitam matrimonio, & statui coniugali. Quæ indecentia manet etiam tunc quando alter coniux consentit alterius adulterio: vt quando maritus lenocinatur vxori. Tunc enim siue fiat illi iniuria, siue non, cedenti iure suo quantum potest (qua de re dicemus alibi) tamen fit indecenter contra statum coniugalem, qui ratione vinculi insolubilis reddit personam specialiter ineptam ad talem copulam, indeque existit specialis deformitas, seu disconuenientia in tali actu. Porro licet adulterium personæ solutæ cum coniugata graue peccatum sit: grauius tamen est, si vtraque sit coniugata: quia duorum matrimoniorum ius & reuerentia violatur, & duobus coniugibus irrogatur grauis iniuria.

Probatur esse peccatum mort.

Dico tertiò, Incestum esse copulam illicitam cum consanguinea, vel affine, intra gradus prohibitos. Quod peccatum vltra malitiam fornicationis, aut adulterij, quam continet, addit aliam specialem, deformitatem contra reuerentiam & honorem debitum sanguini. Quam esse valde grauem docet Apost. 1. Cor. 5. his verbis, *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis? Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit?* Ob eandémque causam tradidit illum Paulus Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. Cùm autem varij sint gradus consanguinitatis & affinitatis, prohibiti partim iure naturali, partim positiuo: notandum est grauius esse peccatum contra prohibitos iure naturali, quàm contra prohibitos iure positiuo tantùm. Et inter vtrosque quo gradus est propinquior, grauius etiam peccatum est. Item quia consanguinitati maior debetur honor, & reuerentia, quàm affinitati maiusque est vinculum ortum ex consanguinitate & coniunctione sanguinis proprij, quàm ex affinitate & sanguine vxoris; idcirco grauius est peccare cum consanguinea, quàm cum affine in eodem gradu. 104.

Incestus quid, & quale peccatũ?

Quòd si quæras, quinam sint gradus consanguinitatis, aut affinitatis, prohibiti iure naturali, & vtrum differant specie? Respondeo primò, gradus omnes consanguinitatis in linea recta, id est, inter ascendentes & descendentes, auum, patrem, filium, nepotem, seu filij filium, &c. esse prohibitos iure naturali, iuxta sententiam communiorem, fauente *L. Nuptiæ*, 53. & lege vlt. *ff. de ritu nuptiarum*; licet non pauci de solis quatuor primis gradibus id verum esse velint, vt videre est apud Sanch. 105.

Quinam gradus sint prohibiti?

lib. 7. de Matrim. disp. 51. n. 12. & 19. Inter collaterales verò, & inter affines in linea recta, solum primum gradum prohiberi iure naturali: alios autem quoscunque gradus, qui sunt prohibiti, iure tantùm Ecclesiastico prohiberi.

Sintne specie diuersi? Secundò, licet Caiet. & quidam recentiores existiment gradus consanguinitatis non differre specie, neque à se inuicem, neque à gradibus affinitatis, sed tantùm penes magis & minus, neque debere pœnitentem esse solicitum de differentia illorum explicanda in confessione. Nimirum quia prohibentur omnes ex eodem motiuo, nempe ob reuerentiam sanguinis: Et quando lex humana prohibet aut præcipit aliquid ex eodem motiuo, constituit illud in eadem specie virtutis: Probabilius tamen mihi videtur quod docet Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 79 gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis. Quia longè alia est deformitas copulari cum matre, quàm cum nouerca: vel copulari cum propria sorore, quàm cum sorore vxoris. Item gradus in recta linea differre specie à collateralibus. Aliter enim decet, & longè alia fœditas est copulari cum matre, quàm cum sorore. Inter gradus verò prohibitos iure tantùm positiuo, siue illi sint gradus consanguinitatis, siue affinitatis, seorsim inter se comparatos, differentiam tantùm esse penes magis, & minus: neque debere necessariò exprimi in confessione, iuxta sententiam illorum qui docent circunstantias aggrauantes tantùm, non esse necessariò explicandas.

106. Cognatio legalis. Nota præterea, vltra carnalem affinitatem, aliam esse quæ oritur ex cognatione legali, per adoptionem; aut spiritali, per Sacramentum Baptismi, aut Confirmationis. Quæ si violetur per actum luxuriæ, est in eo specialis deformitas. Et hæc latè incestus dici potest: vel potiùs pertinet ad sacrilegium, quando cognatio spiritalis est, orta ex Sacramento. Vtraque autem sine dubio differt specie à præcedentibus.

Nota denique cum Lessio dub. cit. num. 81. & sequent. licet grauior sit incestus cum consanguinea, quàm cum affine, saltem in pari gradu, vt supra diximus: tamen ex copula cum affine sequi duplicem effectum moralem, qui non sequitur ex copula cum consanguinea.

Notanda de incestu cum affine. Primò enim, coniux qui copulam habuit cum affine in primo, vel secundo gradu, impeditur à petitione debiti. Quod intellige, si nouerat esse affinem: & si sponte ac sine vi illata incestum commisit. Nam lex illa Ecclesiastica non punit ignorantes: nec eos qui metu graui adacti non obtemperant: vt bene docent Nauar. Henriq. & plures alij, quos citat & sequitur Bonac. quæst. 4. de Matrim. p. 2. num. 5. & 6. Et vt multi addunt apud Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 15. num. 13. hæc pœna non incurritur nisi crimen notum sit, & probatum in foro externo, accesseritque, sententia iudicis. Qua de re plura dicemus in tract. de matrimonio. Secundò, mortua vxore non potest licitè aliam ducere: & si duxit, non potest debitum petere sine dispensatione. Quod intellige cum iisdem conditionibus quas in primo casu dixi. Addo impedimentum illud licitè aliam ducendi, iam sublatum esse per contrariam consuetudinem, consentientibus Ecclesiæ Prælatis. Item, licet aliqui, præsertim Canonistæ, existiment simile impedimentum ad secundas nuptias & ad petendum debitum, oriri ex copula cum propria consanguinea: meliùs tamen alij negant cum Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 11. fauente cap. *De incestis*, 35. quæst. 3. & cap. *Si duo*, 35. quæst 6. vbi statuitur vt tales habeant ineundi melioris coniugij libertatem, & alia matrimonia contrahere non prohibeantur. Olim tamen, vt rectè addit Lessius ibidem, in pœnam prohibebantur contrahere secundas nuptias: quod adhuc seruari videtur in curia Romana. Quando enim dispensatur inter consanguineos vt possint contrahere, si præcessit copula, additur clausula, vt mortuo coniuge alter maneat cælebs. Sed vt aliqui dicunt, teste Lessio ibidem, id non obstat, in foro conscientiæ; quia est tantùm clausula ordinaria, addi solita, sicut aliæ quædam, licet desierit obligatio, neque sit necessarium petere dispensationem.

Dico quartò, Stuprum esse violationem virginis, id est, copulam extra coniugium habitam cum illa quæ adhuc prædita est integritate virginali, præcipuè si vis illi inferatur. In quo casu addit grauem malitiam contra iustitiam, quæ per leges ciuiles morte punitur. Si autem fiat sine vi, probabilius est non esse perfectè stuprum, neque addere malitiam mortalem, & necessariò exprimendam in confessione. Quamuis, vt rectè ait D. Thomas artic. 6. quæst. 154. specialis sit deformitas in violanda virgine, præsertim sub custodia patris aut tutorum existente: tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quod violatur, nulla pactione coniugali præcedente, interdum impeditur à legitimo matrimonio assequendo; & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris aut tutoris, qui de eius custodia sollicitudinem gerit. 107. Stuprum quid sit?

De obligatione verò quæ ex huiusmodi peccato oritur, præsertim si accesserit promissio matrimonij, dicemus in tract. sequenti. Porro non tantùm graue peccatum est vim inferre virgini nondum defloratæ: sed etiam cuicunque alteri: illúdque etiam per leges morte punitur. Tenetur autem illa, cui vis infertur, tueri se clamoribus, & alijs medijs conuenientibus, si proficere possunt. Non tamen obligatur inferre mortem inuasori, si potest, tametsi habet ius illum occidendi: quia ne vitam quidem propriam tenetur tueri cum medio tam horribili. Neque etiam tenetur clamare cum periculo mortis propriæ, vel infamiæ, aut nimiæ verecundiæ, quæ tanta interdum est, vt nonnullas ad mortem adegerit. Ratio, quia non tenetur tueri se cum tanto suo incommodo: vt post Nauar. & Reginald. docet Bonac. disp. 8. de præceptis, num. 10. licet contrarium alij sentiant, moti præcipuè exemplo Susannæ, Danielis 13. Cuius tamen exempli dispar est ratio. Nam senes illi vim planè non inferebant, sed consensum illius petebant, & expectabant. Debet tamen in eo casu passiuè tantùm se habere constuprata, & nullo modo actiuè coope-

rari, atque omnino à consensu interno in opus aut delectationem abstinere: alioqui enim grauiter peccat si liberè cooperatur aut consentit.

108. Raptus quod, & quale peccatũ? Dico quintò, Raptum esse violentam abductionem alicuius personæ, libidinis causâ, siue maris, siue fœminæ, nuptæ, vel innuptæ: & siue vis inferatur soli personæ abductæ, siue parentibus, aut alijs quorum custodiæ subest, siue vtrisque. Itaque ad raptum tria requiruntur. Primò, violentia, seu vis illata, vel ipsi personæ quæ abducitur; vel illis ad quos pertinet, vt patri, vel matri, vel curatoribus, aut tutoribus, vel sponso, aut marito: ita vt abducatur ipsis positiuè repugnantibus, & resistentibus. Nam si ipsa volens abducatur istis nescientibus: non est propriè raptus, sed fuga voluntaria. Existimo præterea ad perfectum raptum, & magis propriè dictum, requiri vt persona abducta repugnet & abducatur inuita, atque per vim ponatur in raptoris potestate. Idque puto requiri vt incurrantur pœnæ à Tridentino latæ contra raptores. Tametsi pœnæ statutæ per leges ciuiles latiùs extendantur ad raptum, solis parentibus, aut puellæ custodibus inuitis, & resistentibus factum: vt dicemus in tract. de Matrimonio. Secundò, requiritur abductio, id est, translatio de loco in locum. Nam si eodem in loco puella violetur, non dicitur propriè raptus, sed stuprum. Tametsi nomen raptus ad hoc crimen interdum extenditur, vt & aliquæ pœnæ in raptores constitutæ. Tertiò requiritur vt abducatur libidinis causâ, siue copula sit secuta, siue non. Nam si seruitutis tantùm causâ, vel alio fine violenter abducitur, non est raptus, sed furtum hominis.

109. Pœnæ contra illum statutæ. Hoc crimen esse graue per se patet. Nam vltra peccatum contra castitatem, addit grauem malitiam iniustitiæ. Ideòque meritò Symmachus Papa, vt refertur 36. quæst. 2. can. *Raptores*, sic ait: *Raptores viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris detestamur.* Idcirco etiam graues pœnæ in vtroque iure contra illud statuuntur. Nam iure ciuili statuitur supplicium capitis, & addictio bonorum, contra raptores, & eorum adiutores: permittitúrque vt impunè possint interfici in flagranti crimine à personis coniunctis, & à tutoribus, aut curatoribus, lege vnica, Cod. *de raptu virginum*: quam pœnam Doctores extendunt ad raptum etiam imperfectum, seu potiùs stuprum, id est, vim illatam sine abductione. Iure autem Canonico, omissis quibusdam quæ nunc in vsu non sunt, tres graues pœnæ statuuntur à Tridentino Sess. 24. in Decreto de reformatione matrimon. cap. 6. Primò scilicet, vt matrimonium inter raptorem & raptam sit nullum, donec rapta sit à raptore separata; & in loco tuto, ac libero constituta consenserit in matrimonium. Secundò, vt raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces. Quæ pœna incurritur, etiamsi raptor ducat in matrimonium raptam postea liberè consentientem; vt clarè patet ex ipsis verbis Concilij. Itémque, vt si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Tertiò, vt teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare. Ad has verò pœnas incurrendas tria requiruntur, iuxta probabiliorem sententiam. Nimirum vt raptus fiat personâ raptâ contradicente, & matrimonij causâ, & non à sponso qui iam in sponsam aliquid iuris habet: vt bene docet Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 9. & nos alibi dicemus in tract. de matrimonio disp. 76. num. 64. Item licet masculus rapi possit, æquè ac fœmina: multi tamen existimant pœnas illas non ferri à Tridentino nisi contra raptorem fœminæ: quia de illa tantùm expressè loquitur: & eius verba sunt accipienda vt sonant; & restringenda potiùs, quàm amplianda, cùm sint pœnalia. Sed contrarium probabilius esse ostendemus loco supra indicato. *Vide tom. 5. disp. 76. n. 64.*

110. Sacrilegium cõtra castitatem quid sit? Dico sextò, Sacrilegium, prout est peccatum contra castitatem, de quo loquimur in præsenti, esse violationem seu contaminationem rei sacræ per actum venereum. Rei, inquam, hoc est, personæ, vel loci, vel alterius rei Deo consecratæ. Quod peccatum quinque modis contingit, vt rectè ait auctor suprà citatus dub. 12. Nimirum primò, si persona sacra consentiat in opus turpe externum, vel in delectationem internam. Violat enim sanctitatem suæ personæ; & votum Deo factum. Secundò, si persona non sacra consentiat in opus turpe, vel illud exerceat, circa personam sacram. Tertiò, si vtraque persona sit sacra. Quod peccatum grauius est. Quartò, si fiat in loco sacro; vel Quintò si fiat cum irreuerentia & contaminatione alterius rei sacræ, putà vestium sacerdotalium, aut vasorum altaris. Circa quem modum nota Doctores communiter excusare propter necessitatem, & periculum incontinentiæ, coniuges diu in loco sacro conclusos. Item; nonnulli excusant eos, saltem à mortali, si occultè, quamvis absque necessitate id faciant. Qui addunt ne pollutionem quidem, aut fornicationem occultam, in loco sacro, esse sacrilegium mortale: quia per hæc non profanatur Ecclesia. Sed hoc verum esse non puto. Nam propter reuerentiam loci, tales actus neque occultè, neque publicè possunt sine graui indecentia ibi fieri: & vtrosque ab Ecclesia prohiberi est longè probabilius. Tametsi nolit expiari locum sacrum, nisi quando res est publica; partim ad scandalum vitandum: partim etiam quia sanctitas loci manet adhuc in opinione hominum; cuius maximè habetur ratio in huiusmodi rebus moralibus, quæ consistunt in æstimatione hominum, aut ab illa pendent.

111. Peccatũ Luxuriæ contra naturam. Dico septimò, Peccatum contra naturam, prout est species luxuriæ, in eo consistere, quòd actus venereus, de se ordinatus ad generationem, exerceatur aliquo modo inordinato, & repugnante generationi prolis humanæ, quæ est finis huiusmodi actus: seu contrà quàm natura illius actus postulat vt ex illo sequi possit generatio eiusdem speciei. Et quia quinque requiruntur ad generationem prolis eiusdem speciei; idcirco quinque modis potest committi peccatum contra naturam in genere luxuriæ.

Pollutio voluntaria. Primò enim requiritur coniunctio duorum. Et contra hoc peccatur per mollitiem, seu pollutionem voluntariam absque coniunctione. Quod peccatum esse graue significat Apostolus 1. Cor. 6. *Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, &c.* vbi per *molles*, Græcè μαλακοὶ, intelligit vitium de quo loquimur, iuxta communem interpretationem non autem, vt aliqui volunt, ἀρσενοκοῖται; alioqui bis idem repeteret, cùm addit, *neque masculorum concubitores*. Et ad Galat. 5. vbi inter opera carnis excludentia à regno cœlorum, numerantur *fornicatio, immunditia, impudicitia, &c.* Nomine enim immunditiæ comprehendit Paulus, aut potiùs speciatim designat pollutionem. Idem denique docent communi consensu Theologi, & probant præcipuè, quia vitium illud repugnat omnino generationi, & conceptioni prolis.

111. Bestialitas. Secundò requiritur vt vterque concurrentium sit eiusdem naturæ. Et contra hoc peccatur per bestialitatem, seu congressum cum bruto, vel, quod peius est, cum Dæmone; aut cum alia re alterius naturæ. Et hoc etiam grauissimum peccatum esse nemo non videt: vocatúrque crimen pessimum Genes. 37. ver. 2. vt S. Thom. Tosta. & Hugo de sancto Victore exponunt. Grauius tamen est si cum dæmone; propter commercium cum illo, & maiorem distantiam naturæ. Debétque illa differentia necessariò exprimi in confessione: quia specie differt à bestialitate. Secus tamen est de brutorum differentia. Nam moraliter censetur esse eiusdem speciei hoc peccatum, siue cum hoc, siue cum illo bruto committatur.

Sodomia. Tertiò requiritur diuersitas sexus inter concurrentes ad generationem. Et contra hoc peccatur per Sodomiam, id est, coniunctionem maris cum mare, aut fœmina cum fœmina. Quod crimen esse grauissimum per se patet: & confirmat Scriptura Genes. 19. vbi punitur seuerissimè igne de cœlo misso in Pentapolim: & Leuit. 18. & 20. vbi statuitur illi pœna mortis: & Rom. 1. vbi Paulus illud valde exaggerat. Et 1. Cor. 6. vbi à regno cœlorum excluduntur masculorum concubitores. Patet etiam ex pœnis

Pœnæ illi statutæ. iure ciuili, & Canonico contra illud statutis. Nam iure ciuili decernitur pœna mortis, & supplicij grauissimi, nempe Viuicomburij: vt videre est apud Couatr. ad Clement. de homicidio, parte 1. §. 1. num. 6. in fine, & in Codice Theodosiano lib. 9. tit. 7. Iure autem Canonico statuitur in Extrauag. Pij V. quam refert Nauar. cap. 27. Manual. num. 249. vt Clericus qui hoc nefandum crimen exercet, cuiuscunque sit dignitatis, priuetur omni priuilegio Clericali, omnique beneficio, & dignitate Ecclesiastica. Sed hæ pœnæ iuxta multorum doctrinam, non incurruntur sine frequentia peccandi, quam importat in rigore vox *exercet*: neque sine sententia iudicis, vt significat vox, *priuetur*: quare non tenetur Clericus seipsum spoliare. Hoc autem vtrum verum sit, dicemus alibi in tract. de Censuris.

112. Copula præpostera. Quartò requiritur ad generationem prolis humanæ vt coniunctio fiat in vase, & organo ad id à natura instituto. Et contra hoc peccatur, si quamvis sit diuersitas sexus, tamen copula fiat in vase, vel organo indebito, & inepto ad generationem. Atque hoc peccatum esse graue per se notum est: valdeque accedit ad Sodomiam, quando fit in vase præpostero. Quamvis Sodomia propriè non sit, propter differentiam sexus.

Quintò denique requiritur debitus modus in coniunctione. Et contra hoc peccatur, si quamvis cætera requisita seruentur, non adhibetur modus conueniens & ordinarius, vt si vir succumbat, &c. Et quidem peccant grauiter coniuges si eo modo & similibus impediunt generationem. Secus verò, est tantùm veniale, si absque necessitate id faciant. Plerique autem, quos refert & sequitur Sanches lib. 9. de matrimonio, disp. 16. num. 3. & 4. censent non impediri generationem ex solo defectu modi conuenientis: ideòque nihil eorum quæ coniuges in copula faciunt, seruato legitimo vase, excedere peccatum veniale. Ac si interdum impeditur generatio, id prouenire potiùs ex morbo & defectu matricis, quàm ratione situs & modi congrediendi. Neque confitentem de situ extraordinario in concubitu esse hac de re interrogandum, quia rarissimè accidit: esse tamen vehementer dehortandum ab hoc agendi modo: sed hæc & alia multa, quæ circa hoc peccatum, & alia præcedentia dici possent, quæque honestatis causâ prætereunda censeo, videri poterunt, quando necesse erit, fusiùs explicata apud auctorem citatum, disputatione illa 16. & sequentibus, & apud Bonac. quæst. 4. de Matrimonio, puncto 10. & sequentibus. De peccato quoque pollutionis voluntariæ, & de impudicitia consistente in cogitationibus morosis, desiderijs, aspectibus, verbis, tactibus, & motibus impudicis videri possunt idem Sanches lib. 9. disp. 45. & duobus sequentibus, Bonac. quæst. cit. punct. 7. & deinceps, De Salas 1. 2. tract. 13. disp. 6. & Lessius lib. 4. cap. 3. dubit. 7. & sequent. Nobis sat erit pauca de illis scitu magis necessaria breuiter notare sequenti Sectione. Neque enim lubet in eiusmodi rebus explicandis, fusiùs immorari.

Modus indebitus.

SECTIO XI.

Soluuntur variæ quæstiones circa mollitiem, & impudicitiam.

QVæritur primò, vtrum pollutio quomodocunque contingens sit semper peccatum mortale? Respondeo negatiuè. Primò enim, quando planè inuoluntariè contingit, & absque vllo consensu voluntatis, ac neque in seipsa, neque in causa fuit volita, ne veniale quidem peccatum est, vt docent omnes Orthodoxi cum D. Thoma, quæst. 154. art. 5. Ratio est, quia quod non est voluntarium, non est liberum: quod autem non est liberum, non est peccatum formaliter sumptum & culpabile, vt sumitur in præsenti. Potest autem huiusmodi turpitudo contingere ex pura naturæ miseria, absque vllo consensu voluntatis, non modò in somnis, sed etiam in vigilijs, præsertim adhuc inexpertis huius infirmitatis, vel

114. Pollutio inuoluntaria non est peccatum.

Imperfectè voluntaria est peccatū veniale. naturæ suæ fragilitatis. Item, quia ad peccatum mortale requiritur plenus vsus rationis & libertatis, sufficiénsque aduertentia mali, quod fit; pollutio non est peccatum mortale quando est tantùm imperfectè voluntaria; defectu pleni iudicij, & aduertentiæ; vel quia deest sufficiens vsus libertatis; vt sæpe contingit experrectis è somno, nondum plenè vigilantibus: vel quia non satis apprehenditur illius malum, aut periculum, propter ignorantiam, aut leuem considerationem. Contingit enim multa, de se magna & grauia, leuiter tantùm apparere, & pro leuibus haberi, propterea quòd non bene considerantur, animo rebus alijs intento.

115. Possitne inefficaciter desiderari ob bonū finem? Secundò, tametsi graue peccatum est non modò velle efficaciter eiusmodi turpitudinem, sed etiam velle affectu inefficaci. Simplicis complacentiæ, propter delectationem, vel de illa gaudere ex eodem motiuo, quia hoc est consentire directè in delectationem veneream, quæ potiùs debet horrori esse castitatem amantibus: Non est tamen illicitum velle affectu planè inefficaci, vt eueniat modo prorsus naturali, ex puta naturæ miseria, absque vllo consensu aut periculo consensus in delectationem, vel gaudere quod euenerit tali modo, propter valetudinem, aut quietem animi, & liberationem à tentationibus carnis, ad quos fines vtilis est: vt bene docent S. Antoninus, Adrianus, Angelus, Nauar. Tolet. & alij quos citant & sequuntur Lessius lib. 4. cap. 3. num. 105. & Bonac. quæst. 4. de Matrimonio Puncto 10. Proposit. 3. Ratio est, quia id quod in tali casu desideratur, non est peccatum, sed aliquid de se indifferens, & naturali tantùm modo contingens per causas ad id à natura constitutas, absque libera cooperatione. Et finis, ob quem desideratur, est bonus, & verè optabilis. Ergo non est peccatum in tali desiderio. Si autem licet desiderare vt ita eueniat, licet etiam gaudere quòd euenerit. Gaudium enim sequitur connaturaliter ex desiderio: & quod est conueniens materia desiderij vt eueniat, est etiam conueniens materia gaudij, quòd euenerit. Ita fere Lessius suprà, sapienter addens castitatis amantes debere nihilominus ab huiusmodi actibus abstinere, quia minorem affectum castitatis sapiunt, & non desunt sanctiora remedia, quibus procuretur finis bonus, & commodus, qui est obiectum formale talis desiderij, & gaudij, & propter quem affectus illi redduntur liciti. Notandum autem non modò licitum esse desiderare bonum illum finem, qui est effectus naturalis pollutionis, naturaliter contingentis, & de illo gaudere: verùm etiam vt ipsa pollutio naturaliter contingat ob eundem finem. Ita vt affectus ille cadat in vtrumque: In effectum seu finem, tanquam obiectum formale & motiuum volendi: in causam verò, tanquam materiale. Id enim probat ratio allata: & auctores citati idem docent. Licet quidam alij velint non posse causam esse obiectum desiderij, vel gaudij, sed dumtaxat effectum: qua de re plura Lessius loco citato.

116. Pollutio volunta- Tertiò, quando pollutio est tantùm voluntaria in causa, non est sufficienter voluntaria ad peccatum mortale, nisi causa sit proxima, aut notabiliter influens in pollutionem. Quare si causa est tantùm remota, vel non influit notabiliter; non sufficit ad mortale, dummodo pollutio non intendatur, & absit periculum consensus. Idque non modò verum est de causa alioqui bona, vel licita de se, præsertim verò vtili, vel necessaria, & consentanea officio, vel pietati: sed etiam de leuiter illicita, etiam in genere castitatis: atque etiam de grauiter illicita in alio genere. Ita Nauarr. Lopes, Bellarmin. Syluest. Toletus, Sanchez, Suares, Vasques, & plures alij, quos referunt & sequuntur Bonacina puncto suprà cit. proposit. 1. & Lessius lib. 4. cap. 3. num. 100. Ratio eius est, quia pollutio censetur esse valde imperfectè voluntaria in tali causa: & prout aliunde prouenit ex naturali complexione corporis, & naturæ necessitate, non censetur esse graue incommodum, sed effectus naturalis, habens sua commoda propter quæ natura sic est instituta. Ideóque non est grauis obligatio impediendi ne sic eueniat. Neque par est ratio de homicidio, adulterio, & similibus, quæ non habent similem causam in natura, ex qua sequantur necessariò, neque similia commoda: sed potiùs sunt per se & intrinsecè mala: ideóque debent multò magis caueri. Quamvis autem id non sufficiat ad mortale: probabilius tamen existimo cum auctore citato, & Sanche lib. 9. de Matrimonio disp. 45. num. 21. esse obligationem sub peccato veniali ad vitandam huiusmodi causam pollutionis, ratione euentus præuisi, etiamsi alioqui licitam; quando commodè vitari potest. Quia licet effectus ille naturaliter proueniens, non sit per se malus, vt homicidium, adulterium, & similia: tamen habet naturalem quandam turpitudinem oppositam castitati, & de se ad malum allicit: ideóque debet vitari, si commodè fieri potest: sin minùs, nullum peccatum est continuare actiones de se licitas, quamvis præuiso tali periculo: vt studere ex officio casibus conscientiæ, vel medicinæ, & anatomiæ, audire confessiones, equitare, colloqui cum fœmina de rebus vtilibus, aut necessarijs, salutare & amplecti more patriæ consueto, & à personis honestis communiter vsitato, fouere mutuum amorem coniugalem, aut maternum affectum erga infantulum, aut si mulier suppleat quod superest ex parte sua in actu coniugali, & similia quæ honestas fusiùs & clariùs dicere non permittit, videri autem possunt, si necessitas exigat, apud Sanch. lib. 9. disp. 17. & 45. & Bonacinam puncto suprà citato.

ria tantū in causa, quale peccatū?

Causa quomodo vitanda?

117. Quanta obligatio eam vitandi? Dixi nullum esse peccatum continuare actiones de se licitas: quia si aliunde sunt illicitæ, debent omnino vitari duplici titulo: & ratione sui; & ratione pollutionis præuisæ. Fieri autem potest vt ex vtroque capite leuis tantùm sit obligatio eas vitandi. Quia nimirum sunt in seipsis leuiter tantùm malæ; & parum dumtaxat, ac remotè influunt in pollutionem: vt curiosus aspectus fœminæ, lectio curiosa rerum vtcunque venerearum, esus ciborum calidorum, nimia comestio, aut excessus leuis in potu contra sobrietatem, nimius somnus, præsertim dormiendo supinum. Fieri etiam potest vt causa sit grauiter mala in se, & sub graui

obligatione vitanda ratione sui; leuiter autem ratione pollutionis, quia leuiter tantùm & remotè in illam influit; vt ebrietas: quæ secundùm se, & prout est contra sobrietatem, graue peccatum est: leue autem, quatenus potest esse causa remota pollutionis, ex naturali potiùs virtute expulsiuâ contingentis. Censentur autem parum & remotè, influere causæ omnes, & actiones, quæ per se ad luxuriam non pertinent. Imò neque omnes ad luxuriam pertinentes, & in eo genere graues, influunt notabiliter in pollutionem, vt bene docet Sanch. lib. 9. disp. 45. num. 21. apud quem plura videri possunt, & apud Lessium suprà num. 102. Quomodo autem teneamur repellere turpem cogitationem inducentem ad pollutionem, patebit, ex quæst. sequenti.

118. Quid sit cogitatio morosa? Quæritur secundò, an & quomodo sit peccatum mortale in morosis cogitationibus? Vt respondeam suppono primò cogitationem vocari morosam non à mora temporis, sed à mora rationis: eò scilicet quòd aliquis aduertens ad turpitudinem, & malitiam moralem cogitationis, non statim illam repellit, sed in ea voluntariè & liberè persistit. Sine qua libera persistentia, & sufficienti aduertentia malitiæ, certum est nullum esse peccatum in huiusmodi cogitationibus, tametsi durent aliquandiu. Suppono secundò, simplicem cogitationem, seu cognitionem rerum venerearum, sine delectatione, vel alio affectu prauo, aut periculo illius, non esse peccatum: quia est tantùm cognitio vera sui obiecti: & in Deo, in quo nulla est imperfectio, est omnium rerum, & cuiuscunque veritatis cognitio. Suppono tertiò, aliud esse delectari de cognitione; & aliud, delectari de obiecto cognitionis. Quamvis enim cognitio habeat ordinem essentialem ad obiectum: differt tamen ab illo. Vnde de illa potest esse delectatio, quæ non sit de obiecto. Fierique potest vt cognitio placeat & delectet; obiectum verò displiceat. Vt quando delectamur legendo, vel audiendo historias tragicas rerum, quas crudeles, abominabiles, & lamentabiles esse iudicamus, detestamúrque vt tales. Inter has delectationes id discriminis est, quòd in priori cognitio se habet vt obiectum immediatum delectationis. In posteriori verò, vt conditio sine qua non, obiectum autem est ipsa res cognita, de qua immediatè capitur delectatio. Debet tamen necessariò cognosci, vt de ea delectemur: quia voluntas, cuius est delectari, non fertur in incognitum. Suppono quartò, dupliciter posse nos delectari de aliquo obiecto malo. Primò, vt malum est: ita vt etiam ipsa malitia placeat, quia apprehenditur vt commoda, vel vtilis ad aliquid: vt si quis delectetur de adulterio, quia per illud nocet inimico. Secundò, non vt malum est, sed ex aliquo motiuo bono: vt delectari quòd pollutio naturaliter eueniat, quia prodest sanitati. Item, delectatio potest capi vel de obiecto absolutè spectato, vel sub conditione: & conditio vel est talis vt auferat malitiam obiecti: Ex. gr. delectari de copula cum aliqua si esset vxor sua: vel non aufert; vt delectari de copula habenda nisi pudor humanus obstaret. Rursus delectatio de

Delectatio multiplex.

tali obiecto potest esse vel in sola voluntate, vel etiam in parte sensitiua. Et delectatio siue partis sensitiuæ, siue voluntatis, potest esse cum consensu in opus illicitum, & desiderio illud implendi; vel sine illo.

His præsuppositis, Dico primò, delectari tantùm de cognitione obiecti mali, non esse peccatum per se loquendo, id est, semota nimia curiositate, vel periculo delectationis, aut consensus circa obiectum malum, vel alterius praui affectus. Ratio est, quia delectari de obiecto bono, vel indifferenti, non est peccatum, sed est actus bonus, vel indifferens. Atqui delectari de tali cognitione, est delectari de obiecto bono, vel indifferenti: est enim simplex cognitio alicuius veritatis, quæ vel est actus bonus, vel indifferens. 119. Delectari de cognitione tantùm non est peccatum.

Dico secundò, Delectationem de obiecto grauiter prohibito, cum consensu in opus, esse graue peccatum, si fiat cum sufficienti aduertentia, & deliberatione, vt supponimus. Probatur ex Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quibus verbis, vt rectè notant ibidem Abulens. quæst. 176. & Salmeron tom. 5. tract. 38. Christus correxit errorem Pharisæorum existimantium non esse peccatum delectari solùm, & desiderare interiùs opus malum, nisi accedat externa illius executio. In quo errore fuisse Iosephum historicum, æquè ac alios Pharisæos, patet ex eius libro 12. Antiquit. Iudaic. cap. 13. vbi reprehendit Polybium, quòd Antiochum ideo periisse dicat, quia Dianæ templum diripere voluerat. Voluisse enim tantùm, inquit, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. Probatur secundò, quia eodem præcepto diuino, quo prohibetur aliquid fieri, prohibetur simul voluntas illud faciendi. Illámque voluntatem primò respicit præceptum, aut prohibitio. Nihil enim aliud facit, quàm imponere moralem obligationem ad faciendum id, quod præcipitur; vel ad abstinendum ab eo, quod prohibetur. Obligare autem aliquem moraliter, est adstringere illius voluntatem liberam ad aliquid quod potest præstare. Quare prohibere ne aliquid fiat, est prohibere ne scienter, & liberè fiat, id est, ne habeamus voluntatem illud faciendi. Neque tantùm mala est voluntas efficax, & actu coniuncta cum executione operis: sed etiam propositum, & desiderium exequendi: quia est voluntas malè agendi, quæ sine dubio illicita est, & disconueniens obiecto; sique est de re graui, grauiter mala est: vt voluntas fornicandi, adulterandi, & similes. Déque illa etiam voluntate loquebatur Christus Matth. cap. citato. Delectari de obiecto grauiter malo, cum consensu in opus, est P. M.

Dico tertiò, delectari de opere venereo mortali, vt mortale est, ita vt placeat ipsa malitia mortalis, etiam sine consensu in opus, aut graui periculo consentiendi, est peccatum mortale: Atque etiam simpliciter de illo delectari morosa delectatione plenè deliberata. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 6. & 8. Albert. Scotus, Durandus, Bonauent. & alii communiter, quorum plurimos citat De Salas 1. 2. Tract. 13. Disp. 6. Sect. 4. num. 45. contra nonnullos, quorum confusè meminit D. Thomas quæst. 120. Itémque delectari de illo vt malo, sine consensu in opus.

quæst. cit. art. 8. & quæst. 15. de veritate art. 4. & Corduba lib. 1. quæst. 21. dub. 11. §. *Igitur*, qui in secunda parte assertionis dissentiunt. Eandem esse sententiam Sanctorum Patrum, Augustini lib. 12. de Trinit. cap. 12. Chrysostomi Homilia. 17. in cap. 5. Matthæi, Gregorij 21. Moral. cap. 3. & aliorum, bene ostendunt Vasques 1. 2. disp. 109. cap. 2. De Salas Sect. cit. num. 44. & Mœtat. disp. 7. de peccatis Sect. 10. Ratio præcipua primæ partis huius assertionis, sumpta ex D. Thoma, art. cit. est, quia conformari per affectum peccato mortali, vt mortali, est peccatum mortale. Est enim actus grauiter repugnans rectæ rationi. Sed delectari de peccato mortali, vt mortali, est illi conformari per affectum; est enim illius malitiam approbare, gratámque, & acceptam habere vt talem. Nam delectatio est amor & affectus complacentiæ circa obiectum, de quo delectamur, vt præsens reipsa, vel cogitatione. Confirmatur inductione. Nam delectari de morte proximi iniustâ, quia malum illius est, vel quia est offensa Dei, est graue peccatum contra charitatem Dei, vel proximi. Delectari de Ebrietate, quia priuat violenter, & inordinatè vsu rationis, est graue peccatum contra Temperantiam. Ergo similiter delectari de rebus venereis, ea ratione qua illicitæ sunt, ita vt placeat, & approbetur earum turpitudo, est peccatum contra castitatem: & graue, quando obiectum est grauiter illicitum: quia est habere affectum grauiter repugnantem virtuti castitatis.

121. *Itémque, plenè deliberatè delectari de venereis illicitis, licet non vt illicitis.* Secunda pars eiusdem conclusionis, nimirum esse quoque illicitum delectari morosè de rebus venereis illicitis, quamvis non vt illicitis, & consentire per voluntatem in eiusmodi delectationem; esséque graue peccatum quando talis delectatio est plenè deliberata, & de re grauiter illicita; probatur, quia licet non omnis delectatio de opere grauiter malo sit grauiter mala, & illicita, vt diximus in tract. de peccatis, & bene probat Vasq. 1. 2. disput. 111. cap. 4. vt si de graui aliquo furto delectemur, quia fit modo mirabili, subtili, inusitato: vel de occisione hominis perniciosi Reipublicæ ratione vtilitatis inde secutæ: Secus tamen illa, quæ grauiter repugnat rectæ rationi, & alicui virtuti habenti grauem obligationem; eiusmodi est delectatio venerea. Nam, vt rectè ait Less. lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 110. delectatio orta ex rei turpis cogitatione, est planè similis illi, quæ ex rei ipsius vsu, & præsentia nascitur. Vt ex eo patet, quòd simili modo corpus inuitat, excitátque ad illicita, & disponit ad inordinatam & illicitam geniture profusionem; vt turpes contactus, & oscula venerea. Quare sicut grauiter peccaret contra charitatem ille qui ex imaginatione occisionis inimici, & crudelis tractationis ita delectaretur, & afficeretur interiùs, sicut affici solet ille qui reipsa inimicum interficit: hæc enim delectatio oritur ex affectu odij, seu complacentiâ erga malum inimici, & grauiter repugnat charitati: ita similiter peccat contra castitatem ille, qui turpi cogitatione delectatur sensibiliter, sicut is, qui ipsi operi incumbit: quia habet complacentiam castitati valde repugnantem.

Objicies, inde sequi Chartusianum peccare grauiter, si delectetur de esu carnium imaginario: quia delectatur de opere sibi grauiter prohibito, & habet complacentiam valde repugnantem abstinentiæ, ad quam vi regulæ obligatur. Et similiter peccare grauiter sacerdotem qui delectaretur de imaginatia condemnatione, & punitione nocentum, à se tanquam iudice factâ. Respondeo differentiam esse inter ea, quæ sunt per se illicita, seu iure naturæ: & inter ea quæ sunt tantùm illicita iure positiuo propter prohibitionem, cùm alioqui mala non sint. Delectari de primis per se, & propter se, est delectari de obiecto illicito, vel in eo sibi complacere: quæ complacentia potest rectæ rationi &, virtuti grauiter repugnare. Secus autem delectari per se, & propter se, de secundis: in quo genere sunt esus carnium, respectu Chartusiani, & iusta condemnatio nocentum respectu sacerdotis. Quare consentire in delectationem de illis per se, & propter se, perceptam ex imaginatione, non est consentire in delectationem de obiecto illicito. Neque per legem positiuam prohibetur hæc delectatio simplex & inefficax; sed tantùm opus externum, & voluntas illud exequendi. Illa quoque delectatio interna, imaginaria & inefficax, non est aliunde mala, neque vi regulæ prohibetur per se, quippe quæ non obligat ad actus purè internos: sed tantùm prohibetur externa comestio ad mortificationem carnis. Quare non peccant supradicti nisi delectentur de huiusmodi obiectis vt sibi illicitis, id est, vt prohibitis, sibi complacendo quòd facerent contra prohibitionem. 122. *Soluitur obiectio. Discrimē inter delect. de illicito iure natur. vel positiuo tantùm.*

Dico quartò, delectationem de rebus venereis sub conditione auferente malitiam, & consensum in eiusmodi delectationem, non esse de se peccatum: modò tamen delectatio illa sistat in voluntate, & feratur in obiectum præcisè sub illa conditione: vt exempli gratiâ, delectari de copula cum tali habenda, supposito quòd esset legitimo tibi matrimonio coniuncta. Probatur, quia sicut licet desiderare talem copulam sub prædicta conditione auferente malitiam: ita licet de eadem delectari, & consentire in delectationem sub eadem conditione: neque enim plus est malitiæ in delectatione conditionara, quàm in desiderio conditionaro eiusdem obiecti. Et si licitum est aliquid desiderare vt absens: licitum etiam est de eodem delectari apprehenso quasi præsente & possesso. Dixi autem, modò illa delectatio sistat in voluntate: quia secus dicendum est de delectatione existente in parte sensitiua: quippe quæ non fertur in obiectum secundùm conditionem dumtaxat, sed vt præsens simpliciter, cum eadem commotione partis sensitiuæ, & spirituum inseruientium generationi, ad quam etiam per se tendunt, & proximè disponunt, súntque aliqua velut illius inchoatio. Quare quibus non est licita copula, non est etiam licita delectatio sensitiua de illa. Et similiter quibus illicita sunt oscula, tactus, amplexus, & alia venerea: est quoque illicita delectatio de illis in parte sensitiua: vt bene docet Sanch. lib. 9. de matrimonio disp. 47. Hinc collige non peccare viduam 123. *Delectatio sub conditione auferente malitiam sitne peccatum?*

si mente solùm delectetur de copula præterita legitima: secus autem, si delectationem illam patiatur procedere vsque ad partem sensitiuam; quia iam copula præsens est illi illicita.

124. Tactus & oscula impudica. Dico quintò, inter omnino solutos (id est, neque coniugatos, neque sponsos) amplexus, oscula, aliosque tactus impudicos, factos mala intentione in ordine ad copulam, vel etiam ob delectationem veneream, consurgentem ex illis in appetitu sensitiuo, esse peccatum mortale: quamvis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur. Secus autem, si amplexus, oscula, & tactus huiusmodi, non omnino turpes & impudici, solùm habeantur ioco, causâ vanitatis, vel leuitatis, vel aliâ simili: absque delectatione venerea, vel illâ repressâ, si consurgat; multóque minùs, si fiant tantùm ex honesta beneuolentia, & in signum amicitiæ secundùm patriæ consuetudinem, quemadmodum fieri solet salutandi causâ. Tunc enim nullum peccatum est, etiamsi hac occasione insurgant motus sensualitatis inordinati, & delectatio venerea; dummodo absit consensus voluntatis expressus, aut tacitus & interpretatiuus. Dicitur autem delectatio venerea, seu libidinosa, quando sentitur in carne, cum commotione spirituum subseruientium generationi circa partes libidinosas: ad differentiam eius delectationis, quâ placet tactus, aut visus proprij corporis, vel alieni sine vlla libidine, ob solam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, aut visus: sicut tactus rei blandæ, & visus rei pulchræ delectant naturaliter organa tactus, & visus: inquit Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 5. 6. & 10. addens num. 9. post Armillam, Nauarrum, & Sotum, modicam delectationem citra periculum pollutionis, & consensus in copulam, non esse culpam lethalem, ob paruitatem materiæ: & num. 40. idem censet de modica delectatione ex verbis obscænis accepta: & num. 16. ait tactus leues, vt manuum fœminæ, &c. esse tantùm veniale, quamvis non ex leuitate solùm, aut ioco fiant; sed etiam ad captandam delectationem, quæ ex illis oritur: quia cum sint leuiter turpes, & delectatio ex illis sequuta sit modica, excusantur à culpa mortali, ob materiæ paruitatem. Idémque post Sanchem docuerunt Franciscus Syluius in 2. 2. quæst. 154. art. 4. conclus. 3. Granad. in 1. 2. Controuersia 6. tract. 4. disp. 7. num. 5. & 6. vbi alios citat, & Filiucius tract. 30. cap. 9. num. 200. Multóque magis iuxta illam sententiam excusantur à mortali qui infantes exosculantur, & carnes eorum tangunt cum aliqua suauitate, vt solent facere matres, & nutrices: quia non ex voluptate venerea, sed ex amore puro illius teneræ ætatis id faciunt.

Addit Castro-Palao parte 3. Operis moralis tract. 16. disput. 3. puncto 1. §. 3. supradicta non obstare quin vera sit sententia affirmans non dari paruitatem materiæ in delectatione venerea: quia licet, inquit, non possit negari castitatem sæpe venialiter violari, tum ob defectum perfectæ deliberationis, tum ob materiæ leuitatem: non inde sequitur dari posse leuitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsitâ. Hoc enim nullatenus asserendum est. Esset enim virtualiter æstimare dari leuitatem materiæ in coitu, vel pollutione. Nam delectatio venerea est complacentia sumpta ex coitu, vel pollutione, vel ex commotione spirituum vitalium, motionéque seminis ad vas pudendum; quæ est per se proxima, & naturâ suâ causa coitus, vel pollutionis; atque adeo virtualis coitus vel pollutio. Sicut enim in coitu, vel pollutione minimum non conceditur: ita neque concedendum est in venerea delectatione. Hæc ille: quibus simillia docent Pellizzar. tract. 1. Manualis Regular. cap. 3. Sect. 4. Baldellus lib. 4. Summæ disput. 15. num. 10. Rebellus 2. p. de obligat. iust. lib. 3. q. 19. Sect. 3. Sanches lib. 5. Summæ cap. 6. num. 12. & 13. & Layman lib. 4. tract. 5. cap. 8.

Notandum est præterea quod dixi in conclusione num. 124. *inter omnino solutos*: quia non sunt damnandi peccati mort. coniugati, & sponsi, qui inter se præstant sine periculo pollutionis, ea quæ ibi commemorauimus: vt docent Tabiena, Nauarrus, Caiet. Lessius, Toletus, alijque plurimi, quos refert & sequitur De Salas 1. 2. tract. 13. disp. 6. num. 126. & Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 48. idque, licet (inquit) sponsi intendant eam delectationem sensitiuam, quæ ex ipsis amplexibus & osculis oritur. Quia matrimonium vel præsens & perfectum, vel inchoatum per sponsalia valida, excusat hæc à culpa mortali: imò & à veniali si fiant ex aliquo fine honesto, præsertim verò accedente necessitate fouendi, aut testandi amorem mutuum. Quæ necessitas, si grauis est, facit vt liceant etiam cum periculo pollutionis. Meritò tamen Sanch. & alij multi excipiunt tactus valde turpes inter sponsos: in quibus etiam magnum periculum est, & nulla est necessitas eos exercendi. Porro non tantùm malum est dare oscula impudica, verùm etiam accipere, patique amplexus, vel tactus inhonestos. Quare peccat sine dubio fœmina quæ permittit tactus impudicos, id est, quales non nisi inter impudicos fieri solent, vt oscula, furtiua & morosa inter solutos, & non sponsos, tactus memmillarum, & similia. 125.

Difficultas verò est, an peccet etiam quando non impedit oscula, vel tactus, more consueto patriæ, & beneuolentiæ, vel salutationis causâ fieri solitos, si aduertit libidinosè hæc fieri ex parte alterius. Respondeo, si dubitat solùm de affectu libidinoso alterius, non tenetur impedire actus de se alioqui honestos, & ex consuetudine legitima necessarios: quia habet iustam causam permittendi, vt & ille petendi: & in dubio nullus debet præsumi esse malus. Sin autem certa est de prauo illo affectu alterius, debet ex charitate impedire, si commodè potest: quia tenetur quisque, si potest sine incommodo, impedire ne alter peccet. Est autem difficile vt commodè possit, præsertim si id publicè fiat: nam adstantibus ingenerabit suspicionem peccati alieni, vel infirmitatis propriæ, vel invrbanitatis, & morositatis, vel offensionis atque auersionis personæ repulsæ, cui negat signa honestæ beneuolentiæ more patriæ consueta, & necessaria quodammodo ad testandam 126. Teneaturne mulier oscula de se licita repellere, si offerantur ab impudico?

& conseruandam mutuam amicitiam: quæ duo postrema incommoda incurret, etiamsi priuatim repellat.

117. Turpes aspectus. Dico sextò, aspectus esse peccatum mortale, si sint valde turpes, præsertim inter personas sexus diuersi, & tales, vt detur occasio magnæ commotionis in corpore, absque vrgenti necessitate excusante (sicut excusantur qui medendi causâ id faciunt) alioqui verò esse dumtaxat peccatum veniale. Ita Sanches libr. 9. disp. 46. num. 21. & sequentibus: vbi idcirco excusat à mortali eum qui videret personam diuersi sexus nudam, tam breui tempore, vt non daretur occasio magnæ commotionis in corpore; vel si ratione ætatis puerilis, aut senilis, absit illud periculum in aspiciente. Aut qui aspicerent tantùm crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, secluso alio periculo, & mala intentione: quamvis adsit aliqua delectatio ex eo insurgens præter intentionem. Quia in his aspectibus non est tanta inhonestas, nec adeo ad malum prouocant. Dixi autem, *præsertim inter personas diuersi sexus*: quia non est tanta inhonestas, neque tam magnum periculum commotionis, quando personæ sunt eiusdem sexus. Quare Sanches ibidem num. 26. post Nauar. & Cordub. excusat à mortali personas eiusdem sexus quæ se inuicem nudas & natantes aspiciunt, nisi sit speciale periculum consensus in Sodomiam, aut delectationem veneream, ob propensionem aspicientis specialem ad hæc peccata: vel nisi conditio, & dignitas personarum sit talis, vt graue scandalum generet: Tunc enim licet non peccent grauiter contra castitatem: peccant tamen contra decentiam suo statui conuenientem, & contra charitatem erga proximum, cui scandalum dant.

Dicere, vel audire, vel legere obscœna. Dicere quoque, vel audire verba obscœna, vel legere libros turpes, est peccatum mortale, si fiat cum notabili rei turpis delectatione, quæ cogitatione excitatur, & fouetur verbis illis; vel cum intentione fornicandi; vel cum graui scandalo proprio, vel alieno, inducendo se, vel alios in graue periculum delectationis rei turpis, vel consensus in opus turpe, vel ex intentione captandi voluptatem veneream. Secus autem si tantùm id fiat ex quadam leuitate, non delectationis venereæ captandæ gratiâ, sed cuiusdam vani solatij, vel ob solam vanitatem, aut amorem vanum conciliandum, aut propter delectationem artificij, vel leuem aliam voluptatem. Quia in eiusmodi non apparet grauis deordinatio; vt rectè ait Sanch. disput. cit. num. 33. & sequent. Neque qui ridet audiens huiusmodi verba, damnandus est peccati mortalis, si caret interiùs delectatione venerea; solúmque ridet ne inurbanus videatur, vel taxetur hypocrisis. Quia neque graue scandalum dat, cùm risus ille possit esse de lepido & artificioso dicendi modo; neque finis, quem intendit, est mortalis, & abest delectatio venerea, vt supponimus.

118. Tenemur cohibere motus partis sensitiuæ. Dico septimò, graue peccatum esse turpes motus in parte sensitiua exortos, & delectationes venereas, grauiter quippe malas & illicitas, tolerare cum plena aduertentia ex parte intellectus, & plena libertate ex parte voluntatis, quando voluntas potest sine incommodo, & graui difficultate cohibere, & non cohibet: licet positiuè in illos non consentiat, neque sit graue periculum consentiendi positiuè. Probatur, quia tenetur homo huiusmodi motus reprimere. Nam ex natura sua rationali tenetur impedire in seipso omnem operationem rectæ rationi repugnantem: nisi causa aliqua honesta & grauis det illi licentiam permittendi tales operationes. Et nisi ita esset; posset homo diu manere in magna delectatione sensus turpi & illicita, sine peccato vllo: quod est absurdum. Si autem debet huiusmodi motus cohibere; erit non solùm veniale peccatum, in non cohibendo; sed etiam mortale, si materia ex se sufficiens est: quia adest sufficiens deliberatio, siue aduertentia rationis, & plena libertas voluntatis, seu perfecta ratio voluntarij, vt supponimus. Ita Vasq. 1. 2. disp. 108. cap. 2. Bonac. quæst. 4. de matrimonio, punct. 7. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 117. alijque plures relati à De Salas 1. 2. tract. 13. disp. 6. Sect. 3. num. 24.

Dixi, *quando potest sine incommodo, & graui difficultate*: quia secus dicendum est quando conatus impediendi nocet, & accendit potiùs huiusmodi motus, quàm reprimit; turbátque sensum, & imaginationem, vt non paucis contingit, qui venereis cogitationibus importunè vexantur nolentes & inuiti. In quo casu sufficit, & melius est eas contemnere, & cohibere tantùm consensum voluntatis in eiusmodi tentationem. Neque propter illas, aut eiusmodi motus tenemur abstinere à rebus alijs necessarijs, aut vtilibus, vt à studio casuum conscientiæ, aut medicinæ, vel ab exercitio audiendi confessiones, aut medendi infirmis, etiamsi timeatur periculum pollutionis ab huiusmodi motibus & cogitationibus inuoluntarijs, dummodo absit periculum consensus in delectationem veneream, aut in pollutionem ex naturæ infirmitate secutam. 119. Si possumus absque graui difficultate, & incommodo.

Dixi etiam, *positâ plenâ aduertentiâ, & libertate*: quia alioqui vel nullum est, vel tantùm veniale peccatum, si nulla est, vel imperfecta solùm aduertentia mali, aut libertas impediendi; vt sæpe accidit timentibus Deum, & castitatis amantibus, quando ab huiusmodi motibus & cogitationibus importunè vexantur. Nam vt illis solent esse indeliberatæ eiusmodi cogitationes, aut motus repentini: neque debent facilè iudicare fuisse plena libertate acceptatos, cùm ab illis tantopere abhorreant, quando sui compotes sunt, & perturbationis illius expertes. Et non desit aduertentia, & libertas.

Sunt qui existiment nullum esse peccatum, ne quidem veniale, in eiusmodi motibus tolerandis, licet voluntas possit eos cohibere sine incommodo. Fundamentum eorum est, quia motus isti sunt naturales, & innoxij: ergo non tenemur positiuè eos repellere. Probatur antecedens, quia neque nocent operanti, neque Deo, neque proximo; & naturaliter exurgunt ex obiectis. Atque ita docent Alensis 2. parte, quæst. 108. alias 125. membro 7. & alij quos referunt De Salas suprà, num. 30. & Çumel. 1. 2. quæst. 74. art. 8. disp. 2. Sed hæc sententia est 120. Existimãt aliqui posse tolerari.

planè improbabilis. Ad cuius fundamentum respondeo, motus illos esse turpes, & dissentaneos rectæ rationi: ideóque naturam rationalem obligari naturaliter ad illos compescendos, quando commodè fieri potest, & quando necessitas vèl vtilitas non permittit vt tolerentur.

131. Alij dicūt esse tantū peccatum veniale. Sunt etiam qui censent tolerantiam eiusmodi motuum esse peccatum veniale solùm. Sic enim docent Caiet. Medina, Sotus, Armilla, Angelus, Adrian. Azor, & alij quos citant & sequuntur De Salas suprà, num. 25. & 29. & Mætat. disp. 7 de peccatis Sect. 8. assert. 4. Argumentum illorum præcipuum est, quia cùm sit impossibile omnes eiusmodi motus collectiuè vitare, vnóque impedito, necesse sit alium insurgere: imò etiam singuli sæpe nonnisi valde difficilè vitari possint: non est credibile grauem esse obligationem eos vitandi. Alioqui teneremur sub mortali vitare omnia non necessaria, aut non valde vtilia, ex quibus præuidemus hos motus suscitatum iri. Quia si graue peccatum est non cohibere exortos, quando commodè potes; graue etiam peccatum est non impedire ne exoriantur, quando id commodè fieri potest. At hoc ne aduersarij quidem concedunt: Fatentur enim esse tantùm veniale peccatum dare causam his motibus verbo, aspectu, vel lectione curiosa, vel aliâ causâ leuiter malâ, sine intentione libidinis: vt inter eos nominatim, docet Vasq. disp. suprà cit. cap. 3. addens infirmitatem nostræ naturæ multùm excusare in huiusmodi motibus: & licet voluntarium in causa sufficiat ad peccatum mortale homicidij, vel alterius damni grauis quod alteri infertur: non sufficere tamen in eiusmodi motibus. Nam quia summa facilitate hi motus sequuntur; maius voluntarium in illis requiritur ex natura rei ad mortale, quàm in homicidio, aut alio simili peccato.

Soluitur eorū arg. præcipuum. Sed huic argumento non est difficile respondere, licet non sit grauis obligatio impediendi ne insurgant illi motus: grauem tamen esse impediendi ne perseuerent: quod multò faciliùs impediri potest, & in omnibus collectiuè, & in singulis distributiue. Maiorem quoque indecentiam esse in diu tolerando huiusmodi motus, quando commodè cohiberi possunt: quàm in non impediendo ne subitò insurgant: præsertim in motibus & delectationibus venereis partis sensitiuæ, quæ solent habere coniunctam grauem commotionem spirituum inseruientium generationi, súntque initium quoddam & dispositio ad copulam, ad quam ex natura sua ordinantur.

132. Delectationes morosæ non sunt omnes eiusdem speciei. Quæritur tertiò, vtrum omnes delectationes morosæ sint eiusdem speciei? Respondeo negatiuè. Nam quæ capiuntur de rebus venereis specie diuersis, vt talibus, specie differunt. Sumunt enim speciem ab obiectis in quæ tendunt, vt & alij actus vitales. Quare delectatio quæ capitur de simplici fornicatione menti obiectâ, specie differt à delectatione quæ capitur de adulterio, incestu, sacrilegio, aut peccato contra naturam. Vnde collige à fortiori desideria interna perpetrandi hæc peccata specie diuersa, differre quoque inter se, sicut & ipsos actus externos, à quibus specificantur. Quippe quæ multò magis sumunt speciem à talibus obiectis, in quæ tendunt efficaciter. Neque solùm differunt specie copulæ habitæ cum huiusmodi personis, ob circunstantias mutantes speciem: verùm etiam oscula, amplexus, & alij tactus impudici. Tum quia sunt aliqua inchoatio copulæ, & habent delectationem sensibilem, similem illi quam habet executio operis. Tum etiam quia sunt impudica contrectatio personæ coniugatæ, vel Deo sacræ, vel sanguine sibi coniunctæ: in quo est specialis indecentia contra iustitiam erga coniugem, vel contra Religionem, aut pietatem & reuerentiam sanguinis. Vnde consequens est cogitationes etiam morosas, seu delectationes venereas de obiectis illis vt talibus habitas, esse specie diuersas. Item, sicut peccata contra naturam, vt pollutio, Bestialitas, Sodomia, specie differunt ab alijs castitati oppositis: sic etiam delectationes de illis sunt specie diuersæ.

Atque hæc est communior Doctorum sententia: licet plerique alij affirment delectationes venereas simplicis complacentiæ, id est, absque desiderio operis exequendi, esse omnes eiusdem speciei, saltem illas quæ non sunt de peccatis contra naturam (de quibus tamen idem affirmant aliqui ex citandis paulò post) pertinereque ad simplicem fornicationem, nisi quis delectetur de iniuria coniugis, vt sic, quando delectatur de adulterio; vel de irreuerentia sanguinis, quando delectatur de incestu: & sic de alijs differentijs. Nam alioquin allicitur tantùm à delectabili quod est in fornicatione, non autem à delectabili quod est in iniuria. Ita Vasques 1. 2. disput. 112. cap. 2. Sayrus in claui Regia, lib. 9. cap. 7. num. 10. Reginald. tom. 2. lib. 22. cap. 2. num. 13. Diana parte 1. in tract. de circunstantijs aggrauantib. resolut. 48. Eandemque sententiam probabilem censent Bonac. quæst. 4. de Matrimonio puncto 8. num. 19. Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. 8. num. 301. & Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 123. vbi pluribus rationibus eam confirmat. Indéque inferunt non esse huiusmodi circunstantias necessariò explicandas in confessione: sed sufficere, si pœnitens dicat, *Toties morose delectatus sum*, non exprimendo circunstantiam personæ imaginationi obiectæ. Quæ sententia quoad hanc partem probabilis est. Quia fortè non repugnant grauiter Iustitiæ, Religioni, Pietati, & similibus virtutibus, delectationes inefficaces circa res venereas, de obiecto solùm vt delectabili perceptæ; non autem vt iniurioso, vel vt sacrilego, aut opposito pietati & reuerentiæ sanguinis. Notandum etiam huiusmodi cogitationes inefficaces, imò, & desideria, non contrahere malitiam iniuriæ, vel sacrilegij, vel incestus, quando non cogitatur de illis differentijs, & circunstantijs mutantibus speciem; vel quando planè ignorantur. Et quia plerunque de illis non cogitatur, sed tantùm de obiecto vt delectabili, putà, de pulchritudine mulieris, & de voluptate illicita quæ ex illa caperetur: idcirco dicunt aliqui Confessarios non debere esse valde sollicitos de pœnitentibus

133. Cōtraria opinio probabilis.

Differentiæ inter illas non debent necessariò exprimi in cōfessione.

An etiam neque differentiæ desideriorū?

interrogandis circa eiusmodi circunstantias, quando de morosis delectationibus, vel etiam de carnalibus desiderijs confitentur. Imò quamvis in opere externo, quando traditur executioni, hæ malitiæ sint in re ipsa inseparabiles materialiter, quando persona est coniugata, vel Deo consecrata, vel consanguinea: formaliter tamen, id est, imputabiliter & culpabiliter, non contrahitur malitia iniustitiæ, sacrilegij, vel incestus, ab eo qui ignorat inculpabiliter, aut non aduertit circunstantiam personæ, in qua fundatur hæc malitia. Ideóque S. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 44. dicit incestum Loth ebrij non illi fuisse imputabilem, quia ignorans fecit: sed solùm ebrietatem, quam scienter admisit. *Namque, vt scriptum est, inebriauerunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebietas.*

SECTIO XII.

De virtutibus annexis Temperantiæ, in particulari: déque vitijs oppositis.

134. TRes virtutes Temperantiæ annexas veluti partes eius potentiales assignat D. Thomas initio quæst. 155. Continentiam, Clementiam, & Modestiam: de quibus, & de vitijs oppositis, fusè atque perspicuè disputat eâdem quæst. & pluribus sequent. Nobis sat erit pauca & præcipua de illis annotare.

Continētia quid, & quotuplex sit? Continentia dupliciter sumitur, vt ait idem S. Doctor art. 1. quæst. cit. Primò, pro virtute quâ quis abstinet ab omni illicita delectatione venerea. Et hoc sensu continentia nihil est aliud, quàm virtus ipsa castitatis adæquatè sumpta; diuiditúrque in virginalem, quæ est perfecta continentia; vidualem; & coniugalem. Secundò sumitur pro virtute per quam aliquis resistit passionibus quæ adhuc in illo vehementes existunt, circa delectationes tactus, quæ solent esse vehementiores, quia magis sequuntur inclinationem naturæ inclinantis præcipuè ad illa quæ sunt sibi necessaria; vel ad conseruationem indiuidui, sicut sunt cibi; vel ad conseruationem speciei, sicut sunt actus venerei, quorum delectationes ad tactum pertinent.

Quomodo differt à Temperantia? Hoc modo sumpta Continentia nihil aliud est, quàm ipsa virtus Temperantiæ in statu imperfecto, nondum scilicet acquisito habitu intenso & firmo in parte sensitiua, per quem appetitus sensitiuus subdatur rationi, neque ampliùs motus ipsi contrarios tam vehementes exciter. Qua de causa D. Thomas art. cit. post Aristotelem 4. Ethic. cap. vltimo, in fine, dicit Continentiam non esse virtutem simpliciter, sed aliquid mixtum: & esse quidem aliquo modo virtutem quatenus est principium laudabilium operationum: & habere aliquid de ratione virtutis, quatenus firmat rationem contra passiones, ne ab illis abducatur: non tamen attingere ad perfectam rationem virtutis moralis, secundùm quam appetitus quoque sensitiuus subditur rationi, vt in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ: & esse quodammodo virtutem mixtam, inquantum scilicet habet aliquid de virtute, & in aliquo deficit, à perfectione virtutis.

Quoniam autem vltra passiones circa delectationes tactus, aliæ multæ sunt circa opes, honores, vindictam, ludum, &c. quæ in quibusdam sunt vehementiores, quàm passiones concupiscentiæ: idcirco virtutes quæ versantur circa huiusmodi passiones moderandas, possent etiam dici continentia, dum sunt in statu imperfecto, & luctantur contra, passiones vehementes nondum edomitas per habitum perfectum. Posset etiam continentia sumi pro virtute quadam generali quoad obiectum & extensionem, versante circa honestatem quæ est in moderandis & subijciendis rationi quibuscunque passionibus vehementibus: Potest enim hæc honestas, generaliter & abstractè sumpta, esse obiectum alicuius virtutis. Sed vsus obtinuit vt continentia simpliciter dicatur solùm de moderatione circa passiones vehementes delectationum tactus, quæ communiter sunt vehementiores; & præcipuè circa delectationes venereas. Circa alias verò dicitur tantùm continentia secundùm quid, & cum restrictione: Continentia iræ, vel Continentia cupiditatis opum, honorum, &c. vt bene notat Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 1. num. 3. & docet S. Thomas quæst. 155. art. 2. ad 3. & quæst. 156. art. 2. c. 135. Estne circa alias delectationes, quàm venereas?

Idem S. Doctor art. 3. quæst. 155. Continentiam ita distinguit à Temperantia, vt hanc velit esse in appetitu concupiscibili, tanquam in subiecto: illam verò esse in voluntate. Quod probat, quia appetitus concupiscibilis eodem modo se habet in eo qui est continens, & in eo qui est incontinens: nam in vtroque prorumpit ad concupiscentias prauas vehementes. Sed differunt in electione: quia continens, quamvis patiatur vehementes concupiscentias, tamen eligit non eas sequi, propter rationem. Incontinens autem eligit eas sequi, non obstante contradictione rationis. Ideóque oportet vt continentia sit tanquam in subiecto, in illa vi animæ, cuius actus est electio; id est, in voluntate. Verùm ex dicendis disp. 25. Sect. 7. & 8. constabit Temperantiam, & quamcunque aliam virtutem moralem, esse propriè & præcipuè in voluntate: cùm ex Aristotele, lib. 2. Ethic. cap. 6. de ratione virtutis moralis sit vt sit habitus cum recta ratione electiuus. Quare Temperantia est etiam primò & præcipuè in voluntate: cúmque illius actus externi exercentur, producitur aliquis habitus non solùm in voluntate eligente secundùm rectam rationem; verùm etiam in appetitu sensitiuo illi famulante; vt ibidem dicemus. Sed quandiu iste habitus est imperfectus, & locum adhuc relinquit passionibus vehementibus contra rationem insurgentibus, virtus Temperantiæ adhuc imperfecta, per quam illis resistimus, vocatur Continentia. 136. In quo subiecto sit?

Ex his facile est intelligere quid sit Incontinentia, de qua disputat S. Thomas quæst. 156. Est enim vitium, quo aliquis scienter & liberè cedit passionibus vehementibus circa delectationes Tactus. Liberè, inquam, id est, manente vsu rationis. Nam si passiones adeo insur- 137. Incontinentia quid sit?

gunt, vt totaliter auferant vsum rationis (sicut accidit in illis, qui propter vehementiam passionis in amentiam incidunt) non remanebit ratio Continentiæ, neque Incontinentiæ. Neque magis illi possunt dici incontinentes, quàm bruta suis affectibus vehementibus obsequentia: vt rectè ait S. Thom. art. 1. quæst. 156. vbi addit, dupliciter contingere quòd homo, liberum vsum rationis habens, cedat passionibus vehementibus. Primò, antequam ratio consultet, & maturè deliberet, ob passionis celeritatem, aut vehementiam: & hæc Incontinentia vocatur effrænata. Secundò, quando licet maturè consultauerit; tamen non persistit in eo quod deliberauit, ob infirmitatem propositi voluntatis: & hæc Incontinentia vocatur Debilitas. Primum contingit frequenter cholericis, qui habent motus celeres; & melancholicis, qui habent vehementes; secundum phlegmaticis, & molle ac fœmineum temperamentum habentibus, vt addit S. Doctor, eodem artic. ad 2.

138. Incontinens minùs peccat, quàm Intemperans. Quamvis autem Incontinens voluntariè & libere cedat passionibus inordinatis, adeóque turpiter agat: minùs tamen peccat, quàm Intemperans, cæteris paribus. Quia peccat cum minore aduertentia mali, passione impediente exactam consultationem: vel cum minori inclinatione voluntatis, impulsus vehementiâ passionis contra proprium affectum habitualem, & propositum animi passionibus non perturbati: vnde etiam fit vt cessante passione, statim illum pœniteat. At verò Intemperans peccat cum plena cognitione, & ex propria electione, non inductus ad peccandum passionis vehementiâ, vt rectè ait S. Thom. art. 3. quæst. cit.

Comparatio incontinentiæ cum iracũdia. De comparatione verò Incontinentiæ cum Iracundia videri potest Aristotel. 7. Ethic. cap. 6. & D. Thom. quæst. 156. art. 4. vbi docet iracundiam plus habere periculi & mali, vt plurimùm: quia inducit ad grauia nocumenta proximi, vt ad homicidia, seditiones, & bella. Incontinentiam tamen esse turpiorem iracundia, præcipuè quia motus iracundiæ plus participat rationis, quàm motus concupiscentiæ. Nam motus iræ participat aliqualiter rationem, inquantum scilicet iratus tendit ad vindicandam iniuriam sibi factam, quod aliqualiter ratio dictat: sed deficit, quia non intendit debitum modum vindictæ. Motus verò concupiscentiæ est totaliter secundùm sensum, & nullo modo secundùm rationem; sed ad hoc solum tendit vt carni, & sensualitati inseruiat. Ideoque turpius censetur esse à concupiscentia vinci, quàm ab iracundia: & ira quærit manifestè operari; concupiscentia verò quærit latebras, & dolosè subintrat, veluti suæ turpitudinis non ignara.

139. Clementia quid sit, & quomodo à mansuetudine differat? Clementia, iuxta D. Thomam, quæst. 157. art. 2. est virtus per quam moderamur affectum iræ. Differt autem, inquit, à mansuetudine: quia licet vtraque sit iræ moderatiua: Clementia tamen est moderatiua punitionis exterioris: Mansuetudo verò, passionis interioris. Nimirum, sicut Temperantia moderatur passiones concupiscentiæ: sic mansuetudo moderatur passionem iræ, vt intra limites rationis se contineat. Quoniam autem eiusdem est virtutis moderari passionem internam, & externos eiusdem passionis effectus: sicut apparet in Temperantia & Fortitudine: idcirco ad Mansuetudinem pertinet moderari tum passionem, tum etiam effectus iræ, ne præscriptum rationis transiliant. Et similiter Clementia, quæ moderatur punitionem externam, moderatur quoque passionem & affectum internum puniendi. Estque manifestum quòd ex moderatione passionis & affectus interni, sequatur effectus externi moderatio, pertineatque ad eandem inclinationem, & honestatem; atque adeo ad eandem virtutem. Quare Mansuetudo, & Clementia non possunt esse distinctæ virtutes, per hoc solum, quòd illa moderetur passionem, & affectum internum vindictæ: ista verò moderetur ipsam vindictam, & punitionem externam. Vt ergo distinguantur hæ virtutes, puto esse addendum (cum Lessio lib. 4. cap. 4. dub. 5.) diuersum esse obiectum formale vtriusque in moderatione iræ, tam quoad passionem, quàm quoad effectum exteriorem. Nimirum quia mansuetudo mitigat iram circa vindictam, quatenus id decet animum iræ dominantem. Clementia verò, quatenus id consentaneum est homini in potestate constituto. Vnde Seneca lib. 2. de Clementia cap. 3. Clementiam definit *Temperantiam animi in potestate vlciscendi, vel lenitatem superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis.* Decet enim illum non vti tota sua potestate in malo inferendo; sed aliquid remittere, & infra meritum punire: sicut è contrario, decet in prœmio retribuendo aliquid addere, & supra condignum remunerare.

Quomodo autem differat Clementia ab Epijkia, cuius est etiam diminuere aliquando pœnam, rectè exponit S.Thom. quæst. 157. artic. 3. ad 1. vbi dicit in diminutione pœnarum duo esse consideranda: quorum vnum est, quòd diminutio pœnarum fiat secundùm intentionem legislatoris, licet non secundùm verba legis: & hoc pertinet ad Epijkiam. Alterum est, quædam moderatio affectus, vt homo non vtatur tota sua potestate in inflictione pœnarum, neque puniat quantùm iure potest: & hoc propriè pertinet ad Clementiam. Propter quod Seneca dicit loco suprà citato, quòd Clementia est Temperantia animi in potestate vlciscendi. Et quia hæc moderatio animi prouenit ex quadam dulcedine affectus, quâ quis abhorret omne illud quod potest alium contristare: idcirco Seneca eodem loco rectè addit Clementiam esse quandam lenitatem animi. 140. Et ab Epijkia?

Mansuetudini opponitur Iracundia, id est, excessus iræ (nam ira moderata non est vitiosa) & immodicus appetitus vindictæ. Quod vitium ex suo genere graue peccatum est, si est expetitio vindictæ iniustæ secundùm se: excusat tamen sæpe materiæ leuitas à mortali. Veniale verò, si tantùm peccat in modo irascendi: vt ait S. Doctor art. 3. quæst. 158. vt si quis vel nimis ardenter irascatur interiùs, vel immoderatè erumpat in signa iræ externa. Tunc enim est veniale solùm ex suo genere: tametsi interdum per accidens est peccatum mortale ratione scandali, vel alterius adiuncti. Numeratur autem hoc vitium inter capitalia, propterea quòd alia multa ex illo oriuntur: & præcipuè sex illa, 141. Iracũdia.

quæ recensentur à D. Thoma art. 7. quæst. cit. post Gregorium Magn. 31. Moral. & ab vtroque vocantur filiæ iræ : nimirum rixa, tumor mentis, contumelia, clamor inordinatus, indignatio, atque blasphemia.

142. Crudelitas. Clementiæ verò opponitur crudelitas, per excessum : & nimia lenitas, per defectum. Illa est, atrocitas animi in pœnis exigendis, abvtens potestate legitima puniendi : & causam quidem puniendi habens, sed modum excedens. Ista, est nimia pœnæ remissio ex toto, vel ex parte, contra bonum delinquentis, aut supra quàm par sit ad exemplum aliorum, & ad bonum Reipublicæ, cui expedit nocentes puniri, vt alij a malis similibus auertantur, & læsis satisfiat. Differt autem crudelitas à sæuitia, siue à feritate, iuxta D. Thom. art. 2. quæst. 159. quia feritas vel sæuitia dicitur, secundùm quam aliquis in pœnis inferendis non considerat aliquam culpam eius, qui punitur : sed solùm hoc, quod delectatur hominum cruciatu; more ferarum, quæ nocent hominibus, vt ex eorum corporibus pascantur; non ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad rationem. Crudelitas verò attendit quidem culpam in eo qui punitur; sed excedit modum in puniendo.

143. Modestia quid sit? Modestia, inquit D. Thomas, quæst. 160. art. 1. est pars quædam Temperantiæ, seu virtus annexa Temperantiæ, tanquam virtuti principali; cuius est moderari motus externos, & internos, & gestus corporis, atque actiones tam ludicras, quàm serias, quæque ad vestitum cultúmque corporis spectant : ita vt hæc omnia decenter & congruenter se habeant secundùm personæ statum. Modestus enim dicitur, qui circa illa omnia moderatè & congruenter se habet, modúmque sibi conuenientem tenet. Quatuor autem sunt huius virtutis species, vt ait idem S. Doctor art. 2. quæst. cit. Nimirum quia vltra passiones concupiscentiæ, quas moderatur Temperantia, & continentia; & vltra passiones iræ, quas mansuetudo, & clementia refrænat; quatuor alia sunt, in quibus etsi non adeo difficile est mediocritatem rationis seruare, quàm in passionibus iræ, & concupiscentiæ; egent tamen moderamine, & virtute aliqua, per quam cohibeantur. Vnum illorum est, motus animi ad aliquam excellentiam : quem motum moderatur humilitas, id est, virtus quâ quis defectum suum considerans, se in infimis secundùm modum suum continet; vt eam definit S. Thomas quæst. 161. art. 1. ad 1. vel, vt D. Bernard. initio libri de duodecim gradibus humilitatis, *Virtus quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit*, quantùm scilicet vera & recta ratio postulat. Cui virtuti opponitur per excessum superbia, id est, inordinatus appetitus propriæ excellentiæ : vitium capitale, seu potiùs omnium aliorum mater & origo : cuius sunt quatuor species, inquit D. Thom. quæst. 162. art. 4. Ad quarum primam pertinent illi, qui suum bonum à seipsis habere se existimant. Ad secundam, illi, qui quod diuinitus sibi datum est gratuitò, suis meritis se accepisse putant. Ad tertiam, illi, qui se iactant, aut præsumunt ea bona habere, quæ non habent. Ad quartam, illi, qui, despectis cæteris, id boni, quod habent, singulariter habere videri volunt. Per defectum verò opponitur eidem virtuti nimia sui abiectio. Humilitas enim non inclinat ad quamcunque sui demissionem; sed prudentem, & moderatam, & iuxta rectam cognitionem : à qua deficeret qui cum iniuria sui status, aut officij, se alteri subjiceret, infráque illum demitteret. Vt si Rex sibi rusticum præponeret, aut Episcopus Presbyterum; vel superior, qui nimia sui demissione, officeret auctoritati & reuerentiæ necessariæ ad subditos bene regendos, & in officio continendos.

Humilitas.

Superbia, & eius species.

Secundum est, desiderium eorum quæ pertinent ad cognitionem, siue rerum spiritalium, siue etiam sensibilium; bonarum, aut malarum; speculabilium, aut practicarum. Et hoc moderatur Studiositas, id est, affectus moderatus sciendi, seu cognoscendi. Quamvis enim ipsa cognitio veri, præsertim intellectualis, per se bona sit : appetitus tamen cognoscendi potest esse inordinatus. Vt si quis scire velit ea, quæ ipsius captum excedunt : iuxta illud Ecclesiast. 3. ver. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper : & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus* : vel si per studium minùs vtile, retrahatur à cognitione rerum magis necessariarum : vel si per artem magicam velit aliquid discere ope dæmonum, vel spectaculorum auidùs sit : vel si aliorum vitijs, aut negotijs curiosè intendens, de suis cogitare negligat. Itaque huic virtuti opponitur per excessum Curiositas, id est, affectus nimius sciendi aut cognoscendi ea, quæ ad nos scire non pertinet, vel quæ captum nostrum superant : idque affectu solius cognitionis : nam si ex alio malo fine id fiat; pertinet hoc ad alia vitia, quorum proprij sunt illi fines. Per defectum verò opponitur illi virtuti negligentia cognoscendi, id est, omissio voluntaria sciendi, aut discendi illud, quod scire vel addiscere teneris : vt articulos fidei, præcepta decalogi, & alia necessaria vnicuique ad bene viuendum, rectéque se gerendum ergà Deum, ergà seipsum, & ergà proximum, iuxta cuiusque officium, aut statum. 144.

Studiositas.

Curiositas.

Tertium est, quod pertinet ad corporales motus, seu gestus, & actiones externas, vt scilicet honestè decentérque fiant, tam in ijs quæ seriò, quàm in illis quæ ludo, vel ioco aguntur. Nam in his omnibus tenenda est moderatio rectæ rationi, & personæ cuiusque conueniens. Et quidem in ludicris *Cauendum est ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, & quasi concentum quendam bonorum operum* : vt bene ait Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 20. Et Cicero lib. 1. eiusdem tituli, *Ludo*, inquit, *& ioco, vti illo quidem licet, sed sicut somno & quiete, tum, cum grauibus, serijsque rebus satisfecerimus.* Ibidémque addit duplex esse iocandi genus. Alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Alterum elegans, ingeniosum, vrbanum, facetum : Hæc autem moderatio in ioco, & ludo, actionibusque ludicris, fit per virtutem quæ vocatur Eutrapelia, id est, virtus quæ in ludicris decorum seruat, quæque ludo & iocis modum imponit. Cui per excessum opponitur scurrilitas in verbis : & 145.

Eutrapelia.

immoderatio in ludo, & iocis: siue sit in actionibus ipsis, aut verbis; siue in modo ludendi, vel iocandi, ratione personæ, loci, vel temporis, vel generis ludi, vel qualitatis materiæ ad ludendum, aut iocandum vsurpatæ, aut finis ad quem ludus perperam referatur: vt fusiùs exponit Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 13. Per defectum autem opponitur illi nimia quædam austeritas: qualis in illis est, quos duros & agrestes vocamus, vt ait Aristoteles 4. Ethic. cap. 8. paulo post initium.

146. Decentia externa. In serijs quoque seruanda est moderatio quædam, & decentia in incessu, voce, compositione vultus, & totius corporis, cuiusque motibus, & gestibus: ita vt congruant personæ tum in se consideratæ, tum etiam in ordine ad locum, tempus, personas, circunstantes, & præsentem exigentiam rerum. Nam, vt dicitur Ecclesiast. 19. ver. 26. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Et Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 18. dicit habitum mentis in corporis statu cerni, & vocem quandam animi esse corporis motus: & cap. 19. *Sicut molliculum*, inquit, *& infractum vocis sonum, aut gestum corporis non probo: ita neque agrestem, ac rusticum.* Virtus ergo quæ decorum in his omnibus seruat, quæque motus & gestus corporis iuxta præscriptum rectæ rationis temperat, vocatur decentia externa, vel modestia morum, quæ specialiter modestia externa appellari solet: opposita externæ indecentiæ in motibus corporis, siue in eius compositione, gestibus, & actionibus exterioribus, quæ etiam specialiter immodestiæ nomine solet intelligi.

147. Modestia cultus. Quartum denique est, quod pertinet ad cultum & apparatum exteriorem, putà in vestibus, & ornatu corporis, supellectili, & alijs huiusmodi: circa quæ etiam modus rationi conueniens adhiberi debet. Et hoc facit Modestia cultus, id est, virtus quæ decorum seruat, & medium rationis, in cultu corporis, & alio rerum externarum apparatu. Cui virtuti per excessum opponitur luxus: & per defectum, sordiditas. Inter quæ duo extrema vitiosa, tenendum est medium rationis; iuxta illud 1. Timoth. 2. ver. 9. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate* (id est, conuenienti moderatione) *ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera.* Et Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 19. *Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus: non pretiosis & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus* (iuxta cuiusque gradum scilicet) *vt honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori*, superfluo videlicet, aut curioso, & nimis exquisito.


148. Excessus in ornatu fœminarum, quale peccatum, & quando? Circa quod quæri solet, an excessus, & luxus in eiusmodi cultu & apparatu graue peccatum sit: præsertim in fœminis, quæ magis solent in eo excedere, & quarum ornatus id habet peculiare vt ad libidinem alliciat? Respondeo breuiter, & dico primò, posse mulieres matrimonio iunctas licitè se ornare, non modò vt seruent decentiam sui status, sed etiam aliquid superaddere vt viris suis placeant: posse quoque illas, quæ ad matrimonium aspirant, addere aliquid, ad maiorem pulchritudinem sibi conciliandam, & vt gratiores appareant illis, à quibus licitè possunt ad coniugium expeti, vt nuptias magis conuenientes consequantur. Hic enim finis est licitus, & honestus: mediumque illud non est de se malum, sed aptum & vtile ad illum finem. Alias verò non posse licitè id facere: præsertim si vouerunt nunquam nubere. Non tamen peccare mortaliter, si vanitatis causâ dumtaxat ornant se supra modum, vt inter pulchras appareant. Idémque censendum esse de iuuenibus, simili modo, & eodem fine pulchritudinem affectantibus. In quibus tamen id magis, quàm in fœminis indecorum est. Quæ tota doctrina sumpta est ex D. Thoma, quæst. 169. art. 2. c. vbi sic habet: *Potest mulier licitè operam dare ad hoc, quod viro suo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur. Vnde dicitur 1. Cor. 7. quòd mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Et ideo si mulier coniugata ad hoc se ornet vt viro suo placeat, potest hoc facere. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi: non possunt absque peccato appetere placere virorum affectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentiuum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, vt alios prouocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter iactantiam quandam: non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris.* Hucusque D. Thomas.


Dico secundò, excessum in isto ornatu esse plerumque tantùm veniale peccatum: quia est excessus in re de se indifferenti, vel leuiter tantùm indecenti: Interdum tamen esse mortale, non modò per accidens, ratione mali finis, vt si fiat ex intentione inducendi ad libidinem; vel ratione effectus, vt si nimius ille ornatus sit causa non soluendi debita, vel furandi, aut mœchandi, aut alijs modis offendendi grauiter: sed etiam per se, vt quando est valde scandalosus, & talis vt de se valde ad libidinem prouocet. 149. Quibus in casibus est peccatũ mortale? Vt si mulier veste diaphana partes corporis pudendas tegeret. In quo etiam genere puto grauiter peccare illas, quæ valde indecorè, non solùm mammillas, sed & totum pectus vsque ad vmbilicum turpiter & inuerecundè nudant. Hoc enim non tam est pulchritudinem affectare, quàm impudicum animum patefacere, viámque ad aliquid secretius aperire, & spectatores ad libidinem allicere. Quare non assentior Caiet. Fumo, Nauarro, & Lessio lib. 4. cap. 4. dub. vlt. num. 112. qui à mortali eas excusant saltem vbi consuetudo inualuit. Sed hæc consuetudo adeo perniciosa, bonisque moribus aduersa, meo quidem iudicio intolerabilis est, præsertim inter Christianos: neque potest sine graui peccato introduci, vt fatetur etiam auctor proximè citatus. Secus tamen est de pigmentis faciei, capillis alienis ascitis & intortis, annulis, catenulis, & similibus: in qui-

bus excessus venialis tantùm est, per se loquendo: vt speciatim de fucis pigmentorum affirmat S. Thomas artic. suprà cit. ad 2. vbi sic ait: *Non semper talis fucatio est cum peccato mortali, sed solùm quando fit propter lasciuiam, vel in Dei contemptum.* Additque ita intelligendum esse Cyprian. quando in libro de disciplina & habitu virginum, grauiter inuehitur in huiusmodi fucum; dicens per illum plasma Dei adulterari; & arsuras cum dæmone, quæ sic agunt.

150. Notanda de ornatu superfluo. Addit præterea S. Doctor in fine eiusdem artic. Quia mulieres possunt licitè se ornare, vel vt conseruent decentiam status; vel etiam aliquid superaddere, vt placeant viris; consequens esse quòd artifices talium ornamentorum non peccent in vsu talis artis, nisi fortè inueniendo aliqua superflua, & curiosa: propter quod etiam D. Chrysost. homil. 50. in Matth. ait etiam ab arte calceatorum, & textorum, multa abscindenda esse. Etenim artem ad luxuriam deduxerunt; necessitate superata curiositatem arti malè commiscentes. Optandum etiam esset Christianas mulieres valde modestè hac in parte se gerere, mentémque potiùs virtutibus & bonis moribus, quàm corpus vano & superfluo cultu ornare. Nam vt rectè dicit S. August. Epist. 73. ad Possidium, *Verus ornatus Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt.* Ibidémque affirmat *non decere fœminas, ne quidem maritatas, nudare capillos* (multóque minùs mammillas, & pectus) *quas etiam caput velare iubet Apostolus* 1. Cor. 11. ver. 10. Et D. Petrus Epist. 1. cap. 3. ver. 3. de mulieribus Christianis sic loquitur: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres ornabant se, subiectæ proprijs viris.*

Nota denique ex D. Thoma, artic. cit. in solutione tertij argumenti, mutationem vestis muliebris in virilem, aut virilis in muliebrem, non semper esse peccatum, sed aliquando posse licitè fieri propter aliquam necessitatem, vel ad fallendos hostes & euadendum ab illorum manibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel causâ repræsentationis, vt in tragœdijs fit, vel propter aliud huiusmodi. Alioqui verò de se vitiosum esse mulierem vti veste virili, aut contrà: quia cultus exterior debet competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem, præterquam quòd potest id esse causa lasciuiæ. Et hactenus de Temperantia. Nunc de Iustitia, magis præcipuâ inter virtutes Cardinales, déque eius partibus, & officijs dicendum superest: quod præstabimus Tractatu sequenti. 151. Mutatio vestis virilis in muliebrem, quale peccatū?






TRACTATVS QVARTVS.

DE IVSTITIA, ET IVRE.

IVSTITIÆ virtus latißimè patet, & ad plurima vitæ humanæ officia se extendit. Quippe quæ valet ad suum ius vnicuique seruandum circa omnia bonorum genera, spiritalia, & corporalia, vitæ, honoris, & fortunarum. Eius autem necessitas, & præstantia ex eo liquet, quòd vbi regnat, societas hominum fœlicissima est, & iucundißima: vbi contemnitur, plena sunt omnia confusionis, & perturbationis intolerabilis. Hac de causa Theologi fusiùs & accuratiùs de illa disputant, quàm de alijs virtutibus moralibus. Quorum exemplum sequuti, ea quæ præcipua sunt, & magis necessaria, pluribus sequentibus disputationibus complectemur: mutato interdum ordine quæstionum D. Thomæ, vt breuitati, & perspicuitati, in materia prolixa, & intricata, quoad fieri poterit, consulamus.

Ac primò dicemus de Iustitia secundùm se: id est, Quid illa sit, & circa quod obiectum versetur, quosve actus exerceat? Secundò, de varijs eius speciebus. Tertiò, de Iure. Quartò, de Iniuria, Restitutione, & Satisfactione in communi. Quintò, de Iniurijs, & Restitutione in particulari; ac primò, circa corpus, animam, & bona spiritalia. Sextò, de Iniurijs circa famam, & honorem. Septimò, de Iniurijs fortunarum, per furtum, & rapinam. Octauò, de Iniurijs in contractibus, præcipuè de Vsura. Nonò, de Iniurijs in iudicijs, & tribunalibus. Decimò, de Iniurijs in distributione bonorum, vel onerum communium. De ijsdem fusè disputant S. Thomas, & interpretes 2. 2. quæst. 57. & plurimis sequentibus, Dominicus Sotus, Aragon. Salon, Molina, Leßius, Rebellus, De Lugo, Dicastillio, in libris, aut tomis integris, quos speciatim de hoc argumento ediderunt: præter Iurisconsultos, qui toti sunt, sed

alio fine, quàm Theologi, in natura, partibus, obiecto, & officijs Iustitiæ explicandis. Porro in Leßio citando secutus sum editionem Parisiensem anni 1607. à qua discordant aliqua posteriores.




DISPVTATIO QVARTA.

De Iustitia secundùm se.

DE Iustitia secundùm se disputat S. Thomas quæst. 58. Et primò docet Iustitiam rectè definiri Perpetuam, & constantem voluntatem, ius suum vnicuique, tribuentem: Vel, habitum, secundùm quem aliquis constanti, & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuit. 2. Iustitiam requirere diuersitatem suppositorum, & non esse propriè, nisi ad alterum: quia importat æqualitatem: & nihil est sibi æquale; sed alteri. 3. Iustitiam esse virtutem: quia humanas operationes rectas efficit, & ipsum hominem bonum facit. 4. Esse in voluntate, vt in subiecto: quia ordinatur ad rectificandos actus voluntatis. 5. Iustitiam, quatenus ordinat ad bonum commune, esse virtutem generalem; quia secundùm hoc actus omnium virtutum possunt ad illam pertinere. Eodémque respectu dicitur Iustitia legalis, tum quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune: tum etiam quia per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune. 6. Esse nihilominus virtutem specialem secundùm se, & formaliter: tametsi virtualiter, seu causaliter est generalis inquantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem. Quia sicut Charitas potest dici virtus generalis, quatenus ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: & nihilominus est virtus specialis secundùm suam essentiam; quatenus respicit bonum diuinum, vt obiectum pro-

prium : Ita etiam Iustitia legalis, licet virtualiter sit generalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune : specialis tamen quædam virtus est secundùm suam essentiam, quatenus respicit commune bonum, vt proprium obiectum. Estque principaliter, & quasi architectonicè in Principe : in subditis autem secundariò, & quasi administratiuè. 7. Sicut præter Iustitiam generalem, seu legalem, quæ ordinat hominem immediatè ad commune bonum, oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ illum ordinent immediatè circa bona particularia, vel ad seipsum, vel ad aliam singularem personam : putà, Temperantiam, & Fortitudinem : ita & quandam particularem Iustitiam, quæ ordinet hominem circa ea, quæ sunt ad alteram singularem personam. 8. Iustitiam istam particularem versari circa actiones exteriores, & res, secundùm quandam rationem obiecti specialem; prout scilicet secundùm eas vnus homo alteri coordinatur. 9. Non versari tamen circa passiones: tum quia est in voluntate, vt in subiecto, cuius motus, vel actus non sunt passiones : tum etiam quia Iustitia est circa ea, quæ sunt ad alterum : per passiones autem interiores non ordinamur immediatè ad alterum. 10. Medium huius virtutis non esse medium rationis quoad nos; sicut aliarum virtutum moralium : sed esse medium rei, consistens in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem. 11. Proprium actum Iustitiæ nihil aliud esse nisi reddere vnicuique, quod suum est, siue quod vnicuique personæ debetur, secundùm proportionis æqualitatem. 12. Iustitiam tam legalem, quàm particularem esse maximam virtutum moralium : quia existit in voluntate, & ordinatur ad bonum commune, vel particulare alterius. Hucusque D. Thomas : cuius doctrina sequentibus Sectionibus fusiùs explicabitur.



SECTIO I.

Vtrum ius sit obiectum Iustitiæ?

1. Ius variè sumitur.



Notandum est nomen Iuris, & Iustitiæ multipliciter accipi. Primò enim, Ius significat quidquid quomodocunque est bonũ, & æquum : vt docet Paulus Iurisconsultus in lege *Ius*, ff. *de Iustitia, & Iure* : vel quidquid est legitimum, id est, legibus conforme, quod etiam iustum generatim appellatur, quia est commensum suæ regulæ : iuxta Aristotelem 5. Ethic. cap. 1. Secundò, significat legem ipsam seu regulam boni, & legitimi : quo pacto Ius diuiditur in naturale, gentium, & ciuile, ab Vlpiano in lege *Iuris*, eodem titulo. Tertiò, significat quoque ipsam legum, & Iuris Scientiam, seu Artem : vt sumitur ab Vlpiano ibidem, post Celsum Iurisconsultum, aientem Ius esse artem boni, & æqui : sicut medicina sumitur pro scientia, & arte medendi. Quartò, significat præterea sententiam ipsam Iudicis; vel etiam locum vbi sententiam profert : vt ait Paulus Iurisconsultus in dicta lege *Ius* : quo pacto iudex sententiam proferens, dicitur *dicere ius* : & qui vocantur ad tribunal iudicis, dicuntur *vocari in Ius*. Quintò, vsurpari quoque solet ad significandam necessitudinem aliquam; vt cognationis, affinitatis, hospitij : quæ dicitur ius cognationis, ius affinitatis, ius hospitij : vt notat Marcianus Iurisconsultus in lege *Nonnunquam*, eodem titulo. Sextò, denotat quoque moralem potestatem habendi aliquid, aut retinendi tanquam suum; vel legitimam facultatem possidendi, vtendi, alienandi : quo pacto Iurisconsulti diuidunt Ius in Ius proprietatis, & Ius vtendi, & fruendi : itemque in Ius ad rem, & Ius in re : de quibus diuisionibus fusè dicemus suo loco. Septimò denique, sumitur pro iusto specialiter dicto, id est, pro debito ex iure : nimirum quod specialiter, & rigorosè debitum est, & ad quod exigendum etiam per vim quandam compulsiuam, si facultas non desit, habet quispiam potestatem legitimam; quodque si non tribuatur, aut non relinquatur ei, cuius est, non modò incurritur turpitudo (vt fit quando peccatur contra simplex debitum honestatis) sed etiam potest aliqua satisfactio, vel compensatio, vel pœna exigi ab eo qui læditur. In quo differt à debito simplicis honestatis, quod tam rigorosam obligationem non habet.

Pro quo, nota secundò, iuxta doctrinam S. Thomæ 1. parte quæst. 21. art. 1. ad 3. debitum morale generatim dicere ordinem quendam exigentiæ, 2. Debitum est du-

plex: Iustitiæ, & honestatis. exigentiæ, & necessitatis moralis ad id, ad quod ordinatur: atque ita debitum faciendi aliquid, nihil aliud esse, quàm obligationem, & necessitatem moralem id præstandi. Hæc autem duplex est. Vna, simplicis honestatis, ita vt si non fiat id, quod debitum esse dicitur, sit turpitudo & difformitas in eo qui debet. Altera est Iustitiæ, constituens formaliter debitum ex Iustitia, seu iustum obiectiuum, id est, quod ita debetur alicui, vt si non tribuatur, non modò turpiter fiat, sed etiam incurratur debitum satisfactionis, aut, compensationis cuiusdam, aut pœnæ; illaque meritò possit exigi. Exemplum prioris debiti est, sobriè viuere, subuenire pauperi indigenti, recognoscere beneficia. Posterioris, reddere mutuum, soluere mercedem constitutam pro opere, non occidere, vel lædere sine sufficiente causa, & similia.

3. Iustum obiectiuū duo respicit. Nota tertiò, iustum ita sumptum, id est, rigorosè debitum, materiale & obiectiuum, esse medium inter duo: nimirum inter debitum formale, seu debitionem, & obligationem, ex parte eius qui debet: & inter ius formale ac potestatem exigendi, ex parte eius cui debet. Quidquid enim debetur, ab aliquo debetur, & alicui debetur. Atque in eo, à quo debetur, est obligatio reddendi: in eo verò, cui debetur, est ius & potestas exigendi. Et hæc tria inter se adæquantur. Quantum enim est iuris formalis in vno; tantum est debiti materialis, & obligationis formalis in debitore, vno, vel multiplici adæquatè sumpto. Ac vice versa, quantum est debiti, vel obligationis in vno; tantum est iuris in alio, & nihil amplius. Vnde vt debitum perfectè & integrè reddatur, debet reddi secundùm illam æqualitatem. Neque enim perfectum & integrum est, donec sit adæquatum. Ratio tamen debiti diuersa est à ratione æqualitatis. Nam ratio æqualitatis est ratio totius. Ratio verò debiti peruadit omnes & singulas partes seorsim. Qui enim debet centum ratione mutui; non tantùm debet centum, sed & quinquaginta, id est dimidium mutui, & viginti quinque, & tredecim, & septem, & cætera omnia, vsque ad vnum. Item, ratio debiti rigorosi est propria Iustitiæ: ratio verò æqualitatis est communis alijs virtutibus, vt ostendemus paulò post.

4. Iustitia tripliciter sumitur. Nota quartò, Iustitiam tribus præcipuè modis sumi. Primò, pro statu Sanctitatis supernaturalis. Quo sensu de Iustitia loquitur Tridentinum Sess. 6. cap. 7. Secundò, pro virtute generali, seu genericè sumpta, id est, pro conceptu virtutis præciso & vniuersali per modum generis, qui de singulis virtutum speciebus prædicari potest: vel etiam pro complexione omnium virtutum, quâ nimirum voluntas rectè se habet erga iustum latè sumptum pro quovis æquo, id est, honesto & legitimo. Quo sensu Gregor. Nyssenus in lib. de Beatitudinib. exponit illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: Omnis enim virtus*, inquit, *hîc nomine Iustitiæ significatur.* Tertiò, pro speciali virtute, vnâ de quatuor Cardinalibus, per quam voluntas rectè se habet circa iustum specialiter & strictè sumptum, id est, rigorosè debitum. Quo sensu Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. *Videmus*, inquit, *omnes eiusmodi habitum appellare Iustitiam solere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur.* Et S. Thom. quæst. 58. art. 1. post Vlpianum Lege *Iustitia*, ff. *de Iustitia & Iure*, eodem sensu Iustitiam accipit, cùm eam sic definit: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Nomine enim iuris intelligitur in hac definitione id quod cuique debetur. Hoc tertio sensu Iustitia sumitur in præsenti tractatu, in quo de virtutibus Cardinalibus sermo est.

His præmissis, Dico primò, obiectum Iustitiæ adæquatum esse ius, seu iustum obiectiuum specialiter sumptum, id est, strictè & rigorosè debitum; & iniustum ipsi oppositum. Probatur, quia obiectum adæquatum Iustitiæ illud est, circa quod totum Iustitia versatur, & ita vt nihil aliud attingat, nisi saltem ratione illius, & per ordinem ad illud: sic enim Iustitia & ipsius obiectum inter se adæquantur. Tale autem est iustum & iniustum obiectiuum. Nam illud totum ad Iustitiam pertinet: & Iustitia nihil attingit, nisi quod iustum vel iniustum est, vel ratione illius, & quia tale est; vt ex sequentibus constabit. Secundò, omnis iniustitia in eo consistit, quòd vel non fiat id quod debitum est, vel fiat aliquid contrarium debito, vel voluntas disconuenienter circa vtrumque se habeat. Ergo ex opposito, Iustitia tota in eo consistit vt fiat id quod debitum est, & vt nihil fiat contrarium debito, aut voluntas bene, & conuenienter circa vtrumque versetur. Quidquid enim directè & propriè iniustitiæ opponitur, Iustitia est: & quot modis iniustitia committitur, totidem per oppositum illorum, Iustitia seruatur. Ac vice versa, quot modis seruatur Iustitia; totidem per oppositum committitur iniustitia. Tertiò, quòd Iustitia versetur circa debitum, vt circa rationem communissimam, docent S. Thomas quæst. 80. art. 1. & alij communi consensu. At quòd etiam versetur circa indebitum, probatur, quia ad eandem virtutem pertinet versari prosecutiuè circa aliquod bonum, & auersatiuè circa malum ipsi oppositum. Sicut ad eandem charitatem pertinet diligere Deum, & detestari peccata per quæ anima separatur à Deo, vt ait idem Sanctus Doctor 1. 2. quæst. 111. art. 5. ad 1. Nimirum quia quælibet virtus debet hominem perfectè disponere in ordine ad finem sibi propositum, per accessum ad bonum, & recessum à malo. Quare ad eandem Iustitiam pertinet versari circa iustum prosecutiuè, & auersatiuè circa iniustum oppositum; atque ita eius obiectum adæquatum est iustum, & iniustum; siue debitum, & indebitum oppositum. Confirmatur, quia ad eandem inclinationem voluntatis pertinet amare aliquod bonum, & auersari illius oppositum, quâ tale: sicut ad eandem inclinationem spectat amare bonum, & desiderare illud, si est absens; & gaudere, si præsens est: Vel odisse malum, & timere illud si imminet, deque illo dolere si est præsens. Ergo hæc omnia ad eandem virtutem pertinere debent, cuius est illam inclinationem voluntatis circa tale bonum perficere. 5. Obiectū Iustitiæ adæquatū est iustū, & iniustum.

6. Contraria sententia. Contrarium sentire videntur D. Thomas quæst. 57. art. 1. Salon. & Aragon. ibidem, Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 2. dub. 1. num. 5. Valentia quæst. 1. de Iustitia p. 1. & alij, qui ius solum assignant pro Iustitiæ obiecto. Argumenta Valentiæ tria sunt. Primum, quia Iustitia à Philosophis, Iurisconsultis, & Theologis definitur per ius. Ergo hoc est proprium & adæquatum illius obiectum. Secundum, quia Ambrosius, Augustinus, alijque Patres simili modo loquuntur de Iustitia. Tertium, quia illud quod in materia virtutis moralis est medium inter excessum & defectum, est obiectum virtutis. Atqui ius, seu iustum, est medium inter excessum, & defectum in materia Iustitiæ. Ergo est obiectum Iustitiæ.

Soluuntur eius argumẽta. Ad primum respondeo, Iustitiam posse aliquo modo definiri per ius, tanquam per obiectum proprium, licet non totale & adæquatum. Secundò, ius esse obiectum Iustitiæ secundùm partem potiorem, id est, prosecutionem: ex qua facilè intelligi potest quòd secundùm alteram partem, nempe fugam & auersionem, versetur circa oppositum. Tertiò, in eo quod est *ius suum cuique tribuere*, per quod Iustitia definitur, contineri *non inferre iniustum:* quilibet enim ius habet vt ei non inferatur iniustum; neque potest ius cuiusque illæsum seruari, nisi faciendo quod ei debitum est, & abstinendo ab eo quod contra debitum est. Ad secundum respondeo similiter. Quin etiam D. Ambrosius, citatus à Valentia, lib. 1. de Officijs cap. 24. in fine, manifestè nobis fauet, cùm sic ait: *Iustitia ius suum cuique tribuit, alienum non vendicat, &c.* quibus verbis Iustitiæ tribuit velle cuique quod suum est, & nolle alienum: id est, velle iustum, & nolle iniustum. Ad tertium dico eandem virtutem quæ versatur circa medium amando & volendo, versari etiam circa extrema nolendo & fugiendo: iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. his verbis: *Ad eandem virtutem pertinet prosequi vnum oppositorum, & refugere alterum.*

7. Repellitur instantia. Dices iniustum comprehendi sub iure, seu iusto, & ad illud reduci. Quare ius, siue iustum, est obiectum adæquatum Iustitiæ. Sed contra: quia cùm opponantur priuatiuè, aut contrariè; non potest vnum sub altero contineri formaliter. Nàm quæ opponuntur priuatiuè, ne sub vno quidem genere continentur: multóque minùs vnum sub alio. Contrariè verò opposita, licet sub eodem genere contineantur; non tamen vnum sub alio: vt calor non continetur sub frigore. Quod autem iniustum reducatur ad iustum, tanquam ad principale extremum oppositionis, non tollit differentiam inter vnum & alterum: neque impedit quin sicut est actus Iustitiæ circa iustum secundùm se, volendo illud: ita sit actus Iustitiæ circa iniustum secundùm se, nolendo illud. Neque tantùm per Iustitiam volumus abstinere ab iniusto, quia id iustum est: sed etiam directè nolumus & odimus ipsum iniustum per se, & ratione sui, quia iniustum est. Atque ita tam iniustum, quàm iustum, per se terminat actum Iustitiæ: ideóque est per se illius obiectum.

8. Falluntur autem qui putant malum non esse obiectum nolitionis, & odij, nisi ratione boni quo priuat. Etenim omne malum non consistit in priuatione boni, sed aliquod est positiuum & contrarium: vt tormentum, dolor, cruciatus, mala fama, & similia; quæ non tantùm habentur odio, quia amatur bonum contrarium: sed etiam per se, ratione propriæ disconuenientiæ. Cuius rei signum est, quòd naturaliter multò magis solemus affici circa huiusmodi mala, quàm circa bona opposita. Quod non fieret, si tota ratio auersandi malum esset amor boni oppositi: sed quantum esset odij circa malum, tantum necessariò esset amoris circa bonum oppositum: quóve magis odissemus malum, eò magis amaremus bonum. Vt enim se habet simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis. Ergo si simpliciter odium mali esset ab amore boni: tantum odium mali, esset à tanto amore boni: & maius odium mali, esset à maiori amore boni: quod tamen est contra experientiam. Facilè enim multi carent honore, qui difficilè & ægrè tolerant infamiam positiuam. Neque ita afficimur ad carentiam mali, atque ad præsentiam eius, vt doloris, tormenti, opprobrij & dedecoris: plus denique morbus grauis sentitur & displicet, quam placeat bona valetudo. Malum directè, & per se habetur odio.

SECTIO II.

Vtrum æquale sit obiectum adequatum, aut formale Iustitiæ?

Dico secundò, licet Iustitiæ officium sit constituere æqualitatem inter debitum materiale, & formalem obligationem, ac ius formale cui respondet: imò etiam æqualitatem rei ad rem, quando fit commutatio voluntaria, vel inuoluntaria; ac sine eo Iustitia non sit perfecta, id est, non integrè & perfectè exerceatur: adeóque iustum æquale sit obiectum adæquatum Iustitiæ perfectæ, secundum eius partem prosecutiuam: illud tamen non est obiectum adæquatum Iustitiæ simpliciter sumptæ; sed absolutè debitum rigorosum, & indebitum oppositum; siue attingat æqualitatem, siue non. Ratio quoque formalis obiecti Iustitiæ non consistit in illa æqualitate, vel inæqualitate; sed in ratione debiti, & indebiti rigorosi. 9. Quomodo æquale est obiectũ Iustitiæ.

Prima pars conclusionis, quod officium Iustitiæ sit constituere æqualitatem, est communis Theolog cum D. Thoma quæst. 57. art. 1. & Arist. 5. Ethic. cap. 4. Probatur, quia Iustitiæ officium est ius suum vnicuique tribuere, id est, quidquid ipsi debitum est, ita vt fiat contra Iustitiam si aliquid debitum non tribuatur. Cùm autem tribuitur quidquid debetur, expletur ius & adæquatur, atque etiam tota formalis obligatio. Ergo Iustitiæ officium est constituere æqualitatem inter debitum & obligationem, ac inter ius formale cui respondet. Secunda pars, quòd in commutationibus, in quibus datur vnum; & aliud accipitur, officium Iustitiæ sit constituere æqualitatem rei ad rem, probatur quia siue illæ voluntariæ sint, id est, quæ mutuo consensu fiunt, vt emptiones

& pacta, vel contractus onerosi mercedis pro labore, aut præmij pro merito; siue sint inuoluntariæ, vt sunt actiones iniuriosæ, pro quibus aliquid debetur in compensationem, aut satisfactionem; vt Iustitia perfectè & integrè seruetur, debet esse æqualitas pretij ad mercem, mercedis ad laborem, præmij ad meritum, vel pœnæ aut compensationis ad iniuriam. Nam si pœna vel compensatio sit infra meritum; non est omnino iusta quoad illam limitationem seu defectum; sed detrahitur aliquid Iustitiæ, & datur tantundem veniæ. Item, si pactum fiat de pretio, aut mercede inæquali; non est pretium omnino iustum, aut merces iusta simpliciter: sed ex parte alterutrius aliquid gratiæ & fauoris, admiscetur Iustitiæ; nimirum ex parte vendentis aut merentis, si minus exigat: aut ex parte compensantis, si plus det quàm merx, aut labor mereatur.

10. Non est adæquatum. Tertia pars, quòd hæc æqualitas non sit obiectum adæquatum Iustitiæ, sed absolutè debitum, & indebitum rigorosum, siue attingat æqualitatem, siue non, probatur, quia vbicumque reperitur debitum illud rigorosum, quamvis æqualitas vel non existat, vel non intelligatur, est obiectum Iustitiæ; & circa illud omne debitum locum habet officium Iustitiæ, quippe quod non consistit adæquatè in reddendo æquali, sed in reddendo quocumque debito rigoroso, & vitando indebito. Nam si non tribuatur tale quodcumque debitum, fit iniuria, & in læso est potestas legitima ad exigendam satisfactionem. Contrà verò, si tribuatur, aut studiosè & liberè non adimatur; agitur iustè eatenus, quamvis de æqualitate non cogitetur, vel reipsa non existat æqualitas, vt frequenter contingit. Etenim si sermo sit de æqualitate rei ad rem, de qua auctores contrariæ sententiæ communiter loquuntur, quando affirmant æquale esse obiectum Iustitiæ: ille qui depositum reddit, facit actum Iustitiæ: & tamen non reddit æquale, sed idem. Et ille qui pauperior factus, non potest reddere mutuatori quantum accepit, aut medico quantum meretur eius opera: debet nihilominus soluere quod potest: ac nisi faciat, iniustè facit, potéstque ad id cogi: si autem faciat, iustè agit; neque tenetur ad amplius, quia non debet impossibile: & tamen non est æqualitas rei ad rem. Et è contrario, potest quis reddere æquale æqualitate rei ad rem, & tamen facere iniustè, quia non reddit quod debet: vt si quis retineat, Domino inuito, equum, quem furatus est, & loco illius pecuniam æquiualentem ei reddat. Habet enim Dominus ius ad equum ipsum, cui iuri fur non satisfacit reddendo pecuniam. Si autem sermo sit de æqualitate debiti, vel actionis ad obligationem, & ius formale, cui respondet; illa quoque non reperitur in omni actu Iustitiæ. Nam qui debet, ac potest soluere centum intra annum, & interea soluit quinquaginta quia debet; exercet actum virtutis, quia conuenienter & secundùm rectam rationem agit: & non alterius virtutis, quàm Iustitiæ, quia nulla est alia quæ agat propter debitum rigorosum, vt tale. Et tamen ille non soluit quidquid debet, ita vt debitum & actio adæquet obligationem ac ius formale, quo adstringitur. Item, qui alteri non vult nocere in vita, vel in mutilatione corporis, putà in abscissione auriculæ, quia id iniustum est, id est, contra ius illius; exercet actum Iustitiæ, licet illo actu non adæquet ius quod ille habet, neque de toto illo iure cogitet. Etenim alius non tantùm ius habet vt non lædatur in vita: sed neque in honore, neque in bonis fortunæ. Item, ius habet vt non modò non lædatur in auricula, sed neque in vlla alia corporis parte. Item, non solùm habet ius, vt non lædatur ab isto, sed nec ab vllo alio, sine iure superiori, vel legitima causa. Quod totum ius non explet is, qui scienter & liberè ab vna aliqua iniuria se abstinet, præcisè & formaliter quia iniuria est. Item, seruus qui exhibet hîc & nunc obsequium aliquod peculiare Domino, quia debet; exercet actum Iustitiæ, licet non expleat ius domini, neque de illo explendo cogitet, quippe cui debet plurima alia obsequia, quæ tunc non reddit, neque de illis cogitat. Denique, etiam tunc cùm æqualitas est, non debetur æquale ex Iustitia quia æquale: sed quia id totum stricti iuris alterius est.

Dices, ius esse diuisibile formaliter, aut virtualiter in varias partes, quibus variæ debiti partes respondent: & cùm redditur pars debiti, poni æqualitatem inter partem debiti, & partem iuris, cui respondet. Sed contra: primò, valde impropriè dicitur adæquari ius, quando exhibetur tantùm aliquid ei respondens secundùm aliquam vel minimam partem intensionis, aut extensionis, virtualis aut formalis. Secundò, malè fingitur illa diuisibilitas in quolibet iure. Sunt enim quædam iura re & ratione indiuisibilia, quæ tamen multos respiciunt, & à nullo eorum explentur adæquatè: vt verbi gratiâ, ius ne quis vitâ priuetur sine causa: idem enim ius indiuisibiliter resistit cuilibet occisioni iniustæ, à quocunque inferendæ. Tertiò, quamvis de huiusmodi diuisibilitate iuris, & adæquatione partis ad partem non cogitetur; si quis reddat partem debiti totalis, aut abstineat à parte aliqua indebiti, ex affectu reddendi debitum quia debitum est, aut vitandi indebitum quia indebitum est; exercet actum Iustitiæ: non ratione æqualitatis, de qua non cogitat, quæque proinde non est secundùm se in obiecto voluntatis, quæ non fertur in incognitum; sed ratione debiti, & indebiti. 11.

Atque inde sequitur manifestè quarta pars conclusionis, quòd scilicet ratio formalis obiecti Iustitiæ generaliter sumptæ, non consistat in æqualitate, sed in ratione debiti vel indebiti rigorosi. Etenim ratio formalis obiecti voluntatis, est illa quæ mouet voluntatem ad volendum, aut nolendum: sicut ratio formalis obiecti intellectus, est illa quæ mouet intellectum ad cognoscendum. Atqui ratio æqualitatis non mouet vniuersim voluntatem ad actum Iustitiæ; siquidem dari potest actus Iustitiæ, licet de illa non cogitetur, ac proinde voluntas non moueatur ab illa, quia non potest moueri obiectiuè ab incognito. Contra verò, vbicunque actus Iustitiæ locum habet, mouetur voluntas à ratione debiti vel indebiti; 12. Sed debitum, vel eius oppositum.

quæ si non sit, aut si non cogitetur, ac nisi propter illam agatur, non exercetur formaliter Iustitia, quamvis æquale tribuatur. Et quidem quòd sola æqualitas, absque ratione debiti, non sit materia Iustitiæ, manifestum est. Si quis enim alteri tantum det, sine obligatione, quantum alter amisit, aut quantum indiget: reperitur æqualitas. Et tamen remotâ obligatione seu debito, non est materia Iustitiæ, sed liberalitatis, vel charitatis ac misericordiæ. Similiter, si quis pro bono opere tribuat liberaliter & sine pacto munus æquale, vel ex sola gratitudine par pari referat: quamvis sit æqualitas inter id quod datur, & id ratione cuius datur; tamen non est Iustitia, sed munificentia, vel gratitudo. Rursus quamvis debitum intercedat; si quis tamen non agat quia debitum est, sed quia alius indiget: non est formaliter actus Iustitiæ, sed actus misericordiæ: Et idem est de alijs motiuis, quibus voluntas ad reddendum moueri potest. Contrà verò, semotis alijs quibuscunque motiuis, si reddit debitum quia debitum est, iustè agit formaliter: aut si vitet indebitum, quia indebitum est. Ergo ratio debiti, vel indebiti, est ratio formalis obiecti Iustitiæ: non autem ratio æqualitatis.

13. Confirmatur, quia ratio formalis obiectiua cuiusque virtutis, est propria illius; ita vt non sit communis alijs virtutibus. Atque inde est quòd virtutes eiusdem ordinis dicuntur specificari, & distingui extrinsecè, & arguitiuè, penes formalia obiecta diuersa. Atqui ratio æqualitatis non est propria Iustitiæ, sed multis alijs communis, vt liberalitati, misericordiæ, gratitudini, &c. Contra verò, ratio debiti rigorosi est ita Iustitiæ propria, vt ad nullam aliam spectet: ergo, &c.

Æqualitas non est motiuum Iustitiæ, sed ratio debiti, vel indebiti.

Confirmatur secundò, quia licet æqualitas, & ratio debiti, semper conuenirent ad constituendum obiectum Iustitiæ: tamen illud esset formale, ex quo sumeretur ratio volendi ex affectu Iustitiæ. At hæc ratio sumitur ex debito, non ex æqualitate: ergo, &c. Probatur maior, quia illa ratio quæ continet exprimitque causam cur agendum sit, & circa quam, per se, & secundùm se est actio, est ratio formalis obiecti; vt constat inductione in alijs virtutibus: & patet, quia illa est quæ mouet ad agendum. Minor autem, quòd scilicet ratio debiti sit talis respectu Iustitiæ, sicut ratio temperati respectu Temperantiæ, probatur, quia ratio volendi quod iustum est, sicut & satisfaciendi obligationi, est debitum, ad quod, vt tale formaliter, est obligatio, & in quod fit vltima resolutio. Atque vniuersim, rectè intelligitur quòd aliquid agendum sit ex Iustitia, quia debitum est: non autem quia æquale est, si nihil aliud addatur. Quandoquidem multa sunt æqualia, quæ non sunt morali necessitate agenda, nec tribuenda: sed nullum est debitum, quod non sit necessariò agendum, vel tribuendum ab eo, à quo debetur. Cúmque omne opus Iustitiæ hoc habeat, vt sit rigorosius debitum, & specialis cuiusdam necessitatis, qualem non habent opera virtutum reliquarum; differentia hæc non ex æqualitate formali sumitur, sed ex ratione iuris, & obligationis ei respondentis, id est, quia debetur ex iure.

Confirmatur tertiò, quia similiter licet misericordia debeat subuenire proximo, quantùm indiget; & explere, si potest, atque adæquare ipsius indigentiam: & gratitudo debeat recognoscere beneficium, quantùm meretur: & similiter reliquæ virtutes, in quibus est debitum aliquod morale, debeant illud explere: Illa tamen æqualitas non est ratio formalis obiectiua misericordiæ, vel gratitudinis & aliarum huiusmodi virtutum; sed rationes speciales, quibus mouentur ad agendum; cuiusmodi est indigentia vel miseria proximi, respectu misericordiæ: & recognoscere beneficium, respectu gratitudinis: & bonum aut malum proximi, respectu charitatis. Ergo licet Iustitia debeat reddere æquale, quando æquale debetur; non tamen æqualitas, sed specialis ratio debiti, quâ mouetur ad reddendum, est ratio formalis. Atque hoc ipsum indicat definitio vulgata Iustitiæ, *Est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi:* nimirum quia suum est, id est, rigorosè illi debitum. Cúmque ratio debiti rigorosi sit obiectum virtutis (est enim conueniens rectæ rationi reddere vnicuique debitum quia debitum est) & habent vnam communem rationem ac definitionem, quam suprà expressimus: circa tale debitum versatur aliqua virtus, quæ Iustitia meritò dici potest, iuxta prædictam Iustitiæ definitionem. Æqualitas verò, etsi per se vnam communem notionem habet: non tamen habet necessariam connexionem cum speciali aliqua virtute, sed multis est communis, vt antea ostendimus: neque generatim est materia virtutis; cùm inter homines non debeant omnia esse æqualia, neque rationi id consentaneum sit. 14.

Vt neque aliarum virtutū.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam.

Obijcies cum Valentia quæst. 1. de Iustitia, p. 1. iustum obiectiuum esse obiectum Iustitiæ. At iustum idem est quod æquale: vnde ea quæ adæquantur, dicuntur vulgariter *iustari*: vt notat S. Thomas quæst. 57. art. 1. Et confirmatur ex Arist. 5. Ethic. cap. 4. vbi ait iustum dici Græcè δίκαιον, quasi δίχαιον, hoc est, bipartitum, & diuisum induas partes æquales: Et Iudicem dici δικαστὴν, quasi διχαστὴν, id est, bipartitorem: eò quòd diuidendo constituat æqualitatem inter litigantes. 15.

Ad maiorem huius argumenti propositionem respondeo, patère ex dictis iustum obiectiuum esse quidem præcipuum obiectum Iustitiæ, sed non totale & adæquatum: versatur enim etiam circa iniustum, nolendo & auersando; sicut versatur circa iustum, volendo & prosequendo. Deinde ad minorem propositionem dico, superiùs quoque satis ostensum fuisse *iustum* non esse idem, quod *æquale*. Multa enim sunt iusta, seu debita ex Iustitia, quæ non sunt æqualia: & vice versa, multa sunt æqualia, quæ non sunt

Iustum estne idē quod æquale?

iusta, id est, ex iure debitā; vt pluribus instantijs manifestis demonstrauimus num. 12.

Iustum vniuersim non est idem, ac æquale. Ad priorem verò confirmationem eiusdem minoris propositionis respondeo veram & Philosophicam iusti acceptionem non esse ex sensu vel modo loquendi vulgari definiendam; sed ex ipsa rei naturâ penitiùs inspectâ, secundùm quam iustum, siue ius obiectiuum, significare debet quidquid iuri formali respondet per modum obiecti, & materiæ circa quam. Ius autem formale non est tantùm ad æquale, vel ad totum: sed etiam ad singulas partes debiti, & ad id omne quod speciali & rigorosa obligatione debitum est.

Ad secundam confirmationem respondeo primò, differentiam literarum Καππα, & χι, arguere potiùs diuersitatem significationis. Secundò, non quidquid diuiditur in duas partes, diuidi in partes æquales. Tertiò, nomen iusti sumi potuisse ab eo quod perfectissimum est: licet non generale, & commune omnibus: redditur autem perfectissimè debitum, quando redditur æquale. Idemque dico de nomine Iudicis. Quanquam alio sensu potest dici bipartitor, eò quòd lites dirimat. Verum etiam est Iudicem ex officio teneri ad damnandum debitorem vt soluat quidquid debet, quoad moraliter fieri potest; atque ita æqualitatem debiti, & iuris formalis constituere.

16. Objicies 2. Virtutes morales versari circa medium inter excessum & defectum: vt temperantiam, circa cibum, & potum moderatum: nec plus, nec minus sumendo, quàm par sit. Hoc autem medium in Iustitia est æquale. Quando enim non redditur æquale, plus est ex vna parte, & minus ex altera.

Medium Iustitiæ quodnam sit? Respondeo virtutes morales versari non tantùm circa medium, prosequendo: sed etiam circa extrema, fugiendo, & vitando. Et medium Iustitiæ non esse tantùm æquale (quamvis illud sit perfectissimum) sed esse vniuersim debitum; quod est medium quid inter duplex indebitum: Vnum priuatiuum, consistens in eo quòd non tribuatur, aut non relinquatur vnicuique suum: Alterum positiuum, consistens in eo quòd inferatur malum positiuum contra debitum. Et quandocunque tribuitur debitum, seruatur per se medium illud. Ac licet dum pars debiti non tribuitur, fit defectus: ille tamen non est ex eo quòd tribuatur aliquid debitum, sed ex eo quòd aliud pariter debitum non soluatur. Tribuere autem debitum, est semper per se iustum, & infra excessum, ac supra defectum, superiùs explicatum. Quia non est inferre indebitum positiuum: neque est per se non tribuere debitum, quamvis per accidens possit hoc illi esse adiunctum: quia tribuere debitum, non est tribuere omne debitum; & qui tribuit vna ex parte, potest ex alia non tribuere. Et quamvis ille qui sic operatur, non operetur conuenienter circa totum debitum: operatur tamen conuenienter circa partem quam attingit, tribuendo illam, quia debita est.

17. Objicies tertiò, Pretium quod rei valorem excedit, vel inferius est, iniustum est, quia inæquale: quamvis debeatur ex pacto. Et supplicium iniustum est, quod non est culpæ commensum: ita vt iudex iniustè faciat, qui merenti centum plagas, vnam tantùm imponit, licet in ea reperiatur ratio debiti. Ergo iustum non consistit in debito, sed in æqualitate. Confirmatur, quia qui debet centum, debet vnam multò magis. Vnde, si ratio iusti consisteret in ratione debiti; pœna vnius plagæ esset magis iusta, quia magis debita; quàm pœna centum plagarum, respectu eius qui centum meretur: quod perabsurdum est. Item, qui centum nummos deberet, & vnum redderet; actionem magis iustam faceret, quia magis debitam; quàm si redderet centum: quod æquè absurdum est.

Pretium minus quomodo iniustum? Respondeo, pretium non commensum moraliter rei valori, dici iniustum, id est, iniuriosum ijs qui bona fide contrahunt, & decipi nolunt, vtentes iure quod habent ne res viliùs aut cariùs vendantur, aut emantur, quàm par sit. Supplicium quoque, quod non est culpæ commensum, impositum à Iudice, est iniustum, id est, iniuriosum, vel patti læsæ ac Reipublicæ, si deficit: quia Iudex tenetur ex officio sibi imposito compensare iniurias, & reos pro meritis punire: vel reis ipsis, si excedit: quia Rei ius habent vt non puniantur vltra meritum. Possunt etiam vulgò & communiter hæc dici iniusta, præcisè quia inæqualia. Sed, vt iam dixi, vera ratio iusti, & iniusti, non est ex sensu & modo loquendi vulgari definienda.

Pretium autem, vel supplicium minus, sed verè debitum, est quidem iustum, quatenus debitum: at non quatenus minus; qua ratione est potiùs iniuriosum, nisi gratia fiat ab eo, qui legitimè potest. Ideòque non dicitur iustum simpliciter, sed iniustum. Neque est magis debitum, quàm totum & æquale pretium, aut supplicium, propriè loquendo: sed cum dicitur, Qui debet centum, debet vnum multò magis; verus sensus huius vulgaris locutionis est, quòd non solùm ex iure debet illud vnum; sed vlteriùs nonaginta nouem. Quare potiùs totum illud est magis debitum extensiuè, quàm quælibet illius pars, seu quodlibet minus pretium, aut supplicium: quatenus minus istud pretium, aut supplicium non est id totum quod debetur secundùm ius; sed defectuosum, & adiunctum iniusto atque iniurioso. Actus quoque voluntatis circa eiusmodi partem debiti, vt sit rectus, & actus virtutis Iustitiæ, non debet circa illam versari vt quid minus debito & obligatione, volendo illam vt minor est, cum vitiosa exclusione totius: sic enim non attingeret conuenienter obiectum suum: sed debet illam reddere quia debita est: abstrahendo à vitiosa exclusione totius. Neque talis actus est magis iustus, aut magis debitus, quàm si redderet totum & æquale: sed potiùs minus extensiuè: id est, deficit à iusto & debito, quatenus non explet obligationem, & non reddit id totum quod debetur.

Objici vlteriùs potest, quòd obiectum Iustitiæ distributiuæ non sit debitum aut indebitum rigorosum, suprà explicatum: cùm, iuxta communem sententiam Theologorum, non inducat obligationem restituendi, neque detur actio 18.

contra eius læsores præcisè, & nisi admisceatur aliqua ratio Iustitiæ commutatiuæ. Secundò, quòd etiam obiectum Iustitiæ legalis, & Iustitiæ vindicatiuæ, non sit tale debitum. Quia inobediens legibus, non tenetur restituere: & reus non est iniuriosus, quamvis pœnam vitet & effugiat si possit: neque enim tenetur eam subire, aut velle subire, si potest effugere. Tertiò, omne obiectum affectus iusti est obiectum Iustitiæ. Sed datur aliquod obiectum affectus iusti, quod non est debitum vel indebitum rigorosum: ergo hoc debitum vel indebitum non est obiectum adæquatum Iustitiæ. Probatur minor: quia ex suppositione quòd quis videns aliquem affici contumeliâ, oderit contumeliam illam vt iniustam: & postea per actum reflexum amet illud odium contumeliæ iniustæ, quà tale: Iste affectus reflexus est affectus iustus, quia versatur circa honestatem Iustitiæ, vt talem: nimirum circa honestatem illius odij contumeliæ iniustæ, vt talis: quod odium est honestum honestate Iustitiæ, quia versatur conuenienter circa obiectum iniustum, vt tale. Et tamen ille affectus reflexus non versatur circa debitum vel indebitum: quia obiectum illius actus est odium contumeliæ: quòd odium non est debitum, nec indebitum: quia læsus, aut lædens non habent ius illud exigendi, aut impediendi.

19. Læsor Iustitiæ distrib. ad quid tenetur? Ad primum respondeo læsorem, Iustitiæ distributiuæ obligari vel ad restitutionem, vt docent S. Thomas quæst. 62. art. 1. ad 3. Caietanus ibidem, Paludanus, Medina, Petrus Nauar. & Vasques, quos refert & sequitur Mœratius disp. 21. de Iustitia: vel potiùs, vt malunt alij, & nos paulo fusiùs dicemus inferiùs disp. 26. Sect. 3. num. 31. obligari saltem ad aliquam satisfactionem læso exhibendam. Quam obligationem licet forum externum non foueat communiter, vt neque aliquas alias contra Iustitiam commutatiuam: est tamen ius, seu titulus sufficiens satisfactionem aliquam exigendi, & ad eam compellendi propter iniuriam illatam: aut si in aliquo ius illud deficit, non est id propriè obiectum Iustitiæ, neque illud pertinet ad Iustitiam distributiuam propriè sumptam.

Et læsor Iustitiæ legalis. Ad secundum respondeo primò, inobedientem legibus posse subijci pœnæ, esséque illius reum: quod sufficit ad debitum rigorosum. Neque enim omne debitum Iustitiæ obligat ad restitutionem: sed vel ad illam, vel ad satisfactionem aut pœnam aliquam pro iniuria. Respondeo secundò, pœnam deberi verè à reo: & quando exigitur, exigi verè aliquid debitum ad reparandum ius læsum: licet non eo vsque, vt, si grauis & acerba sit, teneatur reus per se illam exequi, aut non possit effugere licitè: sed ita vt, etiam quando grauis est; non possit reus sine iniuria resistere, & vim facere infligenti iustè, possitque reus ad illam soluendam, aut subeundam compelli.

Ad tertium respondeo, illum affectum respicere debitum vel indebitum, remotè; quatenus respicit contumeliam iniustè illatam, cuius est detestatio virtualis, & æquiualens. Amare enim odium contumeliæ iniustæ, quà tale, est virtualiter odisse contumeliam iniustam quà talem, & amare illius oppositum. Quare ille affectus pertinet ad eandem inclinationem, eandémque virtutem, ad quam pertinet odisse & detestari contumeliam iniustam, vt iniusta est. Qua de re plura dicemus Sect. 6. disputando de actibus Iustitiæ.

SECTIO IV.

Refutatur altera sententia contraria circa obiectum formale Iustitiæ.

Contra id etiam quod diximus Sect. 2. opinantur aliqui recentiores, qui volunt obiectum formale Iustitiæ non esse debitum rigorosum, quà tale; & indebitum illi oppositum; vt nos asserimus: neque æqualitatem inter res, vt plerique alij volunt, quos supra refutauimus: sed æqualitatem inter personas, inter quas versatur Iustitia: Ita vt Iustitiæ proprium officium sit constituere illam æqualitatem: nempe quòd vna persona alteri nihil detrahat de suis, neque ei vllo pacto noceat. Est enim, inquiunt, aliqua æqualitas, quando vnicuique sua conseruantur, & alter supra alterum non extollitur plus quàm par est, eripiendo aliena. Sicut in contrario est aliqua inæqualitas. Cùm enim quis se extollit, sibi de alieno addit: & sic crescit plus quàm par est: alter autem, cui sua auferuntur, quasi diminuitur in iusta suâ proportione, quia auferuntur quæ habere debet. Probant primò, quia hæc est sententia Aristotelis, & D. Thomæ, qui in explicatione virtutum moralium Aristotelem sequutus est. Ille enim lib. 5. Ethic. cap. 4. explicans quid sit iniuria, & quomodo inæqualitatem inducat, sic ait: *Vt si in duabus lineis æqualibus, ex altera aliqua portio sumpta, addatur alteri, fit inæqualitas: Ita cum vna persona alteri adimit quod ipsius est, vt sibi vendicet, fit inæqualitas.* D. Thomas autem quæst. 58. art. 8. sic habet: *Ratio specialis Iustitiæ est ea seruare, secundùm quæ vnus homo alteri coordinatur.* 20. Æqualitas inter personas sitne obiectum Iustitiæ?

Respondeo Aristotelem perperam citari. Nam cap. illo 4. Iustum, quod est obiectum Iustitiæ commutatiuæ (de quo ibi disputat) explicat potiùs per æqualitatem inter res. Sic enim ait paulò post initium capitis. *Cùm hic quidem percussus est, aut occisus: ille verò percussit, aut occidit; passio, atque actio diuisa est in partes non æquales. Sed ad æqualitatem, auferendo lucrum, damni respectu, redigere nititur iudex.* Et paulò post: *Quare æquum quidem inter plus & minus, est medium.* Posteáque addit, partes ad iudicem confugientes, quærere illud æquum, siue medium. Et iudicem perinde facere, atque si lineâ in duas partes diuisâ, id quo maior pars dimidium excedit, abstulerit, minorique addiderit parti. Cúmque totum diuisum fuerit in duas partes æquales, tum suum aiunt habere, cùm æquum acceperint. Itaque æquum vocat Aristoteles id quod diuiditur inter litigantes. Similique modo D. Thomas (cuius verba minùs fideliter referuntur ab Aduersarijs) explicat sæpe obiectum Iustitiæ per æqua- 21. Non ita sentit Arist. nec D. Thom.

litatem, & comparationem inter res: vt patet ex quæst. 57. art. 1. c. vbi affirmat Iustitiam differre ab alijs virtutibus, eò quòd rectum in operibus aliarum virtutum (ad quod tendit intentio virtutis, quasi in proprium obiectum) non accipitur nisi per comparationem ad agentem. Rectum verò quod est in opere Iustitiæ, etiam præter comparationem ad agentem, constituitur per comparationem ad aliud. Illud enim in opere nostro dicitur esse iustum, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri: putà, recompensatio mercedis debitæ pro seruitio impenso.

22. Vterque requirit rationem debiti. Veruntamen, siue per æqualitatem inter personas, siue inter res ipsas explicent illi aliquando obiectum Iustitiæ; non sunt illâ solâ contenti: sed ad perfectam illius explicationem addunt rationem debiti rigorosi, siue debiti ex iure; sine quo non potest intelligi propria natura Iustitiæ, & distinctio ab alijs virtutibus. Id patet ex D. Thoma, quæst. 80. art. 1. c. vbi sic habet: *Ratio Iustitiæ consistit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur secundùm æqualitatem.* Ibidemque per hoc distinguit Iustitiam ab alijs virtutibus. Et quæst. 58. art. 11. c. *Materia Iustitiæ est operatio exterior, secundùm quod ipsa, vel res quâ per eam vtimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per Iustitiam ordinamur. Hoc autem dicitur esse suum vnicuique personæ, quod ei secundùm proportionis æqualitatem DEBETVR. Et ideo proprius actus Iustitiæ nihil aliud est, quàm reddere vnicuique quod suum est:* Id est, quod ei debetur ad æqualitatem: vt paulò ante dixit. Idem faciunt quotquot alij obiectum Iustitiæ in quadam æqualitate constituunt, atque illi ipsi recentiores quos modò impugnamus. Neque aliter possunt rationem propriam Iustitiæ, & eius obiecti explicare, nisi adiunctâ ratione debiti: eò quòd æqualitas sine illa non sufficiat, sitque communis alijs virtutibus, quarum multæ versantur etiam circa æqualitatem, siue inter personas, seruando quod decorum est illarum conditioni; siue inter res, æquando vnam alteri: vt misericordia, gratitudo, obseruantia, obedientia, & similes. Cúmque ratio æqualitatis, præcisa à ratione debiti rigorosi, sit communis alijs virtutibus: ratio verò debiti rigorosi sit propria Iustitiæ, nullique alteri conueniat: multò meliùs & clariùs explicatur obiectum proprium & formale Iustitiæ, per debitum rigorosum; quàm per æqualitatem, siue inter personas, siue inter res. Imò cùm dari possit aliquis actus Iustitiæ sine tali æqualitate, vt præcedenti. Sect. ostendimus; non debet assignari pro obiecto adæquato Iustitiæ latissimè sumptæ, sed tantùm quoad actus eius perfectos, qui explent omnino debitum.

23. Idem coguntur facere aduersarij. Quòd autem illi ipsi, quos impugnamus, cogantur æqualitatem ad Iustitiam pertinentem explicare per rationem debiti rigorosi, patet primò, quia sæpiùs dicunt illam in eo consistere, quòd non sit inter homines ea inordinatio, & confusio, quæ esset si vnicuique sua iura non manerent inuiolata, sed ab alijs violarentur, aut opprimerentur; illúmque esse decorem proprium & rectitudinem Iustitiæ, quem ipsa per se primò intendit. At, inquam, manere vniuscuiusque iura inuiolata, nihil est aliud, quàm fieri quidquid illis debitum est ex iure, siue rigorosè; & nihil fieri contrarium tali debito & iuri: violare autem aliorum iura, est non facere quod illis debitum est, vel facere contrarium. Ergo per ipsosmet aduersarios, proprium Iustitiæ obiectum consistit in debito ex iure, vel illius opposito. Secundò, ijdem recentiores constituunt illam æqualitatem inter personas, in eo quòd nullus super alterum extollatur auferendo illi quod suum est. Cúmque sibi objiciunt, Deum auferendo alicui vitam, auferre illi quod suum est, & tamen non facere illi iniuriam: Respondent, cùm dicitur iniuriam pati aliquis ex eo quòd sua illi auferantur ab alio, oportere intelligere quòd is qui patitur iniuriam, possit ita dicere suum id quod ipsi eripitur, vt illius titulus, & ius in rem, vigeat aduersus eum qui eripit: alioqui non patitur iniuriam ab eo, cuius oppositione non potest dicere sua, quæ amittit. Quod est verbis obscurioribus dicere neminem facere iniuriam accipiendo bonum alterius, nisi teneatur ex iure ad non accipiendum, id est, nisi accipiat contra debitum ex iure. Tertiò, cùm ijdem recentiores quærunt, cur pater, cùm aliquid filio detrahit, aut mercator cùm merces suas in mare projicit, non inducant illam inæqualitatem in qua consistit iniuria: neque pater sit iniuriosus filio, aut mercator sibimetipsi? Respondent, quia inæqualitas, in qua consistit iniuria, est non relinquere vnumquemque in ea mensura, in qua esse debet: adeo vt ipsius iure resistente, dejiciatur de suo gradu. Sed quisquis sibi nocet, non habet ius resistens in actu secundo: ei enim cedit sponte. Si ergo filius comparetur ita ad patrem, vt pater filij iura contineat, & sit quodammodo in filio, redundétque in patrem damnum filij: impossibile est vt eatenus pater iniuriam faciat filio, sicut sibi non potest facere iniuriam: quia filius est pars aliqua patris, & in eo pater sibi nocet: quod non est inæqualitatem inducere inter personas. Hæc illi. Atqui dicere, non sufficere ad iniuriam vt quis quomodocunque dejiciatur de suo gradu, sed opus esse dejici à gradu *quem debet habere, & iure ipsius resistente,* nihil est aliud, quàm dicere opus esse fieri contra ipsius ius, & contra debitum ex iure: quare Aduersarij coguntur in sententiam nostram descendere, quando naturam obiecti iustitiæ volunt clarè & exactè exprimere.

Quartò, ijdem explicantes differentiam quæ est inter Iustitiam, quam volunt versari circa æqualitatem inter personas, vt proprium obiectum; & inter misericordiam habentem obligationem subueniendi pauperi ad æqualitatem necessitatis: dicunt titulum præcisè obligantem ad subueniendum egeno in necessitate, etiam æqualiter, non esse titulum habentem vim ab ipso egeno: sed hoc esse proprium in debitis Iustitiæ, quòd ius ipsum residens in eo, cui debetur ex Iustitia, ab eo vim habeat: quia nempe legitimè possidet ea quæ illi debentur ex Iustitia. Ibidemque de obedientia idem dicunt; quòd scilicet quamvis obediens, præcisè 24. Confirmatur multis instantijs.

quà talis, teneatur ad æqualitatem, æquè ac Iustitia; & intendat exæquate præcisè obligationem natam ex imperio alterius: adeovt, quatenus est obedientia, neque possit excedere illam obligationem, neque in illa deficere: tamen non sit actus Iustitiæ, nisi quando obligatio nascitur ex titulo auctoritatis, quæ est in eo cui obeditur: ita vt à proprio illius iure nascatur. Secus autem si obligatio obediendi nascitur aliunde, eò quòd ad bonum Reipublicæ, vel ad bonum obedientis deceat hunc ordinem obseruari, vt superioris voluntas sit alijs Regula agendi. Atqui hoc est manifestè dicere Iustitiæ obiectum proprium differre ab obiectis istarum virtutum, non per æqualitatem, in qua cum illis conuenit: sed per rationem debiti ex iure, sine qua actus obediendi ex alio titulo obligationis, non est actus Iustitiæ: neque etiam actus subueniendi pauperi ad æqualitatem necessitatis. Quintò, ijdem cùm sibi objiciunt, eum qui peccauit contra honestatem propriam, teneri ad retractationem sui actus: eamque obligationem videri esse ad reparandum sibi decorem, quem sustulit peccati deformitas. Ergo obligatio reparationis non est tantùm ex peccato Iniustitiæ. Respondent, teneri quidem ad satisfaciendum Deo, quem iniustè offendit: teneri etiam ad emendationem, ex studio proprij boni. Sed non teneri sibi ipsi ad reparationem ex iure circa seipsum. Quia eo ipso quòd voluntariè se peccato inquinauit; impossibile est vt vllum illius ius resisteret tali peccato. Eo enim ipso quòd voluntarium erat, renuntiabat illi iuri. Quare ius quod non vigebat vt seruaretur, non potest vigere vt reparetur. At, inquam, hoc est dicere iniuriam, siue peccatum iniustitiæ, obligens ad satisfactionem (quod peccata alijs virtutibus opposita non faciunt) in eo consistere, quòd fiat contra ius alicuius resistens: adeòque fiat contra debitum ex iure. Quare, velint nolint Aduersarij coguntur explicare per debitum illud, obiectum proprium Iustitiæ.

25. Obiectũ Iustitiæ non bene exprimitur per æqualitatem inter personas. Confirmatur, quia quando pauper, in graui aut extrema necessitate constitutus, accipit bona diuitis; detrahit illi suum. Et tamen non est iniustus, tametsi facit inæqualitatem inter personas, si illa præcisè consistit in accipiendo quod alterius est, semota consideratione iuris resistentis, siue, quòd accipiatur contra debitum ex iure. Item, quando aliquis per superbiam, se effert supra alterum; est inæqualitas personarum: non tamen iniustitia, quandiu non facit contra ius alterius. Item, occidere alterum & destruere, non est propriè loquendo facere inæqualitatem inter personas. Et valde impropriè ac plusquam metaphoricè explicatur hæc iniuria per inæqualitatem. Neque propriè loquendo magis aut minùs fit inæqualitas, siue occidatur iustè, siue iniustè. Optimè verò, clarissiméque, & proprijssimè explicatur hæc iniuria, dicendo illam in eo consistere, quòd vnus occidat contra ius, alter non. Falsum est quoque quòd in omni iniuria aliquis sibi addat id, quod alteri detrahit; vt si è duabus lineis, vni adimat, quod alteri addat. Nam qui vitam alteri eripit, non propterea illam sibi addit. Quare si quis benè aduertat, videbit hoc esse discrimen inter nos, & aduersarios; quòd illi verbis improprijs & obscuris; magnóque circuitu ad rem explicandam indigentibus, & tandem in nostram sententiam recidentibus, explicant obiectum Iustitiæ per æqualitatem inter personas: nos autem breuiter, clarè, & propriè illud exprimimus per debitum, aut indebitum rigorosum, siue ex iure. Quódque nos assignamus obiectum adæquatum Iustitiæ: Non illi, sed perfectæ tantùm. Nam quòd vltra perfectos actus Iustitiæ, qui explent debitum ad æqualitatem, possint alij dari non adeo perfecti, & tamen veri actus Iustitiæ, ostendimus Sect. 2. exemplo eius, qui debens centum, soluit tantum quinquaginta: vel quia non potest amplius reddere: vel quia nondum tenetur reddere totum: Itémque exemplo eius qui non nocet in vno, non cogitans de alijs in quibus nocere posset.

Quod argumentum non bene soluunt aduersarij, dicendo actum illum, si est verus actus Iustitiæ, reddere operantem paratum ad implendam omnem obligationem, & ad reddendum quidquid debet. Nam contra: primò, actus ille est verus actus Iustitiæ ex eo quòd reddit quinquaginta, quia debentur ex iure: quamvis mente præscindamus quòd reddat paratum ad soluendum quidquid debitum est. Vel ex eo quòd non nocet in vita contra ius: quamvis præscindamus ab eo quòd reddat paratum ad non nocendum in honore, vel in bonis fortunæ. Deinde, falsum est actum illum reddere paratum ad reddendum, aut faciendum quidquid debitum est. Nam vt fatentur alibi aduersarij, motiuum de se commune non reddit paratum ad ea omnia quibus commune est, si in quibusdam illorum est maior difficultas, aut specialis ratio. Vt v.g. qui dolet de peccatis quia Deo displicent, potest dolere de mortalibus & grauiter displicentibus, non dolendo de venialibus. Et qui propter Deum est paratus ad dandam eleemosynam: non propterea est paratus ad omnia bona propter eum relinquenda, & danda pauperibus; vel ad vitam pro eius amore perdendam, si necessitas fidei profitendæ id exigat. Sicut ergo dari potest verus actus charitatis, qui non reddat paratum ad detestandum quicquid Deo displicet, vel ad faciendum quicquid illi placet, & eius saltem amore faciendum est: ita dari potest verus actus Iustitiæ qui non reddat paratum ad implendam omnem obligationem. Et hactenus de primo argumento aduersariorum. 26. Refellitur primum argum. aduersar.

Secundum argumentum illorum est; quia idea rectitudinis Iustitiæ multò meliùs exprimitur, dum ea ponuntur quæ sunt in radicali & primario eius conceptu: quàm cùm ponuntur quæ resultant tantùm ex illo primario conceptu. At conseruari æqualitatem personarum per Iustitiam, est radix, ex qua oritur quòd illud debitum, quod dicitur esse Iustitiæ, habeat eas circunstantias, quas illi tribuit nostra sententia. Ergo meliùs per æqualitatem exprimitur. Probant minorem: quia si nullus alius terminus ponatur in obiecto Iustitiæ, quàm quòd sit debitum rigorosius, non exprimitur specia- 27.

liter Iustitia. Si quis autem terminus addatur, non bene exprimet obiectum Iustitiæ. Probatur, quia aliqui actus virtutum, quæ non sunt Iustitia, habent alij alijs debitum rigorosius: ex. g. est rigorosior obligatio subueniendi pauperi in graui aut extrema necessitate, quàm in communi: & tamen nulla ex his est obligatio Iustitiæ, sed tantùm Charitatis. Ideóque addit hæc sententia debitum hoc rigidius, vt sit proprium Iustitiæ, esse illud, quod qui violat, tenetur ad reparationem, & potest pœnæ subjici. Sed hæc sunt posteriora, & resultant ex inæqualitate bene intellecta, quam continet Iniustitia. Hæc enim inæqualitas est, quòd vnus alteri repugnanti detrahat quod ipsius est. Ex illa autem inæqualitate oritur quòd obligatio satisfaciendi, aut patiendi pœnam, sit propria solius Iustitiæ: quia sola iniustitia inducit inæqualitatem quæ tolli debet per reparationem: alia vitia non inducunt.

28. Soluitur secundũ. Respondeo iam euidenter ostensum esse æqualitatem personarum non esse radicem ex qua oriuntur proprietates debiti ex Iustitia, nisi per illam æqualitatem intelligatur debitum ex iure: quo modo sæpius coguntur illam explicare ipsi aduersarij, vt paulò ante vidimus: neque eam possunt meliùs exprimere, si velint clarè & propriè loqui. Nos autem per debitum rigorosum, nihil aliud intelligimus, quàm debitum ex iure. Inæqualitas quoque in qua consistit iniustitia siue iniuria, bene intellecta, & bene explicata, in eo formaliter posita est, quòd quis faciat contra ius alterius resistens; siue in eo, quòd aduersetur illius iuri resistenti, non faciendo quod illi debitum est, aut faciendo contrarium debito. Neque sufficit quòd vnus alteri repugnanti detrahat quod ipsius est, nisi iste ius habeat resistendi & impediendi ne auferatur. Atqui hoc est illud ipsum quod nos intelligimus per debitum, aut indebitum rigorosum. Itaque id, ex quo oriuntur proprietates debiti Iustitiæ proprij, obligandi scilicet ad reparationem, aut pœnam, est ipsummet debitum, aut indebitum rigorosum, seu natura talis debiti quæ per talem proprietatem declaratur à posteriori. Et si quæratur cur peccata contra Iustitiam inducant talem obligationem ad reparationem, vel ad pœnam, non autem peccata contra Charitatem, aliásque virtutes? optimè respondebitur; quia peccata illa sunt contra debitum ex iure, non verò ista.

29. Tertium argumẽtum. Tertium argumentum: Falsum est obligationem Iustitiæ esse strictiorem omni alia obligatione. Sunt enim aliquæ simpliciter arctiores. Putà, quisque tenetur ad suam salutem æternam procurandam: neque hoc debitum est Iustitiæ, quia est eiusdem ad se. Multi autem tenentur ad procurandam salutem aliorum ex Iustitia, vt Pastores animarum. Et tamen obligatio, quam habent erga se, est arctior in eodem obiecto. Nam si Pastor est in pari necessitate æternæ salutis, tenetur primùm sibi consulere. Atqui illa obligatio est arctior, cui per se, & cæteris paribus, alia cædit.

Quo sensu debitũ Iustitiæ vocatur rigorosũ. Respondeo hanc obiectionem procedere ex mala intelligentia nostræ sententiæ. Nam per debitum rigorosum, non intelligimus debitum magis obligans, quàm vllum aliud, in quocunque casu, quodve semper arctius sit: sed intelligimus debitum ex iure, & non ex honestate solùm, aut decentiâ; quodque si violetur, fiat contra ius offensi, indéque exurgat obligatio restituendi, aut satisfaciendi: quod nulli alteri virtuti conuenit: tametsi in aliquo casu hæc obligatio rigorosa cedat obligationi aliarum virtutum tunc magis vrgentium, & illi præualentium: vt in exemplo allato; aut quando aliquis tenetur pauperi subuenire posito in extrema necessitate. Magis enim tenetur illi subuenire; quàm implere officia Iustitiæ non ita necessaria, putà soluere aliquod debitum. Nam potest & debet in eo casu non soluere potiùs, si aliter non potest pauperi extremè indigenti subuenire. Si tamen non subueniat, non fecit illi iniuriam, sed peccat contra Charitatem & misericordiam.

30. Quartũ argum. Quartum argumentum: Formale obiectum virtutis est id, quo mouetur operans ad actionem virtutis. Sed operans ex Iustitia, non mouetur illa conditione debiti Iustitiæ, quòd propter ipsum violatum pœna subeunda sit. Mouetur enim amore rectitudinis: & multi ex Iustitia operantur, qui tantùm spectant in sua actione quòd reddant alijs quæ ad ipsos pertinent, idque sit decens secundùm rectam rationem. Et ne quidem cogitant quòd possint compelli ad ea quæ præstant ex Iustitia: aut si deficerent in ea obligatione, subjicerentur pœnæ: hæc enim valde aliena sunt. At nemo potest exercere actum Iustitiæ, nisi attendendo ad eius obiectum formale. Item, debitum Iustitiæ Dei erga homines nullo modo potest rectè explicari per illas circunstantias, quòd ipse possit cogi, aut teneri ad pœnam subeundam. Nam indignum est has conditiones esse in debito quod Deus respicit vt obiectum formale suæ Iustitiæ. Quis enim dicat Deum reddere beatitudinem æternam, promissam iustis bene operantibus, quia alioquin incurreret pœnam, aut posset compulsionem externam pati? Sed quod indignum est ad impellendum Deum vt operetur ex Iustitia, non potest esse obiectum formale, quod nihil aliud est, nisi id quod impellit Deum ad operandum. Præterea, sine irreuerentia, & indigna cogitatione de diuina maiestate, hæ conditiones non applicantur vlli obligationi, quæ sit in Deo circa creaturas. Neque respondeas, non dici assertiuè, quòd sit aliqua facultas legitima ad compellendum Deum, posito quòd sit debitor ex Iustitia; aut quòd absolutè possit pœnam mereri: sed tantùm hypotheticè, quòd si per impossibile esset vlla facultas legitima ad compellendum Deum, eóque aliquo modo superior; ex natura obligationis Iustitiæ esset subditus illi potestati compulsiuæ. Et similiter, si per impossibile non satisfaceret obligationi Iustitiæ, & esset iudex cui posset subjici; esset obnoxius pœnæ. Contrà enim: primò, per tam fictam hypothesim malè explicatur natura alicuius obligationis quæ verè est in Deo, vt est obligatio Iustitiæ. Nullus enim est ordo in Deo, nec esse potest, ad imaginationem adeo absurdam. Atqui si hæ conditiones constituerent differentiam

formalem omnis debiti Iustitiæ, Deus vt operaretur ex Iustitia, deberet hypotheses adeo absurdas fingere. Secundò, deberent dicere aduersarij esse per accidens quòd Deus careat Domino, aut iudice, aut aliquo potentiori se: per accidens, inquam, ad naturam obligationis, quæ tamen est in ipso. Sicut dicitur creatura rationalis habere veram obligationem, ad satisfaciendum Deo infinitè pro peccato mortali, si posset: & per accidens esse quòd non possit, si hoc comparetur ad rerum ordinem in se, & ad naturam obligationis. Sed absurdè ponitur in Deo talis obligatio ad creaturas, vt per accidens sit quòd non reperiatur Deo superior, qui eum compellat, vt satisfaciat: aut si non satisfecerit, pœnæ subjiciat. Quare hæc sententia ponit in Deo obligationem ipso indignam.

31. Operans ex Iustitia mouetur ratione debiti, vel indebiti.

Ad primam partem huius obiectionis respondeo, omnem operantem ex Iustitia, moueri à consideratione debiti vel indebiti ex iure, & rectitudinis quæ est in reddendo vnicuique quod illi ex iure debitum est; vel in nihil faciendo contrarium. Quod sine dubio decet rectam rationem: & moueri hac consideratione, est moueri ex amore rectitudinis. Neque sine hac consideratione iuris, seu debiti ex iure, sufficit reddere alicui quæ sua sunt. Nam si Deus redderet alicui membrum, aut sensum ipsi ablatum; non propterea exerceret erga illum, actum Iustitiæ: vt neque exercuit actum iniustitiæ quando membrum illud abstulit; defectu iuris, respectu Dei, vt ne auferatur, vel vt ablatum restituatur: quemadmodum fatentur ipsimet aduersarij, & per se manifestum est. Deus enim non tenetur ex Iustitia vitam hanc mortalem, vel membra nobis conseruare, aut reddere; sed precariò dat, & conseruat, quandiu illi placet. Ad exercendum autem verum actum Iustitiæ, sufficit concipere esse in altero ius vt hoc illi fiat, vel esse ius vt ne fiat: siue, quod idem est, esse in nobis debitum ex iure id faciendi, vel ab eo abstinendi. Quod debitum non consistit formaliter in obligatione ad reparationem, vel ad pœnam, aut aliquam satisfactionem, si fiat eius contrarium: sed est aptum inducere talem obligationem in illis omnibus qui sunt capaces faciendi iniuriam.

32. Deus eâdem mouetur.

Ad secundam partem eiusdem obiectionis, de Iustitia Dei erga homines, respondeo, si Deus sua libera conuentione, & dignatione, dat hominibus aliquod ius erga se, & constituit se illis debitorem ex iure Iustitiæ circa beatitudinem illis reddendam vt mercedem bonorum operum, & circa alia quædam: Deus mouetur ad hæc reddenda, quia sunt debita ex iure; illúdque est proprium motiuum, quo reddit ex virtute Iustitiæ. Nam sine illo iure, & debito illi respondente, non magis faceret actum Iustitiæ dando illis vitam æternam, quàm dando vitam temporalem. Et si per impossibile eriperet Beatis vitam æternam, non magis illis faceret iniuriam, quàm ijs quibus vitam temporalem adimit, si Beati non magis habent ius ad vitam æternam obtinendam, quàm nos habemus ad retinendam vitam temporalem. Dico igitur, motiuum proprium Iustitiæ Dei erga homines, æquè ac Iustitiæ hominum erga Deum, vel erga alios, esse debitum ex iure: & sine illo, vel eius opposito, non posse intelligi actum Iustitiæ, vel iniustitiæ: neque sufficere quòd alio modo reddantur alicui, vel eripiantur sua: vt manifestum est in exemplo allato, & supra vidimus concedi ab aduersarijs. Est quoque manifestum omnem violationem iuris esse iniuriam: & omnem iniuriam ex natura sua obligare ad aliquam reparationem iuris læsi. Quare ius quod habent creaturæ erga Deum, est huiusmodi, vt si per impossibile Deus illud violaret; obligaretur ad aliquam eius reparationem. Quæ propositio hypothetica cùm verissima sit, erroneum esset dicere illam à Deo ignorari. Deus ergo nouit se ita debere aliquid creaturis quibusdam, putà vitam æternam iustis meritoriè operantibus; vt si eam non redderet, iniuriam illis faceret, & teneretur ad iuris læsi reparationem. Hoc autem sufficit ad conceptum iuris, & debiti ex iure. Imò quia ius, & debitum ex iure, est aliquid prius obligatione ad reparationem, quam inducit eius violatio; Deus prius aliquid concipit, velut illius radicem & fundamentum. Et hoc est quod nos intendimus explicare per hanc proprietatem, quæ debito Iustitiæ singulariter conuenit, & in nullo debito aliarum virtutum reperitur. Est etiam verum quòd si per impossibile Deus deesset obligationi Iustitiæ, & iniuriam faceret alicui, eique nollet satisfacere; & si haberet superiorem legitimum; posset ab illo cogi. Neque potest hæc propositio hypothetica à Deo ignorari, cùm verissima sit. Verùm obligatio Iustitiæ, quam Deus habet re ipsa erga creaturas, non consistit in hac hypothesi impossibili: sed in eo quòd debeat ex iure illarum. Et Deus, qui purissimè, & primò ac per se, concipit ipsam naturam iuris, & debiti sui ex iure creaturarum, non eget istis hypothesibus: siue vt concipiat quid sit ius creaturarum erga se, aut debitum suum erga creaturas: siue vt moueatur ad agendum ex Iustitia. Aliter enim intelligit sufficienter se debere; & reddit quia debet, siue quia creaturæ habent ius vt hoc eis reddatur. Neque debitum ex iure inducit in ipsum obligationem coactionis, aut pœnæ, si illi desit: (cuius vtriusque Deus incapax est: quia non potest illi deesse, & vtrumque respectu Dei est impossibile) quamvis inducat in creaturas ipsas, quæ sunt illius capaces. Potest quoque debitum Dei erga creaturas sine tali hypothesi pœnæ, vel coactionis, à nobis concipi & explicari, dicendo debitum ex iure erga creaturas esse tale, vt Deus teneretur ad reparationem si iuri illi non satisfaceret: id est, si ius creaturæ læderet, teneretur illud resarcire. Idque per se sufficit ad conceptum vniuersalem debiti ex Iustitia. Imò neque in eo formaliter consistit, sed in aliquo priori, vt paulò ante diximus.

33. Instantiæ contrariæ sunt leues, & exaggeratæ.

Quare falsum est quod dicunt aduersarij, Deum, iuxta nostram sententiam, debere fingere has hypotheses, vt agat ex Iustitia; cùm ne nos quidem illis egeamus ad debitum diuinum, vel etiam humanum, sufficienter concipiendum. Falsum est etiam quod aiunt, has

conditiones pœnæ vel coactionis constituere differentiam formalem obiecti Iustitiæ, iuxta nostram sententiam. Dicimus enim rationem illius formalem consistere in aliquo priori, quod est radix & fundamentum istius obligationis, illamque inducit in subiectum illius capax, egénsque coactione, vt debito satisfaciat: quod Deo minimè conuenit. Cùm autem addunt, fore per accidens ad naturam istius obligationis quòd Deus non habeat superiorem, à quo possit cogi, aut pœnæ subjici: distinguendum est. Vel enim intelligunt quòd conceptus obligationis Iustitiæ, non prout est in Deo, sed abstractissimè sumptus à Deo & à creaturis, sit indifferens vt contrahatur ad subiectum capax, vel incapax coactionis: & hoc sensu posse dici esse illi per accidens quòd contrahatur ad hoc aut illud subiectum. Et hoc verum quidem est: sed perperam ex eo infertur esse aliquam in Deo obligationem, cui consideratæ, prout est à parte rei, & prout est Dei obligatio, sit indifferens habere subiectum capax coactionis; & Deo, ratione illius, sit per accidens non habere legitimum superiorem, à quo possit compelli, & cogi vt illi obligationi satisfaciat. Vel secundò intelligunt, illi ipsi obligationi Dei ad creaturas, secundùm se, esse indifferens, & per accidens, quòd eius subiectum non sit capax coactionis, & pœnæ. Et hoc est falsum, & Deo indignum: debétque conceptus obligationis, quando ad Deum contrahitur, semoueri ab illis imperfectionibus. Sicut conceptus alij, communes Deo & creaturis, quando ad Deum contrahuntur, semouentur ab imperfectionibus Deo indignis: quamvis de se, & in abstracto considerati, sint ad illas indifferentes. Vt v.g. conceptus scientiæ, vel sapientiæ, est indifferens ad creatam, & increatam; substantialem, & accidentalem; finitam, & infinitam. Sed quæ diuina est, non est indifferens vt sit creata, accidentalis, & finita. Concludo itaque totum hoc argumentum aduersariorum plus habere vanæ speciei, & exaggerationis, quam ponderis, & soliditatis, fundarique in falsa intelligentia nostræ sententiæ, æquè ac alia priùs refutata.

SECTIO V.

Plura de obiecto Iustitiæ.

34. HVcusque ostendimus debitum rigorosum, & indebitum illi oppositum, esse obiectum adæquatum Iustitiæ. Superest quærere primò, an Iustitia versetur tantùm circa ea, quæ nos ipsi alijs debemus, & circa indebita opposita: An verò generaliter circa quæcumque & quibuscunque debita, eorumque opposita?

Respondeo versari circa quæcunque, & quibuscunque debita, vel indebita, vt talia: siue abstractè sumpta in genere, aut in specie, siue etiam in indiuiduo considerata. Explicatur, & probatur responsum. Primò quidem, omne debitum & indebitum rigorosum est necessariò inter vnum, & alterum: quia eiusdem ad seipsum non est debitum Iustitiæ, nec indebitum oppositum, de quo, si violetur, possit læsor conueniri, & vis compulsiua adhiberi legitimè: vt potest in iusto & iniusto, si facultas non desit, sed sit superior potestas ad quam recurri possit, quæque velit ius nostrum tueri. Quare nemo ex Iustitia quicquam debet sibiipsi; sed quidquid debet, necessariò debet alteri. Quædam etiam ipsi ab alijs debentur; & quædam sunt debita inter alios, quæ ad ipsum non pertinent, neque actiuè, quasi debita ab ipso; neque passiuè, quasi ipsi debita ab alijs. Secundò, sicut intellectus potest debita & indebita considerare vel abstractè in genere, vel in specie, aut contractè & in particulari: ita voluntas, quæ intellectum sequitur, potest in illa simili modo ferri. Quomodocunque verò spectentur debita & indebita, & inter quoscunque sint: affectus rectæ rationi conueniens circa illa vt talia, est honestus, & actus virtutis; & non alterius, quàm Iustitiæ: quia nulla est alia virtus quæ versetur circa debitum & indebitum ex Iustitia, vt tale. Quare Iustitia versatur non tantùm circa debita & indebita alteri: sed etiam circa debita vel indebita nobis ipsis, ac generatim circa quæcunque debita & indebita, inter quoscunque sint, & quomodocunque considerentur in ratione debiti vel indebiti ex Iustitia. Confirmatur, quia quod iustum, vel iniustum sit inter me & alium, vel inter alios, est differentia tantùm materialis & numerica, non mutans speciem: si verò eadem species est iusti, aut iniusti, vt talis; ergo eadem est virtus circa illam.

Debitum Iustitiæ est ad alterum.

Iustitia versatur circa debita inter quoscunque.

Dices, nullam esse difficultatem in eo quòd aliquis velit debitum in abstracto, remotum ab operatione, aut debitum inter alios, aut etiam debitum sibi ipsi, quod postremum videtur magis pertinere ad studium proprij boni. Ergo huiusmodi actus non sunt actus virtutis Iustitiæ. 35.

Respondeo primò, antecedens non esse verum generatim. Secundò, difficultatem non esse de ratione actus virtutis, sed sufficere vt sit actus rectæ rationi consentaneus; iuxta vulgatam virtutis moralis definitionem sumptam ex Arist. 2. Ethic. cap. 6. *Virtus est habitus*, vel actus, *cum ratione electiuus.* Potest autem esse libera electio circa facilia, & circa difficilia: ac circa vtraque potest habitus comparari. Adde quòd alioqui non essent virtutes in Beatis, & in personis eximiè perfectis & sanctis, defectu difficultatis. Tertiò, debitum vel indebitum nobis ipsis dupliciter spectari potest. Primò, vt bonum vel malum nostrum: & sic pertinet ad studium proprij boni, quo quisque suum curat, vt suum est. Secundo, vt debitum vel indebitum simpliciter, non spectatum vt nostrum est, sed vt debitum est: & sic pertinet ad affectum Iustitiæ.

Soluitur obiectio.

Instabis, quia si Iustitia potest esse circa debita inter alios: ergo similiter Temperantia esset circa temperata ad alios relata, & Fortitudo, circa Fortia relata ad alios. 36.

Respondeo ita esse, quoad affectum: Quia actus complacentiæ v.g. circa ea quæ sunt alijs temperata, aut fortia, sunt boni & honesti: &

Instantia repellitur.

pro obiecto formali habent ipsam rectitudinem obiectiuam, & honestatem temperantiæ, ac fortitudinis, quæ secundum speciem non versantur circa temperata & fortia, vt nobis sunt temperata & fortia: sed prout sunt fortia & temperata subiecto: Quod verò nobis, aut alijs sint temperata, aut fortia, accidentarium est. Nec obest quòd non sit par difficultas circa temperata, aut fortia nobis, & alijs: nam, vt iam dixi, virtus non definitur difficultate, sed rectitudine: neque difficultas speciem actus vel obiecti mutat: quamvis valeat ad meritum, quatenus ad eam vincendam maiori conatu opus est. Per se verò est indifferens etiam ad actus malos, quorum aliqui non fiunt nisi cum magna difficultate: & in eadem specie virtutis difficultas minuitur aut penitùs euanescit, quò habitus magis intenditur, ac tandem in perfectis, & in Beatis nulla est difficultas, licet sit summa virtus. Dixi, *quoad affectum:* nam temperantia quoad effectum, id est, vsum moderatum cibi & potus, &c. non est nisi quoad ea quæ nobis ipsis temperata sunt. Idémque dico de fortitudine, & similibus virtutibus.

37. Quæritur secundò, an Iustitia versetur tantùm circa res, & circa actus exteriores, vt obiectum adæquatum: an etiam circa internas aliquas operationes, & passiones? Respondeo versari circa hæc omnia, quando sunt strictè debita, vel indebita. Ratio est, quia Iustitia versatur circa quodcunque iustum, aut iniustum; id est, debitum, aut indebitum rigorosum, vt superiori conclusione ostendimus. Debitum autem, & indebitum reperitur partim in rebus ipsis, vt in mutuo, deposito, mercede, vel pecuniâ debitâ, furto, contumeliâ, & similibus: partim in actibus externis, vt in obsequio, in restitutione, & in solutione pretij, vel mercedis: partim in actionibus internis, & passionibus quibusdam: nam efficax volitio reddendi debitum est iusta & debita: & desiderium efficax rei alienæ retinendæ, vel accipiendæ Domino inuito rationabiliter, est iniustum: & appetitus vindictæ immoderatæ, & concupiscentia vxoris alienæ, & alia his similia, quæ per iustam voluntatem possunt ac debent comprimi.

Iustitia versatur etiam circa actus internos, & passiones.

38. Contrarium videtur sentire D. Thomas quæst. 58. artic. 8. vbi ait materiam Iustitiæ esse actiones exteriores, & res exteriores, prout ordinantur ad alterum: quia Iustitia est ad alterum, & circa ea quæ ad alterum sunt: Ordinantur autem ad alterum res & actiones exteriores. Et art. 9. negat Iustitiam versari circa passiones: quia Iustitia est in voluntate: sed actus voluntatis non sunt passiones. Item, Iustitia est ad alterum: sed per passiones non ordinamur immediatè ad alterum. Verùm prior huius doctrinæ pars indefinitè accipienda est, de obiecto, non adæquato, sed notiori, & frequentiori. Alioqui enim negari nequit Iustitiam versari circa aliquas actiones, etiam purè internas, saltem respectu Dei, qui habet ius in actus internos, æquè ac in externos: & D. Thomas quæst. 60. art. 3. ad 2. affirmat ipsa iudicia interna temeraria, esse iniusta: quod nos alibi verum esse demonstrabimus. Neque actiones solùm exteriores sunt ad alterum; sed etiam interiores nonnullæ, vt cogitare de aliquo, bene vel malè affici erga aliquem, iudicare temerè de factis alienis, irasci, amare, odisse, & similia. Non omnes etiam actiones externæ sunt ad alterum: vt comedere, bibere, ambulare, legere ob solam curiositatem, & aliæ multæ, quæ possunt bene vel malè fieri. Et simpliciter esse ad alterum non est propria & sufficiens ratio obiecti Iustitiæ: conuenit enim charitati, misericordiæ, beneficentiæ, liberalitati, gratitudini, & similibus; sed ratio debiti, & indebiti rigorosi.

D. Thomas exponitur.

Posterior quoque pars doctrinæ D. Thomæ intelligenda est in hunc sensum, quòd Iustitia habitualis non versetur immediatè circa passiones, vt circa actus primarios & elicitos: secus autem vt circa secundarios & imperatos: quemadmodum exemplis superiùs ostendimus. Nec obest quòd Iustitia sit in voluntate, & passiones sint in appetitu inferiori. Potest enim voluntas imperare appetitui, æquè ac alijs potentijs sibi subiectis. Neque negari potest passiones aliquas immediatè ordinare ad alterum: cuiusmodi sunt cupiditas boni alieni, concupiscentia vxoris alienæ, appetitus vindictæ iniustæ, ira tendens ad occisionem, & similes. An verò aliæ virtutes morales, fortitudo, & temperantia, versentur immediatè & primò circa passiones, dicemus infra Sect. 7. & 8. Dubitari etiam nequit appetitum sensualem, versari posse circa iustum & iniustum materialiter, æquè ac circa forte, & temperatum. Nam appetitio rei alienæ accipiendæ, sensui delectabilis, aut commodæ, & appetitio vindictæ non legitimæ, sunt actus appetitus sensitiui, qui sunt frequentissimi: & ijdem sunt circa iniustum, & sunt aliquo modo iniusti. Quare iusta voluntas nititur cohibere appetitiones illas: & si non potest eas extinguere, resistit eis non consentiendo, & abstinendo ab opere, in quod maius habet dominium. Si qua verò est appetitio iusta, vt non lædendi alium, non furandi, non detrahendi, voluntas iusta appetitionem illam amplectitur.

39. Dixi appetitum sensitiuum versari posse circa iustum & iniustum materialiter, id est, circa id quod iustum, & quod iniustum est: non autem formaliter, secundùm rationem iusti, id est, secundùm specialem conuenientiam, quam habet cum recta ratione: quia appetitus sensitiuus non attingit obiectum secundùm illam considerationem, seu comparationem; sed secundùm rationem boni sensibilis delectabilis, aut commodi. Verùm vt aliqua passio sit circa id quod est iustum, aut iniustum; non est necesse vt sit secundùm considerationem iusti, aut iniusti; sed potest esse secundùm rationem aliam boni, aut mali, delectabilis aut molesti, commodi vel incommodi. Et nihilominus passiones sunt aliquo modo iustæ, vel iniustæ, eò quòd sint ad id quod est iustum, vel iniustum. Ac sicut appetitus sensitiuus non potest affici ad iustum secundùm rationem, eò quòd non agat secundùm rationem, sed secundùm cognitionem sensuum: sic neque afficitur ad fortia, & temperata secundùm rationem: quia non

Quomodo passiones versantur circa iustum, & iniustũ?

non sequitur rationem per quam hæc discernuntur, & cognoscuntur vt honesta, seu rationi consentanea. Si autem posset sequi iudicium rationis circa fortia, & temperata: posset etiam sequi circa iusta. At non sequitur rationem, sed sensum, qui non attingit id quod est secundùm rationem, vt tale: siquidem non cognoscit rationem: vnde nec ea formaliter cognoscit quæ secundùm rationem congruunt. Quare nec ea proponit appetitui sensuali vt talia.

40. Satisfit obiectioni. In eo quod dixi, Iustitiam versari aliquando circa passiones, consentit Lessius lib. 2. cap. 1. dub. 2. conclus. 2. Contradicunt verò nonnulli cum Valentia quæst. 2. de Iustitia p. 3. assert. 4. qui frustra objicit alias virtutes, nempe fortitudinem, & temperantiam, perficere hominem attingendo medium in passionibus; adeóque sufficere ad illas moderandas. Etenim illæ moderantur quidem passiones in ordine ad fortia, & temperata: sed non in ordine ad iusta, & iniusta. Interdum autem passiones non sunt malæ aliter, quàm quia iniustæ: vt cùm quis expetit ducere aliquam in vxorem, quam conuenienter duceret nisi esset vxor alterius: aut cùm quispiam appetit edere cibum alienum, alioqui moderatum, & conuenientem valetudini, ac fini temperantiæ.

41. Quæritur tertiò, an obiectum Iustitiæ consistat in indiuisibili physicè, vel moraliter, sitque medium rei? Affirmant plerique ita esse; atque in eo differre ab obiectis aliarum virtutum moralium, fortitudinis, & temperantiæ, quòd hæc diuisibilia sint, & consistant in medio rationis in ordine ad operantem: quódque iustum obiectiuum sit tale, quomodocunque fiat ab agente: forte verò, & temperatum non sit tale, nisi fiat certo quodam affectu ab operante. Sed hæc neque satis distinctè dicuntur, neque verè.

Obiectū Iustitiæ non est semper in indiuisibili. Primò enim, certum est obiectum Iustitiæ non esse simplex & in seipso indiuisibile, vniuersim loquendo: quasi nihil compositum ex multis partibus deberi possit: vt debitum centum aureorum, vel operæ suæ, & famulatus per longum tempus, vel certi census soluendi singulis annis. Secundò, vnumquodque iustum obiectiuum siue debitum, integrè sumptum, consistit quidem aliquo modo in indiuisibili, inter excessum & defectum, quatenus id totum debetur, & nihil amplius. At similiter obiecta temperantiæ, & fortitudinis consistunt aliquo modo in indiuisibili inter excessum & defectum, quatenus tantum cibi v. g. sumendum est, & nihil amplius, aut minus, ad edendum temperatè: & tantum laboris est subeundum hîc & nunc ad fortiter agendum, seruando medium inter ignauiam, & temeritatem. Tertiò, sicut à parte rei aliquid verè debitum est, quod recta ratio cognoscit, & recta voluntas appetit: sic etiam est à parte rei aliquid forte, & temperatum obiectiuè, quod recta ratio debet attingere, & voluntas appetere, vt bene, & fortiter, aut temperatè agat. Neque enim virtus obiectum suum facit, sed supponit, & conuenienter in illud tendit, præuiâ notitiâ intellectus, quæ vt vera sit, & recta; debet esse conformis obiecto; ita vt obiectum sit in re, quale cognoscitur ab intellectu. Quare medium fortitudinis, & temperantiæ non minùs est medium rei, quàm medium Iustitiæ.

Quartò, sicut obiecta fortitudinis & temperantiæ non ita consistunt in indiuisibili, quin pro diuersa operantis conditione variari possint: neque enim omnibus tantundem cibi conuenit, neque omnibus eadem sunt audenda & aggrediendà. Ita iustum obiectiuum, seu debitum, variatur interdum pro diuersa conditione debentis. Nam qui factus est impotens ad totum soluendum, nec soluere potest nisi dimidium: non amplius debet reipsa, quàm dimidium: quia debitum non est ad impossibile. Præterea, iustum, seu debitum, vel est tale ex natura rei; vel ex hominum conuentione, & pacto priuato, vel publico statuto, iuxta doctrinam D. Thomæ quæst. 57 art. 2. Et hoc posterius magnam varietatem suscipit, quando contrahentes modò plus exigunt, modò minus, & quod reliquum est, contemnunt. Vnde etiam pretium rerum triplex distingui solet; supremum, medium, & infimum. Ac licet in quibusdam contractibus, vt mutui, commodati, depositi, materia sit minutissimè determinata, sitque summa æqualitas inter id quod datur, & accipitur, vel potiùs identitas, vt in commodato, & deposito; quod idem met reddendum est, tamen in permultis alijs iustum est coniecturale, & varium, secundum diuersam, & parum certam, miniméque claram æstimationem hominum. Prius quoque iustum, quod scilicet est tale ex ipsa natura rei, licet sit magis determinatum secundùm se: quia tamen non cadit sub affectum, & vsum humanum secundùm se simpliciter, sed secundùm cognitionem humanam, quæ crassior est, neque discernit in omnibus iustis illud in quo consistunt indiuisibiliter secundùm rem, quodque præcisè à parte rei medium est, ab excessu & defectu remotissimum: idcirco illud quoque, moraliter sumptum, latitudinem quandam habet, nec nisi ab hominibus in iustiosis anxiè quæritur; quemadmodum & forte, & temperatum. Nam similiter in materia temperantiæ, & fortitudinis, est medium quoddam purissimum ex ipsa rei natura: sed homines, quibus sufficit agere moraliter & humano modo, non adeo sollicitè & anxiè medium illud indiuisibile inquirunt, quod etiam attingere sæpe est impossibile: sed crassiùs atque palpabiliùs illud accipiunt, & paruum excessum, aut defectum pro nihilo reputant, secundùm moralem æstimationem, quæ minimis & paruis non variatur: quemadmodum & illa frequenter nihil conferunt comparatione effectus boni, vel mali: neque detracta, vel addita constituunt mutationem sensibilem respectu operis, vel affectus.

Quintò denique, id quod à parte rei debitum est, iustum est obiectiuè, id est, materia Iustitiæ in actu primo, ante omnem affectum voluntatis circa illud: iustúmque manet, quomodocunque fiat, & quocunque affectu. At hoc non est singulare Iustitiæ, sed similiter reperitur in materia aliarum virtutum: nam cibus & potus conueniens valetudini, & neque

Right margin notes: 42. Comparatur cum obiectis fortitudinis, & temperantiæ. — 43.

excedens neque deficiens, est verè temperatus, & obiectum temperantiæ in actu primo: licet non appetatur & sumatur ex affectu temperantiæ, sed alio quopiam: & in aggressione arduorum, ac susceptione laborum, est aliquid à parte rei quod sit materia fortitudinis, antequam ex ipsius affectu suscipiatur: neque desinit esse tale, licet fiat affectu alio. Etenim illud obiectum bonum est bonitate obiectiua, in quod si per se feratur appetitus amando aut prosequendo, erit rectus appetitus ex obiecto. Atqui illud obiectum est tale, quamvis ab operante non appetatur vt tale. Ergo est bonum bonitate obiectiua.

44. Aliud est velle iustum, & velle iustè.

Aliud autem est, velle aut facere iustum; &, velle aut facere iustè: velle aut facere temperatum aut forte; &, velle vel facere temperatè aut fortiter. Ad primum enim sufficit vt id quod fit vel appetitur, sit iustum, forte, temperatum. Ad secundum verò requiritur vt fiat, vel appetatur ex affectu iusti, fortis, aut temperati formaliter, id est, quia iustum, forte, aut temperatum est. Nam ad Iustitiam obiectiuam sufficit rem esse iustam seu debitam: ad formalem verò, quæ operantem iustum denominat, requiritur vt iustum ametur propter se: v.g. reddatur mutuum quia debitum est, non autem propter metum dumtaxat, aut propter aliquid aliud. Vt enim rectè docet Aristoteles 2. Ethic. cap. 4. ad bonitatem & rectitudinem actus ex obiecto, non sufficit vt obiectum sit tale, quale esse oportet: sed requiritur vt obiectum cognoscatur esse tale, vtque in illud conuenienter tendatur secundùm huiusmodi considerationem, ac quatenus tale est. Ex quo ampliùs confirmatur id quod diximus, obiecta virtutum non pendere ab ipsarum affectu bono: sed potiùs bonum ipsarum affectum pendere ab obiectis, quibus cognitio & affectus, vt recti sint, debent esse conformes. Et cognitio quidem, si conformis non est, sed iustum aut temperatum esse putat quod in re non est tale; est simpliciter falsa: affectus autem sequens illam cognitionem errantem inuincibiliter & bona fide, non est quidem iniustus aut intemperans formaliter, propter ignorantiam: sed potiùs iustus & temperatus, quia bene afficitur ad iustum & temperatum bona fide præsumptum. Attamen non est iustus & temperatus simpliciter, sed contrahit aliquid vitij, quamvis inculpabilis, ex errore quem sequitur.

45. Ex his liquet differentias initio allatas ex multorum sententia, inter obiectum Iustitiæ, & obiecta aliarum virtutum, non esse veras absolutè. Quæ autem in contrarium à Caietano, Soto, Salone, Aragonio, & Valentia obiiciuntur, ex dictis facilè solui possunt. Vnum tantùm notandum est, quod solum probant argumenta & exempla ab illis allata. Iustitiam scilicet magis attendere æqualitatem rerum inter se extra operantem, quàm temperantiam, & fortitudinem, quæ res attendunt vt proportionatas operanti secundùm rationem. Et obiectum Iustitiæ esse plerumque magis determinatum, minúsque variari propter diuersam conditionem operantis, quàm obiecta temperantiæ & fortitudinis. Nam mutuum, ex. gr. debet reddi ad æqualitatem, à quocunque redditur: & pretium iustum solui debet iuxta rei valorem, à quocunque soluatur, modò impotens non sit. Idémque pretium vini, vel tritici, aliarúmque rerum venalium, iustum est respectu nobilis & ignobilis, diuitis & pauperis. At cibus & potus temperatus in eadem specie variatur pro diuersa conditione personarum, quibus plus aut minus sufficit. Imò etiam eidem modò plus, modò minus, necessarium est. Idémque dico de laborum & arduorum aggressione; quæ nec omnibus, nec eidem semper conuenit æqualiter, sed magnam recipit varietatem pro conditione operantis, multò maiorem, quàm obiectum Iustitiæ: ideóque etiam maiori sæpissime opus est attentione, & consideratione, vt rectè discernatur tale medium; quàm ad discernendum medium Iustitiæ, quod in multis facillimè cognoscitur ex ipsa naturali rerum determinatione. Ideóque medium obiecti Iustitiæ dicitur esse medium rei: obiecti verò aliarum virtutum esse medium rationis, id est, diligenter & solicite, prudentérque inuestigandum & discernendum per rationem.

Occurritur argumentis cõtrarijs.

Obiectũ Iustitiæ est magis determinatum.

SECTIO VI.

De actibus Iustitiæ in communi.

46. Actus eliciti Iustitiæ.

Actus Iustitiæ generatim sunt duplices: eliciti scilicet, & imperati. Priores sunt, velle id quod est iustum seu debitum, vt tale: & nolle id quod est iniustum siue contra debitum: qui duo actus positiui sunt circa bonum & malum: sicut assensus & dissensus, vel affirmatio & negatio, sunt duo actus positiui intellectus circa verum & falsum: ad eos verò reuocantur alij duo negatiui, seu priuatiui; qui sunt, liberè non velle iniustum, & liberè non nolle iustum: qui duo actus boni sunt, & conformes rectæ rationi: quemadmodum oppositi actus, volendi iniustum, & nolendi iustum, mali sunt & rationi dissentanei. Posteriores actus Iustitiæ sunt tribuere iustum, & abstinere ab iniusto, seu nulli inferre iniuriam. Qui actus continentur etiam in obiecto Iustitiæ, quatenus sunt obiectum aliorum, à quibus imperantur. Item, priores sunt in affectu: posteriores in executione. Priores sunt immediati, & primarij, ac magis præcipui: posteriores sunt mediati, secundarij, ac minùs præcipui, si præcisè spectentur secundùm id quod prioribus addunt. Ex vtrisque verò simul sumptis, & moraliter iunctis, existit opus integrum & perfectum Iustitiæ. Priores denique sunt actus voluntatis: posteriores, sunt plerunque actus aliarum potentiarum quibus incumbit executio. Plerumque, inquam: nam & voluntas sibi quoque imperare potest, ac per seipsam exequi & efficere, si quid ab ipsa immediatè debitum est, vt certum est Deo saltem multa deberi.

Actus imperati eiusdem, & differentia inter vtrosque.

47. Velle & nolle sũt eius actus eliciti, & præcipui.

Esse primos, & proximos, atque elicitos Iustitiæ actus velle & nolle, patet quia Iustitia est habitus voluntatis, vt tradunt omnes cum D. Thoma quæst. 58. art. 4. & Aristotele 5.

Ethic. cap. 5. vbi affirmat, Iustitiam esse quâ iustus est electione actiuus iusti: electio autem est actus voluntatis. Vnde etiam Iustitia definitur, constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Quare debet primò & proximè inclinare ad iustos actus voluntatis, qui sunt illi suprà descripti, velle iustum, nolle iniustum, &c. Eosdem quoque esse magis præcipuos actus Iustitiæ probatur, quia illi soli sunt formaliter iusti intrinsecè; id est, moraliter, & imputabiliter boni bonitate Iustitiæ: reliqui verò tantùm denominatiuè, quatenus ab illis imperantur, & informantur, atque vnum moraliter cum illis constituunt.

48. Quinam sint actus imperati? Esse vero vltra hos actus elicitos virtutis Iustitiæ, alios actus imperatos, & expetitos à prædictis, constat, quia id quod debitum, aut indebitum est, non solùm est res aliqua; sed etiam actus nostri possunt esse debiti, aut indebiti: ideóque sub prædictas actiones voluntatis cadunt, & ex earum vi executioni traduntur, si debiti sunt; aut prohibentur, & vitantur, si indebiti sunt, id est, contra debitum. Quo pacto sunt effectus illarum: & ad Iustitiam pertinent, tanquam actus illius secundarij, & imperati circa res debitas vel indebitas, in quas tendunt conuenienter secundùm rectam rationem. Est autem differentia inter actus elicitos, seu primarios, & inter imperatos, siue secundarios (Quomodo differunt ab elicitis?): quia eliciti & primarij sunt plerunque actus Iustitiæ dumtaxat, & nullo modo obiecta, quia non terminant alium actum voluntatis. At imperati siue secundarij, sunt partim actus, & partim obiecta. Actus quidem, quatenus sunt vitales operationes circa aliquid aliud iustum, vel iniustum. Obiecta verò, quatenus terminant actum à quo imperantur. Et quatenus obiecta sunt, habent bonitatem aut malitiam obiectiuam, prout debita vel indebita: quatenus verò sunt actus, habent aliquam bonitatem aut malitiam formalem, prout sunt operationes rectæ rationi conformes, aut difformes, atque etiam liberæ, saltem per participationem, & denominationem ab actu imperante. Idémque dico de actibus qui non propriè imperantur, sed prohibentur, aut permittuntur, tolerantur, aut acceptantur à voluntate libera. Ex. gr. bonum, alienum est obiectiuè debitum. Restitutio verò boni alieni partim est debita, seu iusta obiectiuè, quatenus est obiectum actus voluntatis illam iustè præcipientis: partim ipsamet est iusta formaliter, quatenus est actus conueniens alieno, quod restituitur quia debitum est, vt recta ratio dictat.

49. Bonitas obiectiua, & formalis Iustitiæ differunt. Est autem differentia inter bonitatem obiectiuam, & formalem: quoniam formalis conuenit solùm actibus: at obiectiua conuenit etiam rebus quæ non sunt actus. Item, ad bonitatem obiectiuam Iustitiæ sufficit vt res vel operatio sit debita: sicut ad bonitatem obiectiuam temperantiæ sufficit quòd cibus & potus sit temperatus, & sumptio moderata: idémque est de alijs virtutibus. Ad formalem verò requiritur vt actus tendat circa debitum ex affectu iusti & debiti, volendo illud quia iustum & debitum est: aut circa indebitum, nolendo illud quia indebitum est, seu contrarium debito. Similitérque ad formalem bonitatem actuum temperantiæ, & fortitudinis, necessarium est vt tendant in temperatum & iustum quà tale, vel in eorum opposita vt talia: hæc auersando; & illa amando, & prosequendo. Ac diligenter notandum est, non omnibus quibus debetur, operatio aliqua iusta obiectiuè, deberi etiam iustam formaliter (Non semper virtus, que debetur.): quia quibus debentur actus exteriores, vt obsequia, & alia huiusmodi; non ideo debentur actus interiores voluntatis honesti & iusti: cùm non sint idem, & sine illis possint esse exteriores, etiam cum sua Iustitia materiali & obiectiua. Sic creditori satisfacio, si reddo integrè mutuum; quamvis non reddam quia debitum est, sed ex alio quodam affectu.

Prædicti autem omnes actus, tam eliciti, quàm imperati, tam qui consistunt in affectu, quàm qui consistunt in effectu, multiplices sunt. 50. Actus Iustitiæ quàm multiplices? Nam in affectu alij sunt volitiones aut nolitiones efficaces, alij inefficaces. Et alij sunt actus amoris, gaudij, & desiderij, circa iustum: alij odij, metus seu fugæ, & tristitiæ, circa iniustum: itémque iræ, timoris, & audaciæ conuenientis, circa iustum, & iniustum. Quot enim possunt esse recti affectus appetitus, tum irascibilis, tum concupiscibilis, circa obiectum Iustitiæ: tot sunt eiusdem actus: quippe quæ adæquatè perficit appetitum rationalem quoad omnes actus, & modos tendendi, quorum est capax, in ordine ad tale obiectum. Sicut quælibet alia virtus voluntatis eam perficit adæquatè in ordine ad suum obiectum; vt de Spe, & de Charitate diximus suis locis.

Rursus, alij sunt circa iustum & iniustum in communi: alij in particulari. 51. Et isti tam multiplices sunt specie diuersi, physicè; quàm sunt multa specie diuersa quæ debentur vt talia, appetuntúrque secundùm propriam cuiusque rationem. Moraliter autem non differunt specificè, nisi penes magnam & notabilem diuersitatem iurium. Vt si vnus versetur circa ius vitæ, aut bonorum corporis, alter circa ius honoris, aut famæ, alius circa ius bonorum fortunæ. Item, quidam sunt circa iusta & iniusta quæ existunt inter alios; & quidam circa iusta & iniusta quæ existunt inter ipsum & alterum: siue ius formale sit in ipso, & debitum in altero: siue è contrario, ius formale sit in altero, & debitum in ipso. Quia omnis actus conueniens circa iustum aut iniustum, quatenus tale, est actus Iustitiæ: quippe qui habet specialem illius bonitatem.

Actus quoque imperati, & qui consistunt in effectu quodam, multiplices sunt: tum pro diuersitate operationum quæ fiunt ex imperio actuum primariorum, quæ sunt valde diuersæ, & ad diuersas potentias pertinentes, vt paulò ante diximus, tum etiam pro diuersitate rerum quæ sunt obiecta, vel effectus, aut termini huiusmodi operationum, quæque per ipsas aliquo modo tribuuntur. Aliquando enim tribuitur honor, aliquando obsequium, aliquando mutuum, commodatum, depositum, pignus, merces, pretium, &c.

52. *Affectus Iustitiæ circa actus alienos.* Præterea, Non solùm actus voluntatis, quibus ipsi volumus iustè agere, vel amamus iustas actiones à nobis exercendas, odimusque iniustas, sunt veri & proprij actus Iustitiæ: verùm etiam actus illi, quibus volumus actiones iustas exercendas ab alijs: siue sint actus efficaces, quibus eos hortamur, aut impellimus consilio, vel præcepto, vel exemplo, alijsque modis, ad illas exercendas: siue sint tantùm otiosæ, & inefficaces complacentiæ circa illas: dummodo tamen habeant pro motiuo honestatem Iustitiæ propriam quæ est in illis actionibus inefficacibus, aut efficacibus; amando scilicet, aut procurando illas quia iustæ sunt. Idémque dico de actionibus quibus odimus, aut conamur impedire actiones iniustas aliorum, quia iniustæ sunt. Ratio est, quia omnes illi affectus pertinent ad eandem inclinationem voluntatis, & versantur circa idem motiuum formale, proprium Iustitiæ. Vnde fit vt qui amant in seipsis, & seruant Iustitiam: ament etiam & procurent ab alijs seruari: neque egeant noua facilitate & inclinatione voluntatis vt hoc secundum velint, cæteris paribus: sed quàm facilè amant & seruant Iustitiam in seipsis; tam facilè, imò faciliùs, amant seruari ab alijs.

Actus reflexi Iustitiæ. Idem etiam dico de actibus reflexis complacentiæ supra actus proprios, vel alienos, per quos directè amamus iusta, vel odimus iniusta. Vt si quis sibi complaceat in actu Iustitiæ quem alius exercet reddendo alteri debitum: & postea per actum reflexum amet illum amorem complacentiæ. Vel si quis oderit iniuriam contumeliosam ab alio illatam: & postea per actum reflexum amet illud odium iniustæ contumeliæ. Nam si eiusmodi actus reflexi cadunt in actus directos Iustitiæ, propter specialem honestatem Iustitiæ quam habent; pertinent ad eandem virtutem Iustitiæ, cuius decorem specialiter amant. Ad eandem enim virtutem pertinent actus directus & reflexus, habentes pro motiuo formali eandem honestatem: & vnus eorum virtualiter & æquiualenter includitur in alio, reflexus scilicet in directo. Nam omnis actus voluntatis est virtualiter in seipsum reflexus: & eo ipso quòd quis aliquid vult; vult virtualiter illud velle; quia vult spontaneè. Et qui amat aliquid, eo ipso vult, seu amat illud amare: aut si nonvult vel odit aliquid, vult id nolle aut odisse. Itaque hoc ipso quòd quis amat directè decorem Iustitiæ proprium, amat reflexè virtualiter illum eundem decorem. Estque hic amor reflexus, actus Iustitiæ; æquè ac directus: quia fertur conuenienter in iustum, quatenus iustum. Imò formalis honestas Iustitiæ in eo consistit, quòd sponte & liberè amemus iustum quia iustum est: ac proinde quòd virtualiter velimus illud velle. Si autem amor virtualiter reflexus circa actum Iustitiæ est proprius illius actus: par est ratio vt actus formaliter reflexus ad virtutem Iustitiæ pertineat: quippe qui habet expresè eandem honestatem, quam alter continet virtualiter, pertinétque ad eandem voluntatis inclinationem.

Actus directus, & reflexus pertinent ad eandem virtutem.

53. Dixi autem, dummodo actus illi reflexi habeant pro motiuo honestatem Iustitiæ propriam quæ est in actibus directis: quia duobus modis intelligi possunt super eos reflecti. Primò, amando illos propter specialem honestatem Iustitiæ; siue quia sunt actus specialiter illius virtutis; ac proinde ex illius motiuo eliciti: & sic dicimus illos ad virtutem Iustitiæ pertinere, idque probant argumenta allata. Secundò, propter motiuum aliud: putà, quia sunt honesti simpliciter, siue conuenientes rectæ rationi, abstrahendo ab hac aut illa specie honestatis: & sic pertinent ad virtutem quandam generalem honestatis. Vel quia Deo placent: & sic pertinent ad virtutem charitatis. Vel quia prosunt ad salutem nostram: & sic pertinent ad spem. Vel denique ex speciali motiuo alicuius alterius virtutis, distinctæ à Iustitia: & tunc pertinent ad virtutem cuius est illud motiuum. *Modò habeant idem motiuū.*

54. Dices obiectum adæquatum Iustitiæ esse debitum ex iure, vel indebitum illi oppositum. Sed actus illi reflexi, quos suprà in exemplum attulimus, non versantur circa debitum ex iure, vel circa indebitum oppositum. Ergo non versantur circa obiectum Iustitiæ: ac proinde non sunt illius actus. Probatur minor: Nam versantur circa complacentiam; quam habeo de actu Iustitiæ alterius, vel circa displicentiam de iniuria ab altero illata. Actus autem illi complacentiæ vel odij, non sunt debiti ex iure: quia non obligor ex iure alterius ad hos actus complacentiæ vel odij exercendos.

Huic argumento iam alibi proposito, breuiterque soluto, nunc pleniùs respondeo, quando dicitur obiectum adæquatum Iustitiæ esse debitum ex iure, vel indebitum illi oppositum; id intelligendum esse de vltimo obiecto, in quo virtus Iustitiæ quiescit, & circa quod, vt tale, conuenienter afficitur; siue per actus efficaces, siue per inefficaces; directos, aut reflexos. Qui autem vult & amat actum Iustitiæ, quia est actus Iustitiæ, putà redditionem debiti, aut reparationem iniuriæ: hoc ipso afficitur conuenienter circa debitum; vel indebitum, nam amare amorem iusti, seu debiti, quà talem; est amare debitum: & amare odium iniusti, siue indebiti, quia est odium indebiti, est odisse indebitum. Similiter amare amorem Dei specialiter, quia est amor Dei, est amare Deum, pertinétque hic actus ad charitatem. Et amare amorem proprij boni supernaturalis, quia est amor proprij boni, est amare proprium bonum, pertinétque ad virtutem spei. Et amare amorem temperati, quia est amor temperati, est amare temperatum quà tale, pertinétque ad temperantiam: Et sic de alijs virtutibus, quarum omnium actus reflexi habent idem obiectum formale, & eandem honestatem virtutis, quam directi. Plura ad huius veritatis confirmationem videri possunt apud Ripald. lib. 3. de ente supern. disp. 64. Sect. 2. vbi Scripturæ, & Patrum testimonijs eam illustrat. Præcipuè Fulgentij Epist. 5. prope finem, vbi explicans illud Rom. 12. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, sic ait: *Iubens fraternitatem diligi, ipsam quoque charitatem fraternitatis per Apostolum Paulum præcepit diligendam:* Nam qui in fratrem afficitur, in fratris quoque amorem, quia amor fratris est, incunctanter afficitur. *Quomodo actus reflexi Iust. versantur circa debitum?*

Similia habet August. concione 8. in Psal. 118. ad illa verba, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore*: vbi sic ait. *Quo pacto possum iustificationum desiderium concupiscere, & ipsas iustificationes non concupiscere? Cum ideo earum desiderium concupiscam; quia ipsas habere concupisco.* Et paulò post: *Non enim possum concupiscere desiderium Iustitiæ, nisi concupiscendo Iustitiam, &c. Quocirca quoniam rectè concupiscuntur iustificationes Dei, rectè concupiscitur concupiscentia iustificationum Dei.* Hæc Augustinus.

55. Iustus quis dicatur? Quæres, an singuli actus Iustitiæ denominent, aut constituant iustum? Respondeo denominare, & constituere secundùm quid, nempe pro suo modulo. Sunt enim forma afficiens, & constituens subiectum in aliquo esse formali: & cùm sint Iustitia quædam actualis constituunt iustum actualiter eatenus: sicut albedo constituit album: & visio videntem. Ad simplicem verò denominationem iusti non sufficiunt vnus aut pauci actus; sed requiritur continuum & constans exercitium Iustitiæ in omnibus, aut fere omnibus; paruus enim defectus pro nihilo reputatur: & à maiori, aut saltem maxima parte, sumi solet denominatio. Similitérque ad denominationem prudentis, fortis, temperati, requiritur constans & continuum exercitiuum huiusmodi virtutum, cum nullo aut exiguo defectu: vt suis locis notauimus. De illa verò perfecta Iustitia, denominante hominem simpliciter iustum, intelligenda est vulgaris ista definitio Iustitiæ. Est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi: vt mox dicemus.

SECTIO VII.

De habitu Iustitiæ, eiusque subiecto.

56. Habitus Iustitiæ multiplex est. CONstat ex dictis de habitu prudentiæ, cum proportione hîc applicandis, per actus Iustitiæ iteratos acquiri habitum naturalem, non simplicem & vnius speciei, sed vnum dumtaxat aggregatione, & multiplicem specie iuxta diuersitatem specificam actuum à quibus producitur, & quibus adæquatè respondet. Præterque habitum illum naturalem, probabile esse dari alium supernaturalem, in ordine ad actus supernaturales, & ad obiecta supernaturalia, vel etiam ad naturalia spectata in ordine ad statum supernaturalem. Qui habitus non producitur per actus, sed à Deo infunditur in iustificatione: neque est tam multiplex, atque naturalis; sed vnus simplex valere potest ad omnia iusta, & iniusta ordinis supernaturalis: quia habitus supernaturales sunt instar potentiæ cuiusdam, quæ vna eadémque valet ad plura obiecta, & ad plures actus specie differentes. Superest quærere primò, an Iustitia sit virtus, & qualis? Secundò, an sit in voluntate vt in subiecto? in eóque differat ab alijs virtutibus moralibus, quòd prudentia sit in intellectu, temperantia in appetitu concupiscibili, & fortitudo in irascibili: Iustitia verò sit in voluntate: vt plerique opinantur.

Circa primum, liquet ex suprà dictis, Iustitiam esse virtutem, per quam voluntas conuenienter versatur circa debitum, & indebitum rigorosum, vt tale est: indéque haber, rationem virtutis specialis, & distinctæ ab alijs virtutibus voluntatis, quæ non tendunt in tale obiectum per se. Hæc, inquam, assertio satis liquet ex dictis de obiecto Iustitiæ: in eundémque sensum interpretanda est vulgata definitio, sumpta ex lib. 1. Institut. iuris ciuilis, & approbata à D. Thoma, quæst. 58. art. 1. Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Voluntas, inquam, habitualis, siue habitus voluntatis, eam perficiens ad constanter, & semper, & omnibus tribuendum quidquid iustum ac debitum est. Notandum tamen hanc definitionem non conuenire exactè cuicunque habitui partiali Iustitiæ, nec in quocunque gradu, sed Iustitiæ totali, atque perfectæ, tum extensiuè, tum intensiuè. Illa enim propriè est constans, seu firma, & perpetua, ac generalis voluntas ius suum cuique tribuendi. Conuenit tamen partialiter habitibus partialibus, quatenus illi sunt partialiter talis voluntas, seu pars aliqua illius. Notandum præterea, vt definitio sit adæquata, per actum cuique tribuendi ius suum, intelligendum esse non modò actum efficacem, & reipsa tribuentem: sed quemvis affectum rectum, & conuenientem operationem, circa cuiusque suum vt debitum, & circa contrarium indebitum, quod dum vitatur, aut non infertur, tribuitur cuique ius suum aliquo modo: quia cuiusque ius suum est vt non patiatur iniustum aliquod positiuum, quemadmodum vt non priuetur iusto aliquo seu debito positiuo. Atque ita in prædicta definitione comprehenduntur, licet obscuriùs, omnes actus Iustitiæ, qui distinctiùs exprimuntur in definitione à nobis primò tradita, & in loco citato Institut. §. *Iuris*, vbi tria iuris officia seu præcepta numerantur: *Honestè viuere*, (conuenienter scilicet operando in ordine ad iustum & iniustum, per actus quoscunque, tam internos, quàm externos) *alterum non lædere, &, ius suum cuique tribuere.* 57. Iustitiæ definitio explicatur.

Quæres, vtrum ad rationem virtutis Iustitiæ requiratur non solùm vt eius actus sit bonus ex obiecto, sed etiam vt adsint omnes circunstantiæ congruæ? Affirmat Salon ad art. 1. quæst. 57. quæsito secundo post primam expositionem articuli, assertione prima, & Quidam alij, quorum ratio præcipua est, quia virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè viuitur, & quâ nemo malè vtitur. Ad hoc autem requiritur vt sit bonitas integra ex obiecto, & ex circunstantijs: ergo, &c. 58.

Sed aduertendum est bonitatem aut malitiam actuum esse triplicem, vt fusiùs explicauimus in tract. de Actibus humanis. Vnam ex obiecto, aliam ex fine extrinseco, & aliam ex alijs circunstantijs. Bonitas ex obiecto consistit non in eo quòd obiectum sit bonum; nam circa obiectum bonum potest esse actus malus, vt nolitio iusti, odium virtutis; & ex opposito circa obiectum malum potest esse actus bonus, vt odium vitij, nolitio iniusti: sed in eo Bonitas & malitia actuũ hum. triplex.

consistit quòd actus aptè & conuenienter secundùm rectam rationem tendat in obiectum; quæ decentia, & conuenientia actus cum obiecto, est bonitas eius moralis ex obiecto, siue ex ordine ad obiectum. Bonitas verò ex fine, vel ex alijs circunstantijs, consistit in conuenientia actus cum fine, & alijs circunstantijs: nimirum quia refertur ad finem conuenientem: vel fit loco, & tempore, aut alio modo conuenienti, & congruo. Sic redditio mutui quia debitum est, bona est ex obiecto eatenus; & bona ex fine, si ad Deo placendum referatur: & bona ex alijs circunstantijs, si fiat loco, & tempore conuenienti, cum hilaritate, & gratiarum actione. Hæ triplices bonitates non vnam simplicem constituunt, sed vnam aggregationem, compositam ex pluribus, quarum vna sine alia esse potest: neque enim si deest vna, deest necessariò alia. Bonitas autem specialis Iustitiæ est bonitas ex obiecto, in eo consistens, quòd actus tendat conuenienter circa debitum, vel indebitum, vt tale: non autem bonitas ex fine placendi Deo, quæ pertinet ad charitatem; vel ex alijs finibus & circunstantijs, quæ sunt extra rationem obiecti debiti, vel indebiti. Quare ad propriam rationem virtutis Iustitiæ, & specialem ipsius bonitatem, sufficit quòd actus conuenienter tendat in debitum, vel indebitum. Licet desit conuenientia cum fine extrinseco, vel cum alijs circunstantijs. Potest verò actus ex obiecto bonus, inquinari per malam intentionem sibi adiunctam, aut per aliquam circunstantiam indecentem, manente bonitate secundum ordinem ad obiectum. Potest & idem actus habere duplex obiectum, & esse partim ex vno bonus, partim ex altero malus: ex vno iustus, & ex alio iniuriosus. Exempla sunt, si quis mutuum reddat quidem quia debitum est, sed simul per aliam intentionem id referat ad malum finem: si reddat sine conuenienti hilaritate & gratiarum actione, aut loco, & tempore disconuenienti, aut modo aliquo iniurioso, & cum adiuncto indebito, v. g. cum leui aliqua contumelia, volens quidem reddere quia debitum est, sed simul volens scienter & liberè redditionem eandem cum tali adiuncto; siue diuersis actibus, siue etiam eodem qui pro obiecto habeat tum redditionem debiti, tum etiam turpe illud adiunctum.

Bonitas Iustitiæ qualis sit, & quid requirat?

59. *Quomodo virtute non malè vtimur?*

Ad argumentum Salonis respondeo virtutem esse bonam mentis qualitatem, quâ rectè viuitur, & quâ nemo malè vtitur, si sequatur eius inclinationem, & quatenus eam sequitur. At hoc non impedit quin per accidens, & contra propriam virtutis inclinationem, possimus illâ abvti, eiusque actum prauo quodam adiuncto inquinare. Duplex autem est actus virtutis. Vnus est vndequaque perfectus, qui nulla turpitudine inquinatur, & nullum habet defectum. Alius est perfectus & bonus in aliquo ordine, & secundùm quid, licet ex adiuncto inquinatur. Et talem dicimus esse actum Iustitiæ quatenus tendit conuenienter in obiectum, quamvis desint aliæ circunstantiæ congruæ. Idque ad Iustitiam sufficit. Bonitas enim absoluta non est de ratione cuiusque virtutis specialis; sed tantùm propria bonitas illius speciei, quam virtus intendit ex proprio, & formali motiuo.

60. *Iustitia est in voluntate.*

Circa secundum, dico secundò: Iustitiam esse in voluntate, vt in subiecto proximo: sed hoc quoque conuenire fortitudini, & temperantiæ; quæ, vt virtutes propriè sunt, non sunt in appetitu inferiori & sensitiuo; sed in superiori & rationali, qui voluntas appellatur. Prima pars huius conclusionis est D. Thomæ, quæst. 58. art. 4. & communis Theologorum. Ratio eius est quia Iustitia habitualis est in ea potentia, cuius actus primò & proximè perficit, atque dirigit. Atqui Iustitia habitualis proximè perficit & dirigit actus voluntatis; non enim ordinatur proximè ad dirigendam cognitionem; quia non ideo dicimur iusti quòd rectè iusta cognoscamus; sed ex eo quòd iusta volumus, & facimus ex electione. Neque etiam proximè perficit atque dirigit actus appetitus sensitiui; quia obiectum formale Iustitiæ, quod est debitum & indebitum rigorosum, non cognoscitur per sensum, sed per intellectum & rationem. Ergo habitus proximè inclinans & dirigens ad illud volendum, & eligendum vt tale, non est in appetitu sensitiuo, qui sequitur sensum: sed in voluntate, quæ sequitur intellectum & rationem. Quod enim non cadit sub sensum, non cadit sub appetitum sensitiuum, qui non fertur in aliquid nisi cognitum & propositum per sensum.

61. *Iustitia & fortitudo sunt etiã in voluntate.*

Secunda pars, quòd fortitudo, & temperantia sint pariter in voluntate, est D. Bonauenturæ in 3. dist. 33. quæst. 3. Scoti ibidem, quæst. vnica, Ochami in 3. quæst. 10. Gabriëlis dist. 23. quæst. 1. art. 3. dub. 5. Almaini in Moralibus, tract. 3. cap. 6. Angesti ibidem cap. 11. post primum textum, notabili primo, conclusione 4. & dub. 2. in fine, Molinæ tract. 1. de Iustitia disp. 8. Lessij in breui explicatione & diuisione virtutum, præmissâ libris de Iustitia: Vbi ait virtutem propriè tantùm esse ponendam in supremis animæ potentijs, intellectu & voluntate; & ad supremas eius operationes, quæ sunt intelligere, & velle, perficiendas. Quia, inquit, virtus est propria perfectio naturæ rationalis, quà rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis, & volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediatè ordinatur. Quæ perfectio consistit in attingendo vero, & bono honesto, id est, secundum rectam rationem expetibili, & naturæ rationali consentaneo, quod est bonum proprium naturæ rationalis. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re veritatem clarè & certò, quantùm fas est, assequitur: & voluntas, quando bono honesto firmiter adhæret: sic enim suum finem, & veluti formam, ad quam instituta est vtraque potentia, & vtriusque potentiæ operatio, consequitur. Ab harum verò perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, & appetitus inferioris, & potentiæ executiuæ. Et quamvis in imaginatrice, & appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiuntur ad suas functiones (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi, & voluntati, & ad hoc faciles promptique redduntur

Non autem in appetitu sensitiuo.

& determinantur) tamen probabilius est non esse virtutes, sed tantùm virtutum adumbrationes, quæ ita virtutes intellectus, & voluntatis imitentur eisque subseruiant: sicut vis imaginatrix, & appetitus inferior deseruiunt intellectui, & voluntari, eósque in suis functionibus imitantur. Ratio à priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere rationem veri, solido iudicio discernens illud à falso, & honestum à turpi: ita nec appetitus inferior, rationem honesti, amando præcisè quia honestum; & odiendo contrarium, quia turpe ac rationi dissonum. Non enim potest ferri extra proprium obiectum, quod est delectabile sensibus, vel commodum naturæ, præscindendo ab ordine ad rectam rationem. Hucusque Lessius: cuius ratio optima est, & fundata in doctrina D. Thomæ, quæst. 58. artic. 4. vbi concludit Iustitiam non esse in appetitu sensitiuo, quia sensus non percipit proportionem iusti cum recta ratione. Atqui neque etiam percipit proportionem ardui, & temperati, cum recta ratione. Ergo fortitudo, & temperantia non sunt in appetitu sensitiuo.

62. Confirmatur ex Aristot. Confirmatur ex Aristot. 2. Ethic. cap. 4. vbi ad virtutis actum requirit vt iusta, fortia, temperata, agantur ex electione ipsorum per se, nimirum quia talia sunt. Et cap. 6. definit virtutem moralem propriè & intrinsecè esse habitum secundùm rectam rationem electiuum; id est, per se determinatum, & inclinantem ad eligendum id, quod recta ratio præscribit. Ergo debet esse in potentia electiua, cuiusmodi est voluntas sola: quippe quæ sola, propositis varijs rationibus agendi, & non agendi, aut agendi hoc vel illud, potest eligere, & seipsam determinare ad id quod vult. Probo consequentiam: quia cùm habitus electiuus ille sit, qui inclinat ad eligendum; & inclinet non efficienter, sed formaliter: sicut non potest informare nisi potentiam in qua est; ita nec inclinare. Atqui potentia quæ non est electiua, non potest inclinari ad eligendum. Ergo habitus electiuus non potest esse nisi in potentia electiua. Ergo fortitudo, & temperantia, vel non sunt virtutes propriè & intrinsecè morales; vel sunt in potentia electiua, id est, in voluntate. Et quemadmodum voluntas non dicitur agere moraliter, nisi quando liberè agit: ita neque virtus dicitur propriè & intrinsecè moralis, nisi secundùm vsum libertatis: id est, quatenus valet ad exercendos actus liberos, rectæ rationi consentaneos.

63. Refellitur euasio. Neque satisfacit quod respondet Caietanus quæst. 58. art. 8. virtutes appetitus sensitiui esse principia electionis participatæ; adeóque definitionem Aristotelicam virtutis moralis satis illis conuenire. Etenim electio non participatur intrinsecè ab appetitu sensitiuo, quasi in ipso sit; sed tantùm extrinsecè, quatenus liberæ voluntati subijcitur, regitúrque ab ipsa. Ratio quoque obiectiua honestatis ab ipso non attingitur, sed à libera voluntate, cui subest. Quare ipsius habitus non est habitus cum ratione electiuus formaliter, & per se; adeóque virtutis definitio non conuenit illi formaliter. Adde, habitus illos appetitus sensitiui, secundùm se formaliter, non differre ab habitibus quos humano regimine bruta possunt acquirere circa obiecta eadem sensibilia: adeóque non magis sunt formaliter & intrinsecè virtutes, quàm illi.

SECTIO VIII.

Nota circa doctrinam præcedentem & solutio obiectionum.

64. Actus virtutis moralis debet esse liber. AD præcedentium declarationem nota primò, voluntatem posse dupliciter agere: liberè scilicet, & non liberè, seu per modum naturæ. Quomodocunque verò agat, si tendit ad honestum, quia honestum; vel contra turpe, quia turpe est; honestè agit & cum virtute. Quo pacto amor beatificus, quamvis non liber, sed necessarius, est honestus, & actus charitatis, prout tendit in Deum propter se. Sed voluntas non agit moraliter, id est, imputabiliter, & modo hominis proprio, quatenus suarum actionum Dominus est, nisi cùm agit liberè, ex electione & propria determinatione. Quare ne actus quidem voluntatis circa honestum, vel turpe, vt tale, est actus virtutis propriè moralis, nisi liberè fiat. Actus autem appetitus sensitiui, neque sunt circa honestum vel turpe, vt tale; sed circa bonum, vel malum sensibile; neque liberè fiunt per se immediatè; quia appetitus sensitiuus non est liber & electiuus. Quare actus appetitus sensitiui neque sunt actus virtutis simpliciter, defectu tendentiæ in honestum, aut turpe, per se: neque sunt actus virtutis propriè moralis, defectu libertatis. Actus appetitus sensit. non est propriè virtus. Illius tamen actus, quatenus tendunt conuenienter in fortia, & temperata materialiter, habent aliquam bonitatem, tum formalem, quatenus sunt actus conuenientes; tum obiectiuam, quatenus imperantur, vel approbantur à voluntate, cuius est regere potentias inferiores, & passiones appetitus moderari, aut fortiter illis resistere, ne propter illas ab honesto deflectat. Quando enim voluntas secundùm dictamen rationis tendit in fortia, & temperata, si non habet consentientem appetitum sensitiuum, conari debet illum corrigere, si potest; vel proponendo ei per sensum, in obiecto, ad quod fertur immoderatè, aliquid propter quod non ita feratur; sunt enim mala mixta bonis, & bona mixta malis: vel adhibendo varia remedia contra passiones, vt ieiunia, & carnis macerationes: vel obnitendo passionibus, & contra eas renitentes progrediendo ad opus. Potest enim voluntas, cum Dei ope, bene operari contra passiones, licet furentes: & acquirere habitus circa temperata, & fortia, qui cùm sint electiui temperatorum, & fortium, secundùm rectam rationem, sunt essentialiter temperantia, & fortitudo. Si autem voluntas habet consentientem appetitum sensitiuum, potest eo delectari, & vti: cúmque simul operantur appetitus, & voluntas, ille quidem circa temperatum, aut forte materialiter; hæc verò, circa temperatum, aut forte quà tale & ex electione; actus appetitus, vt moraliter vnum constituens cum actu volunta-

tis, participat extrinsecè rationem actus virtutis, & virtutis moralis, ab actu libero voluntatis. Sed propria ratio actus virtutis moralis est in solo actu voluntatis formaliter: quippe qui solus habet propriam perfectionem virtutis moralis, quia solus tendit in honestum, aut turpe, per se, quà tale est; solus etiam per se & proximè liber est, quatenus est exercitium proprium & immediatum principij liberi.

65. Nisi secũdarius, & imperatus. Nota secundò, præter actus virtutis moralis per se, & propriè dictos, qui non sunt alij, quàm actus voluntatis, vt iam ostendimus; quique primarij sunt, quatenus virtus ad illos primò & proximè tendit; alios esse secundarios, qui per se non participant virtutis perfectionem, sed per alios à quibus imperantur, vel aliter cum illis moraliter connectuntur, & quorum respectu sunt secundarij & imperati. Huiusmodi sunt actus appetitus sensitiui, & potentiæ executiuæ, circa aggressionem arduorum, aut sumptionem cibi & potus moderati: qui vt subsunt recto affectui libero voluntatis circa fortia, & temperata, vt talia, participant ab illo rationem actus honesti, & moraliter boni. Quemadmodum ex opposito contraherent quandam rationem actus turpis & moraliter mali, si fierent ex prauo affectu voluntatis circa inanem gloriam, aut alium finem malum.

Idem dicendum de habitu. Sicut autem actus illi appetitus sensitiui quatenus seruiunt aut subsunt actibus voluntatis, sunt actus secundarij, virtutis temperantiæ, & fortitudinis, atque cum illis constituunt vnam virtutem actualem, moraliter integram & perfectam: ita pariter habitus acquisiti in appetitu sensitiuo per tales actus, sunt secundarij habitus temperantiæ, & fortitudinis, quatenus seruiunt & subsunt habitibus voluntatis, & cum illis constituunt vnam virtutem habitualem, moraliter integram atque perfectam. Sed hoc Iustitiæ quoque, alijsque virtutibus, quæ possunt circa passiones versari in ordine ad suum obiectum formale, commune est; quòd nimirum actus & habitus appetitus sensitiui, quatenus illis seruiunt, & moraliter connectuntur cum illis, vnum cum illis similiter constituant.

66. Minùs differunt actus & habitus appetitus sensitiui, quàm voluntatis. Notandum tamen tertio loco est, non tantam esse varietatem actuum, & habituum in appetitu sensitiuo; atque est in rationali. Etenim actus appetitus sensitiui circa eadem temperata, vel fortia materialiter, sunt omnes eiusdem speciei, & eundem habitum generant. Cùm enim versentur solùm circa illud materiale secundùm se, & non attingant per se diuersas considerationes honestatis, quæ attinguntur secundùm se ab actibus voluntatis, Iustitiæ, Temperantiæ, aliarúmque virtutum: non habent illi actus vnde differant specie, sicut actus voluntatis, qui tendunt in obiectum formaliter diuersum: & consequenter non generant illi diuersum habitum; sed ijdem specie actus & habitus appetitus sensitiui modò seruiunt actibus & habitibus Iustitiæ, modò Temperantiæ, aut Fortitudinis, modò Charitatis, aut Spei, aliarúmque virtutum, quæ illis vtuntur in ordine ad suum obiectum; & per actus huiusmodi directos aut imperatos à diuersis virtutibus voluntatis, non producuntur tot diuersi habitus: sed habitus iam productus ab vna, fouetur vel intenditur ab alijs quæ operantur circa idem obiectum materiale, quod solum attingitur ab appetitu sensitiuo.

Nota quartò, non esse verum quod opinantur aliqui, Fortitudinem & Temperantiam versari tantùm circa passiones. Nam sunt primò & proximè ad actus rectos voluntatis, tam circa passiones moderandas, quàm circa ipsamet temperata, & fortia, quæ non raro prosequuntur contra impetum passionum. Raro enim, & vix vlli præter Christum & Beatam Virginem, contingit habere omnes passiones moderatas: cùm viri etiam Sanctissimi, optiméque exercitati, grauem cum illis luctam & resistentiam inuiti patiantur: vt Paulus de seipso non semel profitetur. Neque tantùm reluctantur passiones Temperantiæ, & Fortitudini; sed etiam Iustitiæ, Spei, & Charitati, alijsque virtutibus; à quibus proinde sunt regendæ, vel domandæ, quando, & quatenus rectos earum actus circa suum obiectum impedire conantur. Neque verum est quod aliqui opponunt, passiones satis domari à Fortitudine, & Temperantia. Etenim non reguntur aut domantur ab illis, nisi quatenus obsistunt honestati Fortitudinis, & Temperantiæ. Interdum autem non obsistunt illis, sed alijs virtutibus. Vt cùm quis appetit cibum alienum, alioqui moderatum, qui posset comedi temperatè, nisi Iustitia obstaret: aut ludum moderatum, à quo propter solam Charitatem, & periculum scandali abstinendum est. Quia tamen Temperantiæ, & Fortitudini frequentiùs res est cum passionibus circa obiecta sensibilia; hinc est quòd illæ virtutes specialiter dici possunt regere passiones, & residere secundariò in appetitu sensitiuo, ad illas moderandas. 67. Fortitudo & temperantia non versantur solùm circa passiones. Aliæ quoque virtutes circa illas versãtur.

Objicies primò ex D. Thoma, quæst. 58. art. 4. virtutes esse in ea potentia, ad cuius actus rectificandos ordinantur. Atqui Temperantia ordinatur ad rectificandos actus appetitus concupiscibilis; & Fortitudo, ad actus irascibilis, Spem, Audaciam, Iram, & similes: ergo, &c. Respondeo virtutes non esse in omni illa potentia, ad cuius actus rectificandos ordinantur. Nam potentia superior potest per suum habitum valere ad regendos actus potentiæ inferioris: Sicut voluntas regit manum, vt non iniustè percutiat; & linguam, ne conuitietur: Sed tantùm verum est quòd virtus non sit, tanquam in subiecto, in ea potentia, ad cuius actum regendum & perficiendum non valet: sed debeat esse in aliqua potentia, ad cuius actum perficiendum spectat; & quidem in ea, cuius actum proximè perficit. Nam virtus in ea potentia est, per cuius actus generatur. Atque ita Fortitudo, & Temperantia, sunt in voluntate, per cuius actus proximè generantur, & ad quos regendos immediatè valent, ac per illos moderantur passiones, vel contra eas renitentes tendunt conuenienter in obiecta Fortia, & Temperata. Fateor tamen D. Thomam quæst. 58. art. 9. & 12. in corp docere Fortitudinem esse in appetitu irascibili, & Temperantiam in concupiscibili; sed in re Philosophica ratio ex eodem D. Thoma desumpta art. 4. 68. In qua potentia sint virtutes?

quæſt. cit. cogit nos ab ipſo diſſentire.

69. Conti-nentia paſſionũ quomodo differt à fortitud. & temper. Objicies ſecundò, habitum qui eſt in voluntate circa fortia, & temperata renitente appetitu ſenſitiuo, non eſſe fortitudinem, neque temperantiam; ſed eſſe alium habitum, putà continentiam paſſionum. Quoniam ille, qui ſentit in appetitu inferiori paſſiones immoderatas circa cibum, potum, voluptates, moleſtias, pericula, & ardua, aliaque his ſimilia, non eſt temperans, neque fortis; ſed tantùm eſt continens ſuarum paſſionum, ſi eis reſiſtit. Reſpondeo illum habitum eſſe verè & propriè virtutem fortitudinis, & temperantiæ: quià eſt habitus cum ratione electiuus circa fortia, & temperata, per ſe; iuxta Ariſtotelicam virtutis moralis definitionem. Hominem verò illo vtentem renitente appetitu ſenſitiuo, eſſe fortem & temperatum ſecundùm voluntatem: ſed non ſecundùm appetitum ſenſitiuum, voluntati repugnantem: neque in eo perfectionis gradu, quo temperans & fortis abſolutè dici mereatur, & ſtatum illarum virtutum aſſecutus: iuxta ea quæ diximus diſp. 24. Sect. vlt.

70. Voluntas eget habitu circa tempera-ta, & fortia. Objicies tertiò, voluntatem eſſe per ſe ſatis inclinatam ad bonum proprium, & non egere habitu circa illud. Ergo temperantia, & fortitudo, quæ perficiunt hominem in ordine ad bonum proprium, non ſunt in voluntate, ſed in appetitu ſenſitiuo. Reſpondeo negando voluntatem eſſe per ſe ſatis inclinatam ad bonum proprium ſecundùm rectam rationem appetendum, fugiendúmque oppoſitum. Quia & libera eſt, & naturali inclinatione, propter ſympathiam, aut identitatem, conſentit facilè appetitui ſenſitiuo tendenti immoderatè in cibum, potum, ludum, & voluptates; aut abhorrenti ardua, & moleſta pro honeſto ſubeunda. Quare voluntas patitur difficultatem circa bona & mala propria ſenſibilia: vltra quæ ſunt alia inſenſibilia, in quibus etiam rectè appetendis difficultatem experitur, & ad quæ temperantia & fortitudo non ſe extendunt; ſi ſunt tantùm in appetitu ſenſitiuo, vt volunt aduerſarij. Deinde, quamvis voluntas eſſet per ſe plurimùm inclinata ad bonum proprium ſenſibile, non ſequeretur habitum non fore contrahendum. Nam appetitus ſenſitiuus, quamvis maximè procliuis ad oblectamenta ſenſuum, & licet in ea impotenter feratur; tamen vſu & conſuetudine agendi fit adhuc pronior per acquiſitionem habitus, & redditur longè difficilior ad continendũ, & corrigendum.

DISPVTATIO QVINTA.

De varijs ſpeciebus Iuſtitiæ.



DE diuiſione Iuſtitiæ in legalem, ſeu generalem, & particularem, agit S. Doctor q. 58. art. 5. & tribus ſequentibus, quarum ſummam retulimus initio præcedentis diſputationis. De diuiſione autem in commutatiuam, & diſtributiuam tractat q. 61. Et art. 1. docet duas eſſe Iuſtitiæ particularis ſpecies; commutatiuam, & diſtributiuam. Quia Iuſtitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam perſonam, quæ comparatur ad communitatem ſicut pars ad totum. Poteſt autem ad aliquam partem duplex ordo attendi. Vnus quidem, partis ad partem: cui ſimilis eſt ordo vnius perſonæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit Iuſtitia commutatiua, quæ conſiſtit in his, quæ mutuò fiunt inter duas

perſonas. Alius ordo attenditur totius ad partem. Et huic ordini aſſimilatur ordo eius, quod eſt commune, ad ſingulas perſonas: quem ordinem dirigit Iuſtitia diſtributiua, quæ eſt diſtributiua communium ſecundùm proportionalitatem. Art. 2. affirmat medium in Iuſtitia diſtributiua ſumi ſecundùm proportionem geometricam, tantò plus dando alicui de bonis communibus, quantò illa perſona maiorem habet principalitatem in communitate. In Iuſtitia verò commutatiua ſumi ſecundùm proportionem arithmeticam, quæ conſiſtit in æqualitate rei ad rem. Art. 3. dicit materiam vtriuſque Iuſtitiæ eandem eſſe, ſi per materiam intelligamus id, circa quod verſantur earum operationes. Nam eædem res poſſunt diſtribui à communi in ſingulos, & commutari de vno in alium. Si autem per materiam intelligamus ipſas actiones principales vtriuſque Iuſtitiæ, diuerſam eſſe illarum materiam. Nam diſtributiua Iuſtitia eſt directiua diſtributionum. Commutatiua verò eſt directiua commutationum: quarum aliquæ ſunt voluntariæ: aliæ inuoluntariæ, quando quis vtitur re alterius, vel perſonâ, vel opere, ipſo inuito. Art. 4. aſſerit iuſtum in Iuſtitia commutatiua idem eſſe quod Contrapaſſum: quia per eam fit æqualis recompenſatio paſſionis ad actionem præcedentem. Secus autem in diſtributiua: quia in illa non attenditur æqualitas ſecundùm proportionem rei ad rem, vel paſſionis ad actionem. Hæc D. Thomas, quæ ſequentibus Sectionibus exponenda ſunt.

****

SECTIO I.

De diuiſione Iuſtitiæ in legalem, ſeu generalem; & particularem.

1. Ius duplex eſt: altum, & baſſum: ſeu legale, commune, generale; & partic.



HÆc diuiſio traditur à D.Thoma quæſt. 58. art. 5. & ſequentibus, quæ vt intelligatur, nota ius formale, cui ex aduerſo reſpondet debitum & indebitum rigoroſum, diuidi in ius altum, & ius baſſum, vt loquuntur Iuriſtæ: vel, vt Theologi, in ius commune, generale, ſeu legale; & in ius particulare. Ius altum, ſiue commune, & legale, eſt ius communitatis vt talis, reſpectu particularium ſibi inferiorum, in ordine ad bonum commune. Quod ius dicitur *altum*, quia ſupereminet iuribus particularibus, atque illis prædominatur & derogat. Habet enim communitas, vel is in quem communitas ius ſuum tranſtulit, ius & dominium quoddam altum, id eſt, ſuperioris ordinis, in bona omnium ciuium, & in particularia eorum iura atque dominia. Quod licet non excludat priuatum ius & dominium particularium circa eadem bona: valet tamen, eo non obſtante, ad vtendum bonis illis, prout neceſſe fuerit ad communem Reipublicæ vtilitatem. Imò etiam valet ad perſonas ipſas, earúmque actiones, atque ad vitam particularium periculo exponendam, quando neceſſitas boni communis id poſtulauerit. Dicitur etiam ius idem *commune*, ſeu *generale*, ratione obiecti; quia reſpicit bonum commune: Et *vt legale*, tum quia eſt ad bonum commune, ſicut lex: tum etiam quia legibus ſanciri ſolet. Dici etiam poteſt *ius commune & generale*, ratione ſubiecti: quia eſt ius communitatis, & totius cuiuſdam politici.

Dixi autem, eſſe ius communitatis vt talis, reſpectu particularium: quia ſi ſpectetur communitas in ordine ad aliam communitatem, vel perſonam non ſibi ſubiectam, vel in ordine ad ea, quorum habet proprium & ſpeciale dominium, aut ius, quaſi vicem gerens vnius perſonæ ſine ſuperioritate: vt ſic non habet ius illud altum & ſuperius; quod non eſt tale niſi per ordinem ad inferiores, & particulares ipſi ſubiectos; quorum ius dicitur baſſum & inferius, quatenus ſubeſt illi iuri ſuperiori. Dicitur etiam particulare, ratione ſubiecti; quatenus ineſt particularibus, aut quaſi particularibus. 2. Ius altũ cuius ſit, & circa quos?

Hoc ſuppoſito, Iuſtitia generalis dicitur ea, quæ verſatur circa debitum communitati vt tali, à particularibus in ea contentis, ratione iuris illius alti & ſupereminentis, quod eſt in communitate reſpectu particularium. Quæ Iuſtitia idcirco vocatur generalis, quia comprehendit omnia virtutum officia, quatenus debita propter bonum commune: earúmque omnium actus imperat, & ordinat ad proprium finem, per modum principij communis, vt ait S.Thomas art. 6. quæſt. 58. Vocatur etiam legalis, quia per eam homo concordat legibus, quæ propter bonum commune præſcribunt opera omnium virtutum, in omni Republica optimè conſtituta, vt idem S. Doctor ait art. 5. Siue quia reſpicit bonum commune, ſicut & lex: habétque pro obiecto, id quod debetur communitati ratione legum. 3. Iuſtitia generalis quid ſit?

Iuſtitia verò particularis dicitur illa, quæ 4.

Iustitia particularis. respicit bonum proprium & particulare alicuius, aut aliquorum, siue ad tribuendum simpliciter cuique suum, vt fit per Iustitiam quæ dicitur commutatiua: siue etiam ad distribuendum aliquid in plures, vt fit per eam quæ vocatur distributiua. Quam postremam Iustitiæ diuisionem tradit & explicat S. Thomas quæst. 61. de eademque plura dicemus Sectione sequenti. Circa priorem verò difficultas est vtrum hæc diuisio sit in veras & proprias species Iustitiæ? ita vt Iustitia generalis sit virtus specialis, & vera species Iustitiæ propriè sumptæ?

5. Iustitia generalis est specialis virtus. Respondeo affirmatiuè. Ac primò, quòd sit virtus specialis, ab alijs virtutibus distincta, probatur quia habet obiectum proprium, circa quod aliæ virtutes non versantur: nempe debitum communitati, vt tale; vel indebitum oppositum. Et licet comprehendat omnia virtutum officia, omnésque actus aliarum virtutum prout debentur communitati, vel prout debentur ex lege propter bonum commune: Aliter tamen tendit, atque aliæ virtutes, quæ non respiciunt per se debitum communitati, quà tale; sed aliam boni considerationem; temperatum, forte, & similia: ideóque obiectum formale est diuersum. Neque repugnat Iustitiam eandem quæ dicitur generalis ex parte obiecti, vel per modum principij & causæ generalis, quatenus valet ad imperandos actus omnium virtutum: esse nihilominus specialem formaliter & intrinsecè, quatenus ipsa habet propriam speciem & formalem rationem, secundùm quam tendit ad illud obiectum generale, valétque ad imperandos actus virtutum aliarum sub speciali aliqua ratione obiectiua, quæ est ratio debiti communitati propter bonum commune.

In eo quod diximus Iustitiam generalem esse virtutem specialem, consentiunt multi Doctores, speciatimque Valentia quæst. 2. p. 2. controuersia 1. Salon, Aragonius, & alij ad art. 6. quæst. 58. Eadémque est sententia D. Thomæ artic. citato, vbi docet Iustitiam legalem dici virtutem generalem causaliter, id est, per modum principij generalis: inquantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem: sicut charitas potest dici virtus generalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum. Sed nihilominus, sicut charitas, quæ respicit bonum diuinum vt proprium obiectum, est virtus specialis secundùm suam essentiam: sic & Iustitia legalis, quæ respicit bonum commune vt proprium obiectum.

Confirmatur ex D. Thoma.

6. Est species Iustitiæ propriè dictæ. Secundo, quòd sit vera species Iustitiæ propriè dictæ probatur, quia versatur formaliter circa debitum rigorosum verè ac propriè dictum, quà tale. Nam in communitate, & in eo qui communitatis potestatem habet, est verum ius Iustitiæ in illius partes, siue subditos, ad exigenda ea, quæ necessaria sunt, aut conducentia ad commune bonum. Et in subditis est obligatio, & debitum præstandi id, quod exigitur, pro ipsorum modo & facultate. Sic enim ab initio mutuo consensu conuentum est, quando hominum voluntate constitutæ fuerunt communitates politicæ; & principes, qui illis præessent, instituti. Etenim Principes ab initio facti sunt per electionem (exceptis paucis ab ipso Deo constitutis) cum mutua vtrinque obligatione, ex consensu vtriusque partis: secundùm quem multa debentur communitati, vel Principi à particularibus: multa quoque debentur ipsis à Principe, & à communitate. Ac licet fortè non sint æqualia quæ debentur; iam probauimus alibi obiectum formale Iustitiæ non consistere in æqualitate, sed in ratione debiti rigorosi, quale istud est. Est etiam hîc distinctio sufficiens, quamvis non sit habitudo vnius ad alterum, tanquam ad extrinsecum & planè diuisum. Neque enim omnimoda alteritas in Iustitia requiritur; alioqui si quæcunque connexio Iustitiam excluderet, non esset Iustitia inter eos qui contrahunt societate ad lucrandum, aut tuendum se; quod est falsum: Nam quisque illorum ex conuentione aliquid debet in hunc finem. Neque Iustitia distributiua esset verè Iustitia, quod est etiam falsum, & contra communem Theologorum, & Philosophorum sententiam: nam bona communia quæ sunt distribuenda, debent ex vera Iustitia secundùm proportionem membris communitatis distribui à communi potestate, secundùm ius cuiusque ad illa: & quibus minus distribuitur, fit iniuria, debetúrque aliqua satisfactio. Confirmatur, quia licet particulares sint membra communitatis; sunt tamen verè distincta, & membra tantùm moraliter & ex arbitrio, quæ possunt à reliquo corpore separari, non tantùm de facto, sed etiam de iure, multis de causis.

Tertiò, quod hæc Iustitiæ species differat ab alia, quæ versatur circa bonum particulare, probatur, quia in eo, quod debetur communitati ad eius bonum, est specialis ratio volendi iuxta rectum iudicium: vnde in actu existit specialis bonitas. Nam debitum communitati, est speciale quoddam debitum, per se volendum. Et quidem fortiori, ac superiori quadam ratione, quàm debitum particularibus. Vnde vocatur ius altum, quia supereminet & præualet iuri particularium. Ac sicut in intellectu prudentia politica, quæ versatur circa bonum ciuitatis, aut regni, specie differt à monastica versante circa regimen cuiusque particularis, (præcisè sumpta, & qualis est in illis, quibus non incumbit regere alios) nimirum ob specialem differentiam præscribendi opera virtutum, aliáque munia, in ordine ad bonum commune, & in ordine ad priuatum cuiusque bonum: sic in voluntate Iustitia legalis, quæ per se primò bonum commune spectat, & debitum communitati, vt tale; specie differt à Iustitia, spectante per se primò bonum particularium. 7. Differt à Iustitia particulari.

Contra primam partem sentit Buridanus ad 5. Ethic. cap. 4. affirmans Iustitiam legalem non esse virtutem ab alijs distinctam, sed esse planè quamcunque virtutem prout operatur propter bonum commune. Ex. gr. temperantiam, quatenus aliquis moderatè cibo & potu vtitur, quia id per se honestum est, temperantiam nominarit quatenus verò id expedit ad bonum Reipublicæ, & est conforme ipsius legibus præcipientibus vt quisque viuat moderatè propter bonum commune, dici Iustitiam legalem: & idem est de alijs virtutibus. Eandem sententiam Lessius 8. Cõtraria sententia.

lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 15. putat esse conformem Aristoteli 5. Ethic. cap. 1. in fine, vbi loquens de Iustitia legali, sic ait: *Hæc ipsa Iustitia non pars virtutis est, sed virtus vniuersa.* Et inferiùs de virtute loquens ait, *Quatenus ad alterum refertur, Iustitia nominatur: & quatenus est habitus talis, nominatur simpliciter virtus.* Confirmatur, quia vnaquæque virtus inclinat non modò ad obiectum particulare; sed etiam ad commune bonum, & ad conformitatem cum lege. Ergo non est ponenda virtus specialis erga bonum commune, & erga id quod est iustum respectu communitatis.

Satisfit eius argum. Respondeo, quidquid sentiat Aristoteles, quem D. Thomas quæst. 58. art. 6. in fine corporis, ait tantùm voluisse, quòd quælibet virtus, quatenus à Iustitia legali ordinatur ad bonum commune, dici possit Iustitia legalis: (sic enim exponit priorem locum Aristotelis, quem in primo argumento sibimetipsi obiecit.) Respondeo inquam, patére ex dictis Iustitiam legalem, habere obiectum speciale, circa quod aliæ virtutes non versantur: nimirum debitum communitati, vt tale: quod quidem comprehendit obiecta, & actus aliarum virtutum, prout debentur communitati, & quidquid à communitate pro iure suo exigitur: sed sub alia formali ratione, seu motiuo, quàm aliæ virtutes. Quamvis enim neque communitas, neque lex attenderetur; possent esse actus aliarum virtutum circa eadem fortia & temperata, & circa iusta huic aut illi debita.

9. Ad confirmationem respondeo, non esse verum quòd vnaquæque virtus inclinet ad bonum commune, & ad conformitatem cum lege, per se loquendo. Nam aliæ virtutes non spectant per se debitum communitati ad ipsius bonum: licet consequenter & secundariò redundent in bonum communitatis; & qui eas exercet, satisfaciat debito communitatis, quando exercentur ab eo qui est pars communitatis. Per se verò non respiciunt tale debitum: & citra illud, aut illius considerationem, exerceri possunt propter proprium & speciale cuiusque motiuum.

Repellitur instantia. Instabis, quia ad essentiam cuiusque virtutis pertinet vt in materia propria rectè operetur, secundùm omnes circunstantias, adeóque secundùm rectum & honestum finem, & maximè propter bonum commune. Quia, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 10. c. non est recta voluntas alicuius hominis volentis aliquod bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune, sicut in finem. Ergo propter hanc relationem ad bonum commune, non est opus speciali virtute, quæ sit Iustitia legalis; sed quælibet virtus id præstat. Adde quòd alioqui virtus posset malè operari, si quis v. g. per virtutem fortitudinis posset aliquem eius actum exercere in præiudicium boni communis. At virtus est, quâ rectè viuitur, quâ nemo malè vtitur.

10. Respondeo, pertinere tantùm ad essentiam cuiusque virtutis vt rectè operetur secundùm circunstantias contentas in ipsius materia, sine quæ ad ipsius medium constituendum necessariæ sunt; & non secundùm alias, quæ ad alias virtutes pertinent: cuiusmodi est, ratione temperantiæ, vel fortitudinis, ordo ad debitum & bonum commune. D. Thomas autem intelligendus est de voluntate rectâ vsquequaque: non autem de rectâ secundùm quid, & in aliquo ordine. Neque propterea virtus ex se malè operatur, quando versatur conuenienter circa obiectum, & circunstantias obiecti sui proprias: licet aliunde aliquid mali esse possit, aut sequi ex alio adiuncto quod virtus illa non respicit.

Sitne vnica Iustitia legalis? Vrgebis, quia si propter bonum commune corporis politici admittenda est virtus specialis, quæ sit Iustitia legalis: admittenda erit alia propter bonum familiæ, quæ dicatur œconomica; & alia, propter alias communitates. Nam præter ciuilem communitatem, sunt etiam aliæ, quæ habent suas conuentiones, & sua instituta, & bonum aliquod commune, & præcipuum, maius bono particularium, quod bonum commune intendunt per suas conuentiones & instituta. Et tamen huiusmodi specierum Iustitiæ nulla fit mentio. Respondeo has species innominatas pertinere ad Iustitiam legalem, quæ latissimè sumpta comprehendit quidquid est debitum communitati cuilibet, vt tali. Inde verò diuiditur in eam quæ spectat debitum communitati perfectæ, seu politicæ, quæ eius species præcipua est: & in alias quæ versantur circa debita minoribus communitatibus, ratione iuris communitatis, vt talis: inter quæ tamen debita, & inter iura communitatis, quibus respondent, debet esse magna & notabilis diuersitas, vt diuersas species constituere censeantur.

Contra secundam quoque partem conclusionis sentit vtcunque Lessius lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 12. cùm ait probabile esse Iustitiam legalem non distingui à virtute pietatis, quatenus per eam, Patriæ vel Reipublicæ, in qua viuimus, debitum cultum obsequiúmque præstamus. Et inferiùs, num. 19. ait, si quæ virtus particularis vocanda sit Iustitia legalis, videri maximè hoc nomen conuenire virtuti obedientiæ. Valentia quoque quæst. 2. p. 2. controuersia 2. probabilius putat Iustitiam legalem non esse propriè & perfectè Iustitiam. Sed quæ opponit de defectu æqualitatis, & alteritatis, ex dictis facilè solui possunt. Circa Lessium verò obseruandum est primò, licet per pietatem erga Patriam, vel Rempublicam, possint eadem reddi, quæ per Iustitiam legalem; diuersâ tamen ratione redduntur. Pietas enim spectat formaliter coniunctionem sanguinis, vel originis; Iustitia verò spectat ius, ac debitum rigorosum. Secundò, obseruandum est obedientiam dupliciter sumi. Primò latè, pro eo quod est morem gerere alteri, seu facere eius voluntatem & petitionem, etiam ex mera gratia, & sine præcepto. Quo pacto Iosue 10. dicitur Deus obediuisse voci hominis. Secundò, strictè, vt respicit mandatum superioris, cui obtemperetur. Et hoc iterum dupliciter fieri potest. Primò, ex mera obseruantia erga superiorem, & ex debito speciali simplicis honestatis, quod in eo existit, quòd hanc reuerentiam superioris mandatis exhibeamus: & sic est virtus distincta à Iustitia (quæ respicit ius & debitum strictius) 11.

Differt à pietate, & ab obedientia.

strictius) estque pars quædam obseruantiæ. Secundò, ex stricto debito, propter ius superioris, cui non modò ex obseruantia, sed ex Iustitia quoque parendum est, si iure suo vtatur ad obligandum arctiùs. Et sic obedientia est species Iustitiæ; & quâ parte legale debitum respicit, coincidit cum Iustitia legali respiciente debitum ratione legum superioris suo iure vtentis. Quanquam Iustitia legalis latiùs patet: quippe quæ respicit quidquid debetur communitati, siue ex præscripto legum, siue aliter. Obedientia quoque adæquatè sumpta non tantùm leges respicit, sed & quodcunque aliud verum & legitimum præceptum.

SECTIO II.

De diuisione Iustitiæ particularis in Commutatiuam, & Distributiuam.

12. Prima explicatio huius diuisionis, eiusque refutatio. NOn leuis est difficultas in quo consistat distinctio harum specierum Iustitiæ particularis, tradita ab Aristotele 5. Ethic. cap. 2. Dicunt aliqui Iustitiam commutatiuam esse, quæ versatur circa commutationes; vt emptiones, venditiones, conductiones, locationes, & alios similes contractus. Iustitiam verò distributiuam dici, quæ versatur circa commune bonum distribuendum pluribus, quibus debetur. Sed hæc opinio nimis adhæret vocibus, neque satis attendit nomina virtutum sumi aliquando ab aliquo actu præcipuo, vel magis noto; licet earum ratio & natura latiùs pateat; vt de Spe, & de Charitate suis locis notauimus. Deinde falsum est Iustitiam distributiuam versari semper circa bonum commune distribuendum pluribus. Nam quando officium, vel beneficium, putà cathedra, vel Episcopatus, datur digniori, à Principe, vel à Republica, est actus Iustitiæ distributiuæ: & tamen non est distributio, seu diuisio boni communis, sed collatio vnius vni, quod non potest in multos diuidi. Item quando aliquis iniustè spoliat alium famâ, vel bonis fortunæ, aut vita ipsa, dicitur ab omnibus peccare contra Iustitiam commutatiuam; & tamen nulla propriè ibi est inter eos commutatio. Adde quartò, non esse specificam debiti diuersitatem, si res eadem, & ex eodem fundamento tribuitur vni, aut distribuitur pluribus. Quare hæc opinio non saluat differentiam specificam inter membra diuisionis prædictæ: quam tamen omnes præter Buridanum, asserunt cum Arist. loco citato.

13. Altera explicatio. Alij secundò, & fere omnes, affirmant Iustitiam commutatiuam, & distributiuam differre, quòd commutatiua habeat pro obiecto æqualitatem rei ad rem, quæ vocatur Arithmetica. Distributiua verò, æqualitatem proportionum, quæ dicitur Geometrica; id est, proportionem inter ea quæ distribuuntur, & eos quibus distribuuntur. Ita vt tantò plus vni tribuatur, quàm alij; quantò maior est dignitas, vel maius meritum vnius, quàm alterius. Illa enim æqualitas, quæ dicitur Arithmetica, est æqualitas rei ad rem, siue duorum extremorum inter se collatorum: vt binarij ad binarium, mercis ad pretium, meriti ad præmium, pœnæ ad culpam. Geometrica verò, est æqualitas duarum proportionum inter se comparatarum; estque vel inter tria extrema, quorum primum se habet ad secundum, vt secundum ad tertium: v. g. sicut se habet binarius ad quaternarium, sic se habet quaternarius ad octonarium: nempe quia vtrobique proportio est subdupla: Vel inter quatuor extrema, quorum primum se habet ad secundum, vt tertium ad quartum; v. g. vt se habet ternarius ad nouenarium, ita se habet vicenarius ad sexagenarium; nempe in proportione subtripla. Aiunt ergo Iustitiam commutatiuam habere pro obiecto adæquato æqualitatem Arithmeticam, seu rei ad rem: Distributiuam autem, habere Geometricam æqualitatem, cuius haberi ratio consueuit in distribuendis honoribus, & bonis communibus vnicuique secundùm ipsius dignitatem, ita vt tantò plus vni tribuatur, quàm alteri; quantò maior est dignitas vnius, quàm alterius.

Æqualitas duplex: Arithmetica, & Geom.

14. Difficultates illius explicationis. Sed contrà: primò, æqualitas non est proprium obiectum Iustitiæ, sed est aliquid commune multis alijs virtutibus, quæ spectant vtramque æqualitatem. Nam v g. misericordia subuenit proximo quantum indiget, per æqualitatem rei ad rem; & quando pluribus subuenit, plus dat ei, qui magis indiget, quàm minùs indigenti. Secundò, quando vni datur cathedra, vel beneficium, non attenditur æqualitas proportionum: quia vnum tantùm vni datur; sed æqualitas rei ad rem, id est, dignitatis personæ ad officium, vel ad beneficium. Neque dicas attendi aliquatenus proportionem illam, quatenus ille comparatur cum alijs qui minùs digni sunt. Primò enim fieri potest vt vnus tantùm se offerat ad cathedram, cui, si dignus est, debet dari. Secundò, etiam in Iustitia commutatiua interuenit talis comparatio. Considerandus enim est is cui debetur, vt illi reddatur debitum, non alijs. Et quando pluribus debetur, neque omnibus solui potest: præferendi sunt, qui sunt iure potiores. Et si omnes sunt æquales in iure, tantò plus vni dandum est, quantò plus ei debetur, cum proportione Geometrica. Ex. gr. si quis debet decem millia aureorum decem creditoribus, ita vt vni debeat nouem millia, alij nongentos, alij centum; habeatque tantùm in bonis mille aureos vnde soluat: debet summam illam in omnes distribuendo, tantò plus dare primo, quantò illius debitum excedit debitum aliorum. Et tamen hic actus est Iustitiæ commutatiuæ. Ergo commutatiua spectat interdum æqualitatem proportionum. Quòd si dicas id fieri per accidens, quia non potest solui vnicuique æquale. Respondeo, etiam in Iustitia distributiua esse per accidens quòd non possit cuique dari, quantum meretur ipsius dignitas, & seruari æqualitas rei ad rem. Nam si bonum commune tantum sit, vt possit omnibus dari quantum quisque meretur, vel quantùm dignus est; debet dari. At si omnes sint æquales in dignitate, debet tantundem dari omnibus: sin autem sunt inæquales, & bonum commune non sufficit; dandum est inæqualiter, seruando proportionem eorum quæ dantur, ad conditionem personarum qui-

bus dantur, quantum fieri potest; ita vt maius detur maiori, & minus minori. Quod addo, quia non eadem omnino semper est proportio minoris ad minus, quæ maioris ad maius; sed contingit interdum, vt quod datur minori, sit æquale ipsius dignitati; & quod datur maiori, non sit æquale maioris dignitati, qui plus mereretur, si plus dari posset: verumtamen quia vtrumque bonum indiuisibile est, puta officium, aut beneficium aliquod; sufficit minus dare minori, & maius maiori, quamvis non æquè respondeant vtriusque dignitati.

15. Tertia expositio. Propter hæc Suares in Opusculo de Iustitia Dei, Sect. 3. num. præcipuè 14. affirmat Iustitiam commutatiuam, & distributiuam per hoc distingui, quòd obiectum proprium Iustitiæ commutatiuæ sit ius ita proprium, vt sit proprium rei dominium, vel illi moraliter æquiualeat. Obiectum verò Iustitiæ distributiuæ, sit ius aliud non ita proprium ac rigorosum, fundatum in quadam dignitate, seu conditione personæ quæ est pars alicuius communitatis, seu Republicæ: ratione cuius debetur ei aliquid ex bonis Reipublicæ, suæ dignitati proportionatum; quod ius non est dominium, quia talia bona nunquam fuerunt talis personæ, nec ei debentur ratione proprij dominij, aut alterius rei propriæ, in qua læsa fuerit. Vnde fit etiam vt longè maius & rigorosius sit debitum quod ex priori iure nascitur, quàm quod ex posteriori: nam magis debetur alicui id quod est propriè suum, quàm id quod est commune; licet ad illud habeat aliquod ius, propter dignitatem personæ, vel aliam similem proportionem. Vnde de priori debito omnes Theologi affirmant ex illius læsione nasci obligationem restituendi; de posteriori verò præcisè sumpto quamplures negant. Confirmatur, quia is qui beneficium vel cathedram prætendit, nunquam habuit dominium vel possessionem eius, vel alterius rei æquiualentis, quàm pro illa dederit. Habet tamen, si sit digna persona, ius quoddam ad talem rem; quia secundùm quandam æquitatem ei potius, quàm alteri tribuenda est; eò quòd inter partes communitatis maiorem habeat proportionem cum tali re, quàm aliæ personæ. Vnde fit vt si sint aliæ personæ æquè dignæ, nulla earum habeat ius ad talem rem, necessarium vt ita dicam, seu efficax; sed tantùm sufficiens: quia cuicunque earum detur, nulli fit iniuria. Atque hinc etiam optimè declaratur à posteriori hoc ius esse longè diuersum, & inferioris rationis, à iure dominij. Quia postquam alicui datum est beneficium, vel munus cathedræ; quia iam habet illius dominium, non potest propter quæcunque alterius merita æqualia, vel maiora, illo priuari, fierétque iniuria contra Iustitiam commutatiuam. Ergo longè diuersum est habere verum ius in re tanquam propria; & habere aliquale ius ad rem communem. Hæc Suares.

16. Instantiæ contra illam. Cuius sententia, licet propiùs ad veritatem accedat, quàm præcedens, displicet tamen. Primò, quia non bene distinguit Iustitiam commutatiuam à distributiua, per id, quòd obiectum Iustitiæ commutatiuæ sit ius ita proprium, vt sit proprium rei dominium, vel illi moraliter æquiualeat. Nam licet generaliter ius commutatiuæ Iustitiæ sit rigorosius, quàm ius distributiuæ, vt dicemus Sect. sequenti: tamen non omne ius ad commutatiuam pertinens, est proprium rei dominium, aut illi moraliter æquiualens: Ius enim acquisitum per promissionem, præsertim nudam, seu non vestitam, vt loquuntur Iuristæ; id est, non scripto confirmatam, non est proprium rei dominium, & ius in re: quia promissio non transfert dominium, sed tantùm dat ius ad rem habendam. Neque promissio, licet vestita, æquiualet dominio: quia non æquè rem deuincit, neque dat actionem in rem ipsam, sed tantùm in personam; neque etiam est tanti æstimabilis, cæteris paribus. Et tamen ius promissione acquisitum pertinet ad Iustitiam commutatiuam. Secundò, licet verum sit, rem, cuius habetur dominium, esse magis deuinctam moraliter, & difficiliùs auferri posse validè valore iuris, quàm rem debitam solùm ex Iustitia distributiua: non bene tamen id probat Suares exemplo illius, qui iam adeptus est cathedram, vel beneficium. Ratio enim cur non possit auferri ab eo, cui velut digniori collatum est, quamvis post collationem accedat alius magis dignus, est quia ius Iustitiæ distributiuæ obligat vt detur ei, qui est dignior tempore collationis, seu distributionis, inter concurrentes: non autem ei, qui futurus est dignior, aut qui postea talis occurrere poterit. Tertiò, ex Iustitia distributiua, non distribuuntur solùm bona communia, sed etiam mala, siue onera communia, proportione seruatâ: ita vt peccet contra Iustitiam distributiuam Respublica, vel Princeps, qui plus imponit vni tributi, vel alterius oneris, quàm par sit, seruatâ illius proportione ad alias. Et tamen respectu eiusmodi onerum, non est ius in particularibus ad ea accipienda, seu participanda: sed potiùs debitum est in illis ea ferendi; & ius in communitate ea distribuendi: ita tamen vt non supra vires, & proportionem cuiusque: ad quod ipsum ius habent particulares, vt scilicet non nimis grauentur. Contra verò ad bona communia ius est in particularibus ea participandi, & debitum in communitate ea distribuendi. Quare vltra ius illud particularium assignatum à Suare, aliud est ius communitatis ad onera communia distribuenda, quod pertinet ad Iustitiam distributiuam; ideóque eius obiectum non adæquatè ab illo assignatur.

Propter hæc censeo differentiam illam paulò aliter explicandam esse, vt fere exponunt Molina tract. 1. de Iustitia, disp. 12. & Tanner. quæst. 2. de Iustit. dubit. 4. dicendúmque Iustitiam distributiuam versari circa ius quoddam fundatum præcisè in ratione communitatis, & in eo consistens, quòd bona, vel mala communitatis sint quodammodo particularium, ideóque debeant ab illis participari pro cuiusque conditione: ita vt in particularibus sit ius, vt bona communia eis tribuantur, aut distribuantur, ex eo præcisè, quòd communia sunt, seu bona communitatis: & in eisdem sit debitum mala siue onera communia participandi, ex eo præcisè, quòd sint onera communitatis. Iustitiam verò commutatiuam respicere ius proprium, 17. Vera sententia.

& particulare hominum inter se, ortum vel ex dominio, aut proprietate rei, vel ex conuentione aut contractu aliquo, aliôve titulo, ratione cuius habent ius in re, vel ad rem peculiari titulo sibi deuinctam, vel debitam. Qui duo tituli communitatis, & proprietatis, aut quasi proprietatis, differunt specie moraliter, constituuntque ius moraliter diuersum, & consequenter Iustitias diuersas circa illa iura diuersa, circa quæ versantur vt talia.

18. Confirmatur ex D. Thoma. Eandemque sententiam non obscurè tradit S. Thomas quæst. 61. art. 1. ad 4. vbi sic ait: *Ad Iustitiam legalem pertinet ordinare ea quæ sunt priuatarum personarum in bonum commune: sed ordinare è contrario bonum commune ad personas particulares per distributionem, est Iustitiæ particularis*, distributiuæ scilicet. Et ad 5. hæc addit: *Iustitia distributiua, & commutatiua non solùm distinguuntur secundùm vnum, & multa: sed secundùm diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id, quod est commune: alio modo id, quod est proprium.* Et in corpore eiusdem art. *Iustitia particularis*, inquit, *ordinatur ad aliquam priuatam personam, quæ comparatur ad communitatem sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi. Vnus quidem, partis ad partem: cui similis est ordo vnius priuatæ personæ ad aliam: Et hunc ordinem dirigit commutatiua Iustitia, quæ consistit in his, quæ mutuò fiunt inter duas personas ad inuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes. Et huic ordini assimilatur ordo eius quod est commune, ad singulas personas. Quem quidem ordinem dirigit Iustitia distributiua, quæ est distributiua communium, secundùm proportionalitatem. Et ideo duæ sunt Iustitiæ species*, scilicet commutatiua, & distributiua: vltra legalem, seu generalem, de qua diximus Sect. 1. Et art. 2. c. *In Iustitia distributiua*, inquit, *datur aliquid* (velut debitum) *alicui priuatæ personæ, inquantum id quod est totius, est debitum parti. Quod quidem tantò maius est, quantò ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiua Iustitia tantò plus alicui de bonis communibus datur, quantò illa persona maiorem habet principalitatem in communitate.* Eiusdémque debiti radicem sic exponit art. 1. ad 2. *Sicut*, inquit, *pars, & totum, quodammodo sunt idem: ita id quod est totius, quodammodo est partis. Et ita, cùm ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit id, quod suum est.* Itaque ex mente D. Thomæ, obiectum Iustitiæ distributiuæ est bonum commune, distribuendum particularibus, seu membris communitatis, velut ad illos aliquo modo pertinens titulo communitatis, illisque debitum ex iure fundato præcisè in communitate. Quod ampliùs declarat & confirmat art. 4. ad 2. vbi addit, quòd si alicui, qui communitati seruijsset, retribueretur aliquid pro seruitio impenso, non esset hoc distributiuæ Iustitiæ, sed commutatiuæ. In distributiua enim Iustitia non attenditur æqualitas eius, quod quis accipit, ad id quod ipse impendit: sed ad id quod alius accipit, secundùm modum vtriusque personæ, id est, prout se habent ad communitatem, & plus vel minus habent dignitatis ad participanda eius bona, eo solo titulo quòd sunt illius membra, ex quo oritur ius, quod habent ad bona illius communia, non aliunde sibi debita.

Quod vt meliùs intelligatur, & instantijs supra allatis satisfiat, notandum est homines Iustitiæ capaces posse dupliciter considerari. 19.
Primò, inter se simpliciter, sine ordine ad communitatem, quoad actiones, quas inter se exercent; & iura, quæ illis vt talibus conueniunt. Secundò, in ordine ad communitatem, prout sunt illius pars. Et hoc iterum dupliciter. Primò, quatenus illi bene se habent in ordine ad communitatem, reddendo quidquid illi debitum est propter bonum commune. Secundò, quatenus communitas bene ad illos se habet in communicatione bonorum, & malorum communium: ita vt in illos tantum refundat boni, quantum debet pro cuiusque conditione: neque plus mali vel oneris necessarij imponat, quàm par sit. Primum pertinet ad Iustitiam commutatiuam, cuius est moderari actiones quaslibet inter homines spectatos particulariter in ordine ad debitum, & indebitum rigorosum. Officium Iustitiæ commutat. Inter quas actiones, quia valde frequentes & illustres sunt commutationes, id est, mutuæ vtrinque dationes & acceptiones; Iustitia commutatiua nomen ab illis accepit. Verùm adæquatè sumpta non solùm valet ad commutationes, sed etiam ad simplices tributiones: cùm v.g. datur quod fuit promissum liberaliter; ad quod dandum est obligatio Iustitiæ si promissio fuit facta cum intentione dandi ius ad rem, fuitque acceptata: & ad quamcunque actionem moderandam circa iustum & iniustum inter particulares, & iura ipsorum particularia. Item, quia in mutuis hominum actionibus, & commercijs spectari solet æqualitas rei ad rem, vel secundùm se, siue ex rei natura, vt in mutuo, deposito, & commodato, (vbi tamen est identitas propriè, non æqualitas, quando redditur id ipsum quod fuit datum) vel secundùm hominum æstimationem, vt in contractibus emptionum, & locationum: Hinc est quòd Iustitia commutatiua dicitur spectare debitum secundùm æqualitatem rei ad rem. Quod tamen est indefinitè intelligendum. Quia non semper eam spectat, sed interdum etiam æqualitatem Geometricam, quando id necessarium est vt ius alicuius seruetur: sicut patet exemplo superiùs allato de debitore, qui soluere non potest quidquid debet pluribus creditoribus inæqualibus: & exemplo contractus societatis, in quo plures inæqualiter contulerunt ad lucrandum; quibus lucrum inæqualiter, & pro rata refundendum est, idque contractus ille per se exigit.

Secundum pertinet ad Iustitiam legalem, per quam subditi iustè se habent in ordine ad communitatem, reddendo quidquid illi debitum est, & quia illi debitum est, ratione iuris supereminentis, & dominij alti, cuius vi potest leges condere, & præcepta; déque iuribus inferiorum disponere, atque ab illis exigere quidquid ad bonum commune, maius & altius bono cuiusque priuati, necessarium est. Atque ita etiam redditio tributorum, & onerum perpessio, spectata quatenus debita communitati, 20. Obiectũ & munus Iustitiæ legalis.

ratione iuris illius superioris, ad Iustitiam legalem attinet: sicut etiam legibus & præceptis solet ab illa exigi. Quamvis aliunde, spectata vt debetur Principi ex conuentione, velut illius stipendium, vel ad victum, ornatum, & onera Reipublicæ ferenda, pertineat ad Iustitiam commutatiuam. Neque repugnat vnum & idem spectatum sub diuersa consideratione, in ordine ad iura diuersa, pertinere ad species Iustitiæ diuersas: quemadmodum etiam ipsa bonorum communium distributio, quatenus debita ad bonum communitatis & legibus sancita, pertinet quoque ad Iustitiam legalem, seu generalem.

21. Officium Iustitiæ distributiuæ. Tertium verò, quo communitas iustè se habet ad particulares in communicatione & distributione bonorum, vel onerum communium, seruando ius vel debitum fundatum præcisè in communitate, & in mutua illa coniunctione; quæ facit vt bona communitatis sint quodammodo particularium, & vt onera debeant esse communia, pertinet ad Iustitiam distributiuam, quæ ponit debitum in communitate ad bona communia tribuenda, vel distribuenda, & ius in particularibus ad ea participanda. Contra verò, ponit ius in communitate ad onera particularibus imponenda, vel distribuenda, & debitum in particularibus ad ea ferenda, cum iure tamen vt non grauentur plus quàm par sit.

Differt autem hoc ius fundatum præcisè in communitate & coniunctione, à iure quod respicit Iustitia legalis; quia ius istud coniunctionis non est ius supereminentiæ, & superioritatis, vt sic, sed potest sine illa concipi. Porrò, quia bona communia, & debita titulo communitatis frequenter talia sunt, vt possint & debeant multis distribui: hinc Iustitia ista dicta est distributiua, ab actu illo frequenti, & illustri: quamvis adæquatè sumpta valeat vlteriùs ad simplices tributiones, quando vni tribuitur aliquod bonum commune indiuisibile in plures: quo ille dignus est, & dignior alijs concurrentibus ad illud obtinendum Item, quia, cùm distributio in plures fit, solent illi esse inæqualis dignitatis: iustum autem est vt dignioribus plus tribuatur, siue possit tantundem dari cuilibet quantùm meretur eius dignitas absolutè; siue non, quia bonum commune non est tantum, vt omnibus ad æqualitatem satisfieri possit: hinc est quòd Iustitia distributiua dicitur spectare æqualitatem proportionum, siue Geometricam. Quod tamen non est accipiendum vniuersaliter, quasi non etiam spectet interdum æqualitatem vnius tantùm ad vnum, & rei ad rem, nimirum dignitatis personæ, ad bonum, quod iure communitatis ei debetur: vt exemplis suprà ostendimus. Rursus, quia conditio personæ dat plus, aut minus iuris ad bona communia participanda: idcirco Iustitia distributiua dici solet respicere conditionem personarum, quæ non adeo consideratur in Iustitia commutatiua. Mutuum enim æqualiter reddendum est, siue Principi debeatur, siue plebeio: & merces æqualiter huic & illi vendendæ. Ideóque Iustitia commutatiua dicitur attendere ad res ipsas. Quanquam ipsa etiam dignitatem personarum attendit quando hæc facit ad augendum debitum, vel iniuriam. Alapa enim data nobili, grauior est iniuria, & magis punienda, quàm data plebeio: & obsequium personæ nobilioris solet pluris æstimari, maiorique mercede compensari.

Ex his collige 1. quomodo sit intelligenda, & cum nostra sententia concilianda vulgaris definitio, & distinctio Iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ, de qua supra. 2. Hanc diuisionem non esse Iustitiæ sumptæ adæquatè: sed subdiuisionem Iustitiæ particularis, contradistinctæ à generali, seu legali. Quòd si objicias, Iustitiam particularem illam dici, quæ respicit bonum proprium, aut particulare alicuius, aut aliquorum, vt diximus Sect. 1. Iustitia verò distributiua, quatenus valet ad onera distribuenda, respicit bonum communitatis, & ius illius: ideóque ex hac parte non est Iustitia particularis. Respondeo, etiam partem illam Iustitiæ distributiuæ respicere bonum particularium, quatenus facit vt communitas bene se habeat ad particulares, non nimis illos grauando, & seruando ius quod habent, vt ne plus oneris communis ferant, quàm par sit: sed vnusquisque partem illius ferat, iuxta virium suarum proportionem. 22. Quomodo Iusti. tia distributiua est species Iustitiæ particularis?

Collige 3. Non esse propriè Iustitiam distributiuam, quando militibus ex ærario publico soluuntur stipendia, aut operarijs merces pro opera Reipublicæ impensa: vel filijs, & consanguineis distribuitur hæreditas, debita iure hæreditario: aut eleemosyna pluribus pauperibus debita à seruo, titulo donationis ab hero factæ: aut pluribus operarijs merces inæqualis, secundùm proportionem operis, vel temporis, quo laborauerunt; & similia, in quibus non habetur ratio iuris fundati in pura coniunctione, & communitate: sed in labore, merito, donatione, vel alio titulo. Quanquam possunt simul misceri Tituli, & Iustitiæ rationes: si quid debetur & titulo communitatis, & titulo laboris, aut alterius conuentionis spectantis ad Iustitiam commutatiuam. 23.

Collige 4. Iustitiam distributiuam non modò esse in Principe, vel in eo, qui nomine communitatis distribuit bona, vel onera communia: sed etiam esse in particularibus; vt docet S. Thom. quæst. 61. art. 1. ad 3. Non quasi per ipsos distributio facienda sit: sed vt contenti sint iusta distributione, & circa illam rectè afficiantur. Cæterum Princeps, aut alius qui ex officio distribuit, tenetur ex Iustitia commutatiua erga Rempublicam, ad rectè distribuendum, tanquam ad id ab ea conductus (sicut iudex tenetur ex officio, & ex Iustitia commutatiua rectè iudicare, punire malefactores, &c.) Simulque seruat Iustitiam distributiuam erga particulares, cùm ius illorum seruat in bonis communibus distribuendis vnicuique iuxta ipsius dignitatem: aut non plus oneris imponendo vnicuique, quàm ferre debeat. Ac si id faciat quia ratione legum debet id fieri propter bonum commune, exercet simul Iustitiam legalem. Ita vt idem actus ad varias species Iustitiæ pertineat, secundùm diuersas considerationes. 24. Iustitia distr. est in particularibus.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

25. Contra id quod diximus, Iustitiam Distributiuam in eo differre à Commutatiua, quòd hæc spectet ius proprium & particulare hominum priuatorum inter se: illa verò ius fundatum præcisè in Communitate, obijciunt aliqui recentiores primò, iuxta hanc sententiam actus Iustitiæ distributiuæ non fore specie distinctos ab alijs, qui ad eandem Iustitiam non pertinent. Consequens est falsum, quia oportet Iustitiam distributiuam, eiusque actus, differre specie ab alijs. Sequela verò probatur. Quia cùm Princeps distribuit spolia modo debito, aut soluit stipendia militibus ex ærario publico, non est Iustitia distributiua in hac sententia: quia hæc spolia debentur militibus titulo laboris quem adierunt; & alius titulus, quàm solius communitatis, dat eis ius ad illa stipendia. Atqui est difficile reperire bona communia, quæ debeantur priuatis, & non habeant titulum ob quem debeantur, similem ei ex quo debetur distributio spoliorum, vel stipendiorum. Fere enim communia bona sunt iura piscandi, venandi, aurifodinæ publicæ, gemmarum piscationes, syluæ, & agri communes, siue pascua communia. Atqui reperitur ius ad illa fundatum in aliquo simili titulo: putà, quòd olim ciues omnes emerint huiusmodi agros: quòd communi consensu portus ædificauerint, &c. aut etiam communibus copijs hos agros, aut portus acquisiuerint. Deinde, si æquè rigidè debetur à Principe vtraque distributio, spoliorum scilicet, vel stipendiorum, & agrorum communium, aliorúmque his similium quæ ad Iustitiam distributiuam dicuntur pertinere: non differunt hi actus specie; quia differunt tantùm quòd hæc iura fundentur in diuersis titulis, putà communitatis, aut laboris proprij. Sed hoc non distinguit hos actus specie: alioquin ille qui aliena bona capit domino rationabiliter inuito, committeret distinctum specie peccatum, quando scit illum esse Dominum titulo acquisitionis, ab eo quod facit si est Dominus titulo hæreditatis. At illi tituli, dum nihil augent, vel minuunt, aut aliter variant in ratione iuris & debiti, non constituunt actus Iustitiæ, aut Iniuriæ specie diuersos. Si enim distinguerentur specie, essent hæ differentiæ in confessione exprimendæ, quod est inauditum. Sufficit enim confiteri quòd per iniuriam erepta sint bona Domino legitimo, quolibet modo ad illum pertineant. Similiter Princeps, qui inæqualiter diuisit agros, aut spolia, non obligatur ad hæc exprimenda in confessione, supposito quòd hæc pari iure illis deberet, & æquè rigidè ac propriè, vno titulo, atque alio. Hæc illi.

Primum argum. contrariæ sententiæ.

Secundũ argum.

26. Qui ex eo inferunt, multò meliùs distingui Iustitiam commutatiuam à distributiua, ex eo quòd Iustitiæ Commutatiuæ obiectum est reddere ea quæ debentur ex iure perfecto dominij, aut æquiualente dominio. Distributiuæ autem obiectum est reddere ea quæ debentur ex iure quodam imperfecto dignitatis, aliquatenus quidem accedente ad perfectum ius, sed tamen ab eo valdè differente. Quod ius dignitatis, aut nunquam, aut saltem vix alibi reperitur, quàm in subditis & priuatis, respectu quorundam communium totius Reipublicæ: nempe officiorum Magistratus, dignitatum, vel beneficiorum, aut prærogatiuarum illis conferendarum pro ratione dignitatis cuiusque. Nam ad diuisionem agrorum, spoliorum, & similium, habent perfectum ius. Et hanc sententiam confirmant, quia sic facilè Iustitia commutatiua, & distributiua distinguuntur specie, penes obiectum earum formale, quod in ratione iuris est omnino distinctum. Nam ius illud imperfectum differt specie à perfecto. Et longè aliter peccat Episcopus v. gr. qui non dat beneficia Ecclesiastica dignioribus: & qui prouertus surripit beneficij iam acquisiti, & legitimè possessi. Item, quia D. Thomas quæst. 63. art. 1. affirmat personarum acceptionem opponi Iustitiæ distributiuæ, quæ in eo consistit, quòd diuersis dantur diuersa secundùm proportionem ad dignitates personarum. Vbi notant D. Thomam non facere mentionem nisi dignitatis personarum. Non omisisset autem ius perfectum, si Iustitia distributiua illud respiceret. Notant præterea, acceptionem personarum esse vitium oppositum virtuti quæ spectat illarum dignitatem. Et quæst. 61. art. 1. ait restitutionem, quâ præcisè redditur æquale realiter ei quod ablatum est per iniuriam, esse actum Iustitiæ commutatiuæ. Quibus verbis significat, non esse præcisam obligationem restituendi æquale omnino ex violatione Iustitiæ distributiuæ. Atqui actus restituendi pertinet ad eandem speciem virtutis, ad quam actus ex quo oritur restituendi obligatio. Eiusdem est enim affectus bene facere in vno genere; &, si fortè malè egeris, retractare. Restitutio autem est quasi retractatio iniuriæ.

Tertium argum.

Quartũ argum.

Quintũ argum.

27. Ad primum respondeo negando sequelam: ad cuius primam probationem dico, distributionem spoliorum, si strictè & perfectè debeatur militibus titulo laboris, non esse actum Iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ: secus autem si fiat eo solùm titulo quòd conueniens, & aliquo modo debitum sit bona illa iam acquisita communitati iusto bello, quibus illa non indiget, distribui ducibus, & militibus, pro ratione dignitatis cuiusque. Et quidem si milites, & duces habent aliunde à Republica iusta stipendia; non debentur illis rigorosè spolia tituto laboris, qui aliunde sufficienter compensatur. Et nihilominus conueniens est, & aliquo modo debitum, illis potiùs distribui, quàm alijs: & magis illis, quorum opera in bello gerendo maior fuit, aut magis considerabilis. Præter agros verò communes, & alia bona in obiectione enumeratâ, quorum participatio vel distributio frequenter debetur priuatis alio titulo, quàm solius communitatis; vel quæ iam illis data, & in commune exposita sunt, vnde non potest quisquam eorum sine iniuria contra Iustitiam commutatiuam vsu illorum & participatione priuari: Præter hæc, inquam,

Soluitur 1. argum.

alia sunt quæ non aliter debentur, quàm titulo communitatis: nempe officia, & beneficia Ecclesiastica, ciuiles Magistratus, dignitates & prærogatiuæ quædam in vtraque Republica, Ecclesiastica & Ciuili: circa quæ Iustitia distributiua locum habet: sicut & circa supradicta quando non sunt alio titulo strictiori debita.

28. Diluitur secundũ. Ad secundum respondeo, bona communia, debita solo titulo communitatis, non deberi priuatis titulo iuris adeo stricti & perfecti, atque est ius pertinens ad Iustitiam commutatiuam. Nam, vt bene docent ijdem recentiores, quos impugnamus: Prælati, & Principes Reipublicæ, non sunt Domini; sed dispensatores bonorum communium. Et hæc dispensatio habet laxiorem quandam obligationem; quia pertinet ad bonum Reipublicæ vt aliquanto sit laxior hæc obligatio Principum, vel Prælatorum, distribuendi hæc bona communia, vt subditi magis deuinciantur Principibus suis, aut Prælatis. Quare falsum est titulum istum non variare neque minuere rationem iuris, aut debiti, sicut non variatur aut minuitur ex eo quòd alicuius bona ei prouenerint titulo acquisitionis, aut titulo hæreditatis. Sanè D. Thom. quæst. 61. art. 1. ad 5. disertè affirmat alio modo deberi alicui id quod est commune, & alio id quod est proprium: ideóque Iustitiam distributiuam, & commutatiuam respicere diuersam rationem debiti.

29. Dignitas personæ non sufficit Iustitiæ distributiuæ. Ad tertium respondeo solam dignitatem personæ ad aliquid, non dare illi ius Iustitiæ circa illud, nisi aliunde intelligatur ad ipsum aliquo modo pertinere. Multi enim v. g. sunt digni qui summum imperium in alios habeant, ob eximiam prudentiam, & alias animi dotes egregias: qui tamen propterea non habent ius ad imperandum, vel ad habendam auctoritatem imperandi, præsertim vbi per successionem hæreditariam illa ab vno ad alium deuolui debet ex institutione publica, vt fit in plerisque regnis. Ideóque S. Thom. quæst. 61. art. 1. ad 2. vltra dignitatem recipientis, requirit vt accipiens ex Iustitia distributiua, accipiat aliquo modo suum: nimirum, vt ibidem explicat, suum titulo communitatis. *Quia* (inquit) *sicut pars & totum quodammodo sunt idem: ita quod est totius, quodammodo est partis: & ita cùm ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit quod suum est.* Et paulò post, in solutione 5. argumenti, requirit debitum ex iure in obiecto Iustitiæ distributiuæ, cùm sic ait: *Iustitia distributiua, & commutatiua non solum distinguuntur secundùm vnum, & multa: sed secundum diuersam debiti rationem. Alio enim modo DEBETVR alicui id, quod est commune; & alio modo id, quod est proprium.*

30. Quomodo acceptio personarum opponitur Iustitiæ distributiuæ? D. Thom. q. 63. art. 1. in corp. Ad quartum respondeo, vitium acceptionis personarum opponi Iustitiæ distributiuæ, quatenus Iustitia distributiua, in distribuendo multis bona communia, debet spectare dignitatem personarum, & plus aut minus illis tribuere, iuxta cuiusque proportionem. Falsum verò est D. Thomam non ibi facere mentionem debiti. Nam statim atque dixit personarum acceptionem opponi Iustitiæ distributiuæ, quia æqualitas Iustitiæ distributiuæ in eo consistit, quòd diuersis personis diuersa tribuantur secundùm proportionem ad dignitates personarum: addit immediatè post, *Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam id quod ei confertur, est ei DEBITVM, non est acceptio personæ, sed causæ*: id est, vt exponit deinceps, non peccat vitio acceptionis personarum, qui præfert vnum alteri propter causam, ob quam meritò præferri debet, & propter quam dignior est bono distribuendo: *Puta*, inquit, *si aliquis promoueat aliquem ad Magisterium propter sufficientiam scientiæ. Hic enim attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in aliqua persona non id propter quod ei debetur tale bonum commune, sed solum, quòd sit iste homo, putà Petrus, vel Martinus, vel quòd sit diues, aut alia propter quæ non est dignior tali bono; hic est acceptio personæ.*

Ad quintum respondeo violationem Iustitiæ distributiuæ præcisè non obligare ad restitutionem, & ad reddendum æquale realiter ei quod tributum non fuit: sed tantùm ad habendam maiorem rationem eius qui iniustè prætermissus fuit in alia distributione, vel ad aliquid simile. Nam v. g. Episcopus qui non dedit beneficium digniori, non tenetur illi dare quantum ferunt prouentus illius beneficij; vel auferre beneficium à minùs digno qui iam illud possidet, vt digniori reddat: sed sufficit vt maiorem illius rationem habeat quando alia collatio facienda occurret: aut alio quopiam modo illi satisfaciat. 31. Ad quid obliget violatio Iustitiæ distributiuæ?

Dixi violationem Iustitiæ distributiuæ *præcisè* non obligare ad restitutionem: quia si in malè distribuendo violetur simul Iustitia commutatiua, eripiendo alicui sine causa legitima bonum quod possidet: orietur ex isto capite obligatio restituendi id quod iniustè ereptum est. Vt si quis in distributione tributorum plus grauetur, quàm par sit: id est, sine causa rationabili plus illi soluendum imponatur, quàm vires eius ferant, & iusta proportio. Sicut enim Princeps imponens communitati tributum iniustum, seu non-necessarium, peccat contra Iustitiam commutatiuam, eripiendo subditis bona ipsorum propria, sine iusta causa: quia non habet ius exigendi à subditis tributa non necessaria ad bonum commune; tenetúrque restituere quicquid iniustè hoc modo exegit à subditis. Ita peccat similiter, & restituere tenetur Princeps, aut eius minister, qui iniustè aliquem grauat, & sine causa legitima plus ab illo tributi exigit, quàm omnibus pensatis soluere teneatur seruata proportione ad alias partes eiusdem communitatis.

Obseruandum tamen est diligenter, quod paulò ante diximus; debitum Principis ad distribuenda æqualiter tributa, vel onera necessaria, vnicuique secundùm proportionem, non esse tam exactum, & strictum, atque est debitum Iustitiæ commutatiuæ inter particulares. Vt colligi potest ex eo, quòd Principes possunt faciliùs eximere aliquos ab illis, & in alios refundere onus, quo isti liberantur. Sicut reipsa nobiles, & quidem alij eximuntur à tributis Regijs. Estque conueniens pro bono

Reipublicæ, & ad maiorem Principum dignitatem, vt non tam strictè obligentur ad partienda æqualiter omnibus onera communia, sed possint aliquos omnino, vel ex parte eximere, cum prudenti & rationabili moderatione. Idémque dicendum de obligatione quam habent distribuendi bona communia. Porro in eo quod diximus, distributionem onerum communium pertinere ad Iustitiam distributiuam, consentiunt inter alios Cardinalis De Lugo disput. 1. de Iustitia Sect. 3. & Lessius lib. 2. cap. 1. dub. 4. & cap. 32. in præfatione.

SECTIO IV.

An Iustitia Vindicatiua sit vera species Iustitiæ?

32. Vindicta potest fieri multipliciter. Respondeo vindicationem multipliciter fieri & appeti posse: quatenus verò fit aut appetitur quia debetur personæ læsæ, vel Reipublicæ, respicitque pœnam, seu vindictam, vt debitam ad reparationem iniuriæ, vel ad satisfactionem, aut alio titulo debiti rigorosi, esse veram, & propriam speciem Iustitiæ.

Prior responsi pars probatur, quia, vt rectè ait Less. cap. 47. n. 21. vindicta potest à læso desiderari multipliciter, aut exerceri. Primò quidem vt malè sit ei qui læsit, nihil aliud spectando, quàm malè illi esse, quod læsus apprehendat vt bonum suum. Et sic non est virtus, sed odium proximi contra charitatem. Vel secundò quia decens est, & conueniens rationi, vt malè sit ei, qui malè fecit. Et hoc pertinet ad virtutem quandam generalem honestatis & decentiæ. Vel tertiò propter bonum proximi, vt corrigatur. Et hoc pertinet ad charitatem erga ipsum. Vel etiam quartò vt malum propulsetur, vtque tam ille, qui læsit, quàm alij, eius exemplo in posterum coërceantur ab inferenda iniuria siue tibi, siue alijs. Et sic pertinet ad studium proprij boni, vel ad pietatem erga Rempublicam, aut amorem proximi, & alias virtutes, quarum intuitu hæc vindicatio expetitur, aut exercetur, veluti quædam defensio, & mali propulsatio à seipso, vel ab alijs. Quintò denique expeti & sumi potest vt satisfiat debito rigoroso, & ius læsum resarciatur. Atque ita pertinet ad Iustitiam, tanquam vera illius species, vt in secunda parte responsi dictum est.

33. Quomodo est actus Iustitiæ? Quæ pars sic explicatur, & probatur. Primò quidem manifestum est vindictam iustam, seu proportionatam iniuriæ, habere rationem debiti rigorosi: quia potest exigi à læso, vtente iure suo; vel à Republica, cuius interest ne iniuriæ sint incultæ, quæque debet particularium iura tueri: potéstque reus ad illam patiendam compelli: nimirum quia dum præsumit plusquam debet, incurrit debitum patiendi aliquid, quod alioqui non pateretur, vt in ordinem redigatur. Debitum enim vindictæ ferendæ est in eo, qui fecit iniuriam. Ius verò inferendi vindictam est in Republica, & in eo qui iniuriam passus est: non quidem vt læsus illam inferat per se (id enim à Deo prohibetur Rom. 12. vers. 19.) sed per potestatem superiorem, ad quam illius executio pertinet: exceptis per eius tacitam permissionem rebus paruis. Vt enim rectè notat Lessius citato cap. 47. dub. 4. num. 23. permittuntur passim in Republica priuatæ quædam vindictæ paruæ, si fiant statim acceptâ iniuriâ, in flagranti delicto. Hoc enim necessarium putatur ad publicam pacem, vt quisque à minoribus iniurijs, quæ non solent ad tribunalia deferri, tutus sit. Quo pacto Doctores quidam affirmant eum qui alterum alapâ, pugno, vel baculo percutit, posse statim repercuti, ne alter audacior imposterum ad similia euadat: esséque hoc genus quoddam defensionis, quatenus saltem impedit ne illa ipsa iniuria crescat, & fiat ignominiosior in opinione hominum, veluti facta ignauo, & tolerata ex mera impotentia eam impediendi, aut comprimendi: quod redundat in dedecus percussi: sed vt sic pertinet ad alios fines correctionis proximi, vel studij proprij boni, suprà commemoratos, & à Iustitiæ fine diuersos. Simul autem cum iure infligendi vindictam, quod diximus esse in læso, & in communitate, est debitum in illis non infligendi maiorem, quàm par sit. Et in reo, simul cum debito ferendi iustam pœnam, est ius vt ne maiorem patiatur, quàm debeat, estque illi debitum vt ne maior inferatur. Vtrumque verò ius & debitum spectat Iustitia vindicatiua, & ad vtrumque conuenienter se habet, auersatúrque oppositum. Quia tamen in læso non est debitum sumendi vindictam, sed tantùm est ius; potest cum ratione laudabiliter non sumere, cedendo iure suo, propter misericordiam & officium charitatis, & imitationem ac consilium Christi, aliosque bonos fines, nisi vindicta ad aliquid melius, aut magis vrgens, necessaria sit.

34. Vindicta debetur multipliciter. Secundò, vindicta potest deberi multipliciter titulo rigorosi debiti. Nam in primis, reus tenetur ratione iniuriæ à se illatæ, eam pati: dúmque illam vt talem acceptat, exercet affectum Iustitiæ vindicatiuæ, quæ non est tantùm in vindicante, sed & in quolibet, qui conuenienter ad eius obiectum afficitur, quod est pœna, seu vindicta, vt debita. Item reus, dum illam læso persoluit, aut exhibet, exercet actum quendam Iustitiæ commutatiuæ, quia pœnam reddit pro iniuria, quam intulit: quod dum fit, malum cum malo commutatur, & malum pro malo retribuitur: vt in emptionibus & venditionibus, bonum pro bono. Ita vt Iustitia vindicatiua sub ea consideratione sit species quædam commutatiuæ latè sumptæ. Commutatio enim, licet strictè & magis propriè sumpta, sit mutua vtrinque datio & acceptio, facta ex consensu reciproco: latiùs tamen, & quatenus adæquatè respondet Iustitiæ commutatiuæ, sumitur pro quocunque commercio, & quacunque actione iusta vel iniusta, alterius ad alterum, inter particulares, aut quasi particulares. Diuiditúrque à D. Thoma, quæst. 61. art. 3. & ab Arist. 5. Ethic. cap. 2. in voluntariam, & inuoluntariam. Vtraque verò multiplex ab illis assignatur. Ex com- Commutationes

alię sunt spōtaneę, aliæ inuoluntariæ. mercijs enim (inquit Aristoteles) alia sunt spontanea, alia inuoluntaria. Spontanea huiusmodi sunt, venditio, emptio, mutuatio, sponsio, vsura, depositio, conductio, seu locatio. Atque hæc spontanea ideo dicuntur, quia principium commerciorum istorum spontaneum est, id est, vtrinque voluntarium. Ex inuoluntarijs autem, quædam clandestina sunt, vt furtum, adulterium, lenocinium, seruorum seductio, homicidium dolosè perpetratum, falsa testificatio: Alia violenta, id est, vi apertâ illata; vt flagellatio, vincula, mors, rapina, mutilatio, conuitiatio, contumeliæ illatio. Hæc Aristoteles. Plura verò recensentur à D. Thoma, quæ legi possunt artic. citato. Circa quas omnes actiones ad normam Iustitiæ dirigendas, & emendandas per pœnam, vel satisfactionem, si contra illam peccatum est, versatur Iustitia commutatiua adæquatè sumpta. Quæ idcirco ambitu suo continet actum vindicationis, versantis circa vindictam vt debitam primo illo titulo, id est, ratione iniuriæ. Et tam reus, qui eam subit & acceptat vt talem; quàm læsus ipse, qui eam exigit; & iudex, aut Respublica illam infligens vt debitam illo titulo, exercet actum Iustitiæ commutatiuæ.


35. Vindicatio est aliquatenus actus Iustitiæ legalis. Deinde alio modo spectari potest vindicta vt debita communitati ratione legum ad commune ipsius bonum. Interest enim Reipublicæ vt iniuriosi puniantur, idque suis legibus ipsa præcipit. Et vindicatio sub ea ratione pertinet ad Iustitiam legalem: quique illam exercet, vel acceptat, vel expetit vt talem, exercet actum Iustitiæ legalis.

Debetur ex officio à Iudice, & à Principe. Tertiò denique, spectari etiam potest quatenus læso, vel Reipublicæ debetur ex officio, à Principe, vel à iudice, cui id officium Respublica commisit. Et Princeps, aut iudex illam vt talem exercens, facit actum Iustitiæ commutatiuæ, tanquam ad id conductus à Republica. Nam is qui Dei locum obtinet, est debitor ex officio ad vindicandum & vlciscendum iniurias eorum, qui læduntur, & ad illum recurrunt. Alioqui subtrahit debitum Reipublicæ, & priuatis, qui cùm non possint per se vlcisci, habent ius recurrendi ad eos, quibus potestas publica data est, vt iniuriosi compescantur, & æqualitas seruetur, nullúsque se nimiùm extollat supra alterum.

Superioribus non obstat quòd D. Thomas quæst. 61. non meminit Iustitiæ vindicatiuæ, quando Iustitiam diuidit in suas species: quæst. verò 108. vindicationem ponit inter virtutes quæ non sunt species Iustitiæ, sed tantùm partes ei annexæ, vt gratitudo, & quædam aliæ. Respondeo enim, D. Thomam in priori quæstione comprehendisse Iustitiam vindicatiuam sub commutatiua, tanquam illius speciem, ob rationem iam allatam. Quæst. verò 108. loquitur de vindicatione, non prout respicit debitum, vel indebitum rigorosum, quà tale: sed tantùm prout est repulsio nocumenti: vt manifestè patet ex art. 2. quâ ratione fatemur non esse speciem Iustitiæ. 36. Soluitur obiectio ex D. Thoma.

Ad id verò quod opponit Mæratius disp. 11. Sect. 1. si Iustitia vindicatiua esset propriè Iustitia, illius actus externus, nempe externum exercitium vindicandi, esset debitus ex Iustitia. At non est debitus ex Iustitia: neque enim læsus illum debet sibi ipsi, quia nemo sibi debet ex Iustitia. Neque etiam reo: alioqui fieret illi iniuria, quando fit gratia, nempe cùm illi pœna condonatur: Quippe quia fieret contra ipsius ius. Adde quòd nemo habet ius ad malum recipiendum, sed potiùs onus & debitum. Respondeo negando maiorem. Sufficit enim quòd eius actus, tam internus, quàm externus versetur circa debitum rigorosum, nempe circa pœnam & satisfactionem à reo debitam: tametsi eius actus nulli alteri deberetur. Quanquam debetur etiam à Iudice, vel à Principe, inferioribus siue subditis ad eum recurrentibus, iustámque vindictam exerceri postulantibus, ad iuris sui læsi reparationem: vt paulò antè diximus. 37. Altera obiectio diluitur.






DISPVTATIO SEXTA.

De Iure.

DE Iure disputat S. Thomas q. 57. Et art. 1. docet Ius, siue iustum, hoc est, id quod secundùm aliquam æqualitatem respondet alteri, esse proprium, & speciale obiectum Iustitiæ. 2. Ius conuenienter diuidi in naturale, & positiuum. Hoc est; in illud quod ex ipsa natura rei adæquatur alteri: & in illud quod est adæquatum, seu commensuratum ex hominum condicto priuato, vel publico. 3. Ius naturale differre à Iure gentium: quia illud commune est hominibus, & animalibus: hoc autem solis hominibus inter se; sequiturque rationem naturalem, quæ hoc dictat. Vt enim ait Caius Iurisconsultus: Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes custoditur: vocatúrque Ius gentium. 4. Iustum aliud esse simpliciter, & aliud secundùm quid. Prius est ad alterum simpliciter, id est, omnino distinctum, vt inter Petrum, & Paulum, quorum vnus non est sub altero, sed ambo sunt sub vno Principe ciuitatis. Posterius est ad alterum secundùm quid, id est, non distinctum simpliciter, sed quasi aliquid eius existens. Sicut filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars eius: & seruus est aliquid Domini: & vxor est aliquid viri. Quapropter non est inter illos iustum simpliciter, sed tantùm secundùm quid: videlicet Paternum, inter patrem & filium: Dominatiuum, inter Dominum & seruum: & Oeconomicum, inter virum & vxorem. Hucvsque D. Thomas, cuius doctrina exponetur sequentibus Sectionibus.

In Digesto vet. lib. 1. tit. 1. l. 9.



SECTIO I.

Quid sit Ius?

1. Definitio iuris. IVs hîc sumitur non pro iusto obiectiuo, seu debito; sed pro Iure formali, cui debitum respondet. Sic autem sumptum ius in communi definiri potest, moralis potestas circa aliquid, cui si absque legitima causa obsistatur, tenetur obsistens ad satisfactionem, vel ad pœnam; potéstque cogi & compelli ad non obsistendum, si facultas non desit.

Et potestas moralis. Dicitur primò, *potestas moralis*: quia Ius non consistit in Physica potestate, quâ res potentiores possunt in alias agere; vel res aliæ possunt ab alijs pati, aut illis resistere: quemadmodum cœli possunt agere in hæc inferiora, & alia ab alijs patiuntur, aut illis resistunt: sed ius formaliter est quid morale, ortum ex aliquo Physico, aut in illo fundatum. Vt, ex eo quòd Deus sit omnium creator, oritur ius & dominium quod in res omnes habet. Et ex eo quòd parentes filios genuerunt, oritur ius quod habent illis præcipiendi, illisque vtendi. Et ex emptione, oritur ius quod habet emptor in rem sibi venditam. Et ex eo quòd membra naturaliter homini conueniunt, sequitur ius quod habet vt non possit illis priuari absque legitima potestate. Est autem multiplex hæc potestas Eaque multiplex. moralis. Vna est ad aliquid tanquam suum, vt ad vitam suam, ad membra, ad famam, ad agros, ad pecuniam suam, ad coniugem, ad filios. Et hæc est potestas habendi, & retinendi quod suum est. Alia est per modum potentiæ actiuæ: vt quandò est ius ad aliquid agendum, vel obtinendum, vel fruendum, vel vtendum. Alia in modum potentiæ passiuæ; vt ius quod habent infantes vt alantur, & educentur à parentibus. Alia in modum potentiæ restitiuæ: vt ius quod habes ne occidaris, vel ne quis tali loco ædificet, ne tibi luminibus officiat; ne fenestram aperiat in tuum hortum, ne per tuum agrum viam faciat, & similia.

2. Ius & licentia quomodo differunt? Dicitur secundò, *cui si absque causa legitima obsistatur, &c.* quia ius Iustitiæ, de quo loquimur, est ius perfectum, & propriè dictum; valens ad hoc, vt qui contra illud agit, faciat iniuriam, & debeat eam compensare aliquatenus, ac possit quivis, qui superiori potestate non careat, compelli ad non obsistendum illi iuri. Vltra quod est aliud quoddam ius impropriè dictum, & imperfectum ac debile, valens ad hoc vt non iniustè v. g. aliquid fiat, neque contra alterius ius. Cuiusmodi est concessio, seu licentia, quæ propriè non est ius, sed reducitur ad ius, tanquam aliquid ab eo manans, quando ab eo datur, qui ius habet. Tale est ius, quod accipiunt conuiuæ, quando inuitantur, ad consumenda bona inuitantis; qui si mutet voluntatem, & non admittat ad conuiuium, vel admissos excludat, & conuiuium neget; non potest in iudicio conueniri, quia ius, quod illis dederat, non est Iustitiæ, sed leue & imperfectum. Dicitur autem iuri obsisti, quando vel sine legitima potestate adimitur: vt si quis sine tali potestate suo priuetur officio, quod est ius quoddam; vel quando contra ius manens, & vigens, agitur aliquid ipsi contrarium; vt si quis domum alienam inuadit ipso inuito. Neque enim satis est esse ius, & manere; sed debet etiam vigere. Quia si quis iuris vsu cedat, non fit illi iniuria.

Dixi tertiò, iuris violatorem teneri ad pœnam, vel ad satisfactionem, posséque cogi, &c. 3. Iuris violatio ad quid obliget? quod intellige si non desit superior, apud quem reus iniuriæ conueniri possit. Per hunc autem maximè effectum, seu proprietatem, explicatur debitum Iustitiæ, & discernitur à simplici debito honestatis: contra quod solum si peccetur, non incurritur debitum pœnæ, vel satisfactionis, neque subiectio ad coactionem iuridicam.

Contra prædicta sentiunt aliqui recentiores, Cōtraria opinio. affirmantes ius in communi non bene definiri per potestatem; quia ius quo aliquid est alicuius tanquam suum, non consistit in potestate. Etenim plurimi qui non cogitant de potestate, concipiunt nihilominus aliquid esse alicuius tanquam suum. Deinde potest aliquis à se abdicare omnem potestatem circa rem aliquam, eamque alteri tradere, etiam ad consumendam rem & destruendam, vel alteri donandam: Ita tamen vt proprietas maneat penes eum, qui potestatem talem transtulerit: Sique res illa sit superstes tali facultati, quæ perierit cum suo subiecto, priusquam haberet effectum; maneat eadem res per eandem proprietatem deuincta ei, cuius erat. Sic etiam ius proprietatis, quod vocatur dominium directum, interdum separatur à iure vtendi & fruendi, quod dicitur dominium vtile; quando res, proprietate retentâ, subjicitur alteri ad assumendum & adhibendum illam in varios fines, quod est vti, id est, vsum eius habere; vel ad percipiendnm id quod paritur, aut producitur, aut prouenit ab ipsa, quod est frui, id est, fructum ex ea percipere. Sicut equo v. g. vtimur ad equitandum, & fruimur pullis quos procreat. Vtimur domo ad habitandum, & fruimur prouentu qui ex eius locatione prouenit, si eam alteri locamus.

Respondeo primò, non bene concipi ius, 4. Soluuntur eius argum. quo aliquid est alicuius tanquam suum; nisi concipiatur potestas illud habendi & retinendi, talis, vt sine potestate legitima, non possit illi obsisti absque iniuria, modo in definitione iuris explicato. Et habere aliquid tanquam suum, sine tali potestate, non est habere ius. Vnde bruta, quorum vita, & membra non minùs sunt sua, quàm vita & membra humana sunt hominis; carent tamen iure, defectu talis potestatis; neque fit illis iniuria, si auferantur. Secundò, nego proprietatem retineri abdicatâ omni potestate: implicat enim eam retineri sine potestate retinendi, & habendi rem semper sibi deuinctam, donec alienetur, aut destruatur: manet item potestas recuperandi, si res sit superstes facultati, alteri traditæ ad alienandum, vel destruendum; atque etiam persequendi in iudicio, vt reum iniuriæ, eum qui

vellet recuperationi obsistere. Quare licet possit aliqua potestas abdicari, vt in exemplo allato ius & potestas dominij directi separatur ab vtili: impossibile tamen est omnem planè potestatem moralem à iure separari.

5. Quomodo Ius oritur ex aliquo Physico? Contra id etiam quod diximus, Ius esse quid morale, ortum ex aliquo Physico, aut in eo fundatum, objici potest, quòd sublato quovis morali resultante ex Physico, teneatur quisque non lædere alterum, non occidere, non detrahere, &c. Et alter ius habeat ex seipso, & ex natura sua, sublato quocunque alio superaddito, vt non lædatur, non occidatur, &c. Ergo malè diximus ius esse quid morale, ortum seu resultans ex aliquo Physico. Respondeo moralitates non esse nouas entitates, vel rationes intrinsecas, rebus aduenientes; sed esse denominationes sumptas ex aliquo Physico, propter quod res taliter, vel taliter æstimantur prudenter, in ordine ad humanas operationes, & actus liberos. Ex. gr. ex eo quòd Deus omnia creauit, denominatur omnium Dominus, æstimatúrque prudenter, id est, secundùm rectæ rationis iudicium, posse de illis legitimè, vt de suis disponere. Ex eo quòd Princeps voluit monetam tanti valere, tanti valet, id est, tanti æstimatur in ordine ad emptiones, & alias actiones morales. Ex eo quòd aliquis per contractum emptionis quippiam suum fecit, æstimatur non posse eo priuari legitimè sine ipsius consensu, vel alia causa fortiori. Idémque dico de alijs rebus, siue ex industria vel pacto, siue ex natura proprijs; vt de vita & membris cuiusque, de honore, fama, & similibus bonis. Cùm ergo dicimus ius oriri ex aliquo Physico, aut in eo fundari, sensus est, has denominationes, & prudentes æstimabilitates peti ex aliquo Physico, putà ex aliquo aut aliquibus actibus, vt emptione, promissione, productione, aut ex naturali rerum proprietate, & possessione sui ipsius & suorum membrorum, datâ per creationem, aut productionem: cui possessioni & proprietati prudenter æstimatur non posse obsisti sine potestate legitima: ac si obsistatur, fieri iniustè, id est, contra ius strictum, obligans ad restitutionem, aut satisfactionem aliquam.

SECTIO II.

De Titulo, & Subiecto Iuris.

6. Quid sit titulus iuris? Circa primum: Titulus iuris propriè est radix & fundamentum, ex quo ius oritur: seu ratio, & causa, propter quam ius alicui competit. Sic Deus titulo creationis habet ius summum in omnes creaturas: & parentes habent ius in filios titulo generationis: & vir in vxorem, atque vxor in virum, titulo contractus matrimonij: Et cùm quæritur quo titulo aliquid sit alicuius suum? Responderi solet, titulò emptionis, donationis, effectionis, successionis, acquisitionis, inuentionis, resignationis, &c. Quæ & similia non sunt iura, sed fundamenta & radices ex quibus iura oriuntur. Porro, diuersitas titulorum non semper inducit iurium diuersitatem. Nam ius proprietatis v. g. oriri potest ex emptione, donatione, effectione, & alijs titulis. Aliter sumunt Gerson, & alij quidam, titulum iuris, pro ipso iure, in sensu intransitiuo; sicut prudentia vocatur virtus prudentiæ; & Roma, vrbs Romæ: quatenus ius ipsum titulus quidam est, ac fundamentum multorum actuum circa ea, quæ illi subsunt, ideóque titulus iuris ipsummet ius dici potest. Sed hæc acceptio minùs est vsitata: communiter enim titulus iuris priori modo accipitur.

Circa secundum, dicendum est subiectum iuris capax non esse aliud, quàm solam & omnem substantiam intellectualem, sicut & debiti formalis, seu moralis obligationis iuri illi respondentis ex aduerso. Prima pars, *quòd sola*, probatur, quia cæteræ res ex natura sua subsunt necessitati habendi quod habent, vel agendi quod agunt, vel patiendi aut resistendi: neque sunt capaces ex natura sua actionum moralium, vel vsus rerum moralis. Ergo neque sunt capaces iuris Iustitiæ, quod datur propter vsum aliquem moralem habendi aliquid legitimè, vel agendi, &c. Obligatio quoque moralis est ad agendum ex cognitione, & libertate. Ergo non est in substantijs non intellectualibus. Consentiunt Molina tract. 2. disp. 18. Salon, Aragon. Sot. & alij communiter: neque dissentiunt Maior, Gerson, & alij qui dominium brutis tribuunt; loquuntur enim de dominio latiùs sumpto, quàm pro vero & proprio iure: Nempe quatenus dicitur alteri dominari, id quod illi quomodocunque præualet. Similiter Iurisconsulti lib. 1. Institutorum tit. 2. initio, quando tribuunt brutis ius naturale, ius impropriè sumunt pro eo quod naturaliter animalibus conuenit, & ad quod à natura inclinantur. Propriè verò ius significat id, ratione cuius debetur aliquid, potéstque exigi libera voluntate. Nam quod simplici necessitati subest, non vocatur ius. Item, cùm loca quædam dicuntur habere aliqua iura, sicut Ecclesiæ habent immunitates, & priuilegia: iura illa spectant ad aliquas personas intuitu loci illius; nempe vel ad Deum, vel, ad homines quibus hæc sunt concessa. 7. Sola & omnis substantia intellectualis est capax iuris.

8. Secunda pars conclusionis, quòd omnis substantia intellectualis sit capax iuris, habet difficultatem propter infantes, & amentes perpetuos, qui neque libertatis neque rationis compotes sunt, neque capaces vsus, & actionis moralis; ergo neque iuris seu potestatis moralis habendi aliquid, vel agendi; aut moralis obligationis ad agendum. Certum tamen est illis inesse ius: vt de infantibus Scriptura docet ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium.* Quibus verbis significat Apostolus infantes habere ius dominij in bona sibi à patre relicta. Idémque tradunt Molina, Salon, Lessius, & alij communiter, confirmatúrque vsu communi omnium gentium. Ratio est, quia quamvis infantes ob defectum vsus rationis, careant vsu iuris & dominij, atque obligationis illi respondentis: cùm tamen secundùm essentiam sint substantiæ intellectuales, sunt capaces iuris & Infantes etiã sunt capaces iuris, vt & amentes.

dominij habitualis, atque obligationis, quæ fundatur in ipsis potentijs intellectualibus, licet per accidens impeditis ab vsu. Quamvis autem infantes non habeant vsum rationis: tamen hic defectus suppletur per eos, ad quos illi pertinent, quique illorum curam gerunt; videlicet per parentes, aut tutores, per propinquos, per communitatem, & Deum ipsum qui est vindex innocentium. Sicque possunt acquirere aliquod ius, vltra id quod naturaliter habent ne lædantur in vita, vel in bonis, possuntque subjici pariter alicui obligationi in commodum ipsorum, aut propter bonum publicum, vel aliud necessarium. De amentibus autem par est ratio, ac de infantibus; de quibus etiam idem sentiunt auctores citati.

9. Cōtraria sententia. Contra eandem partem senserunt Hostiensis, Valdenses, Wicleffus, & Ioannes Hus: quorum primus *ad cap. Quia super his, De voto, & voti redemptione*, sensit Infideles carere omni dominio. Posteriores verò asseruerunt omnem Iurisdictionem, tam ciuilem, quàm Ecclesiasticam, amitti per quodvis peccatum mortale, adeóque nullam esse Iurisdictionem in hominibus existentibus in peccato mortali. Fundamentum eorum præcipuum est, quia indignum videtur vt Infideles, & alij peccatores, qui sunt capitales inimici Dei, habeant dominium & Iurisdictionem in eius creaturas. Et addi potest ex Augustino, Epist. 48. sub finem, iure diuino cuncta iustorum esse.

Infideles & peccatores sūt capaces iuris. Sed horum errorum posterior damnatur expressè in Concilio Constantiensi Sess. 8. & 15. & in Trident. Sess. 14. can. 10. Ambo verò apertè repugnant sacris literis, quæ Infidelibus, & alijs peccatoribus ius & dominium tribuunt, non modò in res alias, sed etiam in personas ipsas. Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Quibus verbis docet Christus tributa Principibus, quamvis Infidelibus, deberi. Et Paulus ad Rom. 13. loquens de Dominis & Principibus Infidelibus, quales tunc erant, *Necessitate*, inquit, *subditi estote, non tantùm propter iram, sed, etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui vectigal, vectigal.* Et 1. Pet. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ* (superiori) *propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus tanquam ab eo missis.* Et paulò post: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis: sed etiam dyscolis.*

Probatur ex Script.

Confirmatur ratione. Confirmatur quia si mali & Infideles carerent dominio & iure; illud esset vel quia Deus in pœnam illos eo priuaret; vel quia omne ius & dominium fundatur in fide, vel in gratia & sanctitate, quo fundamento sublato, pereat ius & dominium. At neutrum dici potest. Primum enim temerè præsumitur, nec potest vllâ certâ ratione probari, sed potiùs contrarium apertè constat ex locis Scripturæ citatis. Secundum etiam dici nequit: quia licet aliquod ius fundetur in gratia & sanctitate, vt ius ad vitam æternam, ad aliàque omnia quæ iustis, vt talibus, debentur ex promissione diuina, quod ius aliqui vocant dominium gratuitum, id est, in gratia & sanctitate fundatum: falsum est tamen omne ius esse tale; sed multa sunt alia fundamenta, seu tituli iuris, quibus cum gratia nihil commune est; vt emptio, donatio, successio, electio, & similes. Quibus titulis, & iure in illis fundato non carent Infideles, neque peccatores, vt docet Scriptura locis antè citatis.

Ad fundamentum autem errorum contrariorum respondeo Dei benignitatem in eo maximè elucere, quòd sicut solem suum oriri facit super bonos, & malos; & Infideles, ac peccatores multis alijs beneficijs afficit, quamvis indignos, & immeritos: sic sua illis iura & dominia relinquit. Et licet Deus velit omnes homines sibi esse gratos, & iustos; proptereáque illos creauerit, & omnia ad hunc finem ordinauerit; tamen non constituit, vt gratia & sanctitas esset fundamentum omnis dominij & iuris; sed liberaliter donauit hominibus res inferiores, eósque sua liberalitate inuitauit ad obsequium & amorem suum. Multáque eorum libertati permisit, quorum tamen rationem aliquando exiget, & ingratos seuerè puniet. Sanctus autem Augustinus intelligendus est in hunc sensum, quòd ex iure & voluntate Dei omnia in bonum iustorum aliquo modo ordinata sunt, iuxta illud 1. Cor. 3. ver. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* At non quòd iusti habeant verum ius & dominium circa omnia. Cùm ex eodem Apostolo ad Rom. 13. & 1. Petri 2. alijsque locis suprà relatis, constet iustos ipsos subesse interdum iuri & dominio Infidelium. 10. Satisfit arg. m. contrariæ sent.

SECTIO III.

De Obiecto Iuris.

Obiectum iuris in communi est id omne, circa quod habet quis legitimam potestatem, cui sine iniuria obsisti nequeat. Sic quia omnia Dei sunt, habet Deus ius altissimum proprietatis in omnia, cui non derogant iura creaturarum: quia nihil est ita alicuius alterius proprium, vt non sit etiam Dei: neque vllius creaturæ quicquam est proprium singulariter, secluso Deo. Item, quia Deus habet legitimam potestatem in omnes creaturas, cui non potest sine iniuria obsisti; subsunt omnes supremo eius dominio, & iuri quidlibet circa illas agendi, tanquam obiectum iuris illius amplissimi. Vtrique autem iuri & dominio diuino, cætera omnia creaturarum iura & dominia subordinantur, atque ab ipso pendent. 11. Obiectū iuris in communi, & speciatim iuris diuini.

Homines quoque circa plurima ius habent: & non tantùm circa res alias, sed etiam circa personas ipsas. Ac primò quilibet circa seipsum habet naturale ius proprietatis. Cùm enim ius proprietatis sit moralis potestas possidendi aliquid tanquam propriè suum, non tantùm Physicè, sed etiam Moraliter; ita vt sine iure superiori non possit illo priuari; ac si priuetur, fiat ipsi iniuria; quilibet hominum habet talem habitudinem ad seipsum, & circa vitam, ac propria 12. Homines habent ius multiplex circa seipsos.

pria membra, quibus sine iniuria priuari nequit, nisi à Deo, vel ab alio, qui habet ius superius, aut ex causa legitima. Præterea, quilibet hominum naturaliter habet ius multiplex consistens in legitima potestate agendi aliquid circa seipsum. Potest enim vti seipso, & suis facultatibus naturalibus ad legitimos vsus. Potest etiam, si nihil aliud obstet, & si alteri non sit obstrictus, sed sui iuris sit, seipsum alteri locare, & donare, ac vendere. Vt colligitur ex Leuit. 25. vbi dicitur, *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, &c.* Et confirmatur, quia homo, qui est sui iuris, & est sui potens, habet dominium suæ libertatis: & sicut potest pro mercede se ad operandum obligare ad tempus; ita & in perpetuum locare, vendere, aut donare. Cùm autem ius illud nusquam inueniatur fuisse liberè institutum; iudicandum est fuisse naturali lumine cognitum, tanquam ab ipsa natura insitum.

13. **Habent etiam ius in alios.** Secundò, multi habent ius in alios, tum proprietatis, tum etiam multiplicis potestatis. Nam parentes habent naturaliter ius in filios, tanquam suos. Coniux etiam est coniugis, & seruus Domini, & ciuis Reipublicæ, cuius est membrum. Vnde homicida sui ipsius, facit iniuriam Reipublicæ, & coniugi, & parentibus, aut dominis, ad quos ipse pertinet, & quibus aliquid suum subtrahit. Item, parentes possunt à filijs multa exigere, & domini à seruis & coniuges à se inuicem, & Respublica à ciuibus & alij ab alijs. Speciatim verò notandum est inesse ius parentibus naturaliter vendendi filios qui in eorum sunt potestate: vt supponitur Exod. 21. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, &c.* Ratio est, quia filij, quandiu non sunt sui iuris, reputantur veluti res & possessiones parentum, vt possint ex eis fructum, & vsum percipere; atque etiam donare, & vendere, non in quemvis vsum, sed vt seruiant humano more & rationabili: quod non tantùm est verum pro tempore quo filij futuri fuissent in patris potestate; sed etiam vltra: vt patet ex prædicto cap. 21. Exodi, vbi significatur filiam quæ in famulam vendita fuisset, non esse redituram ad libertatem exacto tempore, quo sui iuris iam fuisset. Verùm vt patri liberos vendere liceat, requiritur extrema, vel grauis necessitas: alioqui tanti boni prodigus est. Requiritur etiam vt legibus regni, vel alia superiori potestate legitima non irritetur aut prohibeatur eiusmodi venditio: sicut reipsa prohibetur & irritatur in regno Galliæ.

14. **Ius gubernãdi.** Præter ius autem vtendi, aliud est ius circa personas ad regendum & gubernandum: quod ius multùm à priori differt. Nam ius vtendi respicit bonum vtentis: ius autem gubernandi, est ad bonum commune, & ad bonum subditorum, quorum gubernatio ad eorum vtilitatem, & perfectionem tendit. Hoc autem ius partim competit naturaliter, partim ab instituto. Naturaliter quidem parentes habent ius regendi filios. Docet etiam natura, mulieres, quippe naturâ ac iudicio imbecilliores, debere à viris Regi: & inter homines, eos qui minus habent iudicij & prudentiæ, debere Regi à sapientibus: Sed hoc ius nulli determinatè competit ante liberam institutionem, & determinationem, quæ per coniugia fit, & per electiones Principum, aut Magistratuum, & similes actiones, quibus à Deo, vel ab hominibus superiores aliqui constituuntur.

15. **Estne tãtum ab instituto?** Dices: Nonne totum hominum genus habet ius quoddam naturale in particulares, ratione cuius pars melior & sanior possit deteriorem regere, & corrigere, ad bonum & decus totius generis humani; præsertim in his quæ ad Religionem, verámque Dei notitiam, & bonos mores pertinent? Respondeo primò, societates hominum, & coniunctiones omnes in vnum corpus ciuile esse ex instituto & libera hominum voluntate, naturâ quidem ad id inclinante, quia socialis est; non tamen obligante. Secundò, esse naturaliter impossibile vt totum genus humanum, propter nimiam multitudinem, & locorum distantiam, per modùm vnius communitatis regatur. Ideóque homines coacti fuerunt communitates diuersas instituere: quæ diuisio ad placitum facta est. Tertiò, cùm in huiusmodi communitatibus multi sint, quibus sit satis sapientiæ ad alios regendos, neque debeant particulares omnibus subjici tanquam superioribus, propter confusionem regiminis, & alia incommoda quæ inde sequerentur; opus est determinatione, & electione libera, vt hi vel illi præficiantur alijs, & potestatem communitatis accipiant, eiusque nomine & auctoritate alios regant.

16. **Ius in vitam reorum.** Præterea, licet nullus, excepto Deo, habeat simpliciter ius circa personas ad destruendum sine merito; hoc enim ius non fuit à Deo datum, [illegible] potiùs id à Deo prohibetur quinto præcepto decalogi, *Non occides*; alijsque locis in Scriptura reprehenditur: Est tamen in Republica ius in vitam nocentis, qui crimen morte dignum admisit: vt patet ex consuetudine omnium gentium, & confirmat Apostolus Rom. 13. vbi de Magistratu loquens, sic ait: *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Et Deus ipse Genesis 9. sic statuit: *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Alibique sæpius in Scriptura pœna mortis statuitur, & à Sanctis viris infligitur, pro pluribus criminum generibus. Est quoque ius in vnoquoque vt se suáque tueri possit, etiam cum morte inuasoris iniusti, cum moderamine inculpatæ tutelæ: si nimirum vel propria vita, vel res magni momenti inuadatur. **Et inuasoris iniusti.** Vim enim vi repellere licet: & vnusquisque ius habet tuendi se, suáque, contra iniuriam. Sique aliquis culpâ suâ faciat, vt dum vis eius iniusta repellitur, vi iustâ alterius opprimatur: imputandum est illi ipsi, qui alteri necessitatem violenter resistendi imposuit. Par verò est ratio de vita & de tuendis bonis proximi, iniustè inuasi; quia ex lege charitatis oportet proximum diligere sicut seipsum. Quare licet pariter iniustum inuasorem occidere ad tuendam vitam, vel bona alterius innocentis magni momenti, cum supradicto moderamine inculpatæ tutelæ.

17. Vlteriùs, præter ius & dominium, quod aliquis habet in personam ex se natam, vt paren-

tes in filios; aut sibi donatam, vel venditam, aut voluntariè sibi subiectam ad vtendum, vel ad regendum: aliud est dominium in personam iusto bello captam atque seruatam, quod est ex communi iure gentium, diuina auctoritate approbato, & naturali ratione confirmato: nam *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* 2. *Petr.* 2 *ver.* 19. Ratio est, quoniam ille, qui bello iusto victor euadit, habet potestatem in vitam eius qui superatur. Quare seruando illum, acquirit sibi ius dominij in eundem, mutando pœnam maiorem in minorem. Quem vsum fuisse communiter à gentibus obseruatum docent antiquæ historiæ; eumque Deus approbauit. Deuteron. 21. ver. 10. & sequent. Titulus ergo huius dominij in seruos captiuos est victoria ex iusto bello, & reseruatio facta à victore: vnde etiam seruus à seruando dicitur, quia à morte seruatus est: vt habetur lege 4. ff. *De statu hominum.* Quamvis autem victores ius habeant naturaliter occidendi victos, vel alia pœna conueniente afficiendi: determinatio tamen illa ad seruitutem non est iuris purè naturalis, sed voluntatis gentium: sicut pœna mortis per suspendium, à lege constituta certis criminibus, non est iuris purè naturalis, quod tantùm statuit reum posse dignè puniri gladio, vel suspendio, aut alijs modis, nullum determinando. Eóque sensu verum est, quod communiter dicitur, seruitutem iure gentium inductam esse. Hoc tamen ius victorum in seruos captiuos, non est tantum, vt serui captiui licitè nequeant conari euadere ad suos, si possint, & in pristinam libertatem redire; non inferendo vim læsiuam personis, quibus subsunt. Quia non tenentur ipsimet cooperari ad suam captiuitatem continuandam, neque ius gentium ad id obligat: vt patet ex vsu communi, & legibus ipsis, quæ redeuntibus ad suos concedunt libertatem, Lege *Postliminio*, ff. *De captiuis.*

Ius in personas bello captas.

Non est purè naturale.

Possunt captiui illi fugere licitè.

18\. Nec obest quòd solent puniri grauiter captiui, si in fuga recuperentur. Respondeo enim victores habere in captiuos ius eos continendi, & hostiliter compellendi ad manendum, & ad non fugiendum iterum, metu tormentorum; sicut etiam ad laborandum; ad quod tenentur captiui ex necessitate, vt grauiora mala fugiant: sed non tenentur ex conscientia parére, si possint effugere: neque habent domini ius ad illud, sed tantùm possunt hostiliter eos compellere; vt nos compellere possumus importunitate precum amicos, quibus indigemus, ad aliquid nobis præstandum, quod tamen ipsi non debent nobis ex Iustitia: vel sicut iudices compellunt reos ne fugiant è carcere, quamvis licitè possint fugere. Respectu autem aliorum habent domini verum ius vt neque priuentur suis captiuis, neque in eis patiantur aliquid læsionis. Non peccant tamen qui iuuant ad euadendum, eos qui licitè possunt euadere: nisi vim inferant, & nisi sint ministri Iustitiæ quibus ex officio incumbat impedire. Alia est ratio de seruis emptis, donatis, aut natis (nam seruæ partus ventrem sequitur: *lege Partum. cod. De rei vendicatione*) qui non possunt subtrahere se dominis, quin agant iniustè: nisi à dominis seueriùs & iniuriosè tractentur. Idémque censeo de damnatis ad seruitutem propter crimina, nisi seruitus sit dura & calamitosa. Tenentur enim rei exequi pœnam quæ per alios non potest commodè exerceri, modò sit conditioni humanæ accommodata. Si tamen aliquis seruum à se captum in bello, daret alteri, aut venderet: non plus illi tribueret iuris in eum, quàm ipse habeat. Quare posset seruus fugere, & subtrahere se dominio donatarij, aut emptoris: vt alij in bello capti, quorum seruitus non est adeo vilis, & tam strictæ obligationis. Neque de illa loquitur lex 1. & lex. 3. Cod. *De seruis fugitiuis*, vt rectè docet Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 5. apud quem plura de his videri possunt, speciatimque de causis propter quas possunt licitè fugere: Si nimirum sint capti in bello iniusto: Si à domino incitentur ad peccandum, neque rogatus velit desistere, vel si Dominus sit Hæreticus, aut Infidelis Principi Christiano subditus; vel seruum tractet iniuriosè, & inhumaniter; vel si seruus de Infideli fiat Christianus. Hucvsque de Iure circa personas: ex quo sequitur multò magis habere homines ius circa res alias, siue proprietatis, siue potestatis legitimæ ad vtendum, vel agendum aliquid circa illas. Et quidem Deus Genes. 1. ver. 28. & 29. dedit hominibus expressè potestatem terram sibi subjiciendi, & dominandi cunctis animantibus, vtendique herbis, & fructibus arborum ad vescendum. Ampliùs verò Genes. 9. ver. 2. & 3. dedit facultatem vtendi in cibum piscibus, & volatilibus, cæterisque animalibus. Sed quamvis Deus id expressè non concessisset: intellexissent homines se habere ius naturale ad illum vsum, Deo tacitè consentiente, vel non repugnante: Quo iure vtrum vsi fuerint ante diluuium, & ante illam concessionem expressam, diximus tom. 1. disp. 45. Notum est enim naturaliter, conueniens esse vt indigentiæ creaturæ intellectualis, operis Dei nobilissimi, subueniatur per ea, quorum esse in melius conuerti potest, quæque videntur exposita in eiusmodi finem. Nec obest quòd Deus expressè concessit illis vti, locis antè citatis. Deus enim exteriùs multa confirmauit quæ naturaliter cognosci poterant, vt patet ex decalogo. Et licet ius, quod habent homines in res quascunque, pendeat à supremo Dei iure: potueritque Deus non modò illud restringere, vt fecit Genes. 2. ver. 17. prohibens esum ligni scientiæ, & Genes. 9. ver. 4. prohibens esum sanguinis: sed etiam penitùs reseruare sibi ius in res externas, relictâ hominibus solâ licentiâ vtendi: adeo tamen conueniens erat hominibus ius illis vtendi, vt nullâ licet factâ exteriori declaratione iudicandum fuerit illis tacitè tributum esse. Quod intelligo etiam de consumptione, & peremptione animalium: quia naturaliter est apprimè conueniens vt homines possint animalia bruta perimere ad fines bonos, & meliores, quàm sit vita brutorum. Poterat tamen Deus tribuere tantùm licentiam hominibus vtendi rebus sibi necessarijs: sicut illi faciunt, qui ad conuiuandum, aut vtendum rebus suis, tribuunt tantùm licentiam, non autem ius perfectum ratione cuius teneatur ad satisfaciendum qui illud impediuerit.

Secus autem serui empti, donati, aut nati.

19\. Ius in res homine inferiores, animalia, &c.

20. Ius in operationes, & in accidētia. Vltra substantias, tum proprias, tum alienas, in quas homines habent ius multiplex, vt exposuimus hucusque, habent quoque multiplex ius in proprias ipsorum, aliarumque substantiarum operationes; itemque in accidentia propria, & bona interna, vel externa, moraliter ipsis deuincta, vel subiecta. Circa quæ singulariter dubium est an iura ipsa, siue spiritualia, siue non, & alia bona interiora, siue naturaliter insita vel acquisita, siue diuinitus infusa, sint materia iuris & dominij. Ratio dubitandi est, quia Iuristæ cum Barttholo ad legem *Si quis vi, ff. De acquirenda possessione*, dominium sic definiunt: *Est ius perfectè disponendi de re corporali, dummodo lege non prohibeatur*: quare censent res incorporeas non cadere sub dominium, sed quasi-dominium. Secundò, quia si circa dominium habetur aliud dominium, & ius circa ius; par erit ratio vt sicut in vnum ius est aliud ius; ita & in secundum sit tertium, & sic in infinitum. Quare cùm primum quis acquiret ius, aut dominium alicuius rei, orientur in eo infinita dominia. Tertiò, quia aliqui recentiores existimant habitus supernaturales non subesse proprietati propterea quòd proprietas est potestas legitima in substantiam alicuius rei: qualis potestas non est in nobis circa substantiam habituum supernaturalium.

21. Ius in iura ipsa. Ad primum respondeo, definitionem illam dominij non esse adæquatam: vt patebit ex dicendis inferiùs num. 39. & sequentibus: Ad secundum dico, iura ipsa, & dominia vnius subesse quidem posse iuri alterius, sicut iura omnium creaturarum subsunt iuri Dei supremo: & iura particularia, iuri alto communitatis. Sed in eodem malè concipi ius ad suum ius. Nam ipsummet ius per se formaliter, aut voluntas ipsius domina, est sufficiens potestas ad omnem vsum ipsius iuris, per applicationem, cessionem, translationem in alium, resistentiam, extinctionem, &c. Quare sicut præter potestatem illuminandi v.g. malè conciperetur alia potestas in sole ad illuminandum, vel ad posse illuminare: sic, &c.

22. Potest esse proprietas sine iure rem destruendi. Ad tertium respondeo, proprietatem malè definiri per potestatem legitimam in substantiam rei; ad destruendum scilicet. Nam & potestas illa rem destruendi potest esse sine proprietate: sicut erat initio ante rerum diuisionem. Nam antequam proprietates essent introductæ, erat ius non modo ad vtendum rebus saluâ earum substantiâ, sed etiam ad destruendum, & consumendum. Et potest etiam esse proprietas sine potestate legitima destruendi. Nam Dominus directus habet verè proprietatem in fundum, cuius alteri dedit dominium vtile: & tamen non habet ius destruendi. Ergo proprietas non est tale ius. Sic etiam quisque habet proprietatem, & ius in suas naturales potentias, & partes seu membra corporis: ac ratione illius proprietatis fit illi iniuria, si in illis lædatur: quamvis ipse non habeat potestatem legitimam sibi ipsi adimendi, & destruendi. Denique, si qualitas aliqua est, aut res, quæ adimi nequeat, aut lædi à quoquam alio, vt character baptismi, & confirmationis, & ordinis, potestasque consecrandi & absoluendi à peccatis: non ideo minùs cadit sub proprietatem, sed minùs exposita est iniuriæ.

SECTIO IV.

De varijs diuisionibus Iuris.

IVs ratione suæ causæ, vel originis diuiditur primò in naturale, & positiuum. Naturale est, quod ex ipsa rei natura oritur: cuiusmodi est ius parentum in filios. Positiuum, quod ex alicuius placito & voluntate: vt ius Domini in seruum, qui se illi locauit, aut vendidit. Et hæc diuisio adæquata est. Quia nullum est ius quod vel ex ipsa rei natura non sit, vel ex alicuius arbitrio & institutione. Membra quoque huius diuisionis, sumpta formaliter & præcisè, sunt inter se opposita. Materialiter verò idem quod iuris naturalis est, potest esse quoque iuris positiui. Sicut ea quæ sunt legis naturalis, possunt quoque stabiliri lege positiua. 23. Ius naturale, & positiuū.

Dices, ius gentium non esse merè naturale, neque positiuum, sed medium quid, vt significat D.Thomas quæst.57. art.3. in corp. & ad 3. Ergo diuisio iuris in naturale, & positiuum, non est adæquata. Respondeo ius gentium formaliter sumptum, esse positiuum: quia formaliter tale est per vsum, aut per constitutionem, omnium gentium, vel plurimarum. Vsus autem ille, vel constitutio voluntaria & libera, positiuum quid est. Materialiter verò, ea quæ sunt iuris gentium, aliquando sunt iuris merè positiui, vt seruitus, agrorum diuisio, &c. & aliquando iuris naturalis: quando scilicet ea, quæ sunt iuris naturalis, confirmantur vsu, vel statuto omnium, vel plurium gentium, vt diximus in tract. de legibus, vbi cætera quæ de his iuribus hîc dici solent, explicata fuerunt. 24. Ius gentium.

Secundò, ex parte subiecti, & diuersitate eorum inter quos est ius, multifariam diuiditur. Nam aliud est ius inter ciuem & ciuem, quod politicum dicitur. Aliud inter parentes & filios, quod dicitur paternum. Aliud inter dominum & seruum, quod dicitur dominatiuum, seu despoticum, vel œconomicum. Aliud inter virum & vxorem, quod dicitur vxorium. Aliud inter hominem & hominem, sine ordine ad eandem communitatem: qui scilicet non sint eiusdem ciuitatis, aut regni, neque aliam habeant societatem inter se. Aliud inter socios & socios, familiares & familiares, vicinos & vicinos, pares & pares, superiores & inferiores, communitatem & subditos, ac denique inter Deum & creaturas. 25. Ius politicum, paternū, dominatiuum, vxorium, &c.

Circa quam diuisionem celebris controuersia est, an inter patrem & filium, dominum & seruum, virum & vxorem, Principem & subditos, Rempublicam & particulares, Deum & creaturas, sit verum ius Iustitiæ? D.Thomas quæst.57. art.4. post Aristotelem 5. Ethic. cap.6. affirmat inter patrem & filium, dominum & seruum, virum & vxorem, non esse iustum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, paternum scilicet, dominatiuum, & œconomicum. Ratio est, quia iustum simpliciter, est inter alterum & alterum simpliciter. Atqui prædicti 26. Sitne ius & Iustitia inter patrem, & filium: dominū & seruū, &c.

non sunt alter & alter simpliciter; cùm filius sit aliquid patris, & seruus aliquid domini, & vxor aliquid viri. Quia tamen vir & vxor habent plus alteritatis, cùm inter eos sit societas: habent etiam plus iusti, quàm alij prædicti: at non simpliciter iustum politicum, vt inter ciuem & ciuem, defectu perfectæ alteritatis: sed iustum œconomicum. Ob eandem causam, cohærenter loquendo, dicendum est non esse iustum simpliciter inter Deum & creaturas, Principem & subditos, Rempublicam & particulares; quia creaturæ sunt aliquid Dei, & subditi sunt aliquid Principis, & particulares sunt aliquid Reipublicæ. Aliam rationem reddit Molina tract. 1. disp. 7. cur filij ad patrem non sit iustum, nec creaturæ ad Deum: quia filius non potest reddere patri æquale; nec creatura Deo: & similiter neque particularis communitati, à qua plus accipit subsidij & boni, quàm ipse ei tribuat. Cùm autem ad iustum perfectum & simpliciter dictum tria requirantur: nempe vt sit ad alterum, vt sit debitum, & vt sit æquale: ratio quidem debiti reperitur inter patrem & filium, aliósque suprà nominatos; & quidem maior, quàm inter alios: sed deest in omnibus ratio perfectæ alteritatis, & in quibusdam ratio æqualitatis in eo quod redditur; vt in filio respectu patris; licet non in patre respectu filij. Hæc ille, & alij communiter.

27. Est sufficiens inter eos alteritas.

Circa quæ primò considerandum est, non esse quidem tam perfectam alteritatem inter prædictos, atque est inter prorsus extraneos, aut inter ciuem & ciuem, nullo alio nexu coniunctos; quatenus vnus prædictorum est aliquid alterius, & ad ipsum aliquo modo pertinet: Hoc tamen non obstante est vera alteritas Physica inter illos, quatenus sunt supposita distincta realiter, & ab inuicem separata; quæ alteritas sufficit vt inter illos possit esse Iustitia: quemadmodum sufficit vt inter patrem & filium sit vera amicitia, ex Aristot. 8. Ethic. cap. 7. & inter Deum & creaturas rationales, ex D. Thom. q. 23. a. 1. & vnanimi Theologorum sententia, fauente etiam Scriptura Psal. 138. v. 17. & Ioan. 14. v. 21. & cap. 15. v. 14. & 15. alijsque locis.

Confirmatur, quia ex communi sententia Theologorum, Christus Deo satisfecit ex rigorosa & perfecta Iustitia. Et tamen Christus non minùs est Dei, quàm filius sit patris, aut seruus Domini, aut creatura creatoris: imò plus habet vnitatis & identitatis, quàm cætera enumerata; ratione hypostasis Verbi Diuini, quæ realiter idem est cum essentia ipsa diuina, eandémque essentiam adiungit naturæ humanæ, ad constituendum vnum suppositum ex duabus naturis in eadem hypostasi: vnde Christus ex ea parte est realiter idem cum Deo, ac verè Deus.

28. Possunt illi spectari dupliciter.

Secundò, personæ supradictæ dupliciter spectari possunt: materialiter scilicet, prout sunt naturæ intellectuales, capaces iuris, & debiti, citra considerationem patris aut filij, Domini aut serui, &c. & formaliter, prout sunt pater aut filius, Dominus aut seruus, &c. Hæc enim duo sunt diuersa consideratione; persona scilicet quæ est pater aut filius; & habitudo, seu denominatio patris aut filij, quæ plus importat in suo conceptu, quàm esse personæ: cùmque filius per mortem patris desinit dici filius, non desinit esse persona. Pater quoque, quando per mortem filij amittit denominationem patris, & ius in filium, est æquè persona, atque antea erat.

29. Est inter illos debitum rigorosum.

Tertiò, non est dubium quin inter personas prædictas sit verum & perfectum debitum strictum & rigorosum: siue spectentur absolutè, siue relatiuè vt tales; quâ secundâ consideratione habent debitum arctius, quàm aliæ personæ non coniunctæ. Plus enim debiti naturalis habet filius comparatione patris, quàm comparatione cuiusvis alterius proximi. Et creatura multò magis debet Deo quidquid ab ipso exigitur, quam vllis alijs superioribus, quorum ius multò minus est iure Dei supremo.

Ius inter patrem & filium.

Et quidem pater quatenus est persona, ius habet naturale vt non lædatur à filio, neque ab vllo alio, sine causa legitima, tam in persona propria, quàm in honore, & proprijs bonis quibuslibet: itémque vt suum ipsi tribuatur, aut relinquatur. Quatenus verò pater est, habet ius regendi filium, eóque vtendi in necessitatibus, etiam vendendo; atque ab eo exigendi omnia officia necessaria filij. Cui iuri ex aduerso respondet: debitum in filio. Filius quoque, quà filius, habet ius vt alatur à patre, & honestè educetur. Hæc autem competunt illis vt talibus: quia fundantur in titulo generationis.

30. Ius inter alios: Deúque & creaturas.

Idémque dico cum proportione de domino respectu serui; & de viro respectu vxoris, inter quos vt tales est verus contractus, & debitum coniugale; deque principe respectu populi; de Republica vel communitate, respectu particularis, quatenus ab illo distinguitur; & de Deo ipso, qui similiter quatenus est natura intellectualis, licet non consideretur vt creator & Dominus, ius habet vt non inferatur ei contumelia, vel alia iniuria; & quà creator, & pater, ac Dominus omnium creaturarum intellectualium, habet ius multiplex in illas, tum proprietatis, quatenus omnia creata ipsius sunt, titulo creationis; tum regendi, vtendi, & exigendi quidquid voluerit, atque etiam destruendi & anihilandi. Vicissim autem, licet Deus absolutè nihil debeat vlli creaturæ: potest tamen ex hypothesi, sua libera voluntate, debitorem se constituere creaturis intellectualibus, illisque tribuere ius ad aliquid à se exigendum ex debito & obligatione Iustitiæ. Quod re ipsa fecisse docet Paulus Hebr. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni, & dilectionis, &c.* significans Deum fore iniustum, si mercedem negaret promissam bonis operibus: nimirum quia ex Iustitia debitam. Eandemque ob causam 2. Timoth. 4. v. 7. & 8. vocat mercedem bonorum operum coronam Iustitiæ, à Domino reddendam, vt iusto iudice, bonum certamen certantibus, cursúmque fideliter consummantibus. Retributio autem iusti iudicis supponit ius in eo, cui fit retributio; & debitum in eo cuius est retribuere. Alijsque pluribus locis Scriptura sacra Deo Iustitiam tribuit: quæ loca retulimus, & expendimus,

Sanctorúmque Patrum testimonijs illustrauimus tom. 1. disp. 17. num. 13. & sequent. Neque Deo indignum est, vel indecorum, subire debitum & obligationem Iustitiæ, propria sua voluntate & actione ius illud fundando, & tribuendo creaturis, vt ibidem ostendimus. Ideóque debitum aliquod Iustitiæ non repugnare Deo respectu creaturarum intellectualium, sed reipsa inesse multiplex, agnoscunt plurimi grauissimique Theologi, quos sequuntur Suares in Opusc. de Iustitia Dei, Sect. 1. Bellarm. lib. 5. de Iustificat. cap. 14. 16. & 17. Rebell. de obligationib. Iustit. 1. p. quæst. 4. Sect. 3. Valent. tom. 1. disp. 1. quæst. 21. punct. 1. Çumel 1. 2. quæst. 114. disp. 1. difficult. 2. & plures alij recentiores.

31. Siue inter illos æquale? Quartò, licet creatura Deo, & filius patri, & subditus Principi aut communitati, non possit reddere æquale titulis; & tantum retribuere, quantum ab ipsis accipit (quod, vt rectè notat Lessius cap. 46. num. 4. intelligendum est in eodem rerum ordine, & de obsequijs ordinarijs filij erga patrem & subditi erga communitatem: alioqui enim beneficium à parente acceptum, vel à communitate, potest obsequijs supernaturalibus, vel extraordinarijs compensari, atque etiam vinci: vt si filius conuertat parentes & patriam ad fidem Christi, vel si vitam pro eorum libertate amittat.) Considerandum tamen est propriam rationem Iustitiæ non consistere in æqualitate, vt alibi fusè probauimus, sed in ratione debiti rigorosi. Æqualitas enim est quid commune gratitudini, misericordiæ, obseruantiæ, obedientiæ, & alijs virtutibus. Et ratio cur aliquid sit agendum ex Iustitia, sitque illius obiectum & materia propria, non est quia est æquale; sed quia ex iure, seu rigorosè debitum est. Ac licet æquale sæpissime sit reddendum ex Iustitia: non tamen præcisè quia est æquale, sed quia rigorosè debitum: quo pacto sæpe debetur etiam inæquale, & ex Iustitia reddendum est: neque plus debetur, quando plus reddi non potest: quia ad nihil, & ad impossibile, non est debitum.

32. Est inter eos verũ ius Iustitiæ. His præmissis, concludendum est, quamvis Ius & Iustum inter personas suprà enumeratas deficiat in alteritate, & in æqualitate, modo superiùs exposito; & eatenus sit minùs perfectum: esse tamen verum ac proprium ius, & iustum, & non minùs perfectum in propria ratione Iustitiæ. Et quidem Molina disput. initio citatâ, prope finem, probabilius censet cum Aragonio ad art. 4. quæstionis 57. fauente vtcunque D. Thoma ibid. in solutione 2. argum. & Soto lib. 3. de Iustit. quæst. 1. art. 4. paulò ante finem, inter patrem & filium, Dominum & Seruum, maritum & vxorem, posse esse iustum simpliciter quoad ea quæ non debent inuicem quà tales sunt. Vnde etiam aduersus se inuicem possunt agere in iudicio, ratione enormis iniuriæ circa vitam, vel bona. Peccátque sine dubio peccato furti iniusti, filius patris bona surripiens, vel vxor mariti, vel seruus Domini: tenetúrque ad restitutionem. Addit verò Michaël Salon, inter patrem & filium, Dominum & seruum, maritum & vxorem, etiam relatiuè spectatos, & quà tales, ac quoad ea quæ sibi debent inuicem vt tales, esse veram & propriam Iustitiam; licet minùs perfectam, in ratione alteritatis, & æqualitatis: & eatenus dictam *secundum quid*, ab Aristot. & à D. Thoma. Quia inter ipsos, vt tales, reperitur verè & realiter debitum: & debitum istud est ad alterum verè & realiter, sunt enim supposita realiter distincta, quorum vnumquodque per seipsum potest agere sine alio. Et si requiratur vlteriùs æqualitas, illa penitus non deest. Æquale enim duplex est. Alterum absolutè: quale reperitur in emptionibus: vt cùm reddo centum pro re valente centum, quod est æquale de toto rigore Iustitiæ. Alterum verò est secundùm proportionem eius qui operatur: vt cùm aliquis reddit quantum potest iuxta vires suas: licet illud absolutè, & à parte rei non sit æquale. Et hoc sufficit ad veram rationem iusti, etsi non adeo perfectam. Quo modo qui debet centum, & soluit tantùm quinquaginta, quia plus reddere non valet; exercet actum veræ & propriæ Iustitiæ. Et hoc modo reddunt filij parentibus æquale, licet non absolutè & perfectè. Vnde inter patrem & filium est verè & propriè Iustitia. Hucvsque Salon.

Contrarium sentiunt Caiet. ad art. 4. quæst. 57. & Valent. quæst. 1. de Iustitia, Punct. 2. dub. 1. alijque plurimi: quorum ratio præcipua est, quia si inter patrem & filium esset verè & proprie iustum: ergo virtus, quâ filius patri reddit quod debet, esset vera Iustitia: quod est falsum ex D. Thoma, quæst. 80. & quæst. 101. Nam virtus, per quam redditur patri quod debetur, est pietas, quæ non est Iustitia, sed virtus ei tantùm annexa, vt docet S. Thomas loco citato. 33. Cõtraria sententia.

Respondeo virtutem, quâ filius reddit patri quod ex iure paterno debet, præcisè quia debet strictè & rigorosè; esse veram Iustitiam. Pietas verò, licet quoque patri reddat quidquid illi debitum est, siue ex Iustitia, siue aliunde: non tamen reddit præcisè quia debitum rigorosè; sed vt patri cultum deferat, & obsequium, vel auxilium, & subsidium, tanquam vitæ auctori. Est enim proprium pietatis officium cultum deferre parentibus tanquam vitæ auctoribus: & propter parentes, alijs consanguineis, quia in ipsis parentum sanguis existit: deinde etiam patriæ: & propter patriam; socijs & fœderatis patriæ, in quibus fauorem & auxilium patriæ conspicimus. Iustitia erga parentes differt à pietate.

Dices, neminem propriè iniustum esse in seipsum & sua: Iustitia enim, & Iniustitia, est ad alterum. Sed filius est moraliter aliquid patris, & seruus est aliquid Domini. Ergo circa ipsos, saltem vt tales, non potest esse Iniustitia. Respondeo, licet filius sit moraliter aliquid patris, quandiu est in ipsius potestate: & seruus sit aliquid Domini: esse tamen supposita realiter distincta: & patrem non habere quodcunque Ius in filium, etiam quà filium: nec Dominum in seruum: sed potiùs filium, & seruum habere ius vt à patre, vel à Domino alatur, & bene regatur, & ad alia multa. Nec obest quòd pater nocendo filio, sibi etiam nocet, quatenus damnum filij in ipsum redundat, quia filius est 34. Quomodo est sufficiens alteritas inter patrem & filium, dominũ & seruũ, &c.

aliquid ipsius. Quamvis enim non sit iniuriosus quatenus sibi ipsi nocet: secus tamen quatenus alteri supposito diuerso. Filius autem, etiam quà filius, vtrumque habet; quòd nimirum sit aliquid patris, & nihilominus sit suppositum realiter diuersum. Et alia est ratio iuris & dominij: alia parentis. Nam si parens filium vendat, amittit dominium & ius; non autem relationem parentis. Filius quoque venditus eximitur à iure patris: sed non à relatione ad patrem, neque ab obligatione pietatis. Quamdiu enim pater cum filio superstes est, non potest amittere relationem principij, quamvis dominium & ius alteri tradat. Similiter in domino respectu serui, & in marito respectu vxoris, & in Principe respectu populi, & in Deo respectu creaturæ rationalis, licet vnius commoda vel incommoda in alterum redundent, ratione coniunctionis & vnitatis cuiusdam; atque eatenus non sint iusta vel iniusta: secus tamen quatenus hoc non attenditur, sed redditur vel non redditur id quod debetur supposito distincto, capaci iuris, & debiti moralis. Alia multa objiciunt, Vasq. De Lugo, & Mœrat. ad probandum non esse verum ius Iustitiæ inter Deum & creaturas: sed illis alibi respondimus, tom. 1. disp. 17. Sect. 3. & 4.

SECTIO V.

De alia iuris diuisione in Ius ad rem, & Ius in re: Dominium, Vsum, & Vsum-fructum.

35. Ius multiplex ex parte obiecti. TErtia diuisio iuris, maximéque essentialis, sumitur ex parte obiecti, seu materiæ circa quam versatur. Aliud enim est ius circa personas, ad regendum vel vtendum: & aliud circa res alias. Item, aliud est ad bonum obtinendum, vel retinendum: aliud ad malum inferendum, putà ad pœnam pro iniuria. Item, aliud est ad bona spiritalia: aliud ad temporalia. Et inter hæc aliud est ad vitam, & ad alia bona corporis: aliud ad famam & honorem: aliud ad bona fortunæ. Quæ omnia rursus multipliciter subdiuidi possunt. De quibus singulis, déque iniurijs circa illa dicemus infrà, disput. 29. & sequentibus.

36. Diuisio iuris in ius ad rem, & ius in re. Quarta & celebris diuisio iuris ex parte modi, est in Ius ad rem, & Ius in re. Prius est ius circa rem quæ alicui debetur, sed nondum illi est tradita, vel ab eo apprehensa, aut aliter sic deuincta, vt in illam actio ei concedatur. Posterius verò est circa rem traditam, vel apprehensam, aut aliter sic deuinctam, vt in illam actio concedatur. Ex. gr. ius quod aliquis habet circa rem quam emit, antequam res ei tradatur, est ius ad rem: post traditionem verò est ius in re. Ius ad beneficium collatum, ante acceptationem est ius ad rem: post acceptationem verò, est ius in re. Differunt autem hæc (Quomodo hæc differunt?) iura plurimùm. Quia prius non dat actionem circa rem ipsam, sed circa personam. Posterius verò dat actionem circa rem ipsam, quam quis vt sibi deuinctam potest repetere vbicunque sit. Ex. gr. si is qui vendidit aliquid, & non tradidit, vendat illud ipsum alteri, & tradat: transfert in secundum emptorem dominium rei: & primus emptor non potest iure rem ab illo inuito repetere, sibique vendicare: sed tantùm potest agere contra venditorem de iniuria sibi facta, in eo quòd contractum venditionis non perduxerit ad exitum: pro qua iniuria potest exigere aliquam compensationem: at non rem ipsam, quæ manet in dominio secundi emptoris, qui non tenetur illam priori reddere, vt habetur expressè *L. Quoties, C. de rei venditione.* Nisi fortè secundus emptor sciuerit rem illam priùs alteri venditam fuisse.

Dixi, ius in re esse ius circa rem traditam, vel apprehensam, vel aliter sic deuinctam, vt in illam actio concedatur ei, cui deuincta est. Pro quo nota ex Molina tract. 2. disp. 2. & 3. & Lessio lib. 2. cap. 3. dub. 3. ad ius in re comparandum ordinariè requiri titulum, & traditionem rei, si ius ab vno ad alium transferendum est: vel apprehensionem, quando ius non transfertur ab vno ad alterum: cùm acquiruntur res quæ nullius sunt, vt aues, pisces, feræ, & similia: quemadmodum colligitur ex L. *Traditionibus*, C. *de pactis*. Vel tertiò, productionem rei: res enim est naturaliter eius, à quo fit: vt filius est patris, & creatura est Dei. Vel quartò, iuris seu legum dispositionem: cùm scilicet per leges transfertur dominium ab vno ad alium, propter bonum commune; vt fit in præscriptionibus. Quando igitur nihil horum interuenit, non acquiritur ius in re, sed ad rem tantùm. Exceptis quibusdam casibus, in quibus leges aliter disponunt; vt in beneficijs, in hæreditate per testamentum, vel ab intestato, in legatis, & alijs quæ breuiter recensent, & exponunt Molina, & Lessius locis suprà citatis. 37. Quomodo acquiritur ius in re.

Secundò, ius in re bifariam subdiuiditur. Vnum est coniunctum cum quadam auctoritate circa rem sibi deuinctam: & hoc vocatur dominium. Aliud, sine tali auctoritate; & hoc est simplex ius proprietatis, aut potestatis ad aliquid sine dominio. Dominium autem duo dicit; nempe quamdam authoritatem in rem, vel in personam tanquam suam; & potestatem de illa disponendi. Atque ita Deus omnium creaturarum Dominus est, quia de omnibus vt suis, potest cum summa auctoritate disponere: & rex suorum subditorum dominus est: & quilibet suorùm fundorum, & similium. Porro non omne ius in re est huiusmodi. Nam ius vxoris erga virum est verè ius in re: & tamen vxor non habet dominium erga virum: imò iure diuino est sub viri potestate & dominio, vt dicitur Genes. 3. & Ephes. 5. Ius quoque pignoris, & hypothecæ, est ius in re, sed non est dominium: & alia id genus. 38. Ius in re duplex est.

Rursus dominium duplex est. Vnum, Iurisdictionis erga suos subditos, cum potestate gubernandi. Alterum, proprietatis circa rem aliquam, quam quis vt suam possidet, vel de ea proprio iure potest disponere in suum commodum. Prius, secundùm aliquos, quibus adhæret Molina tractat. 2. disp. 3. ad eos solùm spectat, quibus Iurisdictio in subditos, eorumque protectio ita incumbit, vt subditi eorum dicantur Vassalli non verò ad alios, qui nomine 39. Dominiū vnum est Iurisdictionis.

atque præscripto illorum, Iurisdictionem protectionémque exercent, aut non sunt eo modo domini & superiores. Alij verò latiùs illud extendunt ad quoscunque superiores qui verè habent præcipiendi, vel prohibendi, iudicandi, præmiandi, vel puniendi, & vno verbo, gubernandi potestatem. Fauente Scriptura, quæ Genes. 3. ver. 16. de vxore respectu viri sic loquitur, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum:* & paulò post, *Dominum tuum illum constitui*, Iacob scilicet respectu Esaü. Et cap. 45. de Ioseph dicitur, *Ipse dominatur in omni terra Ægypti:* cùm tamen dumtaxat gubernaret Ægyptum nomine Pharaonis. Diuiditur autem à Iurisperitis in *altum*, siue superiùs, & mediatius: & in *bassum*, id est, immediatum, aut immediatius, comparatione alterius superioris qui ius mediatius in idem habeat. Potest enim dominium Iurisdictionis eiusdem rei ad plures pertinere, cum subordinatione. Vt v. g. dominium alicuius ciuitatis, vel oppidi, potest immediatè ad Ducem, aut Marchionem pertinere; mediatè ad Regem; & mediatiùs ad Imperatorem, si Rex quoad Iurisdictionem illam sit subiectus Imperatori. Et Episcopatus, subest immediatè Episcopo, mediatè Summo Pontifici. Diuiditur secundò in Ciuile, cuiusmodi est dominium Regale, Imperatorium, Ducale, Marchionale, &c. & in Ecclesiasticum, cuiusmodi est Papale, Patriarchale, Archiepiscopale, Episcopale, & alia inferiora, respectu illorum omnium qui eis subsunt in spiritualibus. Nec obest illud 1. Petri 5. *Non dominantes in cleris*, & Lucæ 22. *Principes gentium dominantur eorum, &c. Non ita erit inter vos.* Nam hæc tantùm eò spectant, vt superiores Ecclesiastici magis prodesse velint, quàm præesse; & non tam honorem, quàm officium quærant, neque dominentur more Principum gentilium, qui sua potiùs quærebant commoda, quàm bonum commune.

Diuiditur in altum, & bassū.

Itemque in Ciuile, & Ecclesiasticum

40. Posterius verò, nempe dominium proprietatis, diuiditur iterum in perfectum, seu plenum; & imperfectum, seu non plenum. Perfectum est, quod habet rei proprietatem, & potestatem ad omnem eius vsum, seu dispositionem legitimam, etiam ad destruendum, vel alienandum. Definitúrque à Bartholo in L. *Si quis vi*. §. *Differentia*. num. 4. ff. *de acquirenda possessione*. Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Sed particula, *corporali*, perperam additur: cùm de rebus etiam spiritalibus, id est, insensibilibus, & solùm intelligibilibus, dominium esse possit: & sine dubio Deus est perfectè Dominus rerum omnium, tam spiritalium, quàm corporalium; neque minùs Angelis, quàm Hominibus dominatur. Præterea, eâdem definitione non satis explicatur natura perfecti dominij: quæ non consistit in sola potestate, plenè disponendi de re; sed dicit vlteriùs proprietatem rei, id est, quòd res sit illius tanquam sua: quæ proprietas est prior illa potestate disponendi, ac sine illa esse potest. Nam potest aliquis transferre ad alium potestatem ad omnem vsum rei, etiam ad consumptionem: retenta sibi tamen proprietate, ratione cuius, si alter moriatur ante vsum suæ potestatis, redibit ad proprietarium potestas plenè vtendi re: quippe quæ oritur à proprietate, veluti connaturaliter, & in ea fundatur, licet ab illa separari possit. Confirmatur, quia in casu posito, ille ad quem translata est plena potestas vtendi re, atque etiam destruendi, vel alienandi, retenta tamen proprietate, donec res ab illo destruatur, aut alienetur: ille, inquam, habet ius perfectè disponendi de re: & tamen non habet dominium perfectum: quia non habet proprietatem. Ergo prædicta definitio non bene explicat naturam perfecti dominij, quod primò consistit in proprietate, à qua pendet, vt à radice, potestas plenè disponendi de re. Nec obest quod Iurisconsulti non meminerunt istius iuris, & tam amplæ potestatis concessæ alteri retentâ proprietate. Nam Iurisconsulti non explicant neque scrutantur omnia iura possibilia, sed tantùm ea quæ inter Romanos erant consueta.

Alterum est dominiū proprietatis.

Diuiditur in perfectū, & imperfectum.

Perfectū non bene explicatur à Iurisconsultis.

Quòd si objicias non posse maius dominium, & ius concipi circa rem aliquam, quàm illud quod est ad substantiam ipsius, & ad omnem eius vsum, & fructum, cuiusmodi est ius perfectè disponendi de re: Ergo ille qui habet omnem potestatem circa rem, etiam quoad substantiam, ad destruendum, vel alienandum, habet perfectum & plenum dominium: Neque potest intelligi quomodo res sit aliena, respectu eius, cui tota concessa est, etiam secundùm substantiam. Respondeo, licet quando datur potestas in substantiam rei, non remaneat aliquid rei, in quod non detur potestas; non tamen dari rem omni modo, neque inde sequi quòd non possit retineri proprietas aliqua, datâ potestate in ipsam quoque substantiam. Et quidem ab initio erat in singulis hominibus potestas & in vsum rerum, & in substantiam, sine cuiusquam proprietate ante rerum diuisionem. Proprietas verò erat in Deo, sicut semper est. Quare præter ius & potestatem prædictam, potest concipi ius maius, & dominium magis perfectum, continens rei proprietatem, vltra totam illam potestatem: cuiusmodi proprietas accessit hominibus facta rerum diuisione, circa easdem res, in quas priùs habebant potestatem quoad vsum, & quoad substantiam.

Soluitur obiectio.

Meliùs ergo definitur dominium perfectum, Ius quod rei proprietatem continet, & plenam potestatem ad omnem eius vsum, nisi lege prohibeatur. Quæ particula vltima additur, quia licet huiuscemodi dominium ex natura sua tribuat potestatem ad quemcumque vsum & dispositionem rei: interdum tamen per legem aliquam impeditur ab eius vsu. Atque ita v. g. pupillus non potest res suas alienare, quarum tamen verè dominus est: & alia quædam non possunt alienari, quæ idcirco dicuntur *vinculata:* Non defectu potestatis, quæ non est Domino erepta & ad alium translata: sed per impedimentum eius vsui positum (quo modo quis à currendo impediri potest, non læsa, sed vinculis obstricta currendi potestate) eóque impedimento sublato, sine collatione noui iuris, possunt alienari. Sed nota ex Molina tract. 2. disp. 3. 41.

Quid propriè sit

5. *Illud admonuerim*, cùm parum pro nihilo reputetur, licet res sit hypothecæ subiecta, vel habeat in se seruitutem exiguam, aut censum; id non officere, quin proprietarius pleno iure Dominus illius dicatur; tametsi iure pleniore esset illius Dominus, si res illa nulli alteri esset obligata. Hucusque de dominio perfecto & pleno.

41. Dominiũ imperfe-ctũ quid sit. Dominium verò non plenum, neque perfectum, ex duplici capite dici potest. Vno, ex parte subiecti, quando scilicet, quamvis ex parte obiecti sit integrum, quia est ius proprietatis cum potestate ad omnem vsum; nihilominus est diuisum inter plures, quorum quilibet habet comparticipem in toto eo iure ac dominio: vt quando hæreditas duobus est relicta, ab ipsis inter se diuidenda: vel ager fuit emptus à duobus communiter, & indiuisim. Altero, ex parte obiecti: quia scilicet ille, qui dominus est rei alicuius, non habet integrum ius in illa, sed pars vna iuris pertinet ad vnum, & alia ad alium: vt quando ad vnum pertinet proprietas, & ad alium vsus, vel vsus-fructus vnius & eiusdem rei. Diuiditur in directum, & vtile. Hoc modo sumptum dominium non-plenum diuiditur à Iurisperitis in dominium directum, quod est dominium proprietatis sine vsu-fructu; & dominium vtile, seu vsum, vel vsum-fructum; id est, ius vtendi tantùm, vel ius vtendi simul & fruendi re aliena, saluâ ipsius substantiâ: vt habetur *Institut. de vsufructu, in principio:* dummodo tamen illud ius sit absolutum & plenum, saluâ rei substantiâ: si enim non sit plenum & perfectum, sed determinatum ad percipiendum aliquem tantùm vsum, aut etiam aliquem fructum; non vocatur dominium. Distinguuntur autem vsus, & fructus. Vsus, & fructus quomodo differunt? Nam fructus est id, quod ex re prouenit; vt poma ex arbore; lac, & agni, & lana, ex ouibus. Vsus autem, est rei assumptio ad aliquid; vt equi, ad equitandum, ad spatiandum, vel ad currum trahendum: de quibus vide Institut. lib. 2. tit. 4. & 5. Vbi tamen de vsu & vsu-fructu agitur sumptis pro iuribus vtendi, aut vtendi-fruendi, quo modo solent hæc nomina communiter accipi. Eoque sensu definitur vsus-fructus *Institut. de vsu-fructu, in principio*, Ius rebus alienis vtendi-fruendi saluâ rerum substantiâ: ita nimirum vt res integræ conseruentur domino principali & directo. Quid sit Vsus & Vsus-fructus? Vsus autem, eodem sensu acceptus, est ius vtendi re alienâ, saluâ ipsius substantiâ. Subiectio verò moralis huiusmodi rerum, quibus frui, vel vti possumus, respondens iuri nostro vtendi, vel fruendi, vocatur à Iurisperitis seruitus, *Institut. tit. de seruitutibus rusticorum prædiorum, & vrbanorum, & ff eodem tit.* Quid sit seruitus rerũ vsui, aut frui subiectarũ? Diuiditurque in tres species. Diuiditur in personalem, & realem & mixtam. Vna est merè personalis; vt ea quæ à persona debetur personæ; vt si vsum serui tui ad tempus, vel ad vitam alteri concesseris. Alia est merè realis: vt ea quæ à re debetur immediatè alteri rei; vt ius quod habet meus ager, vt per tuum possit transiri; aut mea domus, vt super tuam aream fenestram habeat. Sic enim res immediatè seruit ac subjicitur alteri; & ad quemcumque transeat res, transit cum tali iure. Alia est mixta, quæ à re debetur immediatè personæ: vt à sylua, à vinea, ab ouibus, & similibus, quibus frui vel vti possumus immediatè. Et hæc extinguitur cum persona cui debetur. Ita Lessius cap. 3. dub. 4. & tribus sequentibus, apud quem plura videri poterunt de huiusmodi iuribus, eorumque effectis.

Circa hanc diuisionem iuris, celebris difficultas est, vtrum in illis rebus quæ vnico vsu consumuntur, vel alienantur, vt cibi, pecuniæ, & similia, Dominium & proprietas distinguatur ab vsu, seu à iure, vtendi. 42. Grauis controuersia. De qua difficultate olim contentio fuit inter Summos Pontifices. Negante Ioanne XXII. Extrauag. *Ad conditorem, De verb. significat.* & duabus sequent. vbi contendit non posse ius vtendi circa res vsu consumptibiles consistere sine proprietate. Contrà verò affirmantibus Nicolao III. Extrauag. *Exijt qui seminat, §. Ad hæc cùm fratres, de verb. significat. in 6.* & Clemente V. in prima Clementina, *§. Proinde cùm vir sanctus*, eodem titulo, & Alexandro IV. ac Gregorio IX. quos Nicolaus pro se citat. Huius contentionis occasio fuit ordo Fratrum Minorum, qui dicunt se nullius rei habere dominium & proprietatem, ne in communi quidem, ex suo voto paupertatis; sed vsum tantùm.

44. Proprietas distinguitur à potestate consumendi. Dicendum verò est primò, aliud esse, proprietatem in alterum transferre: & aliud, dare potestatem alteri in proprietatem per cuius vsum proprietas possit perire. Nam ille qui dat potestatem consumendi rem suam, non ideo dat proprietatem, vt suprà dictum fuit: & nihilominus subjicit eam potestati, per cuius vsum destrui potest; sed antequam destruatur, proprietas manet; ac si potestas pereat sine vsu, persistit eadem proprietas.

Quæ potestas dari potest dupliciter. Dicendum secundò, potestatem illam duobus modis dari posse. Vno scilicet, ita vt sit verum & perfectum ius, cui si obsistatur, fiat iniuria, neque possit ad nutum à concedente reuocari. Altero, ita vt sit ad nutum reuocabile, vel non sit verum ius Iustitiæ, sed tantùm licentia iuris, & concessio: quale ius est illud, quod accipiunt conuiuæ ad epulas appositas, edendas tantùm, & non vendendas, vel asportandas: & ius quod accipiunt singuli Religiosi ad ea, quæ ipsis conceduntur ad certos vsus quorum certè domini & proprietarij non sunt, cùm id voto paupertatis repugnet: possùntque ad nutum Superiorum illis priuari, neque possunt ea vendere, aut distrahere. Et hoc ius saltem à dominio & proprietate distingui, & separari posse, diuidique re ipsa in Ordine Minorum, docent præter Pontifices citatos, Sot. lib. 4. de Iustitia, quæst. 1. art. 1. post medium, Valent. quæst. 10. de Iustitia, puncto 1. quæstiuncula 11. Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 8. & alij plerique. Neque verò negat Ioannes XXII. distingui, ac separari in ipsis Religiosis: non enim requirit ius proprietatis & dominij in ijs, qui vsum percipiunt; sed in corpore, seu communitate cuius sunt membra. At neque id necessarium est, sed ipsi quoque communitati potest tantùm vsus aut ius vtendi concedi, manente iure proprietatis apud donatores eiusmodi bonorum ad vsum, vel apud Sedem Apostolicam. Fráciscani habent vsum sine proprietate. Sicut enim ipsi particulares Religiosi pri-

uari possunt omni dominio & proprietate rerum, contenti solo vsu & licentia, vel iure aliquo imperfecto vtendi: ita & tota communitas Religiosa potest habere nudam concessionem ad vsum, sine proprietate. Atque hoc sufficit necessitati Religionis, aut Religiosorum, quæ non postulat rei proprietatem, sufficit enim vsus licitus ex concessione alterius. Notandum tamen, Religiosos renuntiando per votum iuri & proprietati, non renuntiare debito naturali quod habent conseruandi vitam, & vires, sine irrationabili dispendio: neque iuri sibi prouidendi in extrema vel graui necessitate, quantùm necessarium est. Id enim cùm sit rectæ rationi aduersum, non potest esse materia voti.

45. Soluitur obiectio. Ad id verò quod objiciebat Ioannes XXII. Religiosos illos non posse vti rebus sine aliquo iure, alioquin vsus esset non-iustus: Respondeo, vt vsus sit iustus, sufficere ius quodcunque vtendi: & vt sit non-iniustus, sed licitus, sufficere simplicem licentiam & concessionem vtendi, factam ab eo qui concedere potest. Idem verò Pontifex in Extrauag. *Ad conditorem*, dicit se abdicare à se, & à Sede Apostolica dominium earum rerum, ne Fratres Minores prætendant illud esse apud Sedem Apostolicam. Verùm alij Pontifices, ante & post, ius illud admiserunt, vt habetur verbo: *Paupertas*, in Priuilegijs Minorum. Et nisi admitterent, maneret apud eos, à quibus res illæ donarentur, seu potiùs concederentur ad vsum Minoribus.

46. Explicatur D. Thomas. Instabis, quia D. Thomas quæst. 78. art. 1. docet in his rebus, quæ vsu consumuntur, cuicunque conceditur vsus, concedi etiam rem ipsam eiusque dominium. Vnde in mutuo talium rerum non potest exigi vsum, id est, pretium vsus distinctum à pretio rei. Respondeo D. Thomam loqui de iure perfecto vtendi, & irreuocabili à libera voluntate concedentis: & loqui secundùm institutiones ciuiles, quæ nullum ius perfectum & irreuocabile admittunt, nisi saluâ rei substantiâ, vt habetur *Institut. de vsu & habitatione*. At secundùm rei naturam potest non modò ius imperfectum & reuocabile, sed etiam irreuocabile, separari à proprietate rei per vsum consumptibilis: quod ius si solum vendatur, minoris vendi debet, quàm si proprietas simul venderetur: ita vt pretium vsus, & pretium dominij simul, non superent iustam rei æstimationem: quo pacto vitatur vsuræ iniustæ periculum. Hic tamen contractus, quamvis per se licitus, non est in vsu, quia facilè palliaret vsuras.

47. Ius possessionis quid sit? Superest alia iuris species, quæ possessio dicitur, definitúrque à Bartholo, *lege 1. De acquirenda vel amittenda possessione*, Ius insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri. Cuius definitionis singulæ particulæ sic exponuntur à Lessio, lib. 2. c. 3. dub. 9. Dicitur primò, *ius*, vt distinguatur à possessione facti, quæ formaliter est ipsa occupatio, & detentio rei: ex qua, si iusta fuerit, oritur hoc ius. Secundò dicitur, *insistendi rei*: quâ particulâ differt possessio à dominio, quod dicit vel proprietatem, vel potestatem perfectè disponendi de re, aut percipiendi omnem vsum, aut fructum. Hoc verò ius dicit tantùm formaliter potestatem insistendi rei, id est, tenendi rem pacificè, & iuris remedijs, atque interdum armis se tuendi contra inuasorem. Potéstque esse de re non sua, ac proinde sine proprietate; cùm quis rem alienam possidet bona fide. Dicitur tertiò, *tanquam suæ*: quia si quis insistat rei, nomine alterius, vt tutor insistit bonis pupilli, non est possessor. Quartò dicitur, *non prohibitæ iure possideri*: quia rerum possessio pendet à iure positiuo; nec potest quispiam possidere aliquid legitimè, iure resistente. Quotuplex autem sit possessio, & quomodo acquiratur, vel amittatur, & quos effectus habeat, vide apud eundem Lessium cap. cit. dub. 10. & tribus sequentibus, & Molinam tract. 2. disp. 12. & pluribus deinceps.

SECTIO VI.

Quibus Dominium competat, & circa quæ?

Constat ex dictis Sect. 2. solas & omnes naturas intellectuales esse capaces dominij: quia solæ & omnes sunt capaces iuris: omne autem dominium est ius. Ibidémque ostendimus infantes ante vsum rationis, & amentes, habere nihilominus dominium rerum sibi à parentibus relictarum: vt de infantibus docet Apost. ad Galat. 4. ver. 1. Quia nimirum, licet non habeant rationis vsum, sunt nihilominus naturæ intellectualis supposita. 48.

Habeátne vxor dominium rerũ aliquarum? De alijs quæritur primò, an vxor existens sub potestate viri habeat plenum dominium aliquorum bonorum, ita vt possit liberè de illis disponere? Respondeo habere dominium plenum eorum bonorum, quæ vocantur paraphernalia, id est, præterdotalia: nimirum quæ in dotem non attulit, neque per contractum matrimonij voluit esse communia, sed sibi reseruauit. Idémque dico de bonis quæ industriâ & labore suo, non debito familiæ, acquisiuit: nisi iure speciali loci, in quo versantur coniuges, aut vi contractus initi inter se, hæc bona debeant esse communia. Idem etiam dico de bonis, quæ maritus illi dono dedit, vt de illis liberè disponat; & de alijs, quæ, cum eodem iure, ipsi à quocunque donata sunt. De alijs verò, quamvis non habeat plenum dominium, potest tamen licitè disponere, & accipere quantùm est opus ad eleemosynas iuxta suum statum faciendas, vt solent aliæ piæ & honestæ mulieres eiusdem conditionis: & ad honestam recreationem statui suo conuenientem, victúmque, & vestitum decentem, & ad quamcunque aliam suam, aut familiæ necessitatem: atque etiam ad succurrendum graui necessitati, seu paupertati patris, vel matris, fratrum, aut sororum. Quia in his omnibus coniux non est rationabiliter inuitus: & vel contractus matrimonij, vel consuetudo hoc ius illi dat: vt fusiùs docent Lessius cap. 12. dub. 14. & Molina disput. 274.

Quæritur secundò, an filij-familias, quamdiu sunt sub patria potestate, habeant rerum aliquarum dominium? Respondeo primò, ha- 49. Et filij-familias?

bere plenum dominium in peculio castrensi, & quasi castrensi: ita vt sint illius proprietarij, & plenum eius vsum habeant, & vsum-fructum: possintque vendere, donare, atque etiam per testamentum & vltimam voluntatem de eo disponere, modò decimum quartum ætatis annum excesserint, quia antea testari nequeunt. Ita Doctores communiter teste Lessio lib. 2. de Iustitia cap. 4. num. 8.

Quid sit peculium castrense? Dicitur autem peculium castrense id, quod in castris, hoc est, in militia, vel occasione militiæ acquiritur siue à Ducibus, siue à militibus, siue ab alijs quomodocunque bello terrestri aut nauali inseruientibus: dummodo tamen bellum sit iustum & publicum: nam ea quæ in bello iniusto, aut priuato, vel illius intuitu acquiruntur à filio-familias, non gaudent priuilegio castrensium: vt rectè notat Sanches lib. 1. Consil. cap. 2. num. 4. post Syluestrum, Angelum, Tabienam, & Armillam, quos citat: & Cardin. De Lugo disput. 5. de Iustitia Sect. 2. num. 15. Item castrense dicitur id omne quod filius-familias acquirit in obsequio Principis, vel in castelli, aut arcis custodia publica, etiam tempore pacis; & quicquid prouenit ex huiusmodi bonis per contractum legitimum: vt si ex illis emat fundum frugiferum, aut ludendo, vel negotiando, aliquid lucretur. Quæ omnia constant ex varijs iuribus C. & ff. de castrensi peculio, & alijs relatis à Sanche dubio suprà citato.

Quid quasi castrense? Quasi castrense verò dicitur, id quod à filio-familias post Clericatum acquiritur, siue ex Beneficio Ecclesiastico, siue aliunde: vt habetur Authent. *Presbyteros, C. de Episcopis & Clericis*, cuius verba hæc sunt: *Presbyteros autem, Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes, habere sub sua potestate præcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare secundum leges, & in his testari, licet sub parentum sint potestate.* Item id quod acquiritur ratione alicuius officij publici non Mechanici: vt Iudicis, Assessoris, Aduocati, Notarij, seu Tabellionis; aut professione alicuius ex Artibus liberalibus, multóque magis Theologiæ, aut Iurisprudentiæ ciuilis, aut Canonicæ; siue illud quod datur ob illam professionem, sit stipendium publicum, siue non. Itémque id omne quod datur filio-familias liberaliter à Rege, vel, à Regina, & alijs supremis Principibus: vel etiam à quolibet alio eâ intentione, vt vsus-fructus ad filium solummodo, & non ad patrem pertineat. Quæ omnia habentur sancita varijs iuribus relatis à Sanche cap. cit. dub. 3. Idcirco autem vocantur *quasi castrensia*, quia gaudent priuilegio castrensium, suntque in eo similia castrensibus: vt dicitur in Authentica paulò antè relata.

50. Peculiū aduentitium, & profectitiū quid sint? Respondeo secundò filium-familias, licet adhuc existentem sub potestate patris, habere dominium directum & proprietatem peculij aduentitij: sed non habere illius vsum-fructum, nisi in quibusdam casibus. Ita Sanches cap. cit. dub. 4. & seqq. Less. cap. 4. dub. 9. De Lugo disp. 5. Sect. 2. num. 23. & seq. & alij, quos isti citant. Dicitur autem peculium aduentitium illud, quod neque est castrense, neque quasi castrense, neque prouenit à parente illo cuius respectu vocatur aduentitium, neque etiam illius causâ & consideratione præcipuè donatur; sed obuenit aliunde vel successione, vel alia donatione, vel proprio labore & industria, vel casu & fortuna, vt si inuenerit thesaurum, vel quolibet alio modo: vt docent Nauarr. Syluester, Angelus, & alij relati à Sanche cap. cit. dub. 4. In quo differt ab altero peculij genere quod profectitium appellatur, quia prouenit à parente viuo, vel principaliter & proximè eius gratiâ datur: circa quod filius-familias nullum habet dominium, nec directum, nec vtile; sed totum penes parentem est, nisi sit etiam castrense, vel quasi castrense ex alio capite. Circa prius verò habet dominium directum, sed non vtile, nisi vel patre concedente: vel si aliquid filio donetur patre contradicente, aut eâ intentione vt pater vsum-fructum non habeat: aut si vsus-fructus filio sit relictus: aut si filius vnà cum patre succedat in hæreditate fratris, vel sororis: vel si parens fiat Hæreticus, quia tunc filius fit sui iuris, vt pluribus docet Lessius dubit. cit. Aliarum verò rerum præter peculia prædicta dominium non habet, nisi à parentibus ipsi donetur. De pecunijs tamen, & rebus quæ ipsi mittuntur cùm extra domum versatur in studijs v. g. potest impendere licitè in eleemosynam, ludum, & honestam recreationem, id quod alij pij & modesti eiusdem conditionis solent. Quia pater præsumitur consentire, & consuetudo hoc illi ius dat: vt de vxoribus antea diximus.

Quæritur tertiò, an serui seu mancipia, rerum aliquarum temporalium dominium habeant? Respondeo, non habere regulariter: sed posse tamen habere in quibusdam casibus. Ita Molina tract. 2. disp. 38. Lessius cap. 4. dubit. 4. & alij communiter. Ratio primæ partis est, quia seruus quidquid est, domini est: & quidquid acquirit, domino acquirit: iuxta id quod dicitur L. *Id vestimentum*, ff. *De peculio*, seruum nec esse dominum vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest. Et Institut. *Per quas personas nobis acquirimus*, dicitur, seruos nihil posse suum habere; sed ex quacumque causa acquisiuerint, domino acquirere. Et L. *Nec seruus*, ff. *De peculio*, dicitur seruum neque debere posse, neque illi quicquam deberi. 51. Serui, seu mancipia habéntne aliquod dominiū?

Secunda pars responsi, quòd nimirum hæc iura, & similia sint regulariter intelligenda; possintque serui nihilominus in quibusdam casibus verum habere dominium alicuius rei, & iniuriam pati si eo priuentur, probatur, quia serui possunt seipsos redimere pecunijs sibi partis. Vnde lege *Vix*, ff. *de iudicijs*, datur actio seruis contra dominos, si dicant, se suis nummis redemptos, & non manu-missos contra placiti fidem. Casus autem præcipui, in quibus seruus potest sibi dominium rei alicuius acquirere, hi ponuntur à Molina, & Lessio, locis suprà citatis. Si Dominus cum seruo paciscatur. Possunt autem ambo pacisci tum de rebus alijs, tum etiam de officijs & debitis fundatis in titulo dominij, & seruitutis; atque ita habere

ius & debitum inter se relatiuè spectatos, quà seruum, & quà dominum. Item si dominus tacitè vel expressè aliquid seruo donet, aut velit ab illo tanquam suum haberi. Si pro iniuria illata in his quæ potestati domini non subiacent, vt pro vexatione, vel læsione sibi iniustè illata, accipiat aliquid in compensationem à domino, vel ab alio. Si aliquid ei donetur, vel relinquatur cum tacita vel expressa conditione vt sit serui, non domini. Si aliquid sibi subtrahat sine dispendio domini, quod poterat consumere. Si ex bonis suis, quorum dominium iam acquisiuit, aliquid lucretur ludo, vel aliquo contractu; aut præter opera præscripta, aliquid faciat vnde quæstum colligat. Notandum autem nomine seruorum, de quibus hæc quæstio proposita fuit, & de quibus iura citata loquuntur, non intelligi famulos liberos, sed mancipia.

52. Et Religiosi non professi?

Quæritur quartò, an Religiosi habeant rerum aliquarum temporalium dominium? Respondeo, Religiosos esse in triplici differentia. Quidam enim sunt professi, & quidam non professi, vt Scholastici & Coadiutores formati in Societate IESV. Item, quidam sunt inferiores, & alij superiores: & inter hos, aliqui sunt beneficiarij, vt Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes, habentes Beneficia regularia, vel sæcularia: alij simpliciter superiores sine vllo beneficio. Hoc supposito, dico primò, Religiosos non professos posse, etiam in particulari, habere domiuium bonorum temporalium, posséque illud retinere quandiu superiori videtur: licet non possint habere vsum vllum suorum bonorum, vel aliorum, sine consensu Superioris. Patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, sic statuente de ijs qui in Societate IESV vota post biennium probationis emiserunt.

53. Professi non habent in particulari dominium rerum tempor.

Dico secundò, Religiosos solemniter professos esse in particulari incapaces omnis dominij, proprietatis, vsus-fructus, possessionis, & similis iuris temporalium rerum mobilium, vel immobilium: ita vt nihil earum tanquam proprium tenere possint. Ita Less. cap. 4. num. 21. & alij communiter. Patetque ex Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regularibus, & capite *Non dicatus, 12. q. 1. & cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*; & ex communi axiomate affirmante Monachum, quidquid acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirere. Ratio est, quia vt rectè addit auctor citatus, votum solemne paupertatis non solùm spoliat omni dominio; sed etiam reddit incapacem omnis dominij rerum temporalium. Idque non quidem ex natura voti, vt patet ex voto simplici, quod de se non minùs est efficax, quàm solemne; & tamen hanc incapacitatem non inducit, vt liquet ex dictis de votis simplicibus post biennium probationis emissis in Societate IESV: neque ex sola voluntate vouentis: sed ex constitutione Ecclesiæ, quæ talem spoliationem, & incapacitatem voto solemni annexuit: quemadmodum propter similem constitutionem votum solemne castitatis reddit incapacem matrimonij: quod votum simplex castitatis non facit: similique iure potest Ecclesia reddere aliquos incapaces matrimonij, sine professione, aut solemnitate voti: vt re ipsa fecit erga Religiosos Societatis non-professos, in Bulla suprà cit. Gregorij XIII. Hinc collige peccare Religiosos qui re aliqua tanquam propria vtuntur, nollentque liberam eius dispositionem superiori relinquere: quique sine tacito, vel expresso consensu superioris aliquid accipiunt, vel retinent, alienant, abscondunt ne superior sciat. Cuius peccati grauitas, vel leuitas, ex materia pensanda est. Ratio est, quia hæc omnia repugnant voto paupertatis, súntque actus proprietatis, vel dominij alicuius absoluti, & independentis.

Dico tertiò, Religiosos, quamvis professos, esse capaces dominij rerum temporalium in communi: ita vt Monasterium, seu communitas, verum dominium earum rerum habeat. Patet ex Tridentino, Sess. 25. cap. 3. de Regularibus, & Nicolao III. Extrauag. *Exijt qui seminat, de verborum significat.* Ratio est, quia id neque voto ipsi, & intentioni Religiosorum repugnat; neque constitutioni Ecclesiasticæ; vt fusiùs ostendit Lessius lib. 2. cap. 4. num. 19. & 20. vbi rectè aduertit hoc dominium non esse tam perfectum & absolutum, ac dominium sæcularium: quia non potest alienari quoad bona immobilia, & quoad mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt (vt loquuntur Iuristæ) nisi in commodum Religionis: & iustas ob causas potest à Summo Pontifice aliò transferri: vt fit interdum, & iam pridem factum est. 54. Possunt habere in communi.

Dico quartò, Religiosos, licet professos, non esse incapaces, etiam in particulari, dominij, aut quasi dominij aliquorum iurium & bonorum spiritualium. Probatur, quia per votum paupertatis non renuntiant iuribus, & bonis spiritualibus, sed tantùm temporalibus: vt rectè ait D. Thomas quæst. 186. art. 7. ad 4. Atque ita professus potest agere nomine proprio super iure eligendi sibi competente, vel iure manendi in Monasterio. Et professi beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum Beneficiorum, possúntque agere nomine proprio ad obtinendam, retinendam, aut repetendam eorum possessionem: vt rectè ait Less. n. 26. Alij verò professi non-beneficiarij, id est, quorum propriè beneficium non est, sed est communitatis cui præsunt, quamvis non habeant dominium Beneficij, neque prouentuum, seu fructuum illius: habent tamen ius illos administrandi, & dispensandi, tum ad suas & suorum Religiosorum necessitates, & decentem sui status sustentationem: tum ad alias pias causas. Sed non ad res vanas, vel ad parentes ditandos, & similia: quia ius tantùm habent eos dispensandi secundùm Canones, & præscriptum Religionis. Ita Lessius suprà, num. 29. post Nauar. quæst. 3. de redditibus, Monito 17. & 33. 55. Sunt capaces dominij bonorum spiritualiũ. Vt professi beneficiarij.

Dico quintò, Superiores Religionum, licet possint subditis suis concedere aliqua mobilia ad vsus necessarios, & ad opera pia: non tamen vlla bona stabilia, vt sunt, fundi, redditus, ædium locationes, etiam ad vsum tantùm, vel administrationem, nisi solis officialibus ad nutum amouibilibus. Prima pars est communis 56. Quid possint Superiores Religionum concedere inferioribus.

Doctorum, vt testatur Lessius, num. 33. intelligiturque non solùm de libris, vestibus, & simili supellectile (quæ tamen debet esse pauperibus accommodata, & minimè superflua) sed etiam de pecunia, præsertim ad certos & determinatos vsus. Secunda verò pars statuitur à Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regularibus. Vbi non tantùm confirmatur ius antiquum Canonis *Cum ad Monasterium*: quo tantùm prohibebatur concessio ad superflua, vel ad quosvis vsus prophanos: Sed omnino prohibetur id quod in conclusione dictum est; quemadmodum patet ex verbis Tridentini cap. cit. & declaratum est à Congregatione Cardinalium, ibidem num. 1. & seqq. Sic vbi tamen administratio mobilium, vel immobilium, ad vsus necessarios concedatur; & aliunde Religiosorum necessitatibus non prouideatur de communi penu; possunt eam retinere: quoniam alioqui plerumque rebus necessarijs destituerentur. Quo pacto multi excusantur, vt Benedictini; qui tamen, si alia via ineatur vt eorum necessitatibus satis consulatur seruando communitatem, non possunt huic reformationi resistere contra legitimum superiorem conantem illam introducere. Ratio est, quia excusantur propter solam necessitatem, quæ tunc cessat.

SECTIO VII.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones de eadem re.

57. Clerici non Religiosi habent dominium bonorum patrimonialium.

QVæritur quintò, an Clerici non-religiosi habeant dominium aliquorum bonorum, & quorum? Respondeo habere verum dominium bonorum suorum, non modò patrimonialium, aut quasi patrimonialium; sed etiam merè Ecclesiasticorum: ita tamen vt quæ de merè Ecclesiasticis necessaria ipsis non sunt ad decentem sui status sustentationem, teneantur sub peccato mortali ea in pauperes, vel in pios vsus expendere. Prima pars, de bonis patrimonialibus, probatur, quia vt rectè ait Less. n. 36. capitis supra citati, per Clericatum, vel Ordinem, non fiunt incapaces dominij eiusmodi bonorum, neque illo se abdicant, neque se obligant ad hæc bona in pios vsus expendenda: quare possunt more Laïcorum de illis disponere. Vocantur autem bona patrimonialia, ea quæ ipsis proueniunt ex hæreditate, vel donatione, vel industriâ, vel alio modo quo Laïci solent aliquid acquirere.

Et quasi patrimonialium.

Secunda pars responsi, de bonis quasi patrimonialibus, id est, quæ ipsi acquirunt vt Clerici, Ministerijs Clericorum, absque Beneficio, vt Celebrando, Concionando, Canendo, Confessiones audiendo, fungendo Vicariâ temporali, &c. Probatur quia hæc dantur Clericis per modum iustæ mercedis, vt de ijs pro arbitrio disponant sine vllo onere: quemadmodum alijs operarijs nullum onus imponi solet. Idémque censeo dicendum cum Lessio num. 39. de redditibus, licet Ecclesiasticis, id est, ex Beneficio prouenientibus, quos dignissimâ mercede Iustitiæ pro labore impenso in regimine Ecclesiæ recipit is qui Ecclesiæ curam gerit, secundùm laboris proportionem, vt Episcopus, Parrochus, lector Capituli, &c. Ratio est, quia hæc bona sunt eatenus quasi patrimonialia, & per accidens est quòd ex Beneficio proueniant.

Et bonorum merè Ecclesiasticorū.

Tertia pars, de bonis merè Ecclesiasticis, id est, quæ recipiuntur titulo alicuius Beneficij, est communis Recentiorum, contra Nauar. & Canonistas ferè omnes: colligitúrque ex Tridentino, Sess. 22. cap. 3. de Reformatione; & cap. vnico *de Clerico non residente, in 6.* vbi Clerici apertè supponuntur habere dominium distributionum, & fructuum, seu prouentuum suorum Beneficiorum, quo ibidem priuantur quicunque officio non intersunt, aut seruitium præscriptum non implent. Verba capitis citati *de Clerico*, hæc sunt: *Qui diuinis officijs non intersunt, nisi infirmitas, seu rationabilis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excuset, non sunt domini quotidianarum distributionum* (vt alij scilicet qui intersunt) *neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur.* Trident. verò Sess. 22. cap. citato sic loquitur: *Qui die aliquo personaliter seruitium competens non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ, vel alteri pio loco applicetur.* Et Sess. 23. cap. 1. de Reformat. statuit vt Episcopi, & alij curam animarum habentes, qui vltra tres menses, sine vrgenti necessitate, absunt ab Ecclesijs suis, *non faciant fructus suos pro rata temporis absentiæ; sed teneantur fabricæ, vel pauperibus loci erogare.*

58. Tenentur superflua impendere in eleemosynas, aut pia opera.

Quarta pars eiusdem responsi, quòd tamen Clerici teneantur sub peccato mortali expendere in pias causas, vel eleemosynas, ea quæ ex bonis merè Ecclesiasticis sunt superflua ipsorum statui conuenienti, Probatur, quia id grauiter Ecclesia præcipit in Tridentino, Sess. 25. cap. 1. de Reformatione, & in multis Canonibus qui habentur *12. quæst. 1.* Et confirmatur, quia, vt rectè ait Less. n. 49. Nisi Ecclesia obligaret Clericos ad expendenda in pauperes bona superflua, imprudenter illis tantam bonorum affluentiam concederet. Hoc enim esset materiam luxus, & superbiæ, ac libidinis illis dare. Sed quamvis peccent grauiter, non propterea tenentur ad restitutionem, si huiusmodi bona malè & prophanè expendunt: quia cùm sint eorum domini, possunt sine iniuria expendere vt volent. Et verò Ecclesia nusquam tales obligauit ad restitutionem; vt certè fecisset expressè: quemadmodum cap. cit. *de Clerico non residente.* obligat ad restitutionem distributionum illius diei, eos omnes qui non intersunt officio: neque omnino tantam iniquitatem pateretur contra pias causas, & pauperes, quorum causa fauorabilis est. Item, Ecclesia non rescindit huiusmodi donationes vanas, aut profanas: quod omnino faceret, si iudicaret hæc bona pauperibus stricto iure deberi, compelleretque ad restituendum; sicut in testamentis, & legatis pijs facere consueuit. Non constat etiam fideles, dantes huiusmodi bona Ecclesiæ, dedisse cum hac obligatione, vt superflua pauperibus darentur; nisi quando id ab illis expressum fuit, vt in fundationibus Xenodochiorum; sed potiùs liberam eorum dispositionem Ecclesiæ reliquerunt

Non tenentur tamen ad restitui.

reliquerunt pro sua erga illam reuerentia. In dubio autem melior est conditio possidentis, ita vt nemo sit spoliandus iure, quod possidet.

59. Bona Ecclesiastica sunt patrimonium Christi. Objicies, bona Ecclesiæ esse patrimonium Christi, & bona pauperum; ac Clericos esse tantùm eorum dispensatores, & procuratores, vt dicitur in multis Canonibus, *12. quæst. 1. & 2.* Respondeo cum Lessio num. 48. dici patrimonium Christi, quia propter Christum, & ad illius cultum, sunt donata: & bona pauperum, quia superflua pauperibus sunt eroganda. Quo sensu dicitur etiam de sæcularibus *cap. Hospitalem*, dist. 42. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur*: quanquam seculares non tenentur, vt Ecclesiastici, dare pauperibus omnia superflua, sed aliquas tantùm eleemosynas facere suis temporibus. Vel potiùs hæc, quæ objiciuntur, referenda sunt ad antiquum Ecclesiæ statum ante diuisionem Beneficiorum, quando decimæ, & alia Ecclesiæ bona erant communia; & Clerici, more Religiosorum, nihil ex illis possidebant in particulari, sed accipiebant ab vno, qui cæteris ea distribuebat, quæ ad victum & statum erant illis necessaria: quo tempore verum erat quod aiunt Canones citati, bona Ecclesiæ esse bona pauperum, quia Clerici ipsi pauperes erant, & pauperum more viuebant: eránque tantùm dispensatores & procuratores; quia dominium penes nullum ipsorum erat, sed tantùm dispensatio & procuratio penes eos, quibus ex officio incumbebat ea colligere, & cæteris distribuere. Habebat tamen etiam tunc Ecclesia in communi, id est, communitas Ecclesiastica, ius Iustitiæ, tum erga decimas, quæ ipsi non vltrò donantur à sæcularibus, sed ex Iustitia debentur ad sustentationem eorum, qui spiritualia ipsis administrant: tum etiam ad fundos, & alia ipsi vltrò donata: quia per talem donationem verum ius acquisiuit, secundùm tamen intentionem donantium, quam non constat fuisse vt obligaret ad omnia superflua pauperibus distribuenda.

Et bona pauperũ.

Clerici olim non ea possidebant in particulari.

60. Iubentur quadrupliciter diuidi. Ad eundem Ecclesiæ statum pertinet quod dicitur in multis Canonibus *12. quæst. 2.* vt bona Ecclesiæ quatuor in partes diuidantur, & vna detur Episcopo, alia Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus. Nos autem loquimur de statu, qui postea refrigescente Charitate, & studio paupertatis, introductus est, facta diuisione Beneficiorum inter Episcopum, & Clericos tam exiguis stipendijs non contentos; relicto ipsis onere subueniendi fabricæ, & pauperibus (quibus nihil specialiter fuit attributum) de bonis illis statui suo conuenienti superfluis.

61. Soluitur obiectio. Dices: Cùm illa quarta pars pauperibus debita, fuerit confusa in diuisione beneficiorum cum alijs datis Episcopo & Clericis; transijt ad illos cum suo onere, id est, cum debito Iustitiæ vt pauperibus distribuatur. Respondeo quartam illam partem non fuisse debitam pauperibus ex Iustitiâ ab ipsâ Ecclesiâ: sed tantùm ab illis, quos ipsa dispensatores bonorum Ecclesiasticorum constituebat: qui ratione officij tenebantur ex Iustitia dispensare illa secundùm Ecclesiæ voluntatem, & dispositionem: ac si non facerent, peccabant contra Iustitiam, id est, contra debitum Iustitiæ, ratione officij suscepti. Sicut autem hoc officium cessauit, quando ab eâdem Ecclesiâ facta est distributio beneficiorum: ita pariter cessauit obligatio illi adiuncta: & loco officij procuratoris, & distributoris bonorum communium, instituti sunt beneficiarij ad quos Ecclesia transtulit ius, & dominium circa bona Ecclesiastica vnicuique beneficio assignata, quod antea solùm erat penes communitatem: cum obligatione, & graui præcepto impendendi superflua statui vniuscuiusque in pauperes, & pios vsus. Confirmatur, quia si obligatio procuratoris, & dispensatoris, quæ erat ante institutionem beneficiorum, maneret etiam nunc post instituta beneficia; & sicut ante institutionem beneficiorum tenebatur dispensator ex debito Iustitiæ, ratione officij, tertiam partem dare fabricæ, & quartam pauperibus; simili modo, similique obligatione tenerentur beneficiarij redditus suos distribuere: sequeretur, quòd nunc etiam tenerentur impendere partem illam pauperibus pro ratâ portionis bonorum Ecclesiasticorum, in beneficium sibi datum erectæ, etiamsi nihil haberent statui suo in gradu supremo superfluum: sicut ante diuisionem tertia pars erat semper fabricæ, & quarta pauperum siue Clerici haberent superflua supremo statui, siue non. At hoc falsum esse fatentur ipsimet aduersarij. Plura de re ista dicemus inferius tractando de beneficijs, & beneficiariorum obligationibus, disp. 34. Sect. 14. & seqq. Interea.

62. Quæ dicantur bona Clericis superflua? Nota primò, Clericos Beneficiarios non teneri sustentare se de bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus: sed si quid ad hoc impendant de huiusmodi bonis, possunt compensare ex bonis Ecclesiasticis, & insumere vt volent, more sæcularium. Secundò, status conuenientis gradum triplicem esse, sicut & pretium rerum: Summum, medium, & infimum. Ac posse Clericos insumere de bonis Ecclesiasticis vsque ad summum gradum sustentationis sibi conuenientis, sicut potest quilibet vendere summo pretio. Quòd si aliquid sibi subtrahant, contenti medio vel infimo gradu; possunt quod reliquum est vsque ad summum, impendere in quosvis vsus aliunde licitos. Ex. gr. si Beneficiarius ad summum gradum sustentationis sibi conuenientis exigat trecentos nummos: ad medium, ducentos quinquaginta: ad infimum, ducentos; & ducentis contentus sit, ac centum sibi subtrahat: potest illos expendere more bonorum patrimonialium: sed meliùs in pauperes, & pia opera impenderet.

Status decens est triplex.

63. Supellex sacra non pertinet ad Clericos in particulari. Quod autem diximus initio de bonis Ecclesiasticis, non est intelligendum de sacra supellectili Ecclesiæ. Nam Clerici in particulari non habent illius dominium, sed pertinet ad cœtum Ecclesiasticorum cuiusque Ecclesiæ, vel ad ipsam Ecclesiam; sicut bona Religiosorum pertinent ad communitatem: cum hoc tamen onere vt non possint pro arbitrio eam vendere, vel extinguere; sed teneantur conseruare, & ad posteros transmittere; quia Ecclesia non alio iure eam concedit.

64. Quæritur sextò, quarumnam rerum possint homines communiter habere dominium, vltra

Homines possunt habere dominiũ in res corporales.

bona illa de quibus hucusque diximus? Respondeo primò, habere posse dominium earum rerum omnium externarum quæ ipsorum vsui & dispositioni subiacent; vt agrorum, nemorum, fluuiorum, plantarum, arborum, brutorum animalium: at non cælorum, & astrorum propriè loquendo, quia non subsunt humanæ dispositioni, licet in hominum vtilitatem facti sint, illisque seruiant per suos motus, & influxus. Secundò, homines ipsos alios alijs subesse posse per dominium tum Iurisdictionis, tum etiam despoticum, & herile, sicut dominis subsunt mancipia donata, vendita, aut bello iusto capta, de quibus alibi diximus. Tertiò, homines non esse plenè dominos vitæ suæ, & membrorum, sed tantùm custodes, vel etiam dominos vsuarios: dominium verò plenum apud solum Deum esse, cui illud tanquam proprium tribuitur Sapient. 16. versu 13. & 14. his verbis: *Tu es enim, Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem. Homo autem occidit quidem per malitiam, &c.* Similiter neque etiam Reges, & Principes, neque Rempublicam, neque heros esse plenè dominos vitæ & membrorum subditorum, & seruorum suorum: quippe quæ sine iniuria non possunt illis auferre pro libito. Possunt tamen heri dici habere dominium vtile vitæ & corporis mancipiorum, ex quibus iure possunt omnem vsum atque fructum conuenientem percipere. Principes quoque, & Respublica habent dominium Iurisdictionis ad vtendum conuenienter vita & membris subditorum, atque etiam ad exponendum periculo propter bonum commune: imò & ad perimendum malefactores sibi subditos, capitalis criminis reos, & Reipublicæ perniciosos.

Et in homines ipsos.

Non sunt domini vitæ suæ, & membrorum.

Neque vitæ alienæ.

65. Homo est dominus suæ famæ.

Quartò denique dico hominem esse verè dominum suæ famæ: non tamen ita, vt possit de illa sine ratione, quocunque modo disponere licitè. Prima pars est D. Thomæ quæst. 73. art. 4. ad 1. vbi affirmat esse in hominis arbitrio detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum. Est etiam S. Antonini, Adriani, Soti, Aragonij, Maldeti, Valentiæ, Nauarri Lessij, & aliorum. Probatur, quia possumus illam nobis acquirere, reipsaque acquirimus, præcipuè per illustria virtutum opera: possumus etiam de illa disponere, eiusque restitutionem condonare, & non tantùm compensationem, aut satisfactionem, vt condonare possumus compensationem pro membro ablato, at non ipsius membri restitutionem, si restitui potest. Possumus quoque nos infamare multis de causis, tum negatiuè, tegendo ea, quæ nobis famam & æstimationem conciliare possent, modò id fiat sine detrimento maioris boni: vt patet Christi exemplo, & Sanctorum: tum etiam positiuè, dicendo aliquid, aut faciendo, ex quo infamia positiua sequatur: vt si quis sua delicta multis aperiat ad petendum consilium, & pacandam conscientiam, aut propter humilitatem, ad vitandam superbiam, vt fecit Augustinus in libris Confessionum; aut si teneatur famam alteri restituere cum sua ipsius infamia. Quæ omnia forent illicita, nisi haberemus Dominium famæ propriæ: quemadmodum non licet mutilare seipsum, vel occidere, propter aliquem illorum finium. Item, si quis sit positiuè infamatus, etiam falsò & iniustè; non tenetur ad recuperandam famam, quamvis possit: nisi vel Dei honor, vel bonum aliorum, vel propria eius necessitas id postulet. Sed potest amore patientiæ, & submissionis, vel alterius boni, manere in illa infamia. Neque tenetur eos, qui bona fide malè de ipso sentiunt, ab errore reuocare: quia hic error non est illis perniciosus. Similiter & ille qui est in possessione bonæ famæ, sed falsæ, potest illam destruere, patefaciendo veritatem; licet non teneatur, si nullum inde immineat alicui malum.

Secunda pars responsi probatur, quia nemo potest aliquid turpe sibi falsò tribuere: nam falsitas omnis est naturaliter illicita. Item, quemadmodum nemo ius habet communiter proferendi aliorum excessus, aut defectus culpabiles, & occultos, nisi bonum aliquod id exigat: ita neque ius habet proferendi suos sine alia necessitate, vel vtilitate. Et quamvis proferendo non faciat sibi iniuriam: tamen indecenter deturpat se, id agens sine ratione: & fieri potest vt faciat alijs iniuriam, si alicui sit debitor ad non infamandum se, eiusque infamia in alios redundet. Eodem sensu intelligendum est quod dicitur Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine:* Et D. Augustinus relatus *causa 12. quæst. 1. cap. Nolo*, eodem sensu reprehendit, & crudeles vocat eos, qui famam negligunt; sine ratione scilicet. 66.

66. Non tamen potest licitè quomodocúque de illa disponere.

Ad id verò quod contra priorem partem responsi opponit Caietanus 22. quæst. 73. art. 2. famam non tantùm esse famosi, sed & Ecclesiæ, vel Reipublicæ, cuius est membrum: ergo illi iniuriam facit, quando famam suam negligit, aut destruit. Respondeo Ecclesiam, vel Rempublicam non habere ius vt particulares de sua fama non disponant cum ratione, æquè ac de alijs bonis sibi proprijs, in quæ tamen ius altum habet Respublica.

Soluitur obiectio.

SECTIO VIII.

Quibus modis acquiratur Dominium?

Quomodo dominium acquiratur circa personas ad gubernandum, vel vtendum, nempe vel generatione aut productione, vel electione libera Dei aut hominum, vel contractu donationis, emptionis, locationis, ac denique victoriâ in bello iusto, vel crimine digno seruitute, constat ex dictis Sect. 3. Iam de alijs rebus dico earum dominium quatuor præcipuè modis acquiri. Primus est, per productionem, seu effectionem: res enim naturaliter est personæ, à qua fit: vt omnia sunt Dei, titulo creationis. Secundus est, per traditionem legitimam, in illis quorum dominium ab vno in alium transfertur. Per traditionem legitimam intelligo eam, quæ fit cum titulo sufficienti, emptionis, donationis, & similibus: quæque talis est, qualis ad possessionem comparandam requiritur & sufficit. Cuiusmodi autem illa sit, & quotuplex, vide apud Lessium cap. 3. dubit. 3. 67.

Primus modus, per productionẽ.

2 Per traditionem.

& Molinam tract. 2. disp. 3. §. *Caterum*, & disp. 12. & sequentibus. Tertius modus est, per apprehensionem in ijs, quorum dominium non transfertur, quia nullius sunt, sed fiunt primò occupantis. Quo pacto initio mundi facta est prima rerum diuisio, seu distinctio dominiorum: cùm ea, quæ à Deo fuerant in commune exposita hominibus, ita fuerunt inter eos distributa, vt quæ quis primò occupasset, fierent occupantis. Quòd si plures ad eandem rem occupandam, simul & æquè primò concurrerent; opus fuit sortitione decidere cuius esset: aut rem diuidere, & partem cuilibet tribuere, si diuisibilis erat. Quomodo autem iure gentium potuerint fieri propria aliquorum, ea quæ iure naturali erant communia, absque eo quòd ius gentium derogauerit iuri naturali; quámque expediens fuerit hæc diuisio, supposito peccato, ad vitandas contentiones & negligentiam colendi agros, & possessiones communes, diximus alibi in tract. de legibus.

3. Per apprehensionem.

68. Illa apprehensio duplex est.

Circa hunc modum acquirendi dominium nota primò, duplicem esse apprehensionem rei: veram scilicet, & fictam. Vera est, quæ fit manuum aut pedum immissione, & actuali occupatione rei. Ficta est illa, quæ sine tali occupatione fit, per clauium traditionem, quâ moraliter domus, licet longè distans, occupari & apprehendi censetur: aut per scripturam vel instrumentum authenticum, quo res moraliter traditur: & alijs modis, de quibus vide Lessium cap. 3. dub. 11. num. 47. Vt autem apprehensio det dominium eorum quæ nullius sunt, & ideo quia nullius sunt, fiunt primò occupantis; debet esse vera apprehensio. Ficta enim non dat dominium, nisi eorum quæ habent possessorem, à quo traduntur, vel loco possessoris traduntur Iudicis auctoritate.

69. Quæ animalia liceat apprehendere, & quæ non?

Nota secundò, inter ea quæ sub nullius sunt dominio, non esse censenda animalia naturâ suâ mansueta & domestica, quæ proinde non licet occupare: neque animalia fera seu syluestria vsu mansuefacta, quæ consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in Domini potestatem: cuiusmodi sunt columbæ, pauones, &c. Si tamen amittant consuetudinem redeundi, id est, si aliquoties redire desinant tempore consueto, & non possint à priore domino facilè recuperari; possunt occupari. Item, neque animalia omnino fera, quandiu sunt sub alicuius potestate. Secus tamen si euaserint, & naturalem libertatem recuperauerint, licet ferant notam impressam eius; cuius antea fuerunt. Dicuntur autem recuperasse naturalem libertatem, quando sic euaserunt, vt nullatenus vel nonnisi difficilè capi valeant. Tunc enim sunt sufficienter extra domini potestatem. Censentur verò esse sub domini potestate, quando ab illo tenentur ita conclusa in saltu, prædio, vel alibi, vt egredi non possint. Secus autem si tantùm sint in prædio alieno, vel in locis vbi venatio aut piscatio prohibita est. Tunc enim, quamvis peccent qui venantur, aut piscantur, si prohibitio iusta est; acquirunt tamen dominium ferarum, quas occupant: quæ cùm nullius adhuc sint, fiunt iure naturali primò occupantis. Neque tenetur ille ad restitutionem ferarum, sed tantùm ad compensationem damni, si quod intulit ijs, qui habebant ius venandi aut piscandi. Modò tamen illi compensationem curent, & non soleant esse contenti vt deprehensi pœnam luant.

Venatio & piscatio quomodo possunt prohiberi?

Potest autem venatio iustè à quovis prohiberi in suis prædijs, modò ipse venari velit, & non patiatur feras, præ multitudine, alijs damnum inferre. Possunt etiam Principes iustè prohibere venationem, & piscationem in locis quibusdam publici iuris, vt eam sibi reseruent vel ad necessitatem, vel etiam ad recreationem. Id enim Principis dignitati conueniens est. Possunt etiam quibusdam bene meritis ius illud speciatim tribuere, seclusis cæteris: modò tamen id non fiat cum notabili communitatis incommodo. Tyrannicum enim esset, si omnino, & omnibus in locis publicis eam interdicerent, ac sibi solis vel paucis quibusdam reseruarent. Tenentur præterea, vbi eam prohibent, ad cauenda damna à feris inferri solita, nisi communitas ad hoc consenserit; vel iusto bello capta, aut alia de causa id meruerit. Porro qui alium iniustè prohibet à venatione, aut piscatione, tenetur ad compensationem & restitutionem probabilis lucri, quod ille facturus erat, deductis expensis, & laboribus quos redimere vellet: sed non ad restitutionem animalium; quia illa nondum erant in potestate illius qui prohibitus est: vt rectè ait Lessius cap. 5. dub. 7. post Nauarrum, & Couar. quos citat. Idemque dicendum de eo, qui alium priuat iniustè venatione, præueniendo illum, & venando in saltu ipsius, vel in loco ipsi reseruato legitimâ potestate: atque etiam de illo, qui contra Reipublicæ prohibitionem venatur eo tempore, quo venatio prohibita est, ne soboles ferina extinguatur; vel aquas inficit veneno; ita vt magnæ piscium multitudini mortem inferat, & fluuios vastet, vel sobolem ferinam magna parte extermінet: in quo notabile detrimentum Reipublicæ infert, quæ ius habet piscandi, & venandi.

70. Quid sufficiat ad apprehensionem ferarum?

Nota tertiò, ad apprehensionem sufficere si fera ita sit ab aliquo vulnerata, vt id sufficiat ad eam facilè capiendam: & venator, aut piscator eam insequatur, sitque moraliter certò apprehensurus. Aut si feram laqueo suo ceperit, ita vt euadere nequeat. Aut pisces nassâ suâ concluserit. Est enim species quædam apprehensionis veræ, & manus immissionis, cùm quis per instrumentum aliquid apprehendit, vt in prædictis casibus fit. Multi tamen oppositum censent: ideòque volunt huiusmodi feras esse capientium post vulnus, vel eximentium è laqueo, vel nassâ alterius: Sed quod dixi, verum esse mihi videtur, & conforme rationi. Neque potest negari quin vulnerantes, & nassâ vel laqueo capientes, habeant saltem ius ad rem, fiatque illis iniuria, si feræ sic captæ tollantur. Excipe tamen si tuâ industriâ, vel te insequente, aut compellente, fera in laqueum, vel in nassam alterius inciderit; vel si esset euasura. Tunc enim fiet tua, si occupes. Quia in primo casu, à te capta est. In secundo, non satis venit in potestatem eius, qui laqueum, vel nassam apposuit.

71. Fiuntne primò occupantis gemmæ, ambarum, & venæ metallicæ? Nota quartò, præter ea, quæ hucvsque diximus, in nullius quoque dominio esse, ac proinde fieri primò occupantis, gemmas, ambarum, & alia id genus, quæ in littoribus maris, vt quibusdam fluminibus inueniuntur: quæ si à nemine antea fuerunt possessa, iure naturali fiunt primò occupantis: vt dicitur Institut. *de rerum diuisione*, §. *Item lapilli*. Idemque docet Lessius cap. 5. dub. 12. de venis metallicis: Licet enim, inquit, ius eas effodiendi non competat cuilibet, sed tantùm ei, qui loci dominus est; priuato scilicet, si locus est priuatus; Reipublicæ, si publicus: quod tamen ex illis eruitur, fit primò occupantis. Ratio illius est: quia, inquit, non est æquum rem tantæ æstimationis cedere vilissimo fundo: & à natura ipsa venæ huiusmodi videntur institutæ in ius publicum, non autem in vsus priuatos. Meliùs tamen contrarium docet Molina tract. 2. de Iustit. disp. 54. asserens illas, iure naturali præcisè spectato, esse in eius dominio, qui est Dominus loci, in quo latent. Quia scilicet venæ illæ sunt partes quædam, aut partus seu fœtus & fructus illius loci, seu fundi. Quare pertinent ad eum, qui illius dominus est. Et confirmatur ex alijs venis aquarum, lapidum, salis, carbonum, cretæ, & similibus, quæ omnium consensu sunt domini loci: cùm tamen hæ venæ non sint magis partes, aut fœtus eiusdem fundi. Alia est ratio de thesauris, qui non sunt pars, aut fœtus fundi in quo latent: ideóque iure naturali transeunt in dominium inuentoris occupantis, quia thesauri nullius sunt. Est enim thesaurus, vetus quædam depositio pecuniæ, (vel aliarum opum mobilium) cujus non extat memoria, vt iam Dominum non habeat; quemadmodum definitur lege nunquam, ff. de acquirendo rerum dominio. Nec refert quòd *sciri possit à quorum maioribus sit conditus*. Quia quod tanto tempore desijt possideri, desijt esse in cuiusquam dominio. Hinc etiam fit, vt qui scit latere thesaurum in fundo alieno, possit illum fundum emere communi pretio, sine iniuria venditoris id ignorantis: quia thesaurus ad ipsum non pertinet.

Itémque thesauri?

72. Subsunt dispositioni iuris. Notandum tamen vlteriùs est, quædam legitimè circa prædictorum inuentionem statui posse à Principe, vel à Republica, propter bonum commune: sicut re ipsa per ius commune, vel particulare regnorum, vbique fere venæ metallicæ auri & argenti sunt præcipuè Principis, aut Reipublicæ. Et multa circa thesaurorum inuentionem statuta sunt *lege vnica*, *cod. de thesauris*, & *Institut. de rerum diuisione*, §. *Thesauros*, de quibus vide Lessium cap. 5. dub. 15 16. & 17. Moneo tantùm, de valore & vigore huiusmodi statutorum, siue communium, siue particularium, ex naturali æquitate iudicandum esse. Et si statuta sunt pœnalia, vt quod statuitur lege vnica, codice *de thesauris* non obligant ante iudicis sententiam, & executionem.

73. Ea quæ habentur pro derelicto fiût primò occupantis. Nota vltimò, inter ea quæ nullius sunt, & per apprehensionem fiunt primò occupantis, censenda quoque esse ea omnia quæ habentur pro derelicto, id est, quæ dominus mente abiecit, ita vt in numero rerum suarum esse nolit.

At eiusmodi non sunt quæ naufragus projicit ne submergatur nauis, quæque, si potest, recuperare vult. Nec ea quæ in littus mare projicit de bonis naufragorum: quæ sine iniuria & crudelitate occupari ab alijs non possunt, nonobstante quacunque lege, vel consuetudine, quæ iuri naturali derogare nequit. Ideóque in Bulla Cœnæ meritò excommunicantur qui bona Christianorum naufragantium occupant. Nec refert quod essent alioqui peritura: vt si fuerunt vndis procul abripientibus, aut dispergentibus irrecuperabiliter erepta. Quia quandiu non sunt consumpta, manent naufragantis, cupientis ea recuperare. Posset tamen ille qui reperit, aut vadis extrahit, exigere compensationem laboris. Et si labor rei æquiualeat, potest eam retinere si dominus non repetat, velut tacitè concessam. Item, si res procul iam abrepta est, ita vt dominus sciens vbi sit, non curet eam recuperare, propter laborem, vel expensas, vel rei vilitatem; habenda est pro derelicto, & potest occupari. Bona naufragantium possuntne occupari?

74. Dominiû per legû dispositionem acquiritur. Quartus modus acquirendi dominium rerum, est per iuris, seu legum dispositionem. Nimirum vi legum quæ dant, vel transferunt dominium ab vno ad alium, propter bonum commune, ratione iuris illius alii communitatis, quod præualet iuribus particularium, potéstque eis derogare. Sicut bonum totius præualet bono partium. Propter quod Emman. Sa V. *Respublica*, num. 2. citans Caietanum, affirmat non facilè esse condemnanda statuta quæ iniqua, aut iniuraria esse videntur: quia Respublica potest pro bono communi rem vnius alteri dare. Sed hac de re dicemus alibi disputando de vsura, vbi falsum id esse ostendemus.

Dispositio circa thesauros, & bona vacantia. Huc pertinent leges quibus statuitur vt thesauri (qui alioqui iure naturali essent inuentoris) vel ad fiscum pertineant, vel ex parte ad dominum loci, aut Principem. Et Lex *Vacantia*, *Cod. de bonis vacantibus*, statuens vt bona vacantia, quæ relinquunt ij qui decedunt ab intestato, non habentes hæredes qui eis succedant iuxta statuta iuris ciuilis, ad fiscum deuoluantur; exceptis mobilibus peregrinorum in hospitali decedentium ab intestato, quæ per Episcopum loci distribuenda sunt in pios vsus, vt habetur in Authentica *Omnes peregrini*, *cap. Communia*. Huc etiam pertinent aliæ leges permultæ, inter quas celeberrima est lex præscriptionis, siue Vsucapionis, quæ *lege 3. ff. de Vsucapionibus*, sic definitur: Vsucapio est acquisitio dominij per continuationem longi temporis. Acquisitio, inquam, vera, & in foro conscientiæ valens, ac non tantùm in foro externo: quia leges ius habent verè transferendi dominium ab vno particulari ad alium, quando id necessarium est propter bonum commune. *Acquisitio* autem simpliciter significat veram acquisitionem: & verba legum in vero & proprio sensu accipienda sunt. Necessitas autem huius legis fuit, ne diu, & fere semper incerta essent rerum dominia, vt dicitur *lege prima*. *ff. de Vsucapionibus*: ex quo sequerentur grauissimæ lites, summéque perplexæ & intricatæ; quippe quarum initium à tempore immemoriali sæpe sumeretur: vnde in illis prosequendis

Lex præscriptionis siue vsucapionis.

Eius vis, & æquitas.

maximi sumptus faciendi essent, cum magna iactura litigantium, & detrimento boni communis. Difficillima quoque foret talium causarum decisio, & periculum frequens & manifestum malè iudicandi materialiter: cùm adeo obscurum foret ad quemnam litigantium res huiusmodi pertinerent. Fuit etiam vtilis ista lex ad excitandam diligentiam possessorum, & vigilantiam circa bonorum suorum curam: propter quod in cap. *Vigilanti, de præscriptionibus.* Alexander III. affirmat præscriptionem fuisse institutam ad vitandam segnitiem, & dominiorum confusionem.

75. Ad illam requiritur 1. vt res possideatur.

Ad legitimam autem, & validam præscriptionem, id est, vim habentem acquirendi dominium, quatuor requiruntur. Primò, possessio rei præscribendæ. Nam sine possessione præscriptio non procedit, vt dicit regula Iuris, in 6. Est autem possessio triplex: naturalis tantùm, ciuilis tantùm, & naturalis ac ciuilis simul. Naturalis tantùm est illa, quâ inuasor iniustus, & malæ fidei, occupat Physicè rem alienam, animo possidendi & retinendi vt suam. Et hæc non sufficit ad præscriptionem, sed debet esse possessio bonæ fidei, vt dicemus paulò post: Ciuilis tantùm est illa, quâ solo animo rei præsentes insistimus: vt quando quis domum suam deserit, nec vllum in ea relinquit, animo tamen eam retinendi vt suam. Et hæc sufficit ad præscribendum: multóque magis ciuilis simul & naturalis. Huius autem conditionis defectu non possumus ea præscribere, quæ non possumus ciuiliter possidere, iure resistente: de quibus vide Lessium lib. 2. cap. 6. dub. 2. num. 6.

76. 2. Vt possit res illa præscribi.

Secundò, requiritur vt res possessa sit de numero earum quæ præscribi possunt, & quarum dominium per præscriptionem possumus acquirere. Quædam enim sunt quæ per nullam quantumcunque longi temporis possessionem acquiri possunt: vt forum, via publica, pons, ius decimarum, limites Prouinciarum, Episcopatuum, & parœciarum, aliáque multa, de quibus vide Lessium cap. 6. dub. 15. & Valentiam quæst. 6. de Iustitia, Puncto 5.

3. Bona fides, cũ titulo colorato.

Tertiò, requiritur bona fides possessoris cum aliquo titulo colorato, seu probabiliter præsumpto, id est, qui bona fide putetur validus, quamvis non sit: vt emptionis, donationis, successionis, &c. Sed nota bonam fidem esse quidem simpliciter & vniuersaliter necessariam. Generaliter enim verum est quod dicit regula secunda Iuris in 6. *Possessor malæ fidei non præscribit.* Et in Concilio magno Lateran. sub Innocentio III. statuitur vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quàm ciuilis. Quod statutum refertur in cap. finali, *de præscriptionibus.* At verò titulus coloratus non requiritur necessariò ad præscribendum simpliciter, sed tantùm ad citiùs seu breuiori tempore præscribendum, vt mox dicemus. Priùs verò notandum est, dubium quod quis habere potest, an res aliqua sua sit, non impedire bonam fidem, si superueniat rejam possessa, & possessor pòst diligentiam moralem adhibitam non comperiat esse alienam, iudicétque, vt debet, se posse bonâ conscientiâ eam retinere, quia in dubio huiusmodi est conditio possidentis. Secus autem si dubitet antequam possidere incipiat: quia tunc non potest bonâ conscientiâ accipere id, de quo dubitat num alterius sit: neque enim melior est ipsius conditio, quàm alterius.

Quartò denique, requiritur certi temporis, id est, per legem definiti, possessio continuata: quod in omnibus non æquè longum est. Nam ad præscriptionem rerum mobilium, siue sæcularium, siue Ecclesiasticarum, sufficit possessio trium annorum, cum titulo, bona fide continuata. Sine titulo autem debet esse triginta annorum: vt habetur *Instit. de Vsucapionib.* & L. 3. Cod. de præscriptionibus: vbi de bonis quidem sæcularibus sermo est, sed Ecclesia non habet priuilegium nisi in immobilibus. Ad præscribenda verò immobilia priuatorum requiritur spatium decem annorum cum titulo, inter præsentes, id est, habitantes in eodem territorio; viginti, inter absentes; & triginta, sine titulo. Ad immobilia Ecclesiæ Romanæ requiruntur anni centum. Aliarum verò Ecclesiarum, & locorum piorum, & Xenodochiorum, Monasteriorum, & piarum causarum, requiruntur quadraginta anni communiter, vt habetur Authentica *Quas actiones, Cod. de sacro sanctis Ecclesijs.* Communiter, inquam; quia nonnullis plus temporis speciali priuilegio concessum est. Contra Principem verò, aut Rempublicam in his quæ possident vt priuati, præscribitur eodem modo, quo contra alios priuatos. In bonis autem principatus, quæ coronæ sunt annexa, vt sunt vrbes, castella, &c. præscribitur centum annis. In his quæ sunt fisco addicta non præscribitur nisi annis quadraginta, si fisco sint incorporata: si verò manent apud reum vel eius hæredes, præscribuntur quinquennio. Immunitas autem censuum, & tributorum & obedientiæ, præscribi non potest: quia hæc debentur in recognitionem supremæ Maiestatis. Secus autem immunitas ab indictionibus & collectis, quæ non fiunt in recognitionem supremæ Maiestatis; sed pro bello gerendo, & similibus causis. Hæc enim potest annis quadraginta præscribi.

77. 4. Certũ aliquod temporis spatium.

Potest quoque subditus præscribere redemptionem, & libertatem contra superiorem in temporalibus: vt multi Reges Imperatori se subduxerunt: ad quod sufficit tempus quadraginta annorum cum titulo; sed sine titulo requiritur tempus immemorabile, id est, cuius initij memoria non extat. Dixi, *in temporalibus;* quia in spiritualibus nemo potest, saltem contra Summum Pontificem, præscribere: quippe qui iure diuino omnium Pastor est, & hoc à Pontificatu inseparabile est. Contra inferiores tamen videtur posse præscribi. Potest etiam simili modo præscribi contra Principem, ius legitimandi, imponendi vectigal, & similia præstandi, quæ Principis propria esse solent, eique reseruantur: quia cùm possint à Principe concedi, censentur fuisse concessa ijs, qui præscribunt. Ita Lessius dub. 11. apud quem plura de præscriptionibus videri possunt toto cap. 6. & apud Molinam disp. 60. & sequentibus.

78. Potestne præscribi contra Principẽ?

Solùm aduerto ex eodem Lessio dub. 16. & 79.

Quid sit præscriptionem non procedere, vel dormire, vel interrumpi?

Molina disp. 78. præscriptionem dici aliquando non procedere, aliquando dormire, & aliquando interrumpi. Non procedit, quando ob aliquam causam non incipit, vel non potest incipere, defectu possessionis ciuilis, vel bonæ fidei, vel tituli, vel quia res non potest alienari, lege resistente. Dormit, quando iam inchoata, aliquo tempore cessat, ita tamen vt postea continuetur cum tempore priori: vt tempore belli, quando ius non dicitur, vel homines aliò diffugiunt, & similiter tempore pestis. Tempore etiam quo Ecclesia vacat rectore, non præscribitur contra illam: & tempore quo quis non potest agere; vt pupillus vsque ad annum decimum-quartum exactum, aut duodecimum in fœminis. Dicitur denique interrumpi, quando inchoata ita cessat, vt si rursus reuiuiscat, non continuetur cum tempore præcedente, sed de nouo debeat inchoari: vt cùm incipit deesse aliquid necessarium ad naturam præscriptionis, vel quando per actum aliquem iuridicum interpellatur. Ad validè autem præscribendum debet possessio esse continuata toto tempore per leges definito.



DISPVTATIO SEPTIMA.

De Iniustitia, siue Iniuria, Satisfactione, & Restitutione, in Communi.



DE Iniustitia, & Restitutione disputat S. Thomas q. 59. & 62. Et in priore docet Iniustitiam esse vitium speciale, virtuti Iustitiæ specialiter oppositum. Et iniustum illum esse, ac dici, qui facit

aliquid iniustum ex intentione, & electione: non autem qui ex ignorantia, vel passione. Ac sicut iniustum formaliter nemo facere potest nisi volens: ita nec pati nisi nolens. Esséque graue peccatum, & mortale, facere Iniustum scienter, & liberè: quia contrariatur Charitati, quæ est vita animæ.

In posteriori docet primò, Restitutionem esse actionem Iustitiæ commutatiuæ. 2. Esse de necessitate salutis restituere id quod iniustè ablatum fuit. 3. Neminem, antequam condemnetur per Iudicem, teneri restituere plus quàm accepit: sed postquam condemnatus est, teneri pœnam soluere. 4. Non teneri quanquam restituere, nisi id quod abstulit vel in re, vel in causa, & in spe. Quorum illud debet reddi ad æqualitatem. Alterum non: quia minus est habere aliquid in virtute, quàm habere actu. 5. Restitutionem faciendam esse illi, à quo acceptum est. 6. Ratione rei acceptæ teneri eam restituere, qui illam habet apud se. Ratione verò acceptionis iniuriosæ teneri restituere, qui iniustè accepit, etiamsi illam non habeat apud se. Qui etiam iustè accepit, id est, volente Domino, ad suam ipsius vtilitatem, vt fit in mutuo, tenetur restituere non solùm ratione rei acceptæ, si extat: verùm etiam ratione acceptionis, tametsi rem amiserit. Si verò non accepit ad suam vtilitatem, sed conseruandi causâ, vt fit in Deposito, non tenetur restituere, si res ei subtracta fuerit, aut perierit absque ipsius culpa. 7. Ratione iniustæ acceptionis teneri ad restitutionem non solùm eos, qui alienum acceperunt: sed etiam quicunque cooperantur directè, vel indirectè, seu positiuè, aut priuatiuè, iniustæ acceptioni. 8. Quemlibet teneri statim restituere, si potest: vel petere dilationem ab eo, qui potest vsum rei concedere: Nam alioqui facit iniuriam proximo, impediendo illum ab vsu rei suæ, iniustéque eam detinendo contra voluntatem Domini rationabiliter inuiti. Hucvsque D.Thomas.

****

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Iniuria: & vtrum volenti fieri possit?

1. Est vitiũ speciale.



INiustitia, siue Iniuria, est vitium speciale, id est, specie distinctum ab intemperantia, ignauia, alijsque vitijs, quæ directè & specialiter opponuntur Temperantiæ, Fortitudini, alijsque virtutibus. Et in communi definiri potest: *Iuris alieni violatio.* Iuris, inquam, vigentis & resistentis. Nam cedenti iure suo, & volenti simpliciter, non fit iniuria, vt ostendemus paulò post. Diuiditur autem generatim primò in priuatiuam, & positiuam. Siue in eam quæ fit per omissionem, non tribuendo debitum; & eam quæ fit per commissionem, agendo aliquid contra debitum. Secundò, in materialem, & formalem. Illa est, quæ non scienter & liberè admittitur. Hæc verò contrà, quæ scienter & liberè; siue directè intendatur iniustum, peccando ex affectu iniusti, quà iniusti: siue tantùm obliquè, & interpretatiuè, non vitando liberè id quod iniustum est. Ex quo oritur alia subdiuisio Iniuriæ formalis, in directam, seu expressam; & in obliquam, seu tacitam, & interpretatiuam. Rursus iniustitia, tam priuatiua, quàm positiua, specie multiplex est, iuxta specificam diuersitatem iniuriarum quæ in omissione vel commissione consistunt, contra animam, contra corpus, vitam, famam, vel honorem, bona fortunæ, &c. Differt enim specie furtum à detractione, & detractio ab homicidio, & sic de cæteris: debentque hæ differentiæ explicari in confessione.

Eius definitio, & diuisio.

Porro iniustitia, siue iniuria formalis, id est, scienter & liberè admissa, ea solùm est quæ operantem denominat iniustum, vt docet S. Thomas quæst. 59. art. 2. Neque enim dicuntur homines iniusti, nisi scienter & liberè faciant id quod est iniustum. Vnde aliud est facere iniustum; &, facere iniustè: seu facere iniustum materialiter tantùm; &, facere illud formaliter, id est, cognitum & acceptatum vt iniustum. Est & alia differentia inter hæc duo: quoniam is, qui tantùm fecit iniustum materialiter, tenetur solùm restituere bonum, si quod abstulit: aut remouere malum, si quod intulit. At verò qui iniustè fecit, est vlterius 2. Quęnam denominet iniustum?

reus pœnæ pro offensa, & audacia violandi ius alienum. Vnde fur v. g. centum aureorum, non solùm tenetur eos restituere, si possit: sed etiam meretur pœnam aliquam subire: vt qui contra ius alterius plus præsumpsit quàm debeat, in ordinem redigatur.

3. Volenti non fit iniuria. His præmissis, difficultas est, an quis possit iniustum pati volens? id est, an volenti & consentienti fiat iniuria? Respondeo negatiuè: quod responsum traditur disertè Regulâ 27. de Regulis iuris in 6. Traditur etiam à D. Thoma quæst. 59. art. 3. & ab Arist. 5. Ethic. cap. 9. vbi affirmat neminem sponte pati iniuriam. Ratio est, quia ius vniuscuiusque pendet à libera voluntate eius; in quo est. Qui si illo cedit, perinde se habet ius illud, ac si non esset; neque magis operatur, aut resistit, quàm si non esset. Quare is qui consentit, facit vt quod ipsi consentienti fit, non fit contra ius ipsius, postquam illius vsui renuntiat, impeditque ne resistat. Atque ita facit vt quod ipsi consentienti fit, non sit ipsi iniuriosum, neque contrarium sit debitum: quibus rationibus sublatis, non manet iniustitia.

4. Volenti simpliciter scilicet. Sed nota primò, id intelligendum esse de eo, qui vult simpliciter: non autem de eo, qui vult tantùm secundùm quid, per ignorantiam, aut iniustam coactionem. Nam qui exigit centum ab eo qui debet tantùm quinquaginta: facit ei iniuriam, licet is soluat voluntariè centum, putans se tantundem debere. Et qui latroni bona sua vult dimittere, ne occidatur; vel vsurario dare vsuram, vt mutuum accipiat; vel vitam perdere, ne fidem amittat: patitur nihilominus iniuriam: quia non omnino spontaneè, sed adactus per iniustam coactionem, consentit. Dico autem, *per iniustam coactionem:* quia coactio iusta, vel non-iniusta, sed ex metu naturali vel alia causa proueniens, non impedit consensum sufficientem. Nam ver. gr. qui metu naufragij imminentis dat alteri sua bona, dat ex sufficienti consensu vt ab altero accipiantur sine iniuria. Verùm, cùm aliquis iniuriosè adigitur ad volendum, hæc iniuria redundat in consensum iniustè extortum.

Aut non iniustè coacto.

5. Et potenti cedere iure suo. Nota secundò, id esse quoque intelligendum de eo qui potest validè iuri suo renuntiare, id est, qui per ius superius non impeditur ne possit efficaciter iure suo cedere. Nam qui acciperet bona pupilli, etiam volentis; peccaret per iniustitiam: non alia de causa, nisi quia per leges bona ipsius sunt vinculata: hoc est, ablata fuit illi potestas disponendi de illis, & cedendi aut transferendi ius suum. Quapropter voluntas pupilli volentis cedere iure suo, nulla est: eò quòd per leges irritatur ipso facto. Actus autem irritus nullus est moraliter, & perinde se habet ac si non esset: vnde non impedit iniuriam. Et quod fit ita volenti, non verè fit volenti moraliter, & efficaciter. Idémque sentiendum est de marito consentiente in adulterium coniugis; & de Clerico consentiente in sui percussionem; si, vt multi existimant, & probabile est, non possunt validè & efficaciter cedere, quoad hoc, iure acquisito per matrimonium, aut per Canonis priuilegium. Idem denique dicendum de vita propria, & integritate membrorum, si, vt diximus præcedenti disput. num. 64. & vt plerique alij volunt, non sumus eorum Domini, sed custodes; nec iure nostro cedere possumus quoad illorum ablationem: vt docent inter alios Aragon. Bannez, & Salon ad art. 3. quæst. 59. Medina lib. 1. Summæ, cap. 14. §. 3. & Victoria in relec. de homicidio, num. 23. Quorum sententia aptior est ad explicandum quomodo Martyres sint verè passi iniuriam, licet mortem paterentur volentes, & consentientes, atque etiam, quantùm poterant, condonantes.

Pupilli & coniuges, & Clerici non id possunt circa iura quædam.

Quomodo Martyres sūt passi iniuriam.

6. Quanquam iuxta contrariam sententiam, quam tenent Molina tract. 1. disp. 11. Sot. lib. 3. de Iust. q. 3. a. 5. ad 2. Valent. q. 5. p. 2. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 3 & alij, responderi potest Martyres non voluisse simpliciter & absolute interfici à Tyrannis in odium fidei: hic enim affectus malus fuisset, quia voluissent peccatum Tyrannorum: sed tantùm ex hypothesi malitiæ ipsorum: quòd nimirum eò ab illis adigerentur, vt vel iactura fidei, aut honoris diuini in seipsis, aut in alijs patienda esset: vel pro illa auertenda moriendum. In quo Martyres passi sunt iniustam coactionem à Tyrannis. Ideóque mors voluntariè ab illis obita propter hanc coactionem, non excusat tyrannos ab iniuria. Condonatio verò eorundem Martyrum non fuit cessio iuris simpliciter contra iniuriam: sed remissio auersionis, iræ, & indignationis contra iniustos offensores, vel etiam remissio vsus iuris ad accusandum, & pœnam exigendam.

7. Malitia inseparabilis ab adulterio. Similiterque iuxta contrariam sententiam affirmantem coniuges posse efficaciter iure suo cedere quoad adulterium; & Clericos, quoad sui percussionem; aduertendum est, adhuc sepositâ iniuriâ mariti consentientis, copulam illam cum coniugata habere malitiam specialem in confessione exprimendam: quia est contra bonum matrimonij. Et matrimonium iam initum cum alio, reddit copulam magis ac speciali modo illicitam, affertque nouum impedimentum, propter quod licita esse non possit. Cùm non modò hæc mulier tua non sit, sed neque esse possit stante vinculo matrimonij, quod dissolui non potest ipsorum coniugum voluntate. Paritérque, licet Clerico consentienti ad sui percussionem non fieret iniuria, posito quòd (vt isti volunt) talis consensus non irritetur per Canonem: nihilominus incurreretur excommunicatio, propter iniuriam & irreuerentiam commissam contra ordinem Clericalem: essetque illud exprimendum in confessione.

8. Nota tertiò, id quod non fit iniustè respectu volentis, posse fieri iniustè respectu aliorum. Quo pacto ille qui volentem occidit, licet (vt multi putant) non faciat ipsi iniuriam, quippe cedenti validè iure suo: facit tamen Reipublicæ, cuius ipse est membrum; & parentibus, qui in ipsum habent ius, vel quorum iustè interest ne occidatur, vt vxori, & liberis; & Deo vitæ & necis, omnium Domino. Peccat etiam grauiter contra Charitatem erga proximum, etiam respectu illius quem volentem interficit: quia graue malum infert illi sine iusta causa.

9. Sufficit tacitè nolle pati iniustum. Nota quartò, vt aliquis iniustum patiatur, non esse necessarium vt expresse nolit, neque vt cogitet: sed satis esse vt tacitè nolit, vel non cedat vsu iuris sui. Ratio est, quia vnusquisque iuris sui amans est, & vult illud sibi esse saluum. Quare licet expressè non cogitet de iure suo, censendus est nolle vt lædatur, donec tacitè vel expressè consentiat. Censetur autem tacitè consentire, qui sciens, aliquid patitur, & tamen non habet actum nolendi. Iuxta vulgatum iuris axioma, *Qui tacet, consentire videtur*. Quod est intelligendum de eo qui planè liberè tacet. Nam qui metu, aut reuerentiâ tacet exteriùs, ille interiùs sæpenumero clamat, & non bene præsumitur consentire.

10. Ad iniuriam sufficit non cedere iure suo, etiã non liberè. Rursus, si quis sit in eo statu, in quo neque expressè, neque tacitè nolle liberè possit, vt dormientes, ebrij, amentes, & pueri ante vsum rationis: hoc tamen ipso, quòd non cedit liberè vsu iuris sui, aut ei non renuntiat, patitur iniuriam, si quid contra ius ipsius fiat. Atque ita infantibus, & similibus, iniuria fit, etiam sepositâ consideratione Reipublicæ, vel parentum, vel aliorum, qui iuris ipsorum curam habent, & illorum vice nolunt contra illud quicquam fieri. Nam fieret verè iniuria infanti existenti extra omnem Rempublicam, sine parentibus, & sine alio qui ipsius curam gerat, Deo etiam ipso per cogitationem, aut per locum intrinsecum, semoto, si quis talem infantem interficeret, aut aliud malum ipsi inferret. Neque verum est quod dicunt aliqui, ius non operari naturaliter, sed tantùm applicatum à voluntate. Nam seipso naturaliter operatur quoad effectum de quo loquimur, donec illius vis per voluntatem, cui subest, impediatur. Sicut etiam cuiusque suum est id, quod legitimè possidet, donec illud voluntariè abdicet, aut in alium transferat.

11. Cessio iuris non excusat non vtẽtem. Vlteriùs, cessio iuris tacita, vel expressa, non excusat ab iniustitia formali illum, qui eam ignorat, vel non iustè seu prudenter illam præsumit, aut de illa non cogitat, neque illâ vtitur. Perinde enim se habet cessio iuris respectu taliter operantis, ac si non esset. Et quamvis id quod fit, non sit iniustum in re, & sumptum materialiter; quia vera cessio facit vt non sit iniustum in re, id quod alioquin esset: hæc tamen cessio non prodest ignoranti, aut non vtenti cum sufficiente notitia, neque impedit quin sit iniustus formaliter quoad affectum.

12. Tollátne semper iniuriam materialem? Contra responsum suprà datum sentit, ex parte Cardinalis De Lugo disput. 3. de Incarnat. Sect. 5. num. 82. vbi docet voluntatem retinendi ius, non esse formaliter voluntatem ipsius rei, ad quam retinet ius: fierique posse vt quis velit rem fieri, sine coactione iniusta, in quâ tamen facienda patiatur iniuriam. Exemplum affert in marito, qui suspicatur adulterium vxoris, & abscondit se de industria vt eam obseruet, & deprehensam in adulterio, relinquat. Adhuc enim vxor peccabit contra Iustitiam, etiam si sciret aliunde maritum adesse, & desiderare adulterium, vt habeat occasionem diuortij. Cum hoc enim stat quòd maritus velit retinere ius suum, & non dare licentiam, nec condonare iniuriam. Aliud exemplum affert de Iudice desiderante ex affectu priuato delicta subditorum, vt possit ab eis mulctam exigere. Adhuc enim subditi peccabunt contra obedientiam, transgrediendo leges ab illo iustè latas & intimatas.

13. Ad quæ respondeo primò, voluntatem retinendi ius suum, esse formaliter voluntatem ne quid fiat aut omittatur ipsi oppositum. Sic enim formaliter ius retinetur, seu seruatur illæsum. Atque ita qui vult ius suum retinere, vult formaliter fieri rem, ad quam ius habet, & quæ non potest omitti sine iuris læsione. Similitérque vult non fieri id, quod sine ipsius iniuria & læsione iuris fieri nequit. Respondeo secundò maritum, de quo loquitur obiectio, non velle simpliciter adulterium vxoris: sed tantùm, ex hypothesi malitiæ vxoris, velle illud permittere, id est, non impedire, sicut Deus permittit hominum peccata, quæ contra ius ipsius fiunt: velléque illud deprehendere, ex suppositione quòd committatur, vt habeat iustam causam faciendi diuortium. Quod si vellet simpliciter & absolutè adulterium, puta ex malo affectu contra vxorem, quam vult à se rejicere: non pateretur vere iniuriam: posito quòd, vt aliqui sentiunt, possit efficaciter cedere iure suo: sicut neque iudex in exemplum allatus, si ex affectu auaritiæ vult absolutè subditos non seruare legem à se latam. Peccarent tamen subditi ex conscientia erronea, per affectum iniustum & iniuriosum formaliter, ignorantes talem affectum iudicis. Sed non esset vera iniuria obiectiua, neque eam iudex pateretur, sed pati falsò præsumeretur. Vt si maritus permittat adulteriũ vxoris.

SECTIO II.

Quid sit Restitutio: & quomodo differat à satisfactione?

14. Restitutio variè sumitur. NOtandum est Restitutionem tripliciter sumi. Primò enim generaliter, & ex vi vocis, idem est, ac reductio alicuius in pristinum statum. Secundò, strictiùs sumitur pro actu, quo id, quod fuerat alicuius, eique aliquo modo fuit amotum, redditur denuo. Siue reddatur, idem in indiuiduo, vt idem equus, idem ager, eadem domus: siue tantùm in æquiualenti, & moraliter idem, seu pro eodem æstimatum: vt pecunia pro pecunia, equus pro equo, vel pecunia pro equo occiso, aut pro bonis consumptis. Dicitur enim fieri restitutio etiam quando redditur tantumdem pro ablato; quatenus id, quod fuerat ablatum, repræsentatur in æquiualenti. Tertiò, strictissimè sumitur pro actu Iustitiæ, quo ex debito rigoroso redditur id, quod amotum fuit, aut retribuitur aliquod bonum in compensationem mali illati. Non omnis autem restitutio est actus Iustitiæ, sed ea solùm, quæ fit ex debito Iustitiæ. Nam qui rem ab alio sibi donatam, reddit vltro, restituit? & tamen non facit actum Iustitiæ. Item, qui alteri iusta de causa malum intulit, & postea tantum boni retribuit in compensationem gratuitam, quantum intulerat mali; non minùs illum reponit in pristino statu, quàm Non est semper actus Iustitiæ.

si iniustè malum intulisset, & pro eo compensationem deberet: & tamen ille non exercet actum Iustitiæ: quia hic actus non habet rationem debiti. Hìc autem loquimur de restitutione prout est actus Iustitiæ

15. Satisfactio tripliciter accipitur. Notandum secundò, satisfactionem quoque tripliciter sumi. Primò enim, ex vi vocis significat actionem, quâ quis facit quantum satis est: siue in materia Iustitiæ, siue extra, putà in materia gratitudinis, vel misericordiæ: & siue reddendo quod ablatum est, siue quidvis aliud faciendo, quod ad offensam & iniuriam reparandam sit necessarium. Secundò, strictiùs sumitur pro actione ad Iustitiam pertinente, quâ fit quidquid necessarium est ex debito rigoroso ad iniuriæ compensationem. Duobus autem modis compensari potest iniuria. Vnus est, reddendo bonum quod ablatum est, vel retribuendo bonum pro malo illato. Alter modus est, faciendo aliquid aliud ad reparationem offensæ iniuriosæ, putà submittendo se, petendo veniam, & similia. Quò etiam pertinet perpessio pœnæ debitæ, quæ licet magis propriè satis passio dici debeat; comprehendi tamen potest nomine satisfactionis. Quia verò satisfactio tam amplè sumpta continet restitutionem, vt patet, neque ab ea distinguitur nisi vt totum à parte: idcirco vt ab ea distinguatur adæquatè, sumitur tertiò strictissimè pro actu, quo aliter satisfit quàm restituendo bonum ablatum, aut acceptum; vel retribuendo bonum pro malo illato.

16. Quomodo differant restitutio, & satisfactio? Pro quo nota tertiò, in iniuria formali, quæ scilicet scienter & liberè admittitur, distinguendum esse damnum, si quod infertur, à ratione offensæ & audaciæ violandi scienter & liberè ius alterius, plúsque audendi, quàm par sit. Damnum in eo consistit, quòd bonum aliquod auferatur, aut retineatur, vel quòd malum aliquod inferatur. Offensa verò consistit in quadam inhonoratione personæ, cuius violatur ius scienter & liberè. Itaque damnum in rebus ipsis positum est, potéstque interdum sine iniustitia inferri: vt si bonum quodpiam eripiatur alteri, aut inferatur malum, per legitimam potestatem. Offensa verò consistit in actione quodammodo contumeliosa, & audacia violandi alienum ius: quod dum violatur, contemnitur aliquo modo persona, & eapropter debet illi satisfacere offensor, aut pœnam pati. V.G. fur non tantùm debet restituere, quod abstulit: sed etiam meretur pœnam, nisi aliter satisfaciat. Damno respondet restitutio propriè sumpta, quæ est damni illati reparatio, reddendo bonum ablatum, vel resarciendo malum illatum. Offensæ autem respondet propriè satisfactio, quâ quis per submissionem, petitionem veniæ, aut aliter, facit quantum satis est ad offensæ, & inhonorationis, seu contumeliæ reparationem: vt bene docet S.Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1. Vbi Possunt interdum separari. rectè addit, aliquando separari satisfactionem à restitutione: vt cùm aliquis alteri damnum inferre conatus est, quod tamen re ipsa non intulit. Tenetur enim ille pro conatu & audacia satisfacere, etsi non teneatur damnum reparare. Et è contrario, aliquando separari restitutionem à satisfactione; vt quando aliquis bona fide abstulit alienum, aut malum intulit incogitanter, & sine culpa: tunc enim sufficit damnum resarcire sine vlla vlteriori satisfactione. Aliquando verò, & quidem frequentissimè, posse vtriusque obligationem simul coniungi, seu ex eodem actu oriri: vt fit quotiescunque aliquis damnum infert alteri iniustè, & scienter ac liberè: tunc enim non sufficit damnum resarcire, perinde ac si sine culpa illud intulisset; sed vlteriùs debet satisfacere pro offensa, vel pœnam pati. Potest etiam qui vtriusque debitor est, primò satisfacere, & postea restituere: vel contrà, priùs restituere, quàm satisfacere; vel etiam alteram ex illis per impotentiam, aut per condonationem tacitam vel expressam omittere. Solent tamen plerunque voces restitutionis, & satisfactionis confundi; ita vt satisfactio sit actio quævis, per quam quis facit quantum satis est, siue pro damno resarciendo, siue pro reparanda offensa. Restitutio quoque latè sumitur pro quavis reductione rei, vel personæ in pristinum statum, siue reddendo bonum ablatum, siue compensando malum illatum, siue etiam reparando offensam, & tantum honoris ac submissionis, vel pœnæ exhibendo, quantum antea contumeliæ, vel inhonorationis illatum fuit. Sæpissimè confunduntur.

Ex his patet quid sint restitutio, & satisfactio, & quomodo differant inter se. Superest notare restitutionem propriè & strictè sumptam pro redditione boni accepti, non conuerti cum iniuria, sed latiùs patere. Nam qui reddit mutuum, commodatum, aut depositum; verè restituit; & tamen nullam iniuriam intulit: neque hæc restitutio debita est ratione iniuriæ, sed ratione accepti legitimè cum pacto reddendi. 17. Restitutio latiùs patet, quàm iniuria.

Dicitur autem communiter restitutio esse actus Iustitiæ commutatiuæ, quia in restitutione attenditur æqualitas rei ad rem. Sicque loquuntur S. Thomas quæst. 62. art. 1. Sotus, Aragonius, Salon, Valentia, Lessius, & alij communiter. Verùm ex dictis alibi constat æqualitatem rei ad rem non esse id, quo formaliter constituitur obiectum Iustitiæ commutatiuæ, quóve distinguitur ab alijs: sed potiùs rationem debiti diuersimodè spectati. Deinde in restitutione maximè propria, quâ redditur illud ipsum quod fuit vltrò acceptum, vel iniustè ablatum, non attenditur propriè æqualitas rei ad rem, sed potiùs identitas: cùm idemmet restituatur. Quòd si aliquando non redditur idem, quia non extat; est hoc per accidens: & quod ablatum est, redditur in æquiualenti. Tertiò, licet in restituendo interdum non possit seruari æqualitas rei ad rem: tamen id quod fieri potest & debet, vocatur iustum: & qui vult illud vt tale, iustè agit. Quare restitutio, vt est actus Iustitiæ, non debet restringi ad æqualitatem rei ad rem; sed est extendenda ad illud omne, quod est restituendum ex debito Iustitiæ. Quomodo est actus Iustitiæ commutatiuæ?

SECTIO III.

An Restitutio sit necessaria ad salutem: & vnde oriatur eius obligatio?

18. Probatur esse necessariã. Dico primò, Restitutionem esse necessariam ad salutem ex præcepto: ita vt peccet quisquis non restituit alienum, vel non reparat damnum iniustè alteri illatum: nisi vel impotentia, vel alia causa rationabilis excuset. Ita D. Thomas quæst 62. art. 2. idque pro certo habent omnes Doctores Catholici. Imò tem esse de fide meritò affirmat Valentia quæst. 6. p. 2. probátque varijs Scripturæ, & Patrum testimonijs. Ratio est, quia sicut peccatum est, accipere alienum iniustè, vel damnum iniustum illi inferre: ita & non restituere: quia omissio restitutionis æquiualet iniustæ acceptioni boni, aut illationi mali; cùm æquè sit damnosa proximo. Item, vt rectè ait S. Thomas artic. citato, Ad salutem necessarium est seruare Iustitiam; iuxta illud Psalmi 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Qui ingreditur sine macula, & operatur Iustitiam.* Iustitia autem exigit vt reddatur quidquid debitum est, si fieri possit: & non retineatur sine causa legitima, Domino rationabiliter inuito. Nec obest illud Christi Luc. 11. ver. 39. *Quod intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate:* Et paulò post, ver. 41. *Verumtamen quod in vobis est, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Neque enim vult Christus sufficere eleemosynam, sine restitutione eorum, quæ per rapinam & iniquitatem sublata sunt, quæ restitutio commendatur vt necessaria ad salutem Ezech. 33. ver. 15. Rom. 13. ver. 7. alijsque locis: sed significat Christus eleemosynam, quæ debet fieri de eo *quod in nobis est*, id est, de proprijs (vt etiam textus Græcus indicat) esse optimam dispositionem ad munditiem cordis, & ad impetrandam veram pœnitentiam, Deique misericordiam.

19. Est in præcepto naturali, & diuino. Hinc collige præceptum restituendi esse diuinum, imò & naturale. Lumine enim naturali nota sunt hæc duo generalia Iustitiæ præcepta, velut ex ipsis rerum naturis manantia, Suum cuique tribuere; &, Neminem lædere iniustè; seu, malum indebitum nulli inferre. Quorum prius Christus sanciuit Matth. 22. ver. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Et Paulus Rom. 13. ver. 7. *Reddite omnibus debita.* Sub illo autem continetur posterius: quia vnicuique debitum est vt non lædatur iniustè. Sed & hoc ipsum expressè à Deo præcipitur Leuit. 19. ver. 15. *Non facies quod iniquum est.* Et 1. Cor. 6. ver. 8. *Vos iniuriam facitis, &c. Nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Ratio verò naturalis, in qua fundantur hæc duo generalia Iustitiæ præcepta, non est tantummodo bonum humanæ societatis, quod existere nequit, nisi suum cuique reddatur, & nemo iniustè alium lædat: sed natura ipsa, & essentia iuris formalis, & debiti formalis, propter quam debitum materiale reddendum est, tam tribuendo cuique suum, quàm abstinendo à læsione iniusta: non modò vt vitetur turpitudo, sed & specialis malitiæ gradus, qui vocatur iniustitia, vel iniuria, inducitque satisfaciendi, aut restituendi obligationem. Quamvis enim homines viuerent solitariè, id est, sine politica societate, vt quidam olim vixerunt: tenerentur tamen suum cuique tribuere, & neminem lædere iniustè. Quod nisi facerent, cogi possent ad restitutionem, vel satisfactionem conuenientem. Omnes enim naturaliter sentiunt eum qui sine legitima potestate aufert alteri bonum, vel infert malum, esse in ordinem redigendum, veluti perturbatorem ordinis necessarij, & plus præsumentem, quàm par sit.

Præceptum cuique suum tribuendi affirmatiuum est, obligans ad tribuendum quando oportet, sine mora vituperabili. Præceptum autem non lædendi iniustè negatiuum est, obligans pro semper; quia nunquam licet inferre malum iniustè, neque vllum actum iniustitiæ exercere. Præceptum restituendi, iuxta Lessium cap. 7. num. 49. est purè affirmatiuum: quia præcipit actum positiuum reddendi alienum, & non obligat pro omni tempore, sed solùm quando est opportunitas restituendi. Alij malunt esse purè negatiuum, inclusum in præcepto, *Non furaberis*; quia eiusdem est rationis furari, & retinere alienum Domino rationabiliter inuito: imò retentio illa est pars essentialis peccati furti. Nemo enim furatur alienum vt statim ei restituat, sed vt retineat, aut disponat de re quam furatur. Meliùs tamen Valentia quæst. 6. p. 2. post S. Thomam, Adrianum, & Sotum, locis ab eo citatis, affirmat esse partim affirmatiuum, quatenus præcipit actum positiuum restituendi, quando ille necessarius est vt non retineatur alienum Domino rationabiliter inuito: partim negatiuum, quatenus prohibet actum voluntatis retinendi alienum Domino rationabiliter inuito, vel resistendi Domino rem suam recuperanti, & sibi iure vendicanti: quod nunquam licitum est. Porro ex præceptis affirmatiuis oriuntur negatiua, quando omissio alicuius actus, eiusque prohibitio, necessaria est vt impleatur præceptum affirmatiuum. Et ex negatiuis oriuntur affirmatiua de actibus oppositis, quando illi necessarij sunt ad implendum omni ex parte negatiuum præceptum. Vt v. g. quia species quædam, vel continuatio furti est, detinere alienum, quando potes & debes reddere; idcirco Deus præcipiens non furari, præcipit consequenter vt reddatur alienum quando potest & debet reddi. Quanquam restitutio sumpta adæquatè non continetur sub præcepto non furandi, sed pertinet etiam ad præceptum non occidendi, non mœchandi, non detrahendi, & ad alia ex quibus oritur obligatio restituendi: præter quæ, oritur etiam ex ipsa re accepta sine culpa, & sine iniuria; atque etiam ex contractu obligante ad restituendum, vt fit in mutuo, commodato, deposito, pignore, locato, & conducto.

20. Sitne illud affirmatiuũ, aut negatiuum?

Ex præceptis affirm. oriuntur negatiua, & contra.

21. Obligatio resti- Dico enim secundò, obligationem restituendi oriri generatim ex tribus capitibus. Primò, ex culpa, id est, ex iniusta acceptione boni,

tuendi oritur ex triplici capite. vel illatione mali. Secundò, ex re accepta, siue per voluntatem eius ad quem pertinet; vt fit in mutuo, vel deposito: siue contra ipsius voluntatem; vt fit in rapina, vel furto. Tertiò, ex contractu. Nam mutuum v.g. non debet restitui ratione iniustæ acceptionis boni alieni, vel illationis mali; cùm in accipiendo nulla fuerit iniuria: neque etiam propriè ratione rei acceptæ, quia fieri potest vt hæc non extet: sed ex contractu quo pecunia v. g. fuit data cum onere reddendi. Ita Lessius cap. 7. num. 20. & Dicastil. tract. 2. de Iustitia disp. 2. dub. 1. colligiturque ex D. Thoma, quæst. 62. art. 6. & 7.

Ex contractu.

22. Et ex ratione culpæ? Circa primum ex his capitibus, nota vt quis teneatur restituere ratione iniustæ acceptionis boni, aut illationis mali seu damni; debuisse culpam intercedere in eiusmodi acceptione boni, vel illatione mali. Quare qui sine vlla culpa damnum infert, non tenetur ex Iustitia illud compensare, ratione culpæ siue iniustæ illationis. Neque qui bonum alienum sine culpa accepit, tenetur illud restituere ratione iniustæ acceptionis: sed solùm ratione contractus, si accepit cum pacto reddendi; aut ratione rei acceptæ, si cognoscatur esse aliena, vel alteri debita, & adhuc extet ac retineatur. Dicitur autem extare & retineri, non tantùm secundùm se, quando ipsa formaliter manet: sed etiam æquiualenter, quando ipsius loco manet aliud quippiam: vt si quis rem alienam ignarus consumpserit, & maneat inde ditior, quia tantundem ex suis bonis seruauit.

Et ratione rei acceptæ. Circa secundum, nota secundò, nomine rei acceptæ hîc intelligi non modò rem quomodocunque acceptam propriè loquendo: sed etiam rem quamcunque quæ alteri debetur ex Iustitia, & à me detinetur; vt hæreditas, legatum, res promissa, vel donata, & nondum tradita, & alia id genus, quæ nondum fuerunt possessa ab illo cui debentur, ideóque propriè non fuerunt ab illo accepta.

23. Discrimen inter hæc tria capita. Nota tertiò, cum Lessio cap. cit. num. 21. magnam esse differentiam inter hæc tria capita. Quando enim debet aliquid restitui ex iniusta acceptione, vel ex contractu; manet obligatio, licet res debita pereat absque nostra culpa. Secus autem si est tantùm obligatio restituendi ratione rei acceptæ. Tunc enim res non debet restitui, si sine culpa nostra periit; vt patebit ex sequentibus. Item, qui iniuriosè abstulit aut retinuit, tenetur ad totum damnum, cuius causa est, resarciendum. V. g. qui equum alienum mala fide accepit, tenetur non modò illum reddere Domino, sed etiam pretium locationis quod Dominus ex eo percepisset; aut si quod aliud damnum inde secutum est. Qui verò sine iniuria accepit, & obligatur tantùm ex contractu; tenetur solùm ad id, ad quod ex conuentione se obligauit. Qui denique ex re aliena, extra iniuriam vel contractum obligatur; tenetur tantùm restituere rem alienam, si adhuc extat: vel id, quo ditior manet, si res non extat in seipsa. Quapropter qui rem alienam, quam bona fide putabat esse suam, donauit purè, aut consumpsit, ita vt non maneat ditior, quia non consumpsisset aliud, si illam non habuisset; non tenetur ad restituendum vllo modo, quia res nullo modo manet apud ipsum. Vel si equum bona fide emptum à fure, alteri vendidit tantidem, aut donauit; ad nihil tenetur, quia non manet ditior.

Superest explicandum quæ culpa requiratur ad restitutionis obligationem quæ oritur ex culpa. Qua de re breuiter dico tertiò, probabilius mihi videri neminem in foro conscientiæ teneri ratione culpæ, nisi de damno, quod præuidit, & cuius verè culpabiliter, id est, scienter & liberè, ac non fortuitò, causa fuit: licet in foro externo possit ad plus obligari. Ratio est, quia ei, qui culpam non habet, non est imputandum id, circa quod culpa non est: alioqui paruuli & infani essent obligandi ad satisfactionem ratione culpæ: quod est inauditum. Qui autem culpam habet propinquè, aut remotè; ille debet ferre malum, quod ex eius culpa nascitur; cùm sit eius causa libera. Et non est æquum vt alius sine culpa ferat malum, quod ex istius culpa secutum est. Sed si fecit inculpabiliter; æquitas postulat vt patienter feramus iniurias inculpabiliter ab alijs illatas, & aliquid demus humanæ fragilitati, & inconsiderationi. Ad compescendos autem leues & imprudentes, ne sic sæpius noceant, sufficit quòd obligentur ad restitutionem in foro externo, vt fit ex præsumptione, vel vt homines reddantur cautiores. 24. Quæ culpa obliget ad restitutionem?

Est etiam probabile ex culpâ solùm veniali non oriri grauem obligationem restituendi graue damnum inde secutum, licet damnum præuisum fuerit: tum propter imperfectionem & leuitatem iniuriæ formalis, seu culpæ, tantâ pœnâ indignam: tùm etiam quia per accidens, & quodammodo fortuitò ex tali culpa damnum illud graue secutum est. Et hoc docent Innocentius, Gabriel, Syluester, Angelus, & alij, quos refert & sequitur Lessius cap. 7. dub. 6. cùm aiunt restituendi obligationem oriri tantùm ex culpa lata, latiori, & latissima: id est, vel ex graui negligentia vitandi damnum, per omissionem grauiter culpabilem, illius diligentiæ, quam solent homines eiusdem conditionis adhibere? quæ negligentia vocatur culpa lata: vel ex dolo præsumpto, qui vocatur culpa latior: vel ex dolo aperto, qui vocatur culpa latissima; non autem ex culpa leui, aut leuissima, id est, ex leui negligentia vitandi damnum, per omissionem illius diligentiæ, quam solent adhibere diligentiores; quæ omissio vocatur culpa leuis; aut illius quam adhibent diligentissimi; cuius omissio vocatur culpa leuissima. Nisi aliud contractus aliquis postulet, vel officij ratio specialis exigat: putà, si conuentum fuit vt subeas quodvis periculum rei acceptæ: vel si quis medicus, aut patronus v.g. se diligentissimum profiteatur, & eos qui talem quærunt, ad se pelliciat. Quare si ex eo quod aliquid fecisti, aut facere omisisti, secutum est alteri damnum, te non aduertente, ita vt in eo causando ne venialiter quidem peccaueris, ob naturalem inconsiderationem, vel obliuionem; non teneris ad restitutionem ratione culpæ: quia vbi nulla est culpa, non potest quis obligari ratione culpæ in foro conscientiæ: licet in foro 25. An venialis tantùm? Culpa lata, latior, & latissima.

foro externo obligari possit ob præsumptionem, vel ad reddendos homines cautiores & sollicitiores. At neque etiam si peccaueris venialiter tantùm, teneris restituere. Quia vt rectè ait Lessius cap. 7. dub. 6. quando solum est culpa venialis commissa in eiusmodi negligentia, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus. Ergo non inducit obligationem restitutionis saltem perfectam quæ astringat sub peccato mortali. Non enim potest obligatio maior esse in suo ordine, quàm sit iniuria ex qua nascitur. Imò neque sub peccato veniali, si restitutio grauis est: quia cum solum culpa venialis in graui damno inferendo intercessit, vt quando ex quadam inconsideratione & distractione animi prouenit, censetur quasi fortuitò obuenisse. Quis enim in huiusmodi rebus periculosis non aliquam interdum negligentiam admittit? Et tamen rarissimè talia damna inde contingunt. Quare meritò quasi fortuita videri debent. Confirmatur, quia grauitas obligationis restituendi proportionatur materiæ. Et mirum esset hominem, sub veniali tantùm, obligari ad restitutionem centum millium aureorum, neque posse eo peccato liberari nisi restituat. Ita Lessius suprà, & Cardinalis De Lugo disput. 8. de Iustitia Sect. 5. post Sotum, Nauar. Emman. Sa, Henriquem, & alios quos illi citant.

Nō obligat culpa leuis, aut leuissima ad grauē restitutionem.

16. Dixi autem, non teneri ex Iustitia: quia ex Charitate & ex alijs capitibus potest quis obligari propter damnum, cuius culpabiliter causa non fuit. Vt qui hominem imprudenter occidit, ex cuius morte sequitur extrema vel grauis necessitas, vxoris, & filiorum; tenetur specialiter succurrere illis, quos in tantam miseriam, quamvis imprudens & non volens, coniecit. Item ex gratitudine teneor resarcire damnum eius qui gratis rem mihi commodauerat, quamvis res sine mea culpa perierit. De quibus & similibus in particulari ex naturali æquitate iudicandum est, quod attinet ad forum conscientiæ: pleraque de illis videri possunt apud auctores paulò antè citatos.

Debetur aliquādo ex Charitate, citra culpam.

SECTIO IV.

Vtrum sufficiat Restituere simplum quod iniustè ablatum est?

17. PRima conclusio: Si aliquid sine iniuria formali ablatum fuit, & nullum aliud damnum culpabiliter datum, neque contractus, seu pactum plus reddendi intercessit; sufficit restituere simplum quod ablatum est. Ratio est, quia tunc non tenetur quis restituere nisi ratione rei acceptæ. Ergo satis est si rem ipsam restituat in se, vel in eo, secundùm quod remanet. Dixi autem, *si absque iniuria formali, &c.* Quia si per iniuriam formalem abstulit alienum; non modò tenetur restituere quidquid abstulit, si potest: sed vlteriùs est reus pœnæ, subestque iuri & legitimæ potestati inferendi illi aliquod malum. Æquum enim est vt patiatur aliquid in pœnam audaciæ & præsumptionis lædendi ius alienum, & perturbandi ordinem Iustitiæ. Et quia plus est audaciæ in iniuria directa, & expressa: plus etiam pœnæ pro illa potest exigi, quàm pro tacita, & obliqua. Confirmatur vsu & legibus omnium gentium, fauente etiam Scriptura, quæ passim approbat potestatem puniendi malefactores. Notandum tamen illum non teneri ad pœnam exequendam, aut subeundam, antequam legitimè imponatur: neque ad procurandum vt sibi imponatur: neque ad se manifestandum, si est occultus: sed tantùm est debitor ferendi pœnam illam legitimè impositam. Quia vt aliquis vel seipsum prodat ad pœnam, vel eam sibi procuret, nimis durum videtur, & parum consentaneum naturali æquitati. Hæc conclusio tota est D. Thomæ quæst. 62. art. 3. & communis Doctorum.

Sufficit aliquādo.

Aliquādo non sufficit

Quomodo pœna debetur?

28. Secunda conclusio: Qui auferendo, vel retinendo alienum, causa fuit culpabiliter alicuius damni ex eo secuti, debet non modò restituere quod abstulit, sed etiam damnum compensare. Ex. gr. qui mercatori abstulit merces, impediuitque ne eas vendendo lucrum faceret: debet non modò reddere merces, sed & damnum lucri cessantis resarcire. Ita Doctores communiter cum D. Thoma, quæst. cit. art. 4. Cuius ratio optima est, quia (inquit) qui damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat. Damnum enim dicitur, ex eo quòd aliquis minus habet, quàm debet habere. Et ideo tenetur quisque ad redditionem eius, in quo aliquem damnificauit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Primò, quia aufertur ei quod actu habet: & tale damnum est semper restituendū secundùm compensationem æqualitatis, si fieri potest. Secundò, quia impeditur ne adipiscatur quod erat in via habendi: & tale damnum non debet ex æqualitate rei compensari. Quia minus est habere aliquid virtute, & in spe; quàm in re. Sed restituendum est quantum spes illa valet iuxta arbitrium prudentis viri. Minus autem valet, quò minùs certa est. Deducendæ sunt etiam expensæ, quas in lucrando fecisset. Vt si spes valet decem, sed impendisset quinque; debet quinque tantùm restituere. An verò etiam pro labore qui in lucro faciendo subeundus fuisset, possit aliquid deduci, controuersia est. Affirmat maior in 4. dist. 15. quæst. 19. Negant verò Petr. Nauar. lib. 4. de Restitut. cap. 1. dub. 10. Less. cap. 9. num. 125. & alij communiter, vt idem testatur. Existimo detrahi posse quantum ille libenter pro laboris redemptione daturus fuisset, quod etiam Lessius fatetur num. 126. sed non pro labore ipsi iucundo & grato, vel necessario ad vitandum maius malum, putà, ad familiam sustentandam, vel ad soluenda debita. Potiùs enim fit illi iniuria, quòd à tali labore impediatur. Et alioquin opificibus nihil restituendum esset, quia merces ordinariè non superat eorum laborem.

Qui fuit culpabiliter causa damni, tenetur illud cōpensare.

Quomodo æstimādum, & compensādū est?

Possitne aliquid detrahi pro labore?

29. Tertia conclusio: Qui scienter & liberè intulit alteri malum, seu damni iniustè & culpabiliter causa fuit, tenetur malum auferre, si maneat; & compensare damnum ad æqualitatem, si fieri potest, reddendo tantum boni, quantum intulit mali: atque vlteriùs reus est

Qui malum iniustè intulit, tenetur amouere,

Si potest: aut æquali bono compensare. pœnam, ratione culpæ, & iniuriæ formalis; ad eámque ferendam obligatur, si imponatur legitimè. Hæc posterior pars conclusionis liquet ex dictis. Prior verò probatur, quia sicut acceptio iniuriosa boni alieni parit debitum restitutionis; ne iniuria seu læsio & inæqualitas perseueret: sic illatio mali parit debitum amouendi malum, si potest amoueri; aut pro eo satisfaciendi, & compensandi malum aliquo bono. Et quemadmodum vnusquisque ius habet pro bono quod iniustè illi ademptum fuit, recipiendi illud ipsum, aut æquale: ita pro malo positiuo, quod ei fuit illatum, habet ius recipiendi bonum æquale. Alioqui si malum iniustè illatum maneret absque satisfactione; esset apertè inæqualitas, & maneret læsio sine remedio quod per læsorem posset conuenienter adhiberi. Conueniens enim est vt quantum mali iniustè intulit alteri, tantum boni referat eidem. Vt ipse eo modo ferat malum, quod fecit: & alter pro malo quod tulerit, recipiat bonum æquale, si fieri possit. Neque sufficit inferre illi pœnam aliquam pro iniuria. Quia pati pœnam, siue subjici pœnæ ab alio in vltionem illatæ, non est compensare damnum, sed est pati. Et parum est ei, qui malum iniustum passus est, vt ille, à quo est passus, subeat pœnam; nisi bonum æquale, pro malo quod pertulit, recipiat. Alioqui enim manet sine remedio & compensatione mali, sibi iniustè illati. Confirmantur hæc omnia ex cap. 9. *de iniurijs & damno dato*, vbi sic habetur: *Si culpâ tuâ datum est damnum, vel iniuria irrogata; iure super his satisfacere te oportet.* Et S.Thomas art. 6. quæst. 62. affirmat non modò ablatum esse restituendum; sed & damnum compensandum, & iniuriam puniendam.

30. Iustum in restitutione non est idem, ac contrapassum. Quarta conclusio: Iustum in restitutione & compensatione, non est idem generaliter, ac repassum, seu contrapassum. Hæc conclusio ponitur ad explicandam doctrinam D. Thomæ art. 4. quæst. 61. & Aristotelis 5. Ethic. cap. 5. vbi quærit an iustum sit simpliciter idem quod contrapassum? Idque propter Pythagoræos affirmantes iustum positum esse in repassione, seu contrapassione; ita scilicet vt vnusquisque patiatur id, quod intulit: & si v. g. dentem extraxit, aut oculum eruit, dens illi pariter extrahatur, aut oculus eruatur, subeátque pœnam talionis; vt dicitur. Quam doctrinam ita sumptam de repassione similis in specie, meritò rejiciunt D. Thomas, & Aristot. locis citatis. Primò, quia in Iustitia commutatiua non semper est actio, & repassio, propriè loquendo; sed interdum est simplex tributio eius quod debetur ex promissione, vel donatione gratuita, aut alio titulo. Secundò, quia etiam quando est actio, & repassio; non semper iustum seruaretur, si quis idem in specie pateretur, quod intulit. V. g. si plebeius regem percussit alapâ, non est satis quod à rege repercutiatur alapâ. Et contra, si rex plebeium alapâ percussit iniustè, nimium esset ipsum à plebeio repercuti. Item, si quis ouem iniuriosè furatus est, non sufficit si ouem reddat, aut aliam similem; vt faceret ille qui bona fide accepisset: sed vlteriùs puniri debet, aut damnum aliquod pati. Ideóque Exod. 22. iubebatur vt qui ouem vnam furatus esset, quatuor oues pro vna redderet: & quinque boues pro vno. Oportet ergo ad iustum seruandum in eiusmodi rebus, & similibus, vt passio sit æqualis actioni secundùm moralem æstimationem, si fieri possit, & si nihil de iure remittatur: id est, oportet vt tantum retribuatur boni, aut subeatur mali, quantum meretur iniusta acceptio boni, vel illatio mali.

Quinta conclusio: Quando eripiuntur iniustè aliqua bona, aut inferuntur damna, quæ non recipiunt æstimationem, vt cùm eripiuntur iniustè vita, membra, sensus, vsus rationis, & similia; debet quidem fieri restitutio vel compensatio pro vtilitate & commodo, quod prædicta afferebant: sed non pro rebus ipsis in se. Prima pars certa est, & sine controuersia. Ratio est, quia fructus & vtilitas, quæ ex vita, & membris, & alijs prædictis proueniunt, non minùs sunt æstimabilia pecuniâ, quàm alia quæ proueniunt ex rebus alijs fructuosis per se, vel additâ industriâ & operâ humanâ. Ergo non minùs restituendum est quod ex vita, membris, & alijs prædictis prouenturum erat commodi, quàm quod aliunde. Quapropter filijs, verbi gratiâ, restituendum est quantum valet spes commodorum quæ ex vita parentis accepissent, deductis expensis, & labore redimibili. Et cui manus adempta est, aut vis memoratiua, vel vsus ipse rationis, vt fit interdum per maleficia; restituendum est aliquid ex æquo, pro spe commodi, quo propter illam læsionem priuatus est. Et cui seruus ereptus est, vel occisus; debet illi tantum restitui, quantum valebat vtilitas serui, seu mancipij occisi. 31. Restituendum aliquid pro vtilitate membrorum ereptorum, & similium.

Secunda pars, quòd non pro vita, & membris ipsis, &c. facienda sit restitutio, est valde controuersa inter Theologos. Nam contrarium satis apertè videtur sentire D.Thomas quæst. 62. art. 2. ad 1. vbi affirmat quando vita, vel membra eripiuntur, pro quibus fieri non potest compensatio æquiualens, debere fieri sicut potest, pecuniâ, vel honore, vel alio quopiam, considerata conditione vtriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri. Sicut licet filij parentibus non possint reddere æquale; debent tamen reddere quod possunt. Vbi non loquitur S. Thomas de compensatione pro bonis, quæ erant ex vita, vel membris prouentura: nam compensatio æqualis pro illis non est impossibilis, sed potest sæpissime artifici plus reddi, quàm ille per manum ademptam totâ vitâ lucraturus fuisset. Idem etiam docent Ricardus in 4. dist. 15. artic. 5. quæst. 2. in cor. & ad 2. Scot. ibidem quæst. 3. Adrian. titulo de Restitutione, quæst. vlt. Sot. lib. 4. de Iustitia quæst. 6. art. 3. ad 3. Caiet. in Summa, *Verbo Restitutio, cap. 8.* Syluest. V. *Restitutio 3. quæst. 2.* Valent. quæst. 6. p. 5. & alij plurimi. Probatur primò, quoniam is qui iniustè priuat aliquem vitâ vel membro, non solùm priuat bono consequenti; sed etiam bono quod inest per se in ipsa vita, & membro. Ergo non tantùm debet pro bono consequenti, sed etiam pro præcedenti, retribuere aliquid. Sique non possit æquale, debet saltem quod potest, iuxta arbi- 32. An etiam pro mēbris ipsis?

trium boni viri. Secundò, qui occidit mancipium, vel bouem, aut canem alterius; debet aliquid restituere non tantùm pro commodis, sed etiam quia alterum mancipio, boue, vel cane priuauit, vt fatentur aduersarij. Ergo multò magis qui alterum priuet vitâ, vel membro, debet aliquid restituere.

33. Concluditur negatiuè. Contrarium tamen nobiscum sentiunt Petrus Nauar. lib. 4. de Restitut. cap. 1. num. 8. Martinus Nauar. in Manuali, cap. 15. num. 22. Couar. 2. Variarum cap. 10. num. 7. Molina disp. 516. Lessius cap. 9. dub. 23. Vasques cap. 2. de Restitutione §. 3. dub. 6. Mærat. disput. 26. Sect. 1. & alij, affirmantes nihil pro vita & membris liberi hominis, & cicatrice, ac similibus, restituendum esse: sed tantùm pro expensis in medicos, & pro damnis inde secutis. Vnde si vir nobilis, aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat; nihil restituendum est præter expensas in medicos, si quæ factæ sunt. Probatur primò ex lege vlt. ff. *de ijs qui effuderunt, vel deiecerunt*, vbi sic dicitur: *Cùm liberi hominis corpus, ex eo quòd deiectum effusúmve quid erit, læsum fuerit, iudex computet mercedes medicis præstitas, cateráque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quòd inutilis factus est. Cicatricum autem, aut deformitatis, nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem*

Probatur ratione. Probatur secundò, quia si esset aliquid restituendum pro vita ipsa, vel membro erepto, ille qui pœnam talionis est passus, teneretur adhuc ad restituendum pro vita, vel membro; quippe cuius damnum non compensatur pœnâ talionis, sed tantùm punitur & vindicatur iniuria. Neque enim ex illa pœna quidquam læso accedit, quo damnum reparetur. Sicut si cuipiam erepti furtæ essent centum aurei nummi, non resarciretur illi hoc damnum, si fur iuberetur per sententiam iudicis totidem aureos in mare projicere. Ac sicut fur per virgarum pœnam, aut mortis, non liberatur à debito restituendi id quod abstulit, si potest restituere; quod debitum etiam ad hæredes furis transit: sic homicida, vel mutilator, non liberaretur per pœnam talionis à debito restituendi aliquid amplius pro vita, vel membro erepto: idque secundùm aduersarios, ad arbitrium boni viri æstimandum esset. At hoc est contra vsum omnium tribunalium, & morem omnium gentium. Tertiò, quidnam, & quantum restituendum est pro vita erepta, vel membro, quæ omnium consensu non recipiunt condignam æstimationem, & compensationem? Nullus enim vir prudens est, qui velit pro quantavis pecunia vitam, aut membrum sibi eripi. Respondent aduersarij, debere aliquid restitui secundùm arbitrium boni viri. Sed quid vir bonus & prudens arbitrabitur, cùm quantamcunque pecuniæ summam assignet, vita & membrum pluris valeant, & pluris æstimari debeant? Etsi læsus velit ex rigore agere, totóque suo iure vti nihil remittendo, quid faciet vir bonus & prudens vt illi satisfiat? Quartò, vt rectè addit Lessius, nemo tenetur damnum resarcire ex bonis diuersi ordinis, sed tantùm eiusdem: hæc enim sola sunt inter se commensurabilia. Ergo quando non potest fieri commensuratio, non est obligatio Iustitiæ ad restituendum. Esto, sit interdum obligatio Charitatis ad pecuniarum compensationem, si hæredes sint pauperes, & non putentur aliter mœrorem deposituri, aut inimicitiam. Confirmatur, quia vir diues rideretur si vellet infamiam sibi per pecuniam compensari. Item, rideretur qui ab alio in peccatum inductus, vellet ab eo sibi compensari pecuniâ damnum gratiæ sanctificantis.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ: Bannes & alij quidam Thomistæ conantur explicare S. Thomam de restitutione pro honore, vel commodo ablato; non autem præcisè pro vita, vel membro ipso. Sed hæc interpretatio repugnat eius verbis, vt bene ostendit obiectio. Quare malo ingenuè fateri S. Thomam nobis quidem aduersari, sed non adimere probabilitatem huic sententiæ tot auctoritatibus & rationibus munitæ. 34. Quid sentiat D. Thom.

Ad secundum, hoc est, ad primam rationem sumptam ex D. Thoma, respondeo arbitrium boni viri nihil hîc posse prudenter æstimare, sicut re ipsa iudices nihil tale æstimant: neque debere quidquam restitui pro damno incompensabili. Ad secundam rationem, nego cum Mærat. suprà cit. debere quicquam restitui præcisè pro vita mancipij; sed tantùm pro commoditate, & vtilitate ad vsus humanos, in ordine ad quos est pretio æstimabilis & vendibilis. Vita verò bouis, & canis, est pretio æstimabilis. Quare de illis non est par ratio, ac de vita hominis, siue serui, siue liberi. Satisfit argumentis contrarijs.

Instabis ex D. Thoma, quia filius, licet non possit reddere patri æquale, debet reddere quod potest. Et qui debet centum, potéstque tantùm soluere decem; tenetur ex Iustitia soluere partem quam potest, licet non possit soluere æquale. Ergo similiter is qui vitam aut membrum abstulit. Respondeo negando paritatem: quia in primo exemplo filius non reddit patri obsequia & subsidia, quæ debeat in compensationem alicuius mali, quod ipsi intulerit; neque in compensationem vitæ ab ipso acceptæ: sed quia pater titulo generationis habet ius dominij ad exigenda huiusmodi officia; & Deus multò plura, titulo creationis, propter quam ius habet summum & amplissimum in omnes creaturas. In secundo exemplo, pars illa debiti est æstimabilis, & compensabilis per talem solutionem. At vita & membrum hominis, neque ex toto, neque ex parte æstimari & compensari pecuniâ possunt: vt neque res spiritales & sacræ possunt compensari & emi pecunijs, ac rebus temporalibus; in quo consistit peccatum simoniæ naturalis, seu diuinæ. 35. Repellitur instantia.

SECTIO V.

Vtrum aliquis debeat Restituere quod non abstulit?

RESpondeo, eum qui apud se inuenit rem alienam, teneri eam restituere vbi planè 36.

Res aliena reddēda est, quamvis eam non abstuleris. constiterit esse alienam; quamvis ipse non abstulerit, sed bona fide emerit, vel alio titulo dispendioso habuerit: posse tamen illam reddere ei, à quo accepit titulo dispendioso, & suum recuperare, atque onus restituendi vero Domino, rejicere in illum à quo emit. Prima pars est D. Thomæ, quæst. 62. art. 6. Alensis p. 4. quæst. 86. membro 3. art. 5. Gabriel. in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 3. dub. 5. Maioris ibidem quæst. 26. §. *Dubitatur*, Petri Nauar. lib. 3. de Restitutione, cap. 4. parte 3. num. 181. & 183. Ratio est, quia quandiu res eadem manet, est subiecta dominio & iuri eius, cui iniustè adempta est. Neque enim per iniuriosam acceptionem destruitur præcedens dominium, manente subiecto, & obiecto, & voluntate subiecti. Cùm ergo suum cuique tribuendum sit, & res illa sit verè illius, qui dominium retinet; est ei reddenda, quamvis oneroso & dispendioso titulo sit comparata.

37. Secunda pars est Alensis, & Gabrielis suprà, & Salonis ad art. 5. quæst. 62. Lessij cap. 14. num. 14. Nauar. cap. 17. Manual. num. 9. Syluestri, Angeli, & aliorum. Ratio est, quia potest emptor sibi magis, quàm alij consulere: & æquum est vt se prius a damno liberet, si possit, onúsque restitutionis rejiciat in eum, qui ex facto suo ad illam obligatur. Quod etiam tutius est emptori, ne incidat in suspicionem furti. Confirmatur, quia, vt rectè addit Lessius, non egisti iniustè contra dominum, rem illam fide bona emendo, & apud te retinendo. Ergo non potest meritò ægrè ferre, tanquam iniuriâ affectus, si eam constituas in eo statu, in quo antea erat, ne tu ipse damnum incurras. Item, contractus emptionis fuit nonvoluntarius, propter dolum. Ergo potest rescindi, vel potiùs re ipsa nullus est: adeóque potest res loco priori restitui, ne noceat emptori.

Reddens potest se indemnē præstare.

38. Dixi, *titulo dispendioso*: quia si gratis eam accepisti, teneris eam restituere ipsi domino, vbi constiterit esse alienam: neque potes eam furi reddere; nisi moraliter certus sis furem restituturum. Dixi præterea, *bonâ fide*: quia si malâ fide emisti, sciens vel dubitans esse alienam; teneris vero domino reddere: quia teneris ratione iniustæ acceptionis: vt docent Nauar. & Less. suprà citati. Quamvis contrarium probabile sit, vt sentiunt Alensis, Gabriel, Angelus, & Syluester, affirmantes etiam tunc posse contractum rescindi, & pretium recuperari: quia quisque potest sibi consulere, præ altero. Præsertim cùm, rescindendo contractum, non constituat rem peiore loco, quàm antea erat. Si autem venditor non reperitur, aut non vult contractum rescindere, res ipsi domino restituenda est: quia non potest retineri domino inuito.

39. Cōtraria sententia. Contra secundam partem responsi, quòd scilicet res aliena possit reddi ei, à quo empta fuit, &c. opinantur Medina Cod. de Restitut. quæst. 10. & Sot. lib. 4. de Iust. q. 7. a. 2. his præcipuè moti argumentis. Primò, Qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur iniquæ eius detentioni. Secundò, Res aliena est deuincta vero Domino. Ergo est illi reddenda. Tertiò, Si Dominus illam inueniat, poterit repetere non reddito pretio. Ergo alter tenetur reddere, eo licet non repetito. Quartò, Qui apud iudicem accusaretur de re furi reddita, damnaretur ad pretium eius reddendum vero domino. Ergo malè facit eam furi reddendo. Ille etiam, apud quem res aliena reperitur, damnaretur statim à iudice ad reddendum vero domino. Ergo tenetur ipsimet statim restituere; neque potest licitè furi reddere, à quo emit.

Ad primum, nego antecedens. Ille enim non cooperatur furtiuæ detentioni, sed tantùm iure suo vtitur, ne dispendium patiatur. Neque furi suadet vt retineat, sed potiùs illi dat exemplum restituendi. Ad secundum respondeo, onus restituendi rejici posse in eum, qui accepit iniustè; ad vitandum dispendium proprium. Imò qui videt rem alienam apud furem, aut aliter amissam, non tenetur ex Iustitia, quamvis commodè possit, ad accipiendam illam vt reddat domino, neque ad prodendum furem: nisi aliquo speciali titulo ad id obligetur. Ad tertium respondeo, dominum quidem non teneri reddere pretium rei suæ, nisi emptor illam emerit paruo pretio sciens esse alienam, vt vero domino restitueret. Tunc enim tenetur reddere quod ille impendit gerens vtiliter negotium domini. Secus autem, si sibiipsi emit, aut si magno vel æquali pretio emit, etiam vt redderet. Tunc enim non gessit vtiliter negotium Domini. Licet tunc quoque reddi debeat exiguum quid, quantum alter impendisset, si negotium domini vtiliter gessisset, vt rectè docet Lessius suprà, num. 20. probatque ex lege 2. *Si quis alienum. ff. de negotijs gestis.* At inde non sequitur quòd emptor non possit reddere furi, vt suum recuperet, rejiciendo in furem onus restituendi, vel in dominum onus repetendi, vt sibi potiùs quàm illi consulat. Ad quartum, nego iudices omnes sic iudicaturos. Id enim dicitur diuinando: & potiùs aliqui sequerentur nostram sententiam, permitteréntque venditorem in iudicium vocari, atque cogerent vt emptori bonæ fidei pretium restitueret. Emptor autem malæ fidei hac pœnâ meritò plecteretur vt pretium perderet, dominóque statim rem suam reddere cogeretur. 40. Soluuntur eius argumēta.

Quæres, an qui rem alienam emit bona fide, & rursum alteri vendidit, postea domino comparente teneatur contractum rescindere cum secundo emptore, illique pretium reddere: an verò sufficiat illi cedere actione sua in primum venditorem? Affirmat Nauar. id sufficere. Sed probabilius negant Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 2. & Lessius cap. 14. num. 26. quia, vt idem rectè ait, is qui rem vitiosam vendit alteri, tanquam bonam; tenetur, vbi de vitio constabit, paratus esse ad illud tollendum, vel ad contractum rescindendum. Atqui rem esse alienam magnum vitium est, & quidem tale, vt dominium non potuerit transferri in emptorem. Ergo tenetur efficere non alienam, aut contractum rescindere. Imò potiùs contractus est inualidus, ac proinde tenetur pretium restituere. Hoc autem intellige, nisi secundus emptor sit primo causa damni, vel fuerit, impediendo ne pretium suum à vero domino, vel à primo 41. Quid teneatur facere qui bona fide vendidit rem alienam?

venditore recuperare possit. Intellige præterea, si res adhuc extet: alioquin emptor bonæ fidei tenetur solùm reddere id, quo ditior manet: quia tenetur solùm restituere ratione rei acceptæ. Addit Lessius cap. citato, num. 30. si post venditionem mihi innotescat rem esse alienam; me non teneri ex Iustitia id domino aut emptori meo significare, si inde mihi damnum immineat pretium meum perdendi. Quia cùm rem alienam non habeam, neque sim iniustè alteri causa damni: non teneor cum magno meo incommodo curare vt dominus suum recuperet. Imò quamvis possim sine incommodo, non teneor nisi ex Charitate. Sic ille: quæ non puto satis cohærere cum proximè præcedentibus, ab eodem Lessio admissis.

42. Et qui dubitat rem esse alienam? Quæres secundò, an is qui dubitat rem, quam habet, esse alienam, possit eam retinere, vel alienare? Respondeo primò, si bona fide incepit eam possidere, tenetur orto dubio inquirere veritatem: & si facta sufficienti inquisitione dubium adhuc manet, potest retinere, & alienare: quia in dubio melior est conditio possidentis. Quòd si negligat inquisitionem; peccat retinendo, & alienando: tenebitúrque domino certè comperto non modò rem restituere, sed etiam fructus ab eo tempore perceptos, quos dominus percepisset, & damna ex iniustâ retentione secuta compensare. Respondeo secundò, si ab initio dubitauit an res esset aliena; non peccauit quidem accipiendo per donationem, vel emptionem, eo animo vt illam domino restitueret, post sufficientem inquisitionem comperto: quia in eo potiùs bene domino fecit, & rem eius periculo eripuit. Si verò accepit vt sibi omnino retineret: peccauit, & debet voluntatem illam deponere, diligentérque inquirere veritatem. Quam si certò moraliter comperit: debet rem totam domino restituere: hic verò tenetur ei reddere si quid exiguum impendit ad gerendum vtiliter ipsius negotium, vt paulò ante diximus. Sin adhuc res dubia manet, debet eam diuidere cum eo, cuius respectu dubia est. In qua diuisione, si dubium est inæquale, debet pars maior esse illius, pro quo maior probabilitas est. Non potest autem iure totam retinere: quia possessio ipsi non fauet, cùm non possideat bona fide, vt supponimus. Neque etiam debet totam alteri tradere: quia supponimus illum quoque non possidere, nec possedisse bona fide, quando res ab eo accepta fuit: alioqui tota illi reddi deberet (nisi constaret esse tertij alterius) quia in dubio melior est conditio possidentis.

43. Debeátne etiam lucrum ex illa partum restituere? Quæres tertiò, an qui ex re aliena, quæ apud dominum otiosa futura erat, lucratus est aliquid, debeat non tantùm rem ipsam restituere, sed etiam lucrum per illam acquisitum? Respondeo negatiuè, licet res per iniuriam accepta, & detenta fuerit: v.g. si quis pecuniâ furtiuâ, quæ apud dominum fuisset otiosa, lucratus sit. Et generatim aio non debere reddi lucrum, quod ex re aliena, absque domini dispendio, per solam iniusti detentoris industriam perceptum est. Ratio est, quia si lucrum hoc redderetur ei, qui pecuniæ fuerat dominus, plus haberet ipse, quàm foret habiturus si ei pecunia subtracta non fuisset. At vnicuique satis est si tantum habeat, quantum habiturus fuisset, & nihil mali patiatur. Quamvis ergo ille, qui rem alienam surripuit, debeat satisfacere pro iniuria, & pro molestia, si quam intulit: non ideo debet reddere totum lucrum, quod suâ industriâ percepit ex re aliena. Id enim non debetur ei; quia illa infrugifera est, aut sine vsu mansisset; vt supponimus. Non debetur etiam domino rei: quia hoc ei ereptum non est, neque in re, neque in spe lucri. Sed debetur solummodo industriæ vtentis. Consentiunt Scotus, Gabriel, Maior, Nauarr. Medina, & alij, cum Lessio cap. 14. num. 8.

44. Et fructus quos ex illa Dominus percepisset. Quæres vltimò, an possessor rei alienæ teneatur non modò rem alienam apud se inuentam restituere, sed etiam fructus quos ex ea dominus percepisset? Respondeo, si est possessor iniustus & malæ fidei, tenetur omnes illos restituere: quia ratione iniustæ acceptionis tenetur restituere quidquid abstulit iniustè, siue in re, siue in spe. Sin autem est possessor bonæ fidei, tenetur solùm restituere fructus qui extant in seipsis, vel in ijs quibus factus est ditior: quia tenetur solùm ratione rei acceptæ. Imò non desunt qui existiment fructus, & res alienas bona fide possessas ab initio, sed bonis proprijs ita permixtas, vt discerni non possint, non obligare ad restitutionem: ex. gr. pecuniam vel frumentum, vinum, aut oleum tuis permixtum: sed tantùm competere actionem personalem ei, cuius sunt, quando certò compertum est alienas esse. Sed omnino verum esse puto debere tantundem certo domino reddi, quamvis non possit idem numero discerni: & contrarium neque in praxi tutum esse neque veram speciem probabilitatis habere vt dicemus inferius, num. 146. Notanda etiam est alia differentia, quòd possessor bonæ fidei non obligatur restituere fructus, quos per suam negligentiam non percepit, quamvis eos dominus ex re sua percepisset: sicut obligatur possessor malæ fidei. Quia ille non tenetur ratione iniustæ acceptionis, aut detentionis, vt iste: sed tantùm ratione rei acceptæ. Quare sat est si illam reddat eo modo quo manet vel in seipsa, vel in eo quo ditior factus est.

SECTIO VI.

Vtrum oporteat semper Restituere ei, à quo acceptum est? & quid faciendum de illis quorum Dominus ignoratur?

45. Conclusio negatiua. Dico primò, non semper esse restituendum illi, cui res fuit adempta: sed illi cuius iustè magis interest rem illam habere. Ita Medina cod. de Restitut. quæst. 2. quæsito 2. conclusione 2. Pet. Nauar. lib. 4. cap. 2. num. 5. Caiet. V. *Restitutio*, cap. 4. & alij. Ratio est, quia interdum ille, à quo res accepta fuit, non habet ius illam recipiendi, sed aliquis alius: vel si vterque habet; ius alterius præualet; & iuri maiori debet cedere minus: vel denique aliqua causa rationabilis facit vt alteri possit licitè reddi. Ex. gr. si quis furi rem alienam abstulit, non

debet restituere furi, sed domino. Et si quis Religioso proprietario aliquid abstulit, debet id reddere Monasterio. Qui pecuniam accepit à Simoniaco, debet reddere Ecclesiæ, & pauperibus: quia Ecclesia sic statuit in pœnam Simoniæ. Et pignus debet reddi non domino rei, sed pignoratario, cuius magis interest illam habere; neque enim debet dominus illam habere in præiudicium pignoratarij, cui ad securitatem & cautionem data est. Potest etiam interdum fieri restitutio non ei cui res debetur immediatè, & directè; sed alteri, cui ille non minoris debitor est: modò constet certissimè illi deberi, caueatúrque ne bis idem soluatur, & non sequatur inde grauius malum: vt rectè docent Medina suprà, quæst. 3. causâ quintâ, Syluester *Verbo solutio, quæst. 4.* Petr. Nauar. cap. cit. num. 25. & Bartholus ad legem *Solutum* §. *Solutam, ff. de pignoratitia actione*, vbi docet id habere locum in foro etiam externo. Quod tamen sine aliqua iusta causa faciendum non est: quia debitori non incumbit, neque conuenit, vt soluat debitum sui debitarij, neque vt arbitratu suo, præter consensum ipsius, gerat eius negotium, aut ei se immisceat. Iusta verò causa est, si illud alteri potiori iure debeatur, aut debitum meliore via alter recuperare non possit, & res occulta sit, vel non aliter nocitura. Ratio prædictæ assertionis est, quia talis nihil iniustè facit, sed potiùs fauet iuri tertij sine iniusta cuiusquam læsione.

46. Quid faciendum in dubio cui de pluribus res debeatur? Et in debitis & inuentis quorum Dominus ignoratur?

Dico secundò, quando constat deberi aliquid, vel alienum esse, sed dubium est cui ex duobus vel pluribus debeatur: res vel sorte vni applicanda est, mutuo eorum consensu: vel diuidenda inter eos æqualiter, si æquale dubium est: vel plus ei tribuendum, de quo minus dubium est. Ita Lessius cap. 15. num. 2. & res est per se nota. De bonis autem vel debitis incertis, id est, quorum omnino ignotus est dominus, aut creditor; & de rebus inuentis, quarum verus dominus inueniri nequit post factam sufficientem diligentiam; communis sententia est debere restitui pauperibus, nisi possessor, vel inuentor ipse sit pauper: vel impendi in pios vsus pro salute domini, qui Deo notus est. Quia restituenda sunt, quantùm fieri potest, vero eorum domino. Est autem species quædam restitutionis, quòd pro ipsius bono spirituali impendantur pauperibus, aut pijs vsibus, quando aliter ipsimet, vel eius hæredibus reddi nequeunt: meritóque præsumitur hanc esse ipsius voluntatem. Atque ea est consuetudo piorum fidelium.

47. Cõtraria sententia.

Contrarium tamen probabiliter docent Henriques lib. 7. cap. 34. §. 1. literâ A, Petrus Nauar. lib. 4. de Restitutione, cap. 2. num. 46. & Salon 2. 2. quæst. 66. art. 5. controuersia 1. in fine, aientes possessorem, vel inuentorem posse ea sibi retinere. Primò, quia melior est conditio possidentis, quàm pauperum, in eo casu: & nulla lex positiua ad id obligat. Nam caput *Cum tu, Extra, de vsuris*, loquitur tantùm de bonis collectis ex vsuris: non autem de inuentis, aut incertis quibuslibet. Ratio verò naturalis, cui nituntur auctores primæ sententiæ, non conuincit, repugnatque praxi tribunalium: nam si pauperibus ista dentur, posteáque comparuerit dominus; cogetur possessor, aut inuentor, in foro externo, illa restituere vero domino: quare potiùs præsumendum est velle dominum ea retineri à possessore, vel inuentore, cum obligatione vt sibi restituantur, quando comparuerit, vel suis hæredibus.

Sed nota primò, seruandas esse leges, si aliud statuant, vt quibusdam in regnis bona incerta fisco addicuntur; aut consuetudinem, vim legis habentem, si quæ talis inducta est. Nota secundò, non esse pro incertis habenda ea, quæ constat esse certò alicuius communitatis, vel totius, vel partis; licet non constet in particulari quid cui debeatur. Tunc enim per Episcopum, vel Parochum, aut Magistratum inquisitio facienda est, monendo læsos vt compareant, vt post examen, quisque suum recipiat. Hoc tamen in paruis non est necessarium: vt si aliquis per minuta furta plurimis nocuit: sed sufficit in pauperes distribuere, sine inquisitione, nisi ea valde facilis esset: idque illi debet à confessario iniungi. Nota tertiò, in eiusmodi bonis incertis debere fieri sufficientem inquisitionem, quæ iudicio prudentis pensanda est, maiórque esse debet in rebus maioris momenti: ante quam si quis rem distribuat tenebitur domino comparente integram restituere. Si verò post sufficientem diligentiam applicata est, postquam prudenter nulla spes superfuit Dominum inueniendi, & tamen dominus compareat; reddenda illi res est, si extet in seipsa, vel in aliquo vnde quis ditior factus sit, ab eo apud quem citat: licet Henriques lib. *de Indulgentijs cap. 34. num. 8.* contrarium existimet, idémque insinuet Petrus Nauar. lib. 4. cap. 2. num. 57. quoniam, inquit, res tunc censetur in vtilitatem domini distributa, debétque dominus restitutionem illam ratam habere: re ipsaque dominium transfertur per huiusmodi applicationem. Sed facilè responderi potest non obligari dominum ad ratam habendam talem applicationem, nisi quousque rem suam repetiet: eodémque animo facienda est applicatio, vt si dominus compareat, & res ipsius adhuc extet, illi reddatur. Quod magis æquitati consentaneum esse videtur. Dominium quoque non transfertur per huiusmodi applicationem, nisi legitimè præscripserit, aut fortè in aliquo regno talis modus transferendi dominium per legem, aut per consuetudinem constitutus sit. Alioqui enim iura hunc modum ignorant.

48. Noranda circa bona incerta.

49. Qui pauper est, potest illa sibi applicare.

Nota quartò, quando res in pauperes distribuenda est, posse distributorem eam sibi ipsi applicare, si ipse verè pauper est: saltem si versatur in graui necessitate. Pauperem autem intellige, etiam eum, qui iuxta suum statum viuere non potest. Quod verum esse docent aliqui, licet rem culpabiliter acceperit, aut retinuerit: quia culpam satis eluit, quando animum mutat, & diligenter inquirit ex animo sincero restituendi: & de reliquo, quia verè pauper est, habet sufficientem titulum & rationem sibi applicandi, sibique magis fauendi, quàm alteri. Quòd si postea dominus compareuerit, & rem ille iam consumpserit, nec factus sit ex illa ditior; ad nihil tenebitur. Quia non

tenetur ratione iniustæ acceptionis, quam iam abstersit: sed tantùm ratione rei acceptæ, quæ non extat. Ita Lessius cap. 14. num. 43. Caiet. quæst. 62. art. 5. Henriques lib. de Indulgent. cap. 34. num. 8. De Lugo disput. 6. de Iustitia Sect. 12. num. 148. iunctâ disput. 21. Sect. 7. num. 102. & sequent. Estque probabile talem non plus teneri ad restitutionem eiusmodi rerum, quàm alium pauperem, cui eas dedisset. Sed propter magnum periculum fraudis vel abusus, non debet retinere propria auctoritate, sine consilio probi, & docti, & prudentis confessarij. Iuxta quod omnia supradicta limitanda esse existimo.

SECTIO VII.

Quis ordo seruandus in facienda Restitutione, quando non potest omnibus fieri?

50. Certi debitarij sunt præferendi incertis.

RESpondeo: Quando sunt multi, quibus fieri debet restitutio, & non potest omnibus fieri, debet hic ordo seruari. Primò, certi debitarij sunt præferendi incertis, quando debitor soluit de proprijs, aut etiam de alienis quorum dominus non inuenitur. Quia ius certum est præferendum incerto. Ita Syluest. Caiet. Medina, Nauar. & alij cum Valentia quæst. 6. p. 10. Qui tamen plerique distinguunt quoad aliena: dicúntque id intelligendum esse solùm de alienis non extantibus in indiuiduo, vel in sua specie: At verò res alienas, quæ extant in indiuiduo, debere restitui dominis, licet incertis, eo modo, quo possunt: hoc est, si non possunt inueniri domini, debent impendi secundùm interpretatiuam eorum voluntatem, neque ex illis potest fieri restitutio aliunde debita. Quia res illæ non sunt in bonis restitutoris. Ergo ex eis non potest restitutor soluere propria debita. Quare ante omnia sunt segreganda huiusmodi bona, & in pios vsus eroganda, vel in pauperes, iuxta domini voluntatem. Ita Lessius cap. 15. num. 3. & 4. vbi communem esse affirmat, & Valentia loco suprà citato. Verùm hæc ratio, præterquam quòd procedit ex fundamento suprà reiecto, æquè concludit de non extantibus in indiuiduo, sed in aliquo vnde debitor ditior factus sit. Quare censeo eandem esse vtrorumque rationem. Debitor enim in tali necessitate potest ex quadam naturali æquitate ea sibi tanquam verè pauperi applicare ad dissoluenda debita certa, quibus aliter soluendo non est, vt supponimus. Aliam rationem affert Lessius num. 5. sed quæ similiter retorqueri potest, & procedit ex eodem fundamento suprà euerso. Quare præter Doctorum auctoritatem non video fundamentum sufficiens illius distinctionis.

51. Inter certos præferendus ille cuius res adhuc extat.

Secundò, inter certos debitarios ille præferendus est, cuius res adhuc extat inter bona debitoris: ita vt ante omnia res illi sit restituenda, aut pretium eius soluendum: siue res fuerit commodata, siue deposita, &c. siue etiam vendita debitori, ita tamen vt ille pignus aut fideiussorem non dederit. Ita Caiet. V. Restitutio cap. 8. Syluester restitutio 6°. quæst. 5. Nauar. cap. 17. Manual. num. 49. Medina Codice de Restitur. quæst. 2. Lessius cap. 15. dub. 2. Ratio est, quia vel dominium huiusmodi rei non est translatum, vt in deposito, & commodato vel est translatum tantùm sub conditione si re ipsa pretium soluatur, vt in venditione facta sine fideiussore, vel pignore. Quin etiam si pignus, aut fideiussor non sufficiat, res vindicari potest ab eo cuius erat, & ei potiùs quàm alijs restituenda est. Quia, vt rectè ait Lessius loco suprà citato, valde durum est, & ab æquitate naturali alienum, vt res mea, quam à me emisti non soluto pretio, extans in indiuiduo, alijs assignetur; & ego re mea simul ac pretio frauder. Seposito enim omni iure positiuo, statim iudicio naturali quivis censeret æquius esse vt venditori res sua restituatur, si emptor soluendo non sit; quàm vt detur alteri. Ius autem positiuum non repugnat huic æquitati. Quamvis enim statuatur *Institut. de rerum diuisione*, §. *Vendita*, dominium rerum venditarum transferri quando soluitur pretium, aut datur pignus, vel fideiussor, vel venditor sequitur fidem emptoris, id est, nudâ ipsius promissione contentus est, perinde ac si pretium esset solutum: tamen non priuat venditorem omni iure rem suam repetendi, neque venditor ipse intendit se priuare omni iure & recursu ad rem suam, nisi re ipsa solutum fuerit pretium; vt patet ex communi hominum sensu, & vsu.

Tertiò, priùs restituenda sunt ea, quorum dominium non fuit translatum in debitorem, quàm alia. Ratio est quia illa sunt magis deuincta dominis ad quos pertinent. Priùs etiam soluendæ sunt expensæ factæ moderatè pro funere debitoris, quàm alia debita. Vt statuitur lege penult. *ff. de Religiosis, & sumptibus funeris*. Huc etiam pertinent quæ necessaria fuerunt ad scriptionem testamenti, confectionem Inuentarij, custodiam supellectilis, & similia necessaria vel vtilia: vt fiat alijs restitutio, de bonis quæ supersunt. Ratio est, quia alij creditores non possunt ægrè ferre, & per se æquum est, vt ei priùs soluatur, cuius operâ factum est vt ne periret id, ex quo ipsis solui potest. Ita Lessius cap. 15. dub. 4. Vasq. Opusc. de Restitut. cap. 11. dub. 3. & plures alij, quos citat & sequitur Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 10. 52. Quędam prius restituēda.

Quartò, qui habent hypothecas, illis integrè soluendum est ex hypothecis, quamvis reliqua non sufficiant creditoribus, adeo vt hypothecarij sint alijs præferendi. Ita Nauar. cap. 17. Manual. num. 50. Syluest. V. *Restitutio 6°. quæst. 5. & 8.* Petr. Nauar. lib. 4. cap. vlt. num. 30. Lessius dub. cit. num. 22. Idem statuitur *lege Eos, Cod. Qui potiores in pignore.* Ratio verò est, quia hypothecarij habent ius speciale in rem illam, quæ est hypotheca. Est enim res subiecta obligationi ad cautionem & securitatem; non tradita, vt pignus; sed aliter obstricta, atque subiecta. 53. Hypothecarij alijs præferendi.

Quintò, inter hypothecarios soluendum primò est illis qui tempore sunt priores, si res eadem pluribus est obstricta. Neque tantùm prior hypotheca expressa præfertur posteriori expressæ, vel tacitæ: sed etiam tacita prior 54. Hypotheca prior est præferenda posteriori.

præfertur expressæ posteriori. Ita Molina tom. 2. de Iust. disp. 536. §. *Inter habentes pignus*, Vasquez opusc. de pignoribus & hypothecis cap. 5. De Lugo tom. 1. de Iust. disp. 20. n. 41. & 42. Lessius cap. 15. num. 22. & 23. colligiturque ex lege 2. 4. 6. 7. & 8. Cod. *Qui potiores in pignore.* In eundémque sensum intelligenda est Regula iuris, *Qui prior est tempore, potior est iure.* Duplex autem est obligatio hypothecaria. Vna est expressa, quæ ponitur facto ipso contrahentium. Alia est tacita, quæ introducta est ab ipso iure. Etenim legislator prudenter quorundam rebus prospicit indigentium subsidio legis: quales sunt pupilli, viduæ, & similes. Hoc modo tacitè ex vi iuris positiui obligantur omnia bona mariti pro dote vxoris, iuxta caput *Ex literis, titulo de pignoribus.* Quæcunque autem obligatio hypothecaria tempore prior, siue expressa, siue tacita, derogat posteriori: exceptis quibusdam casibus, de quibus vide Lessium cap. 15. num. 26. & sequent. aliosque Doctores supra citatos. Istæque leges & similes non obligant tantùm in foro externo, vt vult Gabriel: sed etiam in conscientia: quia fundantur in æquitate naturali.

Siue sit expressa, siue tacita.

55. Ordo seruandus inter creditores personales.

Sextò, post hypothecarios soluendum est creditoribus personalibus; id est, ijs qui habent solùm personam debitoris sibi obligatam, sine vlla hypotheca. Inter eos verò præferendi sunt, qui habent à iure priuilegium personale prælationis. Tum secundo loco ponendi creditores ex titulo oneroso. Tertio, creditores ex titulo gratuito. Quarto, hæredes. Quinto, legatarij. Ita Lessius, & alij quos citat cap. 15. num. 34. & 35.

56. Quid si quis priùs debitum repetat?

Notandum tamen est primò, si quis ex creditoribus, non habentibus hypothecam aut priuilegium, prior debitum repetat, illum alijs similibus præferendum esse: quia diligentia facit eum potiorem. Vnde tenetur debitor ei integrè soluere. Neque facit iniuriam alijs creditor, qui suum repetit, timens ne debitor omnibus soluere non possit. Debitor tamen non potest sponte, & non rogatus, vni soluere totum, relictis alijs: quia ius ei hoc non permittit: nec aliunde habent cur vnus alteri sit præferendus ratione temporis solius, nisi aliud occurrat, de quo mox. Dixi autem, *alijs similibus:* quia si alij habent hypothecam, aut priuilegium; creditor soluens alteri, tenetur illis de damno, & possunt illi recuperare quod solutum est.

57. Non sufficit inter illos sola prioritas temporis.

Nota secundò, multos Doctores sentire creditores, licet non hypothecarios, nec priuilegiatos, tempore solo priores, esse præferendos posterioribus: quia primus creditor non debet fraudari propter debita posteriora, quæ non debent illi esse fraudi. Item, quia debitor cum suis bonis est priùs obstrictus priori creditori. Ita Medina, Salon, Valentia, Toletus, & alij. Sed æquius videtur quod dixi: vt videlicet creditoribus pro rata restituatur quantum patiuntur bona debitoris. Quia æquius videtur esse vt nullus creditorum amittat totum debitum, quàm vt vnus ratione solius temporis totum debitum recipiat, & alij totum amittant. Neque propterea fraus est, sed veluti causarum moralium reluctantia naturalis, quarum altera alteram impedit, ne totum effectum sortiatur, vt fit interdum in causis naturalibus. Neque repugnat ius positiuum. Nam quod dicitur in Regula iuris, *Qui prior est tempore, potior est iure*, dictum est de hypothecarijs, non de solis personalibus debitis. Non est etiam verum quod additur in obiectione, bona scilicet debitoris esse obstricta primo creditori, qui per hypothecam nec generaliter, nec particulariter quidquam sibi subiecit & obstrinxit; neque à iure positiuo vllam habet. Tunc enim sola persona est obstricta.

Nota tertiò, si inter huiusmodi creditores alia sit differentia, quàm temporis, putà, quia bona alicuius cum grauiore iniuria detinentur, aut aliqui sunt valde pauperes, maximè verò si grauiter aut extremè indigent: priùs, saltem ex Charitate, restituendum esse quod grauiore iniuria detinetur; & magis indigentes præferendas esse minùs indigentibus, si alia ratio grauior non impediat. Quia grauior iniuria debet priùs tolli: & bona egentiorum turpiùs & indigniùs retinentur, quàm minùs egentium: per se denique notum est, grauioribus malis priùs esse medendum. Ita de pauperibus speciatim sentit Medina Cod. de Restitut. quæst. 2. dub. 5. §. *Quintum dictum*, Syluester *Restitutio 6°. in fine*, Sà eodem Verbo num. 61. & D. Thomas Opusculo 73. cap. 18. Quia, inquit, plus læsus est pauper ablatione suorum, & plus indiget: Maiori autem damno priùs est occurrendum, vt addunt Medina & Sà locis citatis. Quæ ratio æquè concludit de omnibus alijs, quorum bona detinentur iniustiùs: quamvis Petr. Nauar. lib. 4. de Restitut. cap. vlt. dub. 8. & 9. Et Lessius cap. 15. num. 46. alijque multi oppositum sentiant, excepto fortè casu grauis aut extremæ necessitatis. Sed nihil objiciunt magni momenti. Aliæ quædam Regulæ à quibusdam traduntur, sed valde incertæ, quas idcirco prætereo: vt, quòd debita orta ex iusto contractu, sint præferenda debitis ortis ex delicto, vel contra, &c. Videri possunt Syluester, Medina, Lessius, Valent. & alij, locis suprà citatis.

58. Magis iniustè grauati, & magis indigentes alijs præferendi.

SECTIO VIII.

Cuius expensis, & quo loco facienda sit Restitutio?

Prima conclusio: Si obligatio Restitutionis oritur tantùm ratione rei acceptæ, vel habitæ; & vt restituatur domino, expensæ aliquæ faciendæ sunt; non tenetur restitutor expensis suis reddere; quia non tenetur cum suo damno restituere dominum in pristinum statum, à quo ipsum per iniuriam non deturbauit: sed obligatur solùm rem eius custodire, & reddere vbi illam habet, aut vbi potest sine expensis, & sine suo damno restituere. Quin etiam, si vt eam custodiret, necessarium fuit illam aliò transferre: potest expensas translationis à domino repetere: vt habetur lege 2. ff. *de negotijs gestis* Ita Lessius cap. 15. num. 51. Valentia quæst. 6. p. 8. & alij communiter: & res per se clara est.

59. Prima regula, de eo qui tenetur ratione rei acceptæ.

60. 2. De eo qui tenetur ex culpa. Secunda conclusio : Si obligatio restitutionis oritur ratione culpæ, siue iniustæ acceptionis; tenetur qui accepit, suis expensis restituere rem eodem loco, in quo dominus tunc illam haberet. Ratio est, quia non debet dominus ex illius culpa & iniustitia damnum vllum sentire, sed potiùs in authorem ipsum cadere debet. Quare debet restituere dominum in eundem statū, quo esset, si res ipsi ablata non fuisset.

61. Notandum tamen est primò, quòd si dominus migrauit aliò, quò rem suam non potuisset transferre sine aliquo sumptu, potest sumptus ille deduci. Secundò, restitutionem illam differri posse, si dominus ex illa dilatione non patiatur incommodum. Tertiò, si omnino reddi non possit sine duplo vel triplo sumptu, & res sit parui momenti, probabile est posse dari pauperibus, vel ipsius amicis: quia præsumi potest hanc esse ipsius voluntatem, si non sit spes aliter recuperandi. Tutius tamen est (si cōmodè fieri possit) per literas illum consulere.

62. 3. De eo qui tenetur ex cōtractu. Tertia conclusio : Si obligatio restitutionis oritur ex contractu, seruandum est, quoad locum, & expensas, id quod exigit natura contractus legitimi. Est autem triplex huiusmodi contractus. Vnus, in quo idem numero restituendum est: vt pignus, commodatum, depositum, locatum. Et tunc, si res in vnius tantùm vtilitatem tradita est, debet ipsius expensis restitui; idque eo loco, vbi tradita est: nisi iusta aliqua pactione aliter conuentum fuerit. V. g. qui equum alienum Romæ commodatò accepit vt eat Parisios, tenetur Romæ illum reddere. Ratio est, quia non est æquum vt restituatur expensis illius, cuius commodum non quæritur: & censentur tacitè pacisci de eodem loco, quando aliud non exprimitur in contractu. Quòd si culpâ depositarij res est aliò translata, vel perdita; tenetur ipse de damno, & expensis. Dixi autem, *si in vnius tantum vtilitatem tradita est:* quia si in vtriusque; æquum est vt expensæ pariter vtriusque sint. Secundus contractus est, in quo pro re accepta, reddenda est alia, quæ cum illa commutatur: vt in emptione, vel mutuo. Et tunc res ibi restituenda est, vbi res, pro qua datur, est accepta: secundùm quem locum etiam res, quæ datur, æstimari debet. Alioqui enim grauem pateretur iniuriam, si qui vendit Parisijs v. g. teneretur reddere Romæ, & eò suis expensis mittere. Hoc tamen intellige, nisi aliter iusta pactione conuentum fuerit, & pretium transuectionis deductum. Tertius contractus est, in quo nihil accipitur pro eo quod restitui debet, sed solùm obligatio est ex altera parte: vt in promissione, donatione, testamento, legato. Et tunc res reddenda est in loco, vbi erat cùm donaretur, nisi aliud in ipsa donatione expressum fuerit. Quare si ex eo loco in alium transferenda est vt reddatur, debet id fieri expensis eius, cui donata fuit. Ratio est, quia qui dat gratis, vel legat, non intendit ad amplius se obligare. Ita Lessius cap. cit. num. 59. & Mærat. disp. 30. Sect. vlt. apud quos plura videri possunt, & apud Cardin. De Lugo tom. 1. de Iust. disp. 20. Sect. 8. Vasq. cap. 10. de Restitutione, Nauarr. Manual. cap. 17. Malder. tract. 4. cap. 5. dub. vnico, & Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. Punct. 8.

SECTIO IX.

Quinam teneantur Restituere?

Obligatio restituendi oritur, vt iam sæpius diximus, vel ratione rei acceptæ, aut habitæ; vel ratione contractus; vel ratione culpæ, siue iniustæ acceptionis, aut læsionis. Ex primo capite tenetur restituere ille omnis apud quem extat res aliena in seipsa, vel in alio ex quo factus est ditior. Ex secundo, ille omnis qui ex iusto aliquo pacto restituendi obligationem contraxit. Ex tertio, ille omnis qui culpabiliter, & contra Iustitiam erga læsum, est causa iniustæ acceptionis, aut læsionis, & damni; siue accipiendo & lædendo per se; siue tantùm iubendo, consulendo, consentiendo, & alijs modis, qui memoriæ causâ solent his versibus comprehendi: 63. Tres regulæ generales.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

In quo disticho, omissâ causâ efficiente, seu exequente per se immediatè, quæ notissima est, comprehenduntur aliæ nouem aliquo modo cooperantes: quarum sex priores positiuè cooperantur ad damnum; reliquæ tres, priuatiuè.

64. Causæ damni quænam teneantur? Sed nota primò, vt causæ ad damnum aliquo modo cooperantes teneantur ad restitutionem, non satis esse, vt quomodocumque sint causa læsionis quæ est iniusta: sed oportere vt sint causa iniustè, & contra Iustitiæ debitum respectu illius qui læditur. Duobus autem modis potest aliquis dici causa damni, seu læsionis alicuius. Vnus est, agendo: alter, non impediendo. Ex quibus agere, seu positiuè cooperari ad læsionem iniustam, est semper contra Iustitiæ debitum. Sed non-impedire non est semper contra debitum Iustitiæ: quia non quilibet est debitor ex Iustitia ad obsistendum læsioni iniustæ alterius: quamvis aliqui sint debitores, si possint, vt Principes, Magistratus, & alij minorum defensores, qui ad id habent honorem, aut etiam stipendia honoraria; & custodes aliorum ex officio, vel ex pacto. Et hi quidem, si non impediunt, tenentur ad restitutionem, quæ oritur ex culpa contra Iustitiam. Alij verò, qui tenentur solùm ex Charitate, vel alia quadam honestate, quamvis peccent non faciendo quidquid necessarium est (quoad possunt) ex Charitate, vel honestate; tamen non ideo peccant contra ius Iustitiæ quod alius habeat; neque constituuntur debitores ex Iustitia ad reddendum aliquid pro eo quòd non impediuerint ex debito Charitatis: sed tantùm, si adhuc proximus est in necessitate, & illi possunt subuenire, tenentur in eodem genere.

65. Damnū quid sit, & quot modis inferatur? Nota secundò, nomine damni, vel læsionis iniustæ, hîc comprehendi tum iniustè auferre bonum alienum, aut retinere, aut etiam impedire: tum iniustè inferre malum alteri. Hoc autem potest fieri decem modis. Primò, efficiendo & exequendo: quando scilicet aliquis, siue solus, siue cum alijs, iniustè accipit, aut retinet, aut impedit bonum alienum, aut infert

malum alteri. Secundò, iussione: quando aliquis imperando est causa vt id fiat: siue expressè, vt si quis seruo dicat, *Furare, occide:* siue implicitè, vt si dicat, *Vtinam aliquis hoc mihi obsequium præstaret: Rem mihi gratam faciet, &c.* Ita tamen vt alter eo loquendi modo ad maleficium impulsus fuerit moraliter, non autem ex mera sua malitia id egerit. Tertiò, consilio & suasione: cùm aliquis ex eo mouetur ad damnum inferendum. Eóque pertinent preces, promissiones, & minæ. Quartò, consensu, vel concessione: quando ab alicuius consensu pendet vt res fiat, vel vt non fiat. Quintò, palpatione, id est, adulatione, vel laudatione incitatiua, quâ alter moueatur ad damnum inferendum. Quò etiam pertinet exprobratio ignauiæ quòd iniuriam non sit vltus, & similia. Sextò, recursu; id est, receptando maleficum eo modo, vt moraliter censearis illi cooperari, & fouere illius iniustitiam: aut etiam receptando alienum vt furi seruetur, non autem vt reddatur ipsi domino. Septimò, participatione: quando aliquis vel prædæ particeps est; vel est particeps iniustæ operationis, præbendo auxilium, & iuuando ad executionem: vt qui furi scalam tenet, vel eum comitatur defendendi causâ. Item, qui scienter & liberè suâ præsentiâ dat alteri audaciam interficiendi aliquem, aut retinendi alienum. Octauò, tacendo: cùm quis verbo posset, & deberet ex Iustitia, impedire damnum alienum, & non impedit. Nonò, non obstando: cùm aliquis facto posset & deberet obstare, & non obstat. Decimò, non manifestando: cùm quis tenetur læsorem manifestare, & omittit: vel, vt exponit Lessius cap. 13. dub. 9. post Syluest. Medinam, Caiet. Nauar. & alios, mutus dicitur qui omittit præcipere, si erat superior: consulere, si consultor; clamare, aut strepitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum. Non obstans dicitur, qui omittit opem, vel operam, quâ poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur exhibere: vt Principes, Magistratus, præpositi viarum, custodes syluarum. Non manifestans, qui cùm ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorem; siue ante factum, quando damnum erat impediendum; siue post factum, quando sarciendum.

66. Quid requiritur vt causa positiuè cooperās teneatur?

Nota tertiò, vt causæ ad damnum positiuè cooperantes iussione, consilio, consensu, palpatione, recursu, vel participatione, teneantur ad restitutionem, requiri primò vt damnum illud sit iniustum respectu læsi, id est, sit contra ius illius. Quia alioqui non peccant contra Iustitiam erga illum. Et consequenter non tenentur illi restituere. Nam obligatio restituendi ratione iniustæ acceptionis, de qua loquimur, non oritur nisi ex iniustitia. Hinc v. g. qui aliquem auertit ab eleemosyna pauperi facienda, non tenetur pauperi restituere: quia pauper non habebat ius ad eleemosynam, quæ non erat illi debita ex Iustitia.

Non tenetur nisi sit causa effi. ax.

Secundò, requiritur vt causa verè influxerit in damnum, ita vt vi illius sit illatum, & sine illa non fuerit causa sufficiens à qua damnum illatum sit. Quare si iussio, vel consilium superueniat causæ iam sufficienti & completæ, non inducit obligationem restituendi: quia non est causa efficax damni, sufficienter positi vi causæ præcedentis. Ex. gr. si quis iubeat, vel suadeat alteri maleficium, ad quod ille iam est paratus, & facere omnino decreuit, & æquè faceret sine tali iussione, vel consilio, quamvis nulla alia similis causa esset superuentura. Ita communiter Doctores: quorum ratio est quia tale mandatum, vel consilium, &c. est inefficax, & concomitanter se habet respectu damni, quod aliunde sequitur. Addo, verum id esse, licet iussio, vel consilium, &c. fuerit causa damni promptiùs aut animosiùs inferendi. Si enim damnum alioqui est æquale; non tenetur iubens, aut consulens ad restitutionem damni cuius causa non est. Si verò damnum maius inde nascatur, tenetur pro ratione excessus, cuius est causa; vt rectè docet Nauar. cap. 17. Manual. num. 20. & probabile censet Lessius cap. 13. num. 8. Sed non excusat quòd si tu non fecisses, aliùs fecisset: v. g. si non occidisses, alius occidisset: si non iussisses, aut consuluisses; alius non defuisset, qui iuberet, aut consuleret. Nam hoc ipso quòd fecisti, nec ab alio quàm à te totaliter, aut partialiter factum re ipsa id fuit; teneris restituere, quia fuisti verè causa damni. Et quemadmodum si alius fecisset, obligatus fuisset de damno, à se dato: ita & tu, quando illum præuenis, atque illius locum subis. Quod tam certum & clarum est, vt contrarium sit planè improbabile, quamvis aliquibus Doctoribus tribuatur, qui fortè loquuntur de casu priori, in quo scilicet non deest re ipsa causa damni sufficiens & completa: & alia tantùm illi superuenit, & concomitanter se habet: vel solùm est causa maioris celeritatis, aut animositatis: vt exponunt Petr. Nauar. lib. 3. cap. 4. num. 48. & Lessius cap. cit. num. 5.

Vlteriùs tertiò, requiritur vt causa iubens, vel consulens, &c. influxerit culpabiliter. Nam vt quis teneatur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, aut læsionis, debuit esse acceptio aut læsio culpabilis, & iniusta formaliter: alioqui non est culpa, neque potest imputari. Vnde qui in amentia, vel ebrietate, præcepit, aut consuluit, &c. non tenetur: nec qui parato ad duo damna inferenda, proposuit speculatiuè, id quod minus est: quia non fecit culpabiliter. Neque enim malum est, sed æquum potiùs & bonum, è duobus malis quorum alterum est ineuitabile, curare vt maius vitetur. Idque verum est siue maleficus paratus esset eidem alterum è duobus malis inferre, siue diuersis: modò tamen non suadeas inferre malum alicui de quo non cogitabat: quia non licet auertere damnum Petri, cum iniuria Pauli, nisi fortè Paulus non esset id ægrè laturus, vel Petrus esset minus damnum repensurus. Tunc enim Paulus teneretur ex Charitate id permittere. Item, si maleficus esset anceps vtri è duobus malum inferret, vni grauius, alteri leuius: non peccaret qui suaderet in genere quod minus est: modò non in particulari induceret vt huic potiùs, quàm illi faceret iniuriam, sed tantùm veritatem speculatiuam proponeret. 67. Et nisi culpabiliter influat.

Ex eodem capite excusantur qui graui metu 68.

compulsi aliquid faciunt de se indifferens, sed quo re ipsa in his circunstantijs cooperantur ad malum, ex mala intentione & applicatione alterius. V. g. remiges Christiani in nauibus Turcarum Christianos insequentium: & rustici qui prædas militum iniustas coguntur auehere, aut pecora ducere, vel instrumenta bellica trahere: & qui à fure metu mortis compellitur scalam apponere, vel instrumenta ad effodiendum ministrare, & alia huiusmodi, quæ per se sunt indifferentia, neque proximum lædunt nisi ex iniusta intentione & vsu alterius, quem hi cum tanto suo damno non tenentur impedire, sed iure suo possunt agere hæc indifferentia per se, ad graue damnum suum vitandum. At non possunt fores effringere, occidere pecora, vel è stabulo subducere, &c. quia sic essent causa efficiens & directa iniuriæ: nisi animum haberent compensandi: tunc enim dominus deberet non ægrè ferre, sed contentus esse compensatione.

69. Quid requiritur vt causa priuatiuè cooperãs teneatur? Nota quartò, quoad causas priuatiuè cooperantes non impediendo damnum, nempe tacendo, non-obstando, aut non-manifestando, requiri primò, vt potuerint impedire, loquendo, obstando, vel manifestando: ita vt damnum verè sequatur ex tali omissione. Secundò, talem omissionem debere esse culpabilem. Tertiò, debere esse iniustam respectu læsi, ita vt debuerint illi ex Iustitia actum impediendi, & illum omittendo, peccauerint contra ipsius ius. Quæ omnia constant ex notabilibus præcedentibus.

SECTIO X.

Consectaria ex præcedenti doctrina.

70. Teneatúrne qui mandatum, aut consiliũ reuocauit? EX his principijs generalibus multa in particulari deduci possunt. Primum est, eum qui iussit quidem, sed mandatum reuocauit antequam damnum inferretur, idque mandatario innotuit, non teneri ad restitutionem. Quia causam remouit, & iam mandatarius, non ex mandato illius agit, sed ex propria malitia. Quare mandans non est causa damni, nisi forte non satis efficaciter reuocet, ita vt alter merito credat non serio & ex animo reuocare. Idemque dicendum de consulente, & laudante, si quantum est in ipso reuocauerit, & contrarium persuadere conatus sit, censet Petr. Nauar. lib. 3. cap. 4. num. 27. Alij è contrario dicunt probabiliùs esse non sufficere conatum, nisi omnino persuaserit: quia alioqui motio, adhuc durat; & qui prauum consilium dedit, debebat cogitare mala quæ inde sequi poterant, neque postea fore in sua potestate illa impedire. Existimo cum Mærat. disput. 29. Sect. 2. & Lessio cap. 13. n. 16. distinguendum esse. Vel enim consilium falsum dedit, affirmando bellum esse iustum v. g. aut contractum esse licitum, qui tamen non est. Et hic detecta falsitate non ampliùs influit in damnum: quia tantùm influebat per falsam opinionem ingeneratam, quam destruxit ostendendo & persuadendo contrariam veritatem, vt suppono. Vel consilium verum dedit, ostendendo vtilitatem, aut gloriam ex facto verè ac re ipsa secuturam. Et hic, quamvis postea consilium reuocet, si tamen is qui consuluit, motus ostensâ sibi vtilitate & gloriâ, damnum nihilominus inferat; tenetur consulens de damno: quippe secuto ex vi & influxu sui consilij. Nec refert quòd consilium reuocauerit. Neque enim propterea influxum eius peremit, quamvis perimere conatus sit: sed similis est illi, qui sagittam emissam in alterum, post vim impressam vellet cohibere, nec posset; quo non obstante est causa homicidij.

71. Vel qui ratũ habet quod ipsius gratiâ factum est? Secundum est, illum qui solummodo ratum habet id quod ipsius causâ vel nomine factum fuit, non obligari ad restitutionem in foro conscientiæ, si aliquod damnum fuit alicui illatum. Quia is qui tantummodo ratum habet id quod iam factum fuit, non est propterea causa eius quod factum est. Atqui is qui ratione iniustæ læsionis tenetur ad restitutionem damni, debuit esse illius causa culpabilis. Ergo is qui ratum tantummodo habet, non tenetur ad restitutionem. Ita Petr. Nauar. Medina, & alij cum Lessio cap. 13. num. 13. contra sanctum Antoninum, Paludanum, Syluest. Nauar. & Angelum: qui frustra objiciunt capur *Ratihabitionem., de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari. Respondeo enim id intelligi vel de contractibus qui firmantur per consensum subsequentem: vel de foro externo, & secundùm præsumptionem; quia ille qui ratum habet quod sui causâ, vel suo nomine, factum fuit, censetur fuisse causa eius quod fuit factum, & punitur vt illius causa, cogitúrque restituere. At secundùm rei veritatem, id quod nondum est, non potest esse causa efficax eius quod præcedit. Et quamvis ille qui ratum habet id quod factum fuit, consentiat, séque participem constituat peccati alieni: tamen non se constituit causam peccati præcedentis, sed alio modo participem per consensum subsequentem.

72. Vel qui accedit causæ cõpletæ? Tertium est, postquam plures bellum iniustum decreuerunt, aut suffragia sua indigno dederunt, aut causæ iniquæ subscripserunt; ille qui sufficienti numero iam completo accedit, non tenetur restituere: quia superuenit causæ completæ, & non est causa moraliter talis damni, sed concomitanter se habet. Secus autem, si fuit de primis decernentibus, suffragantibus, aut subscribentibus, vsque ad numerum sufficientem, quamvis alios deinceps eodem modo opinaturos sciuerit. Quia licet alij essent accessuri, nondum tamen causa erat posita valida & sufficiens ad damnum inferendum, sed eam ipse talem ex parte constituit. Si tamen ille, de quo supra, contrarium opinando posset alios reuocare, & ad hoc obligaretur ex Iustitia respectu læsi, teneretur ad restitutionem ex alio capite, per modum causæ priuatiuè cooperantis, non impediendo.

73. Vel remoté solùm, & per accidens se habet? Quartum est, hospites præbentes latroni hospitium, aut viros pios furem occultantes, quando fugit, ne deprehendatur ad necem, aut artifices vendentes arma proficiscentibus ad bellum iniustum, aut mercatores vendentes ali-

quid, quo alij sunt in alterius perniciem abvsuri, non teneri ad restitutionem, quando id faciunt inculpabiliter, vel ita vt damnum omnino remotè, & per accidens sequatur ex huiusmodi actione. Purà, si hospes latrones recipiat more communi aliorum, quos passim recipit: Vel si is, qui furem occultat, non det illi ansam furandi, spe talis refugij: Vel si artifex vendat omnibus arma indifferenter. Secus autem si damnum proximè & per se quodammodò ex tali actione sequeretur: vt si venderet arma furioso hostem insequenti; aut venenum, petenti ad maleficium.

74. Et Notarij, vel Testes contractus vsurarij? Quintum est, Notarios & Testes contractus vsurarij, aut aliter iniusti, non teneri ad restitutionem, neque ministros fœneratoris, aut iniusti venditoris, qui solùm pecuniam numerant, merces tradunt, solutionem accipiunt, domini voluntatem denuntiant: sed tantùm eos qui apertè, vel occultè nocent iniustè, decipiendo, exigendo, vel aliter. Ratio est, quia Notarius, & Testes, ijs qui mutuum accipiunt, aut qui emunt, non sunt per se causa damni contra eorum voluntatem: sed tantùm id, quod inter contrahentes actum est, excipiunt, & confirmant, sine vi, fraude, aut dolo. Et emptoribus, aut mutuum accipientibus præstant beneficium, qui mutuo vel merce indigent, & non possunt aliter obtinere. Ministri quoque pecuniam tantùm numerantes, & alia supradicta agentes, non sunt iniustè causa vllius damni emptoribus, aut mutuum accipientibus, contra eorum voluntatem: sed potiùs eis obsequuntur iuxta eorum voluntatem, & non cogunt eos ad aliquid aliquo modo inuoluntarium; sed tantùm post eorum conuentionem exequuntur quod ipsi volunt. Nec obest quòd fortè affectu consentiunt, & seruiunt intentioni fœneratoris. Nam etiam alij multi fœneratoribus, & alijs iniuriosis possunt affectu consentire; qui nihilominus non tenentur ad restitutionem; quia non sunt causa damni contra voluntatem illorum, qui damnum patiuntur: & obligatio restitutionis non oritur ex affectu solo, sed ex effectu damnoso, cuius sis causa efficax & iniusta. At verò ministri, qui apertè, vel occultè nocent iniustè, decipiendo, exigendo, vel aliter; sunt iniustè causa damni, ideóque tenentur de damno. Consentiunt inter alios Syluester V. *Vsura 7.* quæst. 4. 7. & 9. & Malderus tract. 5. de Iustitia cap. 3. dub. 24. vbi communem esse testatur hanc Doctorum sententiam.

75. Et qui impedit bonum non debitum ex Iustitia? Sextum est, eum qui impedit bonum alterius iussione, consilio, &c. non teneri ad restitutionem, nisi vel bonum ei ex Iustitia debebatur; vel iniustè, vi, dolo, fraude, infamatione, aut similibus modis impediuit contra ius saltem remotum, quod alter habebat ad illud bonum prosequendum, vel assequendum: vt docent Adrianus, Nauarrus, Petrus Nauarra, Sotus, Rebellus, & alij cum Lessio cap. 12. dub. 18. Ratio est, quia obligatio restitutionis non oritur ex Charitate, aut alijs virtutibus; sed ex Iustitia, vel iniustitia. Quare si bonum non debetur ex Iustitia ei, qui impeditur; aut si non impeditur iniustè; non est obligatio restituendi, licet peccetur contra Charitatem, quando sine causa sufficienti, aut ex odio & malitia impeditur bonum illius. Hinc qui precibus, vel blanditijs facit vt sibi detur aliquid, quod donator alteri dare statuerat apud se, non tenetur ad restitutionem: quia non iniustè impedit, & alter nondum acquisiuerat ius. Nec herus, qui famulo imperat sine vi, & coactione, vt det aliquid huic potiùs, quàm illi cui de suo peculio dare decreuerat. Nec obest quòd malo fortasse animo id faciat: quia malus, ille animus non est contra Iustitiam, sed contra Charitatem; & non obligat ad restitutionem, si nihil exteriùs iniustè fiat. Quod autem dicitur lege secunda, §. *Idem Labeo 2.* Et lege 21. ff. *de aqua pluuia arcenda*, eum qui venas putei vicini sui transeuntes per fundum suum præcidit, vt ei noceret, teneri ad restitutionem: secus autem si non vt illi noceat, sed vt sibi prosit, putà vt murum extruat, vel puteum habeat: intelligendum est de actione in foro externo, in quo talis cogitur ad damni reparationem, in pœnam maleuolentiæ contra conciuem, quæ cedit in detrimentum boni communis exigentis vt alter bono alterius non obstet sine causa. Potest etiam inesse ius ei qui puteum fodit, vt eius venæ non præcidantur ad libitum, etiam ab eo per cuius fundum venæ transeunt.

Dixi autem, *nisi vel bonum ei ex Iustitia debebatur, &c.* peccant enim certissimè contra Iustitiam, & consequenter tenentur ad restitutionem, qui impediunt ne quis habeat id, circa quod habebat ius, vel in re, vel ad rem: Vt qui mercatorem impedit, ne merces suas recipiat, easque detinet iniustè in mari, vel in portu: & qui alterum impedit à consequendo officio, beneficio, hæreditate, legato, dono, ad quod habebat ius ad rem, per venditionem, præsentationem, aut coadiutoriam, primogenituram, testamentum, promissionem, stipulationem, &c. Quare si quis impedit, tenetur restituere, non quidem semper quanti res erat, sed quantum ius illud valebat, & spes boni consequendi, iuxta arbitrium boni viri. Item, qui vi, fraude, vel dolo, impedit alterum ne consequatur bonum, quo dignus est, quamvis ad illud nondum habeat ius ad rem, sed solùm ius illud prosequendi, vel accipiendi à collatore si dare placeat; tenetur ad restitutionem pro ratione spei bonum illud assequendi. Quia iniustè impedit, & verè iniuriam illi facit: siue fraude, vel vi ipsum impediat ne bonum prosequatur: siue collatorem per vim, aut per fraudem impediat ne ipsi det. Talis enim, licet non habeat ius ad rem: tamen ius habet ad prosequendum, rogando, sollicitando, &c. Quod ius læditur vi, vel fraude impedientis. Item ius habet conditionatum in libera voluntate collatoris, vt ei res debeatur, si velit: quod ius per vim, aut fraudem impediri nequit sine ipsius iniuria. 76. Tenetur, si impedit habentem ius in re, vel ad rem. Vel ius bonum illud prosequendi.

Notandum tamen, ad obligationem restitutionis requiri primò, vt fuerit spes boni assequendi, nisi impediretur. Secundò, vt fuerit dignus tali officio, vel beneficio: alioqui enim non habuit vllum ius. Tertiò, si impediuisti minùs 77. Nisi aliqua excusent.

minùs dignum vt daretur digniori, non teneris ad restitutionem minùs digno quem impediuisti: quia non iniustè fecisti, sed potiùs id quod recta ratio & intentio Reipublicæ, & Ecclesiæ postulat. Nam officia & beneficia secundùm rectam rationem, Reipublicæ Ecclesiæque intentionem debent dari dignioribus ex Iustitia distributiua. Quartò, si procurasti vt daretur indigno, teneris etiam Reipublicæ, vel Ecclesiæ, de damno illius. Quintò, si plures dignos competitores impediuisti, vt daretur indigno, teneris illis singulis quanti sua spes valebat, inquit Lessius cap. 12. num. 127. Sed hoc non est verum nisi fuerint æquè digni. Si enim constet vnum fuisse digniorem, illi soli restituendum est, quia solus habebat ius. Sextò, si fraus, vel iniuria non censeatur causa damni secundùm moralem æstimationem, sed occasio tantùm, non teneris restituere: vt si aliquid fecisti quod ex se quidem non impediuit collatorem, sed ipse potiùs animi quadam leuitate motus est.

78. Causæ priuatiuè cooperãtes quandónam tenentur? Septimò denique, ex eo quod suprà diximus num. 64. causas priuatiuè tantùm cooperantes ad damnum, id est, non impedientes & aliter non agentes, non obligari ad restitutionem, nisi quando tenentur ex Iustitia ad agendum, ita vt actio quæ omittitur ad impediendum, sit ipsi læso debita ex Iustitia: vt etiam docent S.Thomas quæst. 62. art. 7. c. & ad 3. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. dub. 2. lit. O. Adrian. in 4. tit. de Restitut. aliquantò post initium, §. *De concurrentibus cum fure, &c.* Syluest. V. *Restitutio* 2. q. 13. & V. *Restitutio* 3. q. 6. Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. a. 3. Medina Cod. de Restitut. q. 9. Rebell. lib. 2. de Iustit. quæst. 14. Sect. 8. & Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. quia scilicet altoqui non peccant contra Iustitiam erga illum, nec contra illius ius: sed solùm contra Charitatem, si possunt commodè impedire: At obligatio restituendi non oritur ex Charitate, sed ex Iustitia. Ex hac, inquam doctrina sequitur teneri quidem ad restitutionem Magistratus, Prælatos, Principes, Duces belli, custodes, tutores, famulos, & similes quibus ex officio & debito Iustitiæ incumbit impedire damna aliorum, quæ possunt sine graui suo incommodo impedire: At non alios, quibus id non incumbit ex officio, & debito Iustitiæ erga læsum. Inter quos censendi sunt confessarij

79. Quid si confessarius non mouet pœnitentem de restituendo? (quamvis multi contrarium sentiant) qui non monent culpabiliter pœnitentem de restitutione facienda: & testes qui non manifestant delictum, aut qui sub pœna excommunicationis iubentur reuelare; modò nihil positiuè conferant culpabiliter. Quia licet confessarius ex officio teneatur ipsi pœnitenti; non tenetur tamen ex Iustitia tertio, cui reddendum est à pœnitente. Nam, vt rectè Lessius suprà, num. 78. administratio Sacramenti pœnitentiæ præcisè non obligat ex Iustitia confessarium ad impediendum damnum tertij: sed solùm ad curandum bonum pœnitentis. Et quamvis ex præsenti munere teneatur pœnitentem monere, & instruere, si opus sit, id est, si nesciat, & sit spes profectus, aut scandali vitandi necessitas: non tamen ad hoc tenetur ex obligatione Iustitiæ erga tertium, sed ex obligatione erga pœnitentem, quâ tenetur salutem eius procurare. Vnde, si omittat, peccat contra ius Iustitiæ, quo est obstrictus pœnitenti, non autem illi tertio. Nec refert quòd confessarius forsitan est vtriusque Superior, aut parochus. Nam vel eius obligatio non extenditur ad hæc damna impedienda tertio, ex Iustitia, quamvis sibi quoque subdito & commisso; sed solùm ad spiritalia: vel non desunt alia media, præter confessionem, quibus prouideri potest. Et semper ratio confessarij, & superioris, diuersa est, diuersúmque debitum vtriusque.

Testis verò tenetur quidem ex Iustitia iudici legitimè & iuridicè interroganti aperire veritatem: sed non est debitor ex Iustitia ei, in cuius fauorem interrogatur. Et quamvis debeat iudici obedire: non tamen debet parti, quod debet iudici. Sicut ius iudicis, non est ius partis. Ac licet ille, qui non paret iudici legitimè interroganti, peccet contra ius iudicis: tamen incommodum non est iudicis, sed partis: ideóque legitimè interrogatus non-manifestans, non tenetur restituere iudici pro damno. Quod verò parti sit debitor ex Iustitia ad manifestandum, à nullo satis ostenditur, licet à multis affirmetur: & contrarium potiùs apparet ex eo, quòd per se quidem, ac citra interrogationem, testis non est ex Iustitia debitor læso ad manifestandum iudici læsorem, si non sit persona publica, vel cui ex officio specialiter id incumbat. Ius verò iudicis, & imperium accedens, obligat quidem ad veritatem aperiendam: sed non dat ius tertio, in cuius fauorem veritas est manifestanda; neque facit vt non-manifestatio sit illi iniuriosa. Quemadmodum Deus habet ius, non minùs perfectum, quàm iudex: & præcipit vnicuique vt proximum iuuet in necessitate: verumtamen non ideo fit iniuria proximo, si non iuuetur. Similiter famuli, iuxta aliquos Doctores, non tenentur ex Iustitia impedire, ne confamuli aliquid de domo heri furentur: quia tenentur tantùm eam custodire contra externos, ex communi officio famulorum. Sed existimo posse & solere amplius eis committi, & cura domus illis commendari etiam contra domesticos, præsertim circa res alicuius momenti. Custodes quoque syluarum non tenentur impedire pauperes in eo casu, ijsque circunstantijs, in quibus, propter grauem aut extremam necessitatem, dominus non esset rationabiliter inuitus. Secus autem in alijs.

80. Vel si testis non aperit veritatem?

81. Famuli teneãtur ne detegere confurtuos?

SECTIO XI.

An cooperantes ad damnum teneantur Restituere in solidum, & quo ordine?

82. Causa totius damni tenetur in solidum. Prima conclusio: Si cooperans fuit causa totius damni, tenetur in defectum aliorum restituere in solidum, id est, integrè. Si verò fuit causa partis tantùm, tenetur pro parte. Ex. gr. si volenti furari decem, suasisti vt furaretur sexdecim, teneris pro sex. Si autem nihil furari per se volebat, teneris sexdecim restituere, nisi ipse aliquid restituat; quia fuisti causa totius damni. Item, si multi communi

consilio vineam deuastent, singuli parum accipiendo: tenetur quilibet de toto damno, alijs non restituentibus. Sin autem casu id factum est, vel sine communi consensu ac cooperatione ad damnum per alios illatum; tenentur tantùm singuli restituere modicum illud quod acceperunt: idque solùm sub veniali obligatione: quia non tenentur grauiter ratione rei acceptæ, quippe quæ leuis est: neque ratione culpæ, quia cùm culpa fuerit tantùm venialis; obligatio ex illa orta, non superat causam suam. Aliud exemplum affert Lessius cap. 13. dub. 4. de militibus vrbem iniustè captam diripientibus: quos teneri solùm putat de damno quod quisque infert. Sed illi non assentior: quia in eo casu singuli milites sunt causa sine qua non, totius damni. Tum quia singuli animantur ex illa multitudine, ad diripiendum: Tum etiam quia nisi esset illa multitudo, singuli nihil diriperent: facilè enim impedirentur à ciuibus.

Vide disp. 31. num. 8. & seqq.

83. Qui rem alienam habet, tenetur primò eam restituere.

Secunda conclusio: Si damnum est illatum per ablationem rei alienæ, ille apud quem res adhuc extat in indiuiduo, vel in aliquo vnde factus est ditior, tenetur primò restituere, & alij non tenentur nisi in eius defectu. Ita Petr. Nauarra lib. 3. cap. 4. num. 73. Lessius cap. 13. num. 39. & plures alij. Ratio est, quia ille qui ex re aliena manet ditior, plus habet ex illa, estque diues cum incommodo alieno: non alij. Ergo præ cæteris debet ferre onus restitutionis. Adde quòd summa obligatio restituendi rem alienam, oritur ex ipsamet (quæ per se debetur, semperque dicitur clamare ad dominum, quandiu extat in seipsa) vel ex eo in quo remanet. Eâ verò restitutâ, alij damno cooperati ad nihil tenentur, neque domino, neque restitutori.

84. Causa maior damni magis tenetur.

Tertia conclusio: Si res ablata non extat, vel si nihil est ablatum, sed solùm irrogatum est damnum; quantò causa aliqua damni est maior, id est, magis influit, tantò magis tenetur restituere. Ratio est, quia debitum hoc restituendi oritur ex eo, quòd aliquis sit causa damni. Ergo quo magis est causa, magis tenetur restituere. Si verò causæ sunt æquales, tenentur ex æquo. Hinc collige imperantem magis obligari, quàm simplicem executorem: vt docent S. Thom. Syluester, Petrus Nauarra, & alij cum Lessio cap. 13. num. 41. quia imperans est causa principalior, & mouet executorem ei obsequentem. Dixi autem, *simplicem executorem*. Quia executor qui à se, & non propter imperium, exequitur, est causa principalis. In eodem primo ordine ponendus est qui suo nomine fieri procurauit. Is enim, cuius nomine fit, est causa principalis, quæ mouet cæteras, instar finis, & efficientis moralis: & aliæ tantùm ei obsequuntur, aut gratificantur in damno inferendo: vnde censetur implicitè hoc ipso totum onus restituendi in se suscipere. Par enim non est vt onus & obligationem maleficij in alios rejiciat, qui suâ causâ illud fieri postulat. Contrarium sentiunt aliqui cum Mæratio disp. 30. Sect. 3. assert. 3. Sed nihil objiciunt magni momenti.

85. Imperans magis tenetur, quàm simplex executor.

86. Collige secundò, efficientem, siue executorem, teneri magis, quàm consentientem, laudantem, animantem, recursum præbentem, instrumenta dantem, vel obsequium, & comitatum exhibentem, &c. Ita Lessius num. 44. & alij supra citati. Ratio illius est, quia, executor est causa principalis, post eum qui iussit, vel suo nomine fieri voluit. Cæteri verò sunt causæ secundariæ & accessoriæ, illi quodammodo seruientes, consentiendo, consulendo, animando, &c. Ideòque tenentur tantùm restituere post illum, & in ipsius defectu. Confirmatur ex D. Thoma, quæst. 62. art. 7. ad secundum, vbi ait, principaliter teneri præcipientem; tum secundariò, exequentem; & consequenter alios per ordinem; quò nimirum quisque illorum magis in damnum influit, vel alij tantùm ei subseruiunt.

Et executor magis quàm cõsentiens.

87. Collige tertiò, causas non-impedientes teneri duntaxat post omnes causas positiuas; & in defectum earum succedere: ac si inter illas vna alteri subseruit, tenetur solùm post illam, & in eius defectu. Ratio est, quia causæ priuatiuæ, seu non-impedientes, minùs influunt, quàm causæ positiuæ: quippe quæ tantùm permissiuè se habent, & merè non impediunt: aliæ verò positiuè conferunt, & inclinant, vel incitant ad damnum inferendum. Si tamen negligentia non impedientis, aut promissio gratis vel pretio data de non impediendo, maleficum animaret: tunc causa non-impediens concurreret positiuè eatenus, & non esset merè non-impediens, sed inter causas positiuas numeranda: vt rectè aduertunt Lessius cap. 13. dub. 11. in fine, & De Lugo, disp. 29. Sect. 4. num. 133. apud quos plura de his videri possunt, & apud Vasquem in Opusc. de Restitut. cap. 9. Molin. disp. 737. de Iustitia, Malder. tract. 4. cap. 2. dub. 6. & Dicastil. lib. 2. tract. 2. tota disputatione quarta.

Et causæ positiuè influentes, magis quàm quæ priuatiuè.

88. Quarta conclusio: Quando multi obligantur ad restituendum, & singuli in totum: tunc vno totum restituente, obligantur ei alij pro quota parte, nisi obligatio restitutionis oriatur solùm ratione rei acceptæ, quam ille qui habet, debet restituere, eóque restituente, alij nihil debent: Vel nisi restitutor fuerit causa principalior, quæ per se primò tenebatur restituere, & aliæ tantùm in ipsius defectu. Tunc enim eo soluente, alij ad nihil tenentur. Sique alij restituant in eius defectum, tenetur ille eis refundere: quia non eximitur à sua obligatione per negligentiam, aut defectum restituendi. Quare tenetur restituere, non domino, qui iam suum recuperauit: sed restitutori, qui ius domini in se transtulit: sicut fideiussor soluens creditori, transfert in se ius quod creditor habebat erga debitorem. Atque ita, si causa exequens restituit: tenetur imperans ei refundere. Si consulens aut laudans restituit, tenetur exequens eis refundere: Et sic de alijs, quorum vnus alteri quodammodo subseruit tantùm, & tenetur solùm in illius defectu: de quo ordine plura videri possunt apud Lessium cap. 13. dub. 5. & 6. & Syluest. V. *Restitutio 3*. Item, si quis iniustè, vi aut dolo mouit alium ad nocendum; tenetur illum seruare indemnem à restitutione. Qui enim alteri fuit causa vt noceret, & vt teneretur restituere; est debitor eidem prout ipsi

Vno restituente tenentur ne ei refundere?

fuit causa iniusta illius mali; & tenetur ei de damno quod iniuriosè intulit. Verùm non quisquis est alteri causa nocendi, est illi causa iniuriosè, si non sit illi causa contra voluntatem. Qui autem metu adigit ad nocendum, vel fraude inducit, & decipit; est iniuriosè causa nocendi. Et si isto restituat, tenetur causa iniustè inducens ei totum refundere.

89. Si vni cōdonatur restitutio, suntne alij liberi ab illa? Superest quærere, an si læsus condonet restitutionem vni de causis cooperantibus ad damnum, reliquæ omnes sint liberæ ab onere restituendi? Respondeo, si condonet causæ principali, cui per se incumbit tota restitutio, censetur reliquis minùs principalibus condonare; ac proinde liberantur illæ ab onere restituendi. Ratio est, quia aliæ nihil debent nisi in defectu illius. Ergo eâ nihil ampliùs debente, reliquæ nihil debent. Confirmatur, quia si illa soluisset, reliquæ nihil deberent. Atqui illa condonatio est instar solutionis. Confirmatur secundò, quia læsus non potest transferre onus restituendi ab illo cui totum per se incumbit, ad alios qui non debent nisi per accidens in defectum illius, & quibus ille tenetur refundere. Sin autem læsus non condonat causæ principali seu primario debitori, sed alicui ex secundarijs; non ideo liberatur causa seu debitor principalis, qui priori loco tenebatur restituere: solùm enim remittitur obligatio, quam secundarius habebat, soluendi in defectum principalis, à qua obligatione non dependebat obligatio debitoris principalis. Si denique læsus condonat vni ex illis debitoribus qui in eodem gradu tenentur, siue in primo, siue in secundo, aut quocumque alio; nihil remittitur de portionibus quas singuli æquè debebant restituere; excepta portione illius cui condonatio facta est: condonatio enim facit vt illa habeatur pro soluta: ideoque alij non obligantur ad eam soluendam. Ex. gr. Si condonetur vni de tribus, æqualiter debentibus in solidum restituere trecentos aureos; debebunt alij restituere quisque centum; vt à duobus simul fiat summa ducentorum aureorum, quæ restat restituenda. Quòd si eorum vnus nolit, aut nequeat portionem suam restituere: media illius pars ab altero soluenda tantùm erit. Alia enim medietas soluenda esset ab illo cui condonatio facta est: ac proinde habetur pro soluta. Quare in eo casu sufficiet restituere centum quinquaginta. Ita Card. De Lugo disp. 19 Sect. vlt. apud quem plura hac de re videri poterunt.

SECTIO XII.

Quæ causæ excusent à Restitutione? & primò de legitima acceptione.

90. Multæ sunt causæ excusantes à restitutione, quæ ad nouem reducuntur. Prima est, legitima rei acceptio sine onere restituendi: vt si res est donata ab eo qui poterat: vel vendita soluto pretio: vel alio titulo iusto ab onere restitutionis exempta cùm traderetur. Circa quod

Quæritur primò, an accepta ob honestam, vel turpem causam, restituenda sint? Vt respondeam suppono primò, ea dici accipi ob causam honestam, vel turpem, quæ accipiuntur ob actum virtutis, aut vitij, siue iam factum, siue faciendum. Secundò, inter actus, alios esse positiuos; alios priuatiuos, id est, consistentes in pura omissione libera. Tertiò, ex actibus virtutis aliquos esse non debitos, quos vocant supererogationis: & inter debitos, aliquos debeti ex Iustitia respectu eorum, quibus fiunt: alios solùm ex Charitate, aut alijs virtutibus. Similitérque actus vitiosi, qui omnes sunt illiciti & indebiti, alij repugnant debito Iustitiæ, alij debito Charitatis, vel aliarum virtutum. His præmissis, Quid sit accipi ob causam honestã, aut turpem?

91. Accepta propter actus bonos non debitos, non sunt restituenda. Dico primò: Non sunt restituenda quæ accipiuntur propter actus virtutis non aliunde debitos; vt pro sacro faciendo quotidie, vel pro habenda concione per quadragesimam, ab eo qui alioqui non debet. Hi enim actus, vt sunt laboriosi, & onerosi propter tam grauem obligationem, possunt conuenienter compensari aliqua mercede, de qua potest fieri stipulatio, æquè ac de obsequio honesto, de labore in agro alterius colendo, & similibus. Et quamvis non possent actus virtutum huiusmodi quoad laborem aut onus compensari ad æqualitatem: id tamen quod pro illis acciperetur non iniustè acciperetur: quia commutatio non est iniusta, quando aliquis volens & lubens accipit minus pro maiori.

92. Secus si debentur aliunde ex Iustitia. Dico secundò, restituenda esse ea, quæ accipiuntur pro actibus aliunde debitis ex Iustitia, siue positiuis, siue priuatiuis, siue antequam fiant, siue postquam facti sunt. Ratio est, quia actus iam semel debitus ex Iustitia, non potest bis vendi. Ergo non potest pro illo pretium accipi. Non potest, inquam, nisi iniustè: atque ita vendens tenetur ad restituendum pretium, ratione iniustæ acceptionis. Ita Theologi communiter, Gabriel, Adrian. Nauar. & alij quos sequuntur Lessius cap. 14 dub. 9. & Mærat. disp. 28. Sect. 1. assert. 1. alijque recentiores.

93. Soluitur obiectio. Neque obijcias non deberi ex Iustitia vt actus ille fiat in tui gratiam: ideóque propter hoc posse pretium accipi. Respondeo enim cum auctoribus citatis, non censeri pretio dignum apud homines, sed ad summum amicitiâ & gratitudine, quòd actus, siue positiuus, siue priuatiuus, debitus absolutè ex Iustitia, fiat in tui vel alterius gratiam. Alioqui posset iudex aliquid exigere, eò quòd in tui gratiam iustam sententiam ferat pro iure alterius: & vsurarius, quòd det ad vsuram in tui gratiam: & similia, quæ sunt absurda.

94. Repellitur instantia. Instabis: quia si aliqua ex actu debito alteri ex Iustitia oritur mihi vtilitas, vel delectatio, quæ mihi non debeatur ex Iustitia; quidni pro illa pretium dare possim, & emere actum debitum alteri ex Iustitia, propter commoditatem, aut delectationem mihi non debitam? Respondeo, quando actus, totus quantus est, ex Iustitia debetur, non posse vendi vtilitatem, aut delectationem ex eo secutam: quia commoditas, aut delectatio aliena vendi non potest, si sine meo labore, vel dispendio, ipsi prouenit.

Alioqui enim vendo quòd non est meum, & ad quod non concurro nisi per actum debitum aliunde ex Iustitia, quem idcirco bis vendo. Perinde autem est, siue bis vendam eidem, siue diuersis: quia semper vendo non meum. Quare sicut non possum aliquid accipere ab eo, cui debeo ex Iustitia actum, vt illum pro ipsius vtilitate vel delectatione exerceam: ita neque ab vllo alio.

95. Conclusio illustratur exẽplis. Hinc collige restituendum esse quod accipitur à iudice vt sententiam iustam ferat: à teste, vt verè testetur, posito quòd testetur: à rei alienæ inuentore, vt eam vero domino reddat: à fure, vt non furetur: à coniugata, vt non adulteretur: ab homicida, vt non occidat: à milite, vltra iustum stipendium, vt militet: à detractore, vt non detrahat. Quia ad hæc omnia tenentur ex Iustitia. Iudex enim tenetur ex Iustitia, ratione sui officij, iustam sententiam ferre: & testis, quamvis non teneatur ex Iustitia testari; tenetur tamen ex Iustitia verè testari, si testatur: & rei alienæ inuentor tenetur ex Iustitia eam reddere domino: & fur, non furari: & miles stipendiarius, bellum gerere. Idémque dico de alijs ministris, quibus à Principe, vel à Republica sufficientia stipendia constituta sunt pro officijs per ipsos exercendis. Hæc enim stipendia à Principe taxata vt sufficientia & iusta, habent locum summi pretij, vltra quod non potest quidquam nisi iniustè accipi: vt neque pro mercibus, vltra pretium à Principe prudenter taxatum. Ideóque quod vltra accipitur, est obnoxium restitutioni, ratione iniustæ acceptionis, vel inuoluntariæ, & coactæ respectu dantis. Si autem non sunt illis iusta & sufficientia stipendia constituta, possunt aliquid iustum & moderatum accipere ab ijs, pro quibus laborant. Sed hoc proborum & prudentum iudicio definiri deberet.

96. Exceptio notanda. Hæç autem omnia intelligenda sunt de his, quæ accipiuntur per modum pretij, vel mercedis, pro actu aliunde debito ex Iustitia: non autem de ijs quæ dantur v.g. inuentori rei in signum lætitiæ, vt communiter fit: vel pro labore & industria inueniendi: vel ex gratitudine & liberalitate: aut de ijs quæ dantur iudicibus, & alijs Iustitiæ ministris, vt adhibeant diligentiam extraordinariam, & citiùs litem expediant, ad quod non tenentur ex Iustitia: vel etiam quæ ex gratitudine, aut liberalitate, voluntariè illis donantur. Hæc enim possunt licitè accipi, & retineri, attento solo iure naturali. Si tamen iure positiuo irritantur ipso facto aliquæ huiusmodi donationes; non possunt accipi, neque retineri. Sicut de facto cap. 2. & 3. *de censibus in 6.* irritatur donatio aliqua, licet vltro facta Episcopis, & visitatoribus: si nimirum aliquid accipiant plus quàm debent, id est, plus quàm ibi permittitur. Et lege *Plebiscito, ff. de officio præsidis*, videntur iudices inhabiles reddi ad accipiendum quidquid vltro donatur pro iusta sententia ferenda.

97. Accepta pro actibus debitis ex honestate Dico tertiò, accepta pro actibus aliunde debitis, quàm ex Iustitia, non sunt restituenda, quod attinet ad forum conscientiæ, & ad solum ius naturale. Hæc conclusio est contra Medinam *Codice de Restitutione, quæst. 26.* affirmantem generatim restituendum esse quidquid accipitur pro actibus aliunde debitis. Est etiam ex parte contra Lessium cap. 14. dub. 9. asserentem restituendum esse quod accipitur pro operibus debitis ex Iustitia, vel ex Charitate, non pro alijs. Sed meliùs nobiscum sentiunt Valentia quæst. 6. p. 5. §. 2. quæstiunc. 4. & Sotus 4. de Iustitia quæst. 7. art. 1. Ratio est, quia obligatio restitutionis oritur tantùm ex eo, quod est contra Iustitiam. At qui accipit pro opere debito tantùm aliunde, non peccat contra Iustitiam, sed tantùm addit obligationem Iustitiæ alteri obligationi, iámque tenetur facere non solùm ex Charitate, aut honestate; sed etiam ex Iustitia. solũ non sunt restituenda.

Vnde collige non teneri ad restituendum Medicum, aut Chirurgum, qui aliquid accepit ab ægrotis, quibus ex Charitate tenebatur assistere: aut Patronum qui, accepit à pauperibus, quorum causam suscipere tenebatur ex Charitate: imò si illi vltro dederunt, licitè accepit. Sed quamvis non vltro dederint, sed ab ipso coacti, qui aliter noluit illis adesse; peccauit quidem contra Charitatem: at non contra Iustitiam: & idcirco non tenetur ad restitutionem. Idem dico de eo, qui aliquid accepit vt te amet, vt sacrilegium non committat, vt non fornicetur, vt fiat Christianus, & similia, ad quæ solùm tenetur ex alijs virtutibus, Charitatis, Religionis, & Temperantiæ. Quia tamen in eiusmodi acceptionibus sæpissime est indecentia, eò quòd accipientes habent animum non faciendi quod tenentur facere, aut non omittendi quod debent aliunde omittere; nisi pretium accipiant: idcirco in foro externo datur potestas repetendi in iudicio id quod alicui datum fuit ne committat sacrilegium, *lege 2. ff. de condictionibus ob turpem causam*: & quod mulieri datum fuit ne fiat meretrix: *lege 4. eodem tit.* & quæ dantur pro vitandis peccatis lege punibilibus, imò etiam pro non punibilibus: de quo vide glossam & Iuris ciuilis Doctores ad legem citatam, & ad legem *Iuris gentium §. Si ob maleficium, ff. de pactis.* 98.

Distinctio autem Lessij, de Charitate, & alijs virtutibus, solido caret fundamento. Quod enim ait, datum pro opere debito ex alijs virtutibus non censeri extortum ab inuito, sicut id quod datur pro debito ex Iustitia, vel ex Charitate; verum non est. Quia non minùs dare potest inuitus, qui dat aliquid debitum ex gratitudine; quàm qui dat debitum ex Charitate. Deinde, si quid sine iniuria extorquetur, non est propterea obnoxium restitutioni, quamvis extorsio sit contra Charitatem, aut aliam virtutem. Neque objicias pro Lessio, iniustum esse bis idem vendere: propter quod suprà dicebamus non posse vendi actum iam semel debitum ex Iustitia. Atqui venditur bis, si cùm iam debetur ex Charitate, pretium tamen pro illo sumitur. Respondeo enim primò, hoc argumentum æquè concludere de actibus debitis ex quacunque virtute, quod tamen Lessius non vult. Secundò, nego minorem. Neque enim bis, sed semel tantùm venditur, si nulla fuit antea obligatio Iustitiæ ad actum illum exercendum. Venditio enim ad Iustitiam 99. Licet debeantur ex Charitate.

pertinet, & parit obligationem Iustitiæ, dátque ius strictum ad rem venditam: quod non facit Charitas, neque aliæ virtutes: ideóque quod propter illas datur, non venditur.

100. Accepta ob turpē causam possunt retineri post factum. Dico quartò, accepta ob turpem causam possunt licitè in conscientia retineri, quantum est ex iure naturali, opere turpi iam commisso: secus autem antequam committatur: quanquam sic retinens non peccat semper contra Iustitiam. Prima pars huius conclusionis est D. Thomæ quæst. 62. art. 5. ad 2. Caiet. ibidem, Couar. ad Regulam *Peccatum*, parte 2. §. 2. Lessij cap. 14. dub. 8. Mærat. disp. 28. Sect. 3. & aliorum plurium. Probatur autem primò ex lege 3. ff. *de condictionibus ob turpem causam*, quæ sic habet: *Vbi dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus veluti si pecunia detur, vt malè iudicetur.* Et lege 8. dicitur, solutum ob turpem causam non posse repeti. Lege tamen 2. *Codice de donationibus inter virum & vxorem*, permittitur specialiter militibus vt repetant quod donarunt meretricibus. Probatur secundo, quia vt rectè ait Lessius num. 55. licet opus malum, quatenus malum, non sit æstimabile pretio: tamen quatenus vtile, aut delectabile vni, & alteri laboriosum, ac molestum, detrimentosum, vel periculosum, potest inter homines pretio æstimari. Ergo quod pro illo est acceptum, non est restituendum, nisi iustam æstimationem excesserit, & excessus non vltro datus sit.

101. Dices, absurdum esse iudicem posse accipere aliquid, & retinere pro sententia iniusta: & non posse pro iusta. Respondeo, pro neutra ferenda posse quidquam licitè accipere. Cur autem in vno casu peccet vlteriùs contra Iustitiam, erga dantem, non in altero, ratio petitur ex differentia inter vtrumque. Nam Iudex tenetur ex Iustitia ferre iustam sententiam: ideóque nihil pro illa potest accipere: quia non potest actum illum bis vendere. At non tenetur ex Iustitia ferre sententiam iniustam: ideóque potest pro illo actu pretium accipere, & retinere, sine iniustitia erga illum à quo accipit, & sine onere restituendi: quamvis non sine graui peccato.

102. Secus ante opus impletu. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet acceptum ob turpem causam, nón possit licitè retineri antequam opus committatur; probatur, quia opus malum, propter quod faciendum datur aliquid, debet omitti. Ergo obligatio, seu stipulatio ad illud faciendum, debet rescindi, & pretium debet reijci, aut restitui: iuxta illud, *In malè promissis fidem non expedit obseruari: De Regulis iuris in 6.* Quod euidens est quando fides sine peccato seruari, seu impleri non potest, vt in casu de quo loquimur.

103. Retinens non semper peccat contra Iustitiam. Tertia denique pars eiusdem conclusionis, quòd talis retinens non semper peccet contra Iustitiam. Probatur quia si opus malum promissum, non est contra Iustitiam, sed contra Charitatem, castitatem, aut aliam virtutem; obligatio rescindendi promissionem, & restituendi pretium, non est ex Iustitia, sed ex virtute cui tale opus opponitur: nisi alteruter à contractu resiliat. Quod addo, quia si is qui promisit opus malum patrare, resipiscat, tenetur ex Iustitia reddere pretium alteri, à quo sub conditione non impleta accepit. Similitérque si dans resiliat; habet ius contractum rescindendi, & suum repetendi.

Contra primam partem sentiunt non pauci, quorum aliqui, vt Medina Cod. de Restitur. quæst. 10. & 28. putant esse restituendum iure naturali quidquid accipitur pro quocunque opere per se turpi & peccato nisi gratis donetur. Quia peccatum est nullius pretij, & nihil: adeóque prorsus inuendibile. Sed hoc fundamentum iam euersum fuit. Neque verum est peccatum esse merè nihil, cùm sit actus, aut quasi actus liber. Instari tamen potest, quia peccat ille qui dat, & qui accipit pretium ante turpem actum, eò quòd stipulatur ad peccandum. Ergo peccat etiam qui accipit aut retinet pretium post peccatum commissum: quia videtur approbare huiusmodi stipulationem. Respondeo primò, non omnem qui accipiendo peccat contra aliquam virtutem, teneri ad restitutionem; sed tantùm eum qui peccat contra Iustitiam. Secundò, nego approbari stipulationem ad actum quatenus est peccatum: sed quatenus est quid vtile, delectabile, laboriosum, aut periculosum. Quod fieri potest cum detestatione peccati vt culpabilis, & animo nunquam ampliùs committendi. 104. Contraria sententia.

Alij secundò, vt Sot. lib. 4. de Iustitia quæst. 7. art. 1. ad 2. putant restituendum esse quod accipitur pro opere malo quod est contra Iustitiam, non pro alijs. Quia, inquiunt, necessariò restituendum est id, quod est acceptum pro opere debito ex Iustitia: ergo & illud quod est acceptum pro opere iniusto. Sed respondeo consequentiam nullam esse. Quia magna est inter hæc duo differentia: nam opus quod semel totum debetur ex Iustitia, non potest bis vendi. At opus iniustum, cùm non debeatur ex Iustitia, potest vendi sine iniustitia. Ideóque iudex potest vendere iniustam sententiam; sed non iustam, quia debitam. 105. Altera opinio cōtraria.

Alij tertiò, vt Iuristæ communiter, volunt iure saltem positiuo restituendum esse acceptum pro operibus prauis quæ legibus puniuntur, & non pro alijs. Quia leges statuunt vel declarant huiusmodi stipulationes nullius esse momenti, & nullam vim habere, *Lege Generaliter, ff. de verborum obligationibus, & lege Pacta, Codice de pactis.* Verùm, vt rectè affirmant Couarr. suprà, num. 6. & Lessius num. 57. huiusmodi leges decernunt tantùm vt ante tale opus patratum pacta illa habeantur inualida, néve ex illis oriatur obligatio ciuilis, id est, ob quam possit promissum in iudicio peti: sed non reddunt irritam acquisitionem ex tali causa, neque faciunt capientem inhabilem ad acquirendum eius dominium. Expedit tamen confessarios iniungere pœnitentibus in satisfactionem pro huiusmodi peccatis, vt accepta pro illis impendant in pauperes. 106. Alia sententia Iuristarum.

Instabis, quia vel contractus stipulationis pro turpi actu, fuit validus, vel non fuit. Si fuit: ergo contrahens potest retinere quod accepit pro turpi actu nondum facto. Si inualidus: ergo non potest retinere quod accepit pro turpi actu iam facto. Respondeo contractum 107. Diluitur obiectio.

illum duas habere partes. Vna est de faciendo actu turpi. Et quoad hoc inualidus est: quia non potest obligare ad actum turpem, & ad peccatum. Altera est de danda pecunia, seu transferendo illius dominio in peccantem, ex suppositione quòd peccauerit: Et quoad hoc validus est: neque obligat ad actum turpem, seu peccatum: sed ad implendum promissum, quod sine nouo peccato impleri potest.

SECTIO XIII.

Soluuntur aliæ quæstiones de eadem re.

108. *Accepta pro officio non impleto sunt restituẽda.* QVæritur secundò, vtrum accepta ratione officij non impleti, vel vi contractus non legitimi, sint restituenda? Respondeo primò, quidquid acceptum est ratione officij tanquam merces, restituendum est totum, si nihil officij præstatur: vel pro rata, si aliquid præstatur. Ratio est, quia non datur nisi sub ea conditione: & non potest habere quis titulo meriti, id quod meritus non est. Vnde tenentur ad restitutionem v. g. operarij qui non laborant, aut negligenter laborant, & non quantum debent pro mercede promissa sub conditione operis.

109. *Et accepta vi cõtractus irriti.* Respondeo secundò, si contractus est nullus & irritus iure naturali, vt est contractus vsurarius, vel initus cum infante, vel ebrio, vel amente, vel de re non sua, de qua non potuit contrahens disponere; restituendum est quidquid vi talis contractus est acceptum. Talis enim contractus, cùm sit nullus, non potest habere effectum transferendi dominium, & dare ius retinendi. Idémque dico de contractibus irritis iure positiuo: cuiusmodi est donatio pupillorum sine consensu tutoris, alienatio rerum Ecclesiasticarum non seruatâ formâ iuris, testamentum solemne sine sufficienti numero testium, & alij similes. Quos contractus irritos esse in foro etiam conscientiæ ostendimus contra nonnullos, in tract. de legibus, disputando de lege irritante. Idem etiam dico de contractibus, quibus aliquid dolo iniusto, vel vi, aut metu iniusto extorquetur: vt quando viator cogitur dare vel promittere latroni aliquid, ne ab ipso interficiatur. Quidquid enim est iniustè extortum, iniustè retinetur, estque restituendum ratione iniustæ acceptionis. Quod intellige, si dolus, vis, aut metus iniustus cadat in ipsam substantiam contractus, sitque causa sine qua res non daretur. Nam si ob aliam causam sufficientem donatur, aut transfertur, potest retineri. Quo pacto excusantur plerumque à restitutione qui simulata paupertate, vel infirmitate, vel sanctitate, accipiunt eleemosynam per liberalem donationem. Quia donantes censentur velle dare Deo principaliter, & propter Deum velut causam sufficientem. Vel etiam quia donantes sunt in ea animi dispositione, vt quamvis scirent deceptionem, nollent sibi reddi quod dederunt. Quod æquissimè præsumitur de minutis donationibus. Si tamen non dedissent cum altera è prædictis intentionibus, sed sub expressa, vel tacita conditione, Si tu es pauper, & non aliter; tenerentur accipientes illis restituere. Ac si alijs verè pauperibus inferunt damnum suâ simulatione, impedientes ne has accipiant eleemosynas; tenentur illis de damno.

Quæritur tertiò, an restituendum sit quod per venationem, piscationem, & aucupium accipitur? Affirmat Valentia in tribus casibus. Primò, si feræ factæ erant propriæ alicuius alterius, quia cicuratæ, vel inclusæ aliquo loco, vbi sunt in Domini potestate: vt columbæ, pauones & similes: iuxta ea quæ diximus disput. præcedenti, Sect. 8. Secundò, si quamvis feræ nullius sint propriæ, sed liberæ & communes; tamen per legitimam potestatem non solùm est prohibita venatio, aut piscatio; sed etiam impedita acquisitio dominij, & adiudicata fisco, vel communitati, vel alij. Quod à superioribus fieri potest, si ad bonum commune id expediat. Tertiò, si venatio, vel piscatio, prohibita fuit legitimè, sub pœna tantundem reddendi fisco, communitati, vel alij; licet acquisitio dominij non fuerit impedita. Tunc enim post sententiam, restituendum est, non ante, quia lex est pœnalis: Hæc Valentia. Sed existimo cum Lessio cap. 5. dub. 9. modum illum impediendi dominium, in secundo casu propositum, non esse in vsu: sed leges illas adiudicantes fisco, communitati, vel alij cuipiam, esse pœnales tantùm, & non obligare ante sententiam iudicis. Iuxta ea quæ diximus Sect. cit. vbi etiam exposuimus quomodo venatio & piscatio possint legitimè prohiberi: & quomodo interdum venantes, aut piscantes contra iustam prohibitionem, teneantur de damno illato Reipublicæ, quamvis non teneantur feras restituere. 110. *Valent. q. 6. p. 5. §. 2. quæstiunc. 6.* *Sitne restituenda capta per venationem, aut piscat: prohibitam?*

Quæritur quartò, an sit restituendum quod acquisitum est per vsum rerum communium; vt syluarum v. g. cædendo ex eis ligna; vel pratorum, pascendo animalia? Respondeo, si ciuis id faciat in loco publico communitatis, cuius ipse membrum est, communitate non prohibente; licitè facit, & ad nihil tenetur; habet enim hoc ius. Si autem communitas id iustè prohibuit; peccat venialiter tantùm, & non tenetur ad restitutionem, nisi magnum detrimentum communitati inferat: vt si stirpes multas notabiles cædat, vel arbores aptas ædificijs & similia. Tunc enim tenetur de damno. Potest verò communitas lignationem, vel pastionem iustè prohibere in syluis & pratis suis communibus, quando id expedit ad bonum commune. Posito tamen quòd ciues aliunde sibi commodè prouidere possint. Alioqui non potest totum vsum prohibere ciuibus, absque ipsorum consensu. Item, talis prohibitio non obligat eos, qui grauiter, aut extremè indigent. Si denique id fecit in sylua, vel in prato alterius communitatis, cuius ipse non est pars; tenetur ad restitutionem: nisi excuset necessitas, vel consensus expressus, aut tacitus, vel condonatio: qualis meritò præsumitur quando duæ communitates habent syluas vicinas, aut loca compascua, in quæ vicissim solent transire. Tunc enim vel consentiunt, vel tacitè sibi condonant quod eripitur contentæ mulctâ, vel pœnâ eorum, qui deprehenduntur. Idémque 111. *Et acquisita per vsum rerum cõmunium.*

dico de ijs, qui lignantur, vel pascunt in locis alicuius proprijs: vel etiam in communibus, sed alicui elocatis. Nam si non solet curare recuperationem eorum quæ auferuntur, sed contentus est vt deprehensi mulctam luant; non est necessaria restitutio. Sin autem curat; restituendum est. Videantur Dominic. Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 4. & Valent. quæst. 6. p. 5. §. 2. quæstiunc. 7. vbi notat custodes syluarum teneri ad restitutionem eorum omnium quæ auferri patiuntur contra iustam prohibitionem. Quia tenentur impedire ex officio, & debito Iustitiæ (vtpote pretio conducti) & non faciunt: ideóque sunt inter causas damni quæ obligant ad restitutionem, vt diximus Sect. 11. Quod intellige, nisi iusta de causa patiantur auferri in aliquo casu, ad quem etiam iusta prohibitio non se extendit: putà si custos non impedit pauperem in extrema necessitate existentem: vel si custos ideo id permittit, vt furem deprehendat cum testibus, & capiat, lignis apud ipsum inuentis. Peccat tamen contra Charitatem, si de industria, & sine alia causa patitur furem ligna cædere, vt pœnam luat, si possit præuertere & impedire, neque aliunde id expediat. Peccat, inquam, contra Charitatem erga furem: & contra Iustitiam erga dominum, ratione officij non bene gesti; & tenetur pro rata de damno.

112. An acquisita per ludum prohibitum.

Quæritur quintò, vtrum acquisita per ludum legibus prohibitum restituenda sint? Respondeo negatiuè: nisi accedat sententia iudicis iubentis restituere; vel nisi ludentes non possint alienare res, quas in ludum deponunt; vel alter alterum per iniuriam, vt minis, fraude, conuitijs, ad ludendum pertraxerit; vel fraudibus contra leges ludi vsus sit. Tunc enim ille, si lucretur, tenetur restituere. Ita Doctores communiter. Quod vt probem, suppono primò ludum esse contractum quendam colludentium, licitum iure naturali. Potest enim quisque res suas sorti, aut conditioni pendenti à sorte, vel ab industria, exponere, æquè ac donare. Iure tamen positiuo prohibentur laicis ludi alearum, id est, qui magis fortunâ, quàm industriâ reguntur, lege 1. & 3. *Cod. de aleatoribus*: & multò magis Ecclesiasticis can. 42. & 43. Apostolorum, & cap. *Clerici*, *De vita & honestate Clericorum*, & in Trident. Sess. 22. cap. 1. de Reformatione, vbi etiam graues pœnæ imponuntur. Vnde collige Clericos huiusmodi ludos vsurpantes, posse peccare mortaliter, ob præcepti grauitatem nisi consuetudo excuset, talis scilicet & tam communiter recepta, vt legi derogauerit.

Contractus ludi.

113. Quæ conditiones requirantur vt sit iustus?

Suppono secundò ad Iustitiam huius contractus requiri quatuor conditiones. Prima est, vt ludentes habeant liberam dispositionem rerum quas ludo subjiciant: quia scilicet non habent ius exponendi periculo res alienas, aut quas non possunt alienare: & contractus non est iustus & validus, si disponant de eo, de quo non habent disponendi potestatem. Ex quo sequitur eum, qui lucratus est ex re non sua, teneri restituere quidquid lucratus est. Si autem partim ex sua, partim ex aliena; teneri restituere quidquid lucratur pro rata ex aliena. Item, qui initio habuit aliquid suum, sed amisit, & postea de alieno perrexit ludere, & quidquid antea perdiderat, recuperauit, ac multò plura; tenetur ea omnia restituere: quia contractus ludi secundò initus, non fuit validus: quippe quia contraxit de non suo. Sufficit tamen si mutuò acceperit id quod ludo exponit: quia de illo vt iam suo potest disponere mutuatarius quia dominium transfertur per mutuationem.

Secunda conditio est, vt alter alterum non pertrahat per iniuriam ad ludendum: vt si fraudem, aut dolum adhibeat fingens se nescire ludere, aut vim, aut verba contumeliosa, vel preces adeo molestas, & importunas, vt alium, nisi ludere velit, magna afficiant molestia, vel ingenti pudore suffundant. Quo in casu, si iste sic pertractus perdiderit; alter est illi causa damni per iniuriam; & ideo tenetur restituere; potest tamen ipse si vicerit, retinere; quia culpa alterius non debet ipsi nocere, vt rectè docent. S. Thomas, S. Antoninus, Henriquez, Sanches, & alij, quos sequitur De Lugo disp. 31. num. 30. additque verum id esse, licet coactio interueniat in medio ludi: vt si victus seriò constantérque minetur se non soluturum victori quod debet, nisi pergat ludere. 114.

Neque objicias quòd eo nonobstante vel contractus est validus, vel non. Si primum: ergo alter quoque, si vicerit, potest retinere. Si secundum: ergo nec iste, si vicerit, retinere potest. Respondeo enim contractum esse quidem validum: sed nihilominus eum, qui fraude, vel alijs modis iniustis adegit ad ludendum, teneri de damno, cuius iniustè causa fuit, ratione iniustæ coactionis. Sicut teneretur tertius, qui iniustè ipsum ad ludendum cum altero coegisset. Et in eo sunt paris conditionis colludentes, quòd alter similiter teneretur ad restitutionem, si iniustè ad ludendum pertraxisset.

Tertia conditio est, vt ludentes non vtantur fraudibus ijs, quas leges ludi non permittunt iuxta consuetudinem loci in quo luditur, vel in quas ipsi ludentes non consentiant tacitè vel expressè. Alioqui enim fit iniusta deceptio, quæ obligat victorem fraudulentum ad restitutionem, vt fusiùs dicemus paulò pòst. Non tenentur tamen abstinere ab astutijs per leges ludi permissis, licet fortassis alter eas ignoret: & in dubio an sint permissæ, standum est iudicio prudentum: vt bene ait De Lugo disp. cit. n. 33. Non tenetur etiam alter alterum de errore suo admonere: quia quisque partes suas agit, & non tenetur alteri prodesse. 115.

Quartò denique requiritur vt sit par conditio ludentium in iure lucrandi. Vnde qui ludit habens animum non soluendi, aut solutum repetendi in iudicio, non potest lucrari. Ratio est, quia non seruatur æqualitas in contractu. Adde quòd talis decipit aduersarium, profitens se paratum esse ad perdendum, cùm tamen non sit. Si tamen sincero animo ludat, potest lucrari: licet peracto ludo, mutet animum, & nolit soluere, aut solutum velit repetere. Quia leges ciuiles hoc, in ludo prohibito, vtrique concedunt, & in eo colludentes sunt pares vt bene ait Lessius cap. 26. num. 31. 116.

His præmissis, probantur singulæ responsi 117.

Acquisita per ludũ, etiamsi prohibitum, non sunt restituẽda. partes. Primò enim, quòd seruatis conditionibus in responso expressis, & supra expositis, non teneatur victor in ludo restituere, probatur, quia tunc contractus ludi est iustus ex parte contrahentium, & neuter alteri iniuriam facit. Vterque autem vi contractus vult transferre rei suæ dominium in victorem: quare posita conditione victoriæ, res illius fit. Sicut enim potest quisque validè donare rem suam, vel abijcere: ita & tali conditioni exponere. Nec obest quòd ludus ille fuerit illicitus, & lege prohibitus, si nimirum fuit ludus alearum. Quia non omnis contractus illicitus, est irritus: vt patet in matrimonio eius, qui votum simplex castitatis emisit, & in venditione rei alteri promissæ. Dixi secundò, *nisi accedat sententia iudicis, &c.* Notandum enim, leges, licet non irritent illum contractum, neque impediant acquisitionem dominij eorum, quæ per ludum prohibitum acquiruntur; concedere tamen perdenti repetitionem in iudicio, *lege, Alearum, Codice de aleatoribus.* Quin etiam ibidem statuitur vt data super aleæ lusu cautio, sit irrita, & condici possit: vtque victus non cogatur soluere. Ex quibus verbis colligit Lessius cap. 26. dub. 4. probabilius esse non teneri in conscientia lusorem soluere quod amisit, si velit vti beneficio legis: quia leges illam promissionem irritam reddunt. Nisi cum iuramento renuntiauerit beneficio legis, à quo tamen potest dispensationem petere. Sed meliùs Valentia disp. 5. quæst. 6. Punct. 5. & alij dicunt teneri soluere in conscientia, sed postea posse in iudicio repetere. Dixi tertiò, *Nisi ludentes non possint alienare, &c.* quia tunc cùm dominium rei acceptæ à victore, non in eum transferatur; tenetur restituere quicquid accepit à victo. Dixi quartò, *Nisi alter alterum per iniuriam ad ludum pertraxerit:* quia tunc vt supradixi, tenetur de damno, cuius iniustè est causa: adeòque tenetur restituere quod est lucratus. Quamvis Garcia *de contractibus parte 2. cap. 19.* & Molina disp. 516. probabile censeant, non teneri ad restitutionem si quis tantùm minis, aut conuitijs, & metu non cadente in constantem virum, compulit ad ludendum. Secus autem si fraude; vt si simulauit se imperitum ludendi. Dixi quintò, *Nisi fraudibus contra leges ludi vsus sit:* Tunc enim tenetur non modò restituere id, quod per fraudem lucratus est, & quod alioqui non esset certò lucratus: sed & quidquid alter certò lucraturus erat: quia iniustè est illi causa damni, vel lucri cessantis. Certò, inquam: nam in dubio melior est conditio possidentis. Vnde in dubio an lucratus esset, debet reddere quod lucratus est: quia melior est conditio prioris domini possidentis. In dubio autem an ipse perdidisset quod deposuit, potest retinere. Quin etiam si ludus fuit legibus vetitus, potest retinere quod alter certò lucratus esset; vtendo legis beneficio quæ liberat in foro interno, & externo, ab onere restituendi: inquit Lessius vbi suprà, citans Adrianum in quæst. de ludo, §. *Sed oritur ex his*, & Couar. ad Regulam. *Peccatum*, parte 2. §. 4. num. 8.



SECTIO XIV.

De alijs causis excusantibus à Restitutione.

SEcunda causa excusans est impotentia. Quæ duplex est. Vna est Physica. Et hæc euidenter excusat: nam ad impossibile nemo obligatur: & impossibile, vt tale, nihil est. Quare si impotentia est perpetua, excusat perpetuò: si temporanea, excusat ad tempus. Alia est moralis: quando potest quidem absolutè restitui, sed non sine magno incommodo: & hæc excusat in tribus casibus. Primus est, indigentia & necessitas grauis, vel extrema ipsius restitutoris. Tunc enim non tenetur restituere rem quâ tantopere indiget, licet in specie extantem: nisi ille, cui restitutio fieri debet, sit in pari necessitate. Imò etiam tunc non debere restitui ab æqualiter indigente sentiunt Tabiensis V. *Restitutio* §. 4. Caiet. quæst. 62. art. 5. circa solutionem quarti, Sot. 4. de Iustitia quæst. 7. art. 1. ad 4. Pet. Nauar. 4. de Restitut. cap. 4. num. 28. & alij, quorum sententiam probabilem censet Lessius cap. 16. num. 20. quia res, inquiunt, in tali necessitate sunt communes, saltem quoad vsum: & melior tunc est conditio possidentis. Et num. 14. addit hoc esse intelligendum non modò de necessitate ipsius restitutoris; sed & parentis, vxoris, & liberorum, qui possunt præferri creditoribus in hac necessitate. Et de fratribus idem asserit Toletus lib. 8. cap. 39. Sed probabilius est, & communius quod dixi: quia potiùs ius veri domini præualet in pari necessitate, quàm sola possessio Physica rei alienæ. 118. Impotentia Physica excusat à restitutione. Atque etiã moralis: si restitutor est in graui necessitate.

Notandum autem necessitatem dare tantummodo ius circa rem, quantùm ipsa exigit vt ei subueniatur. Quare si eâ transactâ res extet in specie, restituenda est; nisi modica sit, & meritò censeatur donata. Si verò non extet, sed fuerit consumpta, distinguendum est. Nam vel fuit empta dilatâ solutione, vel mutuò accepta per translationem dominij cum obligatione restituendi. Et tunc restituenda est quando restitutor venerit ad pinguiorem fortunam. Vel dominium, non fuit translatum, sed res fuit deposita, commodata, conducta, precariò habita, vel etiam furto sublata, & postea in graui vel extrema necessitate consumpta. Tuncque probabilius est non teneri ad restitutionem, nisi ille, qui consumit, sit alibi diues in re, vel sit diues in spe & facultate propinqua; non egens nisi quasi mutuo, vel empto. Ratio differentiæ est, quia prior eget tantùm re sua, & consumit rem suam: atque ita hæc ipsi perijt, sicut etiam perijsset eidem, si perijsset casu fortuito. At in casu posteriori, is à quo res accepta est, manet ipsius dominus: ideòque ipsi perit, quando prædictâ ratione sine ipsius iniuria consumitur, secluso omni expresso, aut implicito contractu oppositi, qualis hîc nullus est. Et prorsus improbabile, atque omnino absurdum esse puto non teneri ad restitutionem diuitem iter facientem amissâ crumenâ, sed diuitijs abundantem in patria, quando ab hos- 119. Quid faciendum cessante necessitate?

pite paupere accipit necessaria ad iter faciendum. Neque etiam talis est in simplici necessitate, sed secundùm quid, ad mutuum scilicet, vel creditum.

120. Vel si magnum detrimentũ incurrit in rebus suis non debitis.

Secundus casus est, si restitutor incurrat magnum detrimentum in rebus suis, & non debitis: ex. gr. si non potest restituere quin vendat aliquid multò minori pretio, quàm valet. Tunc enim licitum est differre restitutionem, ex quadam æquitate naturali: quia nemo tenetur restituere, quamdiu dominus non est rationabiliter inuitus circa detentionem. Atqui non est in tali casu. Nam contra æquitatem, & Charitatem est, vt velit sibi cum tanto incommodo statim restitui. Excipe tamen, nisi dominus par incommodum ex dilatione patiatur: vel res fuerit sublata furto, & iniustè; neque restitui possit deinceps, nisi iam restituatur, & detrimentum non sit tantum, vt melius sit, & æstimabilius non illud incurri, quàm restituere. Tunc enim tenetur restituere, magnis licet expensis quia culpa debet in ipsum recidere: nec æquum est priuari Dominum re sua propter ipsius culpam.

121. Aut in bonis superioris ordinis.

Tertius casus est, si quis non potest restituere sine detrimento boni superioris ordinis: vt si non possit restituere bona fortunæ, sine iactura honoris, qui maius bonum est: vel restituere honorem sine periculo vitæ, quæ bonum superius est honore, & bonis fortunæ. Pro quo nota, bona distingui in quatuor gradus. In primo & supremo sunt bona spiritalia. In secundo, vita, & bona corporis. In tertio, fama, & honor. In quarto, bona fortunæ, vt prædia, pecuniæ, & similia. Generalis ergo Regula est, non esse obligationem restituendi bonum inferioris ordinis, cum detrimento superioris. Quia nimis durum & inhumanum est, vt quis pro alieno bono inferiori, teneatur sibi inferre malum superioris ordinis. Qua etiam de causa, si bonum, eiusdem licet ordinis, sit in tali gradu, vt ad honorem Dei, & ad bonum commune, iudicetur præferendum alteri bono eiusdem generis; non est restitutio facienda cum detrimento altioris gradus. Exempli gratiâ, fama non est restituenda cum detrimento famæ nobilioris, quam non lædi melius est. Ita Nauar. cap. 16. num. 44. & cap. 17. & 18. Syluest. V. *Detractio, quæst. 4. & verbo Restitutio 7. quæst. 7. dicto 2.* Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 403. Ioannes Medina *Codice de Restitut. quæst. 2. §. Ad tertium*, & §. *Ad aliud.* Hanc tamen Regulam intelligendam puto, nisi bonum ordinis superioris, leuissimè lædatur per restitutionem boni ordinis inferioris magni momenti. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Vt v. g. si quis plebeius & vilis furatus sit centum millia aureorum, & non possit ea restituere sine leui suspicione furti. Et certè alioqui vix vnquam esset obligatio restituendi res inter infideles, qui non habent vsum Sacramenti confessionis. Nec inter fideles, quando confessarius, vel non vult, vel non potest per se restituere; id est, accipere à pœnitente id quod debet ille restituere: vt sæpe non expedit. Et hoc vt minimum docent Maior in 4. dist. 15. quæst. 18. Sotus lib. 4. de Iustitia quæst. 6. art. 3. ad 4. & quæst. 7. art. 2. ad 1. Couar. super Regula *Peccatum*, parte 1. num. 6. ver. penult. & Mæræt. Disp. 27. Sect. 8.

122. Non tenetur, si læso sit magna, & magis considerabilis.

Huc pertinet casus, in quo aliquis res alienas restituere nequit, nisi incidendo in indecentiam, & suum statum dehonestando. Tunc enim tenetur quidem omnia superuacanea de suo statu subtrahere, & ex illis restituere: sed non tenetur illum diminuere cum turpitudine, dedecore, & indecentia. Ratio est, quia decentia status consistentis in modo victus, vestitus, comitatus, aliorúmque similium adiunctorum, dummodo sit vera decentia; item in eo quòd quis habeat vxorem, & filios alendos, &c. est magnæ æstimationis apud sensatos: adeo vt non teneatur quisquam cum illius detrimento facere restitutionem rei alienæ, sed censeatur non posse restituere. Quare non tenetur vir nobilis ex. gr. abjicere equos, & omnem famulatum, aut exercere artem mechanicam, vt restituat aliena. Quod verum esse etiam de iniustè acceptis & cum delicto, docent Syluester *Restitutio 5.* quæst. 1. 3. & 4. Nauar. cap. 17. num. 62. Couarr. supra, num. 2. Valentia quæst. 6. p. 7. in quarta causa, & Lessius cap. 16. num. 26. licet non pauci oppositum sentiant. Sed nota hæc intelligenda esse primò, nisi creditor sit in pari angustia. Secundò, nisi debitor ad angustias illas se sponte coniecerit suis profusionibus. Sibi enim tunc debet imputare, & culpa debet in ipsum recidere. Tertiò, nisi status ille iniustè obtineatur, idque sit notorium. Quia si quis rapinis, furto, vsuris, & modis similibus statum magnum obtinuit; debet illum dimittere: Tuncque non tam suum statum dimittit, quàm alienum, vt ad suum reuertatur. Neque in eo est indecentia, vel infamia; sed potiùs in opposito, quando eius iniustitia nota est. Potiùs enim laudabitur quòd statum deposuerit vt malè parta restitueret. Dixi autem, *quando iniustitia nota est:* quia si esset occulta, & haberetur passim vir probus, neque posset restituere nisi se infamando, & detegendo furta occulta, non teneretur restituere res alienas cum damno suæ famæ, quæ maius bonum est.

123. Vel cum indecentia sui status probrosa.

124. Refutatur contraria sententia.

Contrarium sentiunt Innocent. Ostiens. & quidam alij ad cap. *Cum tu*, *De vsuris*, affirmantes restitutorem non posse quicquam retinere præter ea, sine quibus incideret in extremam necessitatem. Probant primò ex cap. cit. & cap. *Si quis*, titulo *de furtis*, vbi videtur id asseri. Secundò, quia melius est vitare iniustitiam, quàm tueri statum. Sed ad primum respondeo, caput *Cum tu*, loqui de vsuratijs manifestis, quibus turpius est non reddere alienum, quàm amittere statum. Caput autem *Si quis*, non habet auctoritatem canonis, falsóque tribuitur D. Hieronymo, vt ostendit Bellarmin. in lib. de Scriptorib. Ecclesiast. & est intelligendum de eo, qui alienum furtiuè accipit, cum possit aliter sibi prouidere. Ad secundum respondeo, non esse iniustitiam quando quis est in graui illa necessitate, & impotentia morali reddendi alienum: quia tunc dominus non est rationabiliter inuitus. Et quemadmodum non facit iniustè, qui non so-

lùm in extrema necessitate, sed etiam in graui, vsurpat rem alienam, quâ grauiter aut extremè indiget, si nihil aliud obstet, vt alibi probauimus: ita neque ille facit contra Iustitiam, qui in tali necessitate constitutus non restituit rem alienam, quâ extremè, aut grauiter indiget ad graue malum vitandum, quale est dedecus, & turpitudo grauis, ad statum pertinens.

125. Ignorantia probabilis excusat à restitut. Tertia causa excusans est ignorantia probabilis quòd res sit aliena: siue sit ignorantia facti, siue iuris. Ignorantia probabilis hîc dicitur, quæ non est crassa, vel supina: quæ facti dicitur, quando ignoratur rem esse alienam, vel factâ sufficienti inquisitione res adhuc manet dubia. Iuris verò, quando ius est obscurum & controuersum, ita vt viri boni & docti censeant non esse restituendum. Ita Nauar. cap.17. Manual. num. 82. Valentia quæst. 6. p. 7. causa 1. & alij communiter. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis.

126. Et compensatio. Quarta est, compensatio facta creditori per commodum aliquod æquiualens, ipsi collatum. In rebus tamen quæ eædem numero reddi debent, si extant, vt liber, aut equus commodatus, non sufficit reddere pecuniam, vel aliud æquiualens, nisi dominus consentiat. Si tamen is acceptet, compensationem, alter non tenetur ampliùs restituere. Duobus autem modis compensatio potest fieri creditori. Primò, immediatè in seipso, tribuendo ipsimet æquiualens. Secundò, in alio: putà si debitor tantundem soluat alteri, cui creditor debet, quantum ipse debet creditori. Et vterque modus pariter excusat.

127. Et condonatio debiti. Quinta est, remissio, seu condonatio debiti, facta à creditore. In qua tria sunt necessaria. Primò, vt fiat ab eo qui potest condonare. Nam alioqui est inualida & nullius momenti. Secundò, vt non fiat in casibus iure exceptis: qui cuiusmodi sint, videri potest apud Lessium cap. 16. num. 37. & sequentibus. Tertiò, vt non sit iniustè extorta, siue per preces valde importunas & molestas; siue per minas, aut metum grauem aliter incussum; siue per tædium toties repetendi frustrà debitum, addito etiam interdum contemptu repetentis; siue denique per fraudem, fingendo paupertatem & impotentiam restituendi, aut soluendi quod debetur.

128. Et nocumentum alterius. Sexta est, quando restitutio est nocitura creditori, vel alteri tertio: & eam differendo, vel omittendo, spes est mali vitandi; neque periculum est paris aut maioris mali. Vt si furiosus gladium suum repetat ad alterum occidendum: Si prodigus debitum repetat, vt profundat in libidines, aut comessationes: si proditor, vt noceat Reipublicæ: si liber Hæreticus, aut impurus sit alteri nociturus. Tunc enim licet differre, aut penitùs omittere restitutionem, quantùm necessarium est ad malum impediendum: quia malum & damnum proximi impediendum est, saltem ex Charitate, quando commodè fieri potest.

129. Et interdum interitus rei alienæ. Septima est, interitus rei debitæ, si res in specie sit alterius, & non intercesserit culpa, vel mora, vel pactum præstandi periculum. Vt si rem alienam, quam habebas bona fide, consumpseris meliùs te reficiens, aut aliter impenderis; ita tamen vt eius loco non aliud consumpsisses, aut impendisses: neque ex eo ditior factus sis: ac proinde res non maneat in te, neque in alio apud te: aut si in extrema, vel graui necessitate, rem alienam consumpseris, nec alibi sis diues in re, vel in spe, & propinqua facultate, non egens nisi quasi mutuo, vel empto. Ratio est, quia tunc res perit domino, qui non potest esse rationabiliter inuitus, si ei non restituatur. Ita docent Medina Cod. de Restitut. quæst. 3. causa 6. Valentia quæst. 6. p 7. §. *Ex parte etiam t, sim res*. Lessius cap. 16 dub. 6. Dixi autem, si non intercessit culpa, vel mora, vel pactum præstandi periculum: quia si culpabiliter accepisti, vel culpâ tuâ perijt, aut fuisti in mora restituendi tempore per contractum assignato, teneris de damno, cuius es causa. Dedisti enim culpâ tuâ occasionem damno obuenienti, quod fortè Domino non obuenisset, si tu rem eius non surripuisses, aut diligenter custodisses, aut suo tempore reddidisses. Si tamen res similiter apud dominum peritura fuisset, non teneris restituere: quia tunc non es causa damni. Atque ita fur, v. g. qui frumentum surripuit, quod incendio perijt, sed apud dominum æquè perijsset, incendio communi; non tenetur restituere; quia non est causa damni. Item, si pactum intercessit de periculo vel damno præstando, seruandum est; modò fuerit iustum & validum. Dixi præterea, *si res in specie sit alterius*: quia 130.
si res in specie sit tua, & non aliena, quamvis solutioni destinata; eius interitus non te excusat. Perit enim res tua: ideóque tibi ipsi perit. Vnde v. g. si in extrema vel graui necessitate consumpsisti pecuniam mutuò acceptam, perit tibi; quia res tua est. Mutuum enim transfert dominium. Quare si redeas ad pinguem fortunam, teneberis restituere mutuatori æqualem pecuniam. Idémque dico de quacunque re tua, quam consumpsisti, acceptâ cum onere restituendi. Similiter pœnitens, qui dedit confessario pecuniam, vt occultè restituat pro aliquo subrepto, non liberatur à restitutione si pecunia pereat, vel retineatur, nec ad dominum, vel alium ab eo commissum perueniat. Licet in hoc casu aliqui putent non teneri pœnitentem aliud restituere; quia fecit quod debuit & potuit. Hinc collige non teneri ad restitutionem eum, cuius pecora sine ipsius culpâ depasta sunt agrum alienum, sed alibi pauissent, neque ex eo ditior factus est. Vt nec illum, qui bona fide dedit aliquid alienum liberaliter, ita vt eius loco non aliud dedisset, neque ditior inde est.

Octaua est, auctoritas publicæ potestatis liberantis à restitutione. Vt fit primò per præscriptionem, de qua diximus alibi. Nam leges transferunt dominium rei alienæ in eum qui præscripsit legitimè. 131. Et auctoritas publica. Secundò, quando index per sententiam iustam aliquid alicui adiudicat, siue in pœnam & mulctam alterius; siue iudicans ipsi deberi, sequendo legum auctoritatem, & naturalem æquitatem: licet alioquin id non deberetur ex rigore Iustitiæ. Tertiò, quando summus Pontifex per Bullam compositionis, vt vocant, dispensat cum aliquo ex iusta causa, vt

possit aliquid retinere, expendendo partem in pauperes, vel in pios vsus. Potest enim Summus Pontifex circa bona fidelium transferre dominium vnius in alium, quando iusta causa propter bonum spiritale, & salutem animarum id exigit. Sicut Principes seculares id possunt propter maius bonum temporale, vt patet exemplo legum de præscriptionibus. Notandum est tamen non sufficere quòd leges solùm permittant aliquid retineri, aut non posse in iudicio condici, seu repeti. Nisi enim dominium transferant, restituendum est in foro conscientiæ. Quare licet per leges toleretur deceptio venditionis quæ non est infra dimidium iusti pretij, lege *Item si pretio*, §. *finali*, *ff. Locati*: tenetur tamen restituere qui decepit: vt rectè notant Medina quæst. cit. causâ 7. & Valent. vbi supra.

132. Et incertitudo creditorum. Nona denique est, incertitudo creditorum. Quando enim post sufficientem inquisitionem non apparent; retineri potest, donec ipsi, vel hæredes compareant, vt eis restituatur. Licet plurimi velint debere tunc in pauperes, vel in pios vsus expendi, vt alibi retulimus.

Ex his nouem causis si nulla pœnitentem excuset, cogendus est à confessario statim restituere: neque absoluendus ast antequam id fecerit, saltem si iam antea admonitus non restituerit. De quo tamen à prudente confessario iudicandum est ex circunstantijs & examine pœnitentis circa propositum de restituendo. Si enim verum & sincerum est, potest absolui: modò tamen absolutio data, non sit causa vt non restituat, & cedat in iniuriam tertij.

SECTIO XV.

Causæ excusantes falsò præsumptæ.

133. SVnt qui putent excusare etiam cessionem bonorum, excommunicationem debitoris, aut creditoris, ingressum in Religionem, vel pœnam talionis, aut aliam impositam debitori, aut permixtionem & confusionem rerum alienarum cum suis, talem, vt alienæ non possint à suis discerni. At hæc omnia falsa sunt. Neque enim quicquam illorum per se excusat in foro conscientiæ, sed tantùm ratione alicuius ex nouem causis iam explicatis, si fortè interueniat.

Non excusat cessio bonorum. Cessio quidem bonorum iuuat in foro externo, ne possit debitor in carcerem conjici; vt possunt conjici debitores non-Clerici Clericaliter viuentes cum habitu & tonsura: néve si aliquid post cessionem acquirat, possit ei auferri, quando est illi necessarium ad suam & suorum sustentationem, *lege 1. Cod. qui bonis cedere possunt*, *& lege Qui bonis*, *ff. de cessione bonorum.* At non excusat in foro conscientiæ, nisi debitor sit impotens ad restituendum aliquo ex modis in secunda causa explicatis: ad vitandam scilicet extremam vel grauem necessitatem, vel malum ordinis superioris, aut simpliciter maius. Vnde qui sine sua culpa nota, cogitur cedere bonis; si fiat executio in eius bonis per creditores: potest abscondere, & retinere vnde viuat tenuiter, & non indecorè secundùm suum statum, vt rectè ait Lessius cap. 16. num. 45. & colligitur ex legibus cit. Idemque censet Nauar. cap. 17. num. 86. & Lessius num. 43. quamvis sit debitor ex delicto. Sed si delictum notum sit, sentio esse de illo statuendum, vt de eo qui statum iniustè obtinuit, à quo non decidit indecorè quando delictum est notum. Porro si bonorum cessores redeant ad pinguiorem fortunam, tenentur in conscientia, restituere integrè, vt colligitur ex *lege 4. ff. de cessione bonorum*, *&* §. *vltimo Institut. de actionibus*: quamvis cessio fuerit solemnis & ignominiosa: quippe quæ non fit ad extinguendum debitum restituendi; sed in pœnam culpæ veræ, aut præsumptæ, mutuantis id quod non poterat restituere. Sunt tamen qui in eo casu putent non obligari, sed pœnam illam sufficere, maximè cùm aliquis sine culpa tantam subiuit ignominiam. Alij dicunt posse aliquid pro ignominia detrahi.

Similiter excommunicatio debitoris non eum liberat ab onere restituendi. Quia excommunicatio non debet illi tantum afferre commodum. Alioqui multi vellent excommunicari: quare licitè potest ab illo debitum repeti; vt rectè notat Glossa in caput *Nos sanctorum*, *15. quæst. 6.* Si verò creditor ipse sit excommunicatus, probabile est posse differri, restitutionem donec Ecclesiæ reconcilietur: vt docent Adrianus quæst. 3. de clauibus. §. *Si petas an is qui tenebatur*, Glossa supra citata, Felinus, & Panormitan. in caput *Inter alia*, *De sententia excommunicationis*, & Lessius cap. 16. dub. 9. num. 77. Sed verius est non posse differri restitutionem, licet creditor sit nominatim excommunicatus: vt post Syluest. Medin. Couar. & alios docet ibidem Lessius num. 79. Quia, inquit, neque iure diuino, neque humano, liberatur debitor ab onere statim restituendi, aut soluendi post tempus elapsum. Non iure diuino, quia nullum tale præfertur, sed potiùs Deus iubet Ethnicis etiam & Publicanis reddi debita, Rom. 13. Non humano: quia Canones citati ab assertoribus prioris sententiæ, loquuntur tantùm de debito fidelitatis & obsequij, non autem de debito pecuniario: & sunt strictè interpretandi, quia pœnales sunt. Nec obest quòd excommunicati nominatim, sunt vitandi. Nam quemadmodum non sunt adeo vitandi, quin eis fiat eleemosyna, quando ex Charitate necessaria est: ita, & multò magis, quin eis reddatur pecuniarium debitum ex Iustitia, quod cum exigua communione reddi potest. Si tamen ex dilatione spes sit mouendi, vel cogendi excommunicatum ad resipiscendum, vt reconcilietur Ecclesiæ; potest differri restitutio, ad maius bonum spiritale ipsius. Sufficit etiam excommunicatio vt in foro externo repellatur, si debitum in iudicio repetat: iuxta caput *Pia*. *De exceptionibus in 6.* 134. Neque excommunicatio debitoris.

Ingressus verò in Religionem non excusat nisi propter adiunctionem impotentiæ. Nam si debitor, volens ingredi Religionem, potest restituere de ijs quæ habet in re, vel in spe & facultate propinqua; debet restituere, & differre ingressum donec restituerit. Ac si secus 135. Neque ingressus Religionis.

ingrediatur, peccat. Valet tamen professio: quia cùm liber sit (neque enim debet personam suam, sed rem alienam, vt supponimus: de mancipio enim, vel de coniugato, alia esset ratio) cùm, inquam, liber sit, potest seipsum donare Religioni: neque postea tenetur repetere statum sæcularem, vt restituat: quia non potest repetere sæculum ob tam leuem causam, professione emissa. Sixtus V. talem quidem professionem irritam fecerat in quadam Bulla: sed Clemens VIII. sustulit hanc irritationem aliâ Bullâ, vt videre est apud Rodrig. *de Priuilegijs Regularium, tom. 2. in Bulla 7. Clementis VIII.* Si verò neque in re, neque in spe propinqua habet vnde restituat, sed opus sit multis annis, vel laboribus insolitis, aut indecoris; potest creditoribus relinquere bona quæ habet, & ingredi Religionem, vt rectè docent D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 6. ad 3. Petrus Nauar. lib. 4. cap. 4. num. 94. & 95. & Lessius cap. 16. dub. 8. Ratio est, quia non tenetur cum magno detrimento boni spiritalis, & periculo salutis, tandiu hærere in sæculo vt soluat creditoribus: ac ne quidem in foro externo obligantur vlli alij debitores ad labores indecoros & insolitos: vt constat ex praxi tribunalium. Sufficit enim iudicibus si videant debitorem omnia quæ actu habebat, dedisse, neque breui tempore laboribus ordinarijs posse reliqua conquirere. Quod locum etiam habet in debitis ex delicto contractis, vt ex furto, rapinis, & vsuris.


136. Neque pœna talionis, aut alia.

Pœna quoque talionis, vel alia, non excusat à restitutione, nisi adiungatur illi condonatio creditoris: vt quando pars læsa est contenta pœnâ læsoris, vel eam exigit loco restitutionis, vt sæpe fit. Alioqui enim pœna non liberat à restitutione: quia non reponit læsum in pristino statu, ex quo per iniuriam fuit deiectus. Quare meritò S. Thom. quæst. 62. art. 2. in corp. affirmat illum qui iniustè & culpabiliter accipit rem alienam, teneri ad recompensationem damni illati, per restitutionem: & vlteriùs pro iniuria illata debere puniri. Ratio est, quia restitutio, & pœna habent diuersa fundamenta in vna & eadem actione. Nam pœna debetur ratione culpæ: restitutio verò debetur etiam citra culpam, vel quia habetur res aliena, vel quia est accepta, non sine conditione restituendi. Quamvis ergo aliquis pro culpa & iniuria pœnam subierit; non propterea liberatur a restitutione, nisi pars læsa sit eâ contenta. Quin etiam, quia eadem actio multis est iniuriosa, scilicet parti læsæ, & Reipublicæ, & Deo: fieri potest, & sæpissime fit, vt parte læsâ condonante offensam, non condonet Respublica: & illis condonantibus, Deus non condonet: & Deo condonante pœnitenti pœnam æternam, quam pro Dei offensa merebatur, atque etiam pœnam temporalem in foro Dei restantem post culpæ remissionem; possit Respublica non condonare pœnam, quam ipsa potest inferre. Restitutio verò, & compensatio soli parti læsæ, & detrimentum passæ, fieri debet.

Denique non excusat ab obligatione restituendi, quòd res alienæ sint tuis ita permixtæ, 137. Neque rerū tuarum permixtio.
vt non possis eas discernere. Nam si constat res esse alienas, excusat quidem illa permixtio, & confusio, à restituendo idem in indiuiduo: sed non excusat à restituendo idem in specie, vel in æquiualenti. Neque puto contrariā sententiam esse probabilem: cùm etiamsi res alienas bona fide consumpseris, tenearis, omnium consensu, restituere in eo in quo manent, id est, quo ditior factus es. Plus autem est consumptio rerum alienarum, quàm permixtio & confusio cum suis. Quare illa deberet æquè, aut magis excusare à restitutione; & tamen non excusat, vt fatentur ipsimet Aduersarij. Ideóque licet triticum v. g. vel vinum alienum ita tuo permixtum sit, vt non possit distingui: non minùs restituendum esse puto, quàm si mille aurei alieni furto, sublati, essent ita tuis permixti, vt non possent discerni. Est autem planè absurdum existimare non teneri furem totidem restituere.



DISPVTATIO



DISPVTATIO OCTAVA.

De Iniurijs, & Restitutione in particulari. Ac primò circa corpus, & animam, & bona spiritualia.

DE Iniurijs circa corpus disputat S. Thomas q. 64. & 65. In quarum priore docet licere quidem hominibus occidere animalia ad sui sustentationem: & malefactores, ac perniciosos Reipublicæ, quando ad illius conseruationem id necessarium est. Seipsum verò interficere, vel innocentes, illicitum esse. At non ita iniustos aggressores, quando, & quatenus ad sui defensionem id necessarium est, siue cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quando autem aliquis casu alium interficit, non est reus peccati homicidij, nisi rei illicitæ operam dederit, quam vitare debebat: vel nisi negligens fuerit, debitámque sollicitudinem non adhibuerit ad vitandum homicidium.

In posteriore affirmat non licere mutilare hominem, nisi vel personis publicis, propter culpam hoc supplicio dignam: vel priuatis, de licentia eius, cuius est membrum, in casu, quo membri putredo totius corporis saluti aduersatur. Patribus tamen licere verberare filios, & dominis seruos, causâ correctionis & disciplinæ: quia isti subsunt illorum potestati. Licere quoque incarcerare, & inuitum detinere aliquem secundùm ordinem Iustitiæ, in pœnam, vel ad cautelam alicuius mali vitandi: secus non. Grauiùs denique peccare, qui iniustè lædit aliquem pluribus coniunctum, & cuius iniuria in plures redundat: vt si quis Magistratum percutiat; cæteris paribus: id est, nisi aliunde vel dignitas personæ, licet priuatæ, vel magnitudo iniuriæ superemineat. Hucvsque D. Thomas.



SECTIO I.

De Iniurys circa corpus per homicidium, & mutilationem.

1. Licet occidere, aut mutilare propter crimen. Certum est, & per se notum lumine naturali, vnumquemque habere naturaliter ius vt non occidatur, neque lædatur in corpore sine causa legitima. Sed multæ sunt causæ, propter quas licet occidere, vel mutilare. Primò scilicet, propter grauia crimina Reipublicæ perniciosa, & morte digna, vel mutilatione: vt patet vsu omnium Gentium, à Deo nunquam reprehenso, sed potiùs in Scripturis confirmato, Exod. 21. v. 18. & ad Rom. 13. v. 4. Debet tamen inferri hæc pœna auctoritate publicæ potestatis, in quam ius vlciscendi, & potestas amputandi membra perniciosa communitati, translata est à particularibus, ad vitandam confusionem, aliáque incommoda, quæ sequerentur ex opposito. Debet item euidens esse crimen, aut probatum iuridicè. Imò, quamvis sit euidens, seruari debet ordo iuris, quantum fieri potest. Id enim bono communi valde expedit: & contrarium esset periculo abusus obnoxium. An verò iudex possit, ac debeat damnare innocentem, qui ex allegatis, & probatis iudicatur esse nocens, dicemus inferiùs Disp. 33. Sect. 2. Potest etiam occidi innocens Dei volentis, & iubentis auctoritate: vt poterat Isaac Genes. 22. si Deus absolutè voluisset. Verùm hîc non loquimur de iure diuino, sed de humano tantùm.

2. Et ad iustam sui defensionem contra inuasorem. Secundò, ad repellendam iniustam inuasionem, & ad iustam sui defensionem occidere licet, vel mutilare inuasorem iniustum, quantùm ratio iustæ, ac necessariæ defensionis exigit: quia vim vi repellere leges omniaque iura permittunt, vt ait Innocent. III. cap. *Significasti 2. de homicidio.* Licet etiam in eo casu mortem inuasoris intendere: quia possumus licitè id totum intendere, quod ad vitæ propriæ defensionem necessarium est: vt rectè docent Nauar. Sotus, Valentia, & alij communiter, teste Cardin. De Lugo disp. 10. num. 149. Dixi, quantum ratio iustæ defensionis & necessariæ exigit; siue, vt dici solet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quia si quis maiore vi vtatur, quàm necessarium sit: excessus ille non est iusta defensio, sed vltio iniusta, & obligans ad restitutionem pro damno. Hæc autem defensio locum habet siue quis armis te inuadat reipsa & conetur occidere; siue paratus sit inuadere, ita vt mortem vitare nequeas, nisi vel eum præuenias, vel fugiendo te periculo subtrahas. Neque teneris fugere ex Iustitia; imò neque ex Charitate, si non potes sine graui dedecore. Et quod dixi de defensione vitæ, intelligendum est quoque de defensione corporis & membrorum, si quis iniustè graue tibi vulnus infligere, vel membrum aliquod amputare conetur, vt docent communiter Theologi. Sed non est malè præsumenda necessitas præueniendi: alioqui enim multi contingerent abusus & scandala. Prætereáque videndum est an præueniendo sis euasurus sine certo periculo maioris aut æqualis mali. Quod periculum certum est, quando insidiæ alterius & machinationes sunt occultæ, nec poterunt à te probari, vis autem tua est manifesta; vnde velut homicida punieris, & mortem, quam timebas, insupérque ignominiam incurres, & scandalum afferes. Item certò tibi constare debet, tum quòd alter mortem iniustam tibi machinetur, tum quòd non possis aliter eam euadere. Quibus conditionibus seruatis licita est sui defensio in insidijs occultis æquè, ac in aggressione manifesta: quia non minùs est homicida, nec minùs nocet iniustè, qui occultè, aut per alium, quàm qui palam, aut per seipsum interficit. Plura de his videri possunt apud Malderum tract. 3. de Iustitia cap. 1. De Lugo disp. 10. Sect. 6. & seqq. & Less. cap. 9. dub. 8. & deinceps.

Dices, salutem animæ proximi præferri debere vitæ propriæ. Ergo mors potius ferenda est, quàm occidendus aggressor iniustus cum periculo salutis suæ. Respondeo, id communiter deberi tantùm ex Charitate, non ex Iustitia; idque cùm nobis non imminet simile periculum, & proximus est in extrema necessitate; cuiusmodi non est aggressor iniustus, qui sponte in tale periculum se conjicit.

Tertiò, non tantùm ad defensionem vitæ, vel corporis licet occidere, vel mutilare iniustum inuasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed etiam ad defensionem opum suarum magni momenti; vt colligitur ex Scriptura, Exod. 22. v. 2. Et ex iure Canonico, cap. *Dilecto de sententia excommunicationis*; itemque ex iure ciuili, *lege Furem, ff. Ad legem Cornel. de sicarijs.* Ratio est, quia sicut quisque naturaliter ius habet vitam tuendi; ita & opes, seu facultates, quæ ad vitam conuenienter conseruandam necessariæ sunt: idque melius est, quàm maleficos habere licentiam improbitatis. Debent autem res illæ esse magni momenti: quia ius occidendi, vel mutilandi non est concessum pro re leui: nec æquum est minimum malum tanto alterius damno præuertere. Si tamen res per se esset leuis, sed quis eâ grauiter indigeret, aut grauem infamiam pateretur, nisi furi resisteret: esset grauis per accidens, & daret ius occidendi, vel mutilandi ad resistendum. Item, si iam res est erepta, & spes est eam recuperandi in iudicio sine magno incommodo, peccat contra Charitatem, qui furem fugientem occidit: quia, tenetur ex Charitate vitare malum proximi, quando potest sine suo incommodo. At non peccat contra Iustitiam, quia non tenetur pati se deturbari à sua possessione ciuili, quam retinet quandiu rem suam moraliter præsentem habet, id est, quandiu furem fugientem videt. Dum verò res actu eripitur, habet ius resistendi, & non patiendi tantam contumeliam sibi inferri; licet sit spes recuperandi postea: Quin etiam communis sententia est licere occidere furem quandiu fugit, donec in tutum se receperit, vbi quiete possidere incipiat: quia inuasio durat eo vsque: & nisi id liceret, ius defendendi res inutile esset magna ex parte; possent enim fures quidlibet rapere, & postea fugere, quia

3. Vel etiam rerũ suarum magni momenti.

in fuga tuti essent. Addunt aliqui posse occidi impedientem, ne quis ingrediatur in locum, vbi res sua fuit deposita, vt eam recuperet: & qui denegat restitutionem rei precariò concessæ, quando actu denegat: quia denegando videtur spoliare: & qui rem clandestinè detinet domi suæ, impeditque alium, ne domum ingrediatur, & rem suam repetat: Et qui falsa accusatione vult te fortunis, aut vita etiam spoliare. Et qui tuos creditores impedit iniustè ne tibi satisfaciant. At hæc omnia si permitterentur, nimiam licentiam, & magnos abusus inueherent: atque omnino illicita sunt; cùm per iudicem, vel aliâ viâ malum resarciri, aut impediri possit, ac debeat: sin minùs, toleranda potiùs sint prædicta incommoda, quàm tot cædium iniquarum, & abusuum origo in Rempublicam inducenda: meritóque puniuntur grauiter à Magistratibus qui secus faciunt.

4. *Et tuendæ pudicitiæ, vel honoris causâ.* Quartò, licet etiam iniustum inuasorem occidere tuendæ pudicitiæ vel honoris causâ: quia honor & pudicitia sunt bona magni momenti, multóque maioris, quàm diuitiæ seu bona fortunæ, pro quibus tamen defendendis licitum est occidere, vt antea probauimus. Idémque affirmant Doctores communiter, vt testatur Cardinalis De Lugo disput. 10. Sect. 10. num. 187.

Varijs autem modis potest alterius honor, inuadi, vel auferri, vt videre est apud auctorem citatum, & apud Vasquem cap. 2. de Restitut. §. 1. dub. 9. & Less. cap. 9. dub. 12. Vnus modus est, si quis viro honorato tentet alapam aut fustem impingere ignominiæ causa. Et hunc occidi aut mutilari posse, si necesse sit ad vitandam tam grauem ignominiam, docent vnanimi fere consensu Theologi: vt testatur Vasques eodem cap. 2. vbi multos speciatim allegat. Neque tenetur ille fugere vt euadat, si fuga esset illi ignominiosa: secus autem tenetur ex Charitate: vt Religiosi, & Ecclesiastici. Alter modus est, si quis contumelijs grauibus per verba vel per signa quempiam afficiat. Et hunc etiam occidi posse, si contumeliæ sint atroces, nec possint aliter vitari aut impediri, docent Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3 num. 376. Fernandes in Examine morali, parte 7. cap. 9. §. 1. num. 9. Nauarrus in Manuali, cap. 15. num. 3. in fine, Diana tom. 1. parte 2. tract. 1. Miscellan. resolut. 15. Sed meliùs negant Malderus tract. 3. de Iustitia, cap. 1. dub. 14. Lessius cap. 9. dub. 12. num. 78. & alij. Quia sufficit iniurias verbales verbis repelli, & legitimâ vindictâ comprimi, ac puniri auctoritate publicâ. Tertius est, si quis alapam aut contumeliam impegerit, sed iam cesset, aut fugiat. Et hunc quóque posse statim repercuti, & si opus est occidi, patique id omne quod ad honorem recuperandum putatur necessarium, opinantur Nauarrus citato cap. 15. num. 4. Victoria relect. de iure belli, num. 5. & Henriques cap. 10. de Irregularit. vbi plures alios citat. Sed contrarium bene ac verè docent Sotus, Rodrigues, Molina, Vasques, Turrianus, Malderus, & alij quos refert & sequitur De Lugo disp. 10. num. 190. quia hoc non est iusta defensio, sed vindicatio, quæ priuata auctoritate fieri nequit: & si hoc liceret, multi abusus & excessus facilè contingerent: vt fusiùs prosequitur auctor postremò nominatus. Quartus est, si quis falsis criminationibus, aut occulta crimina detegendo nitatur infamare apud Principem, vel apud iudicem, aut apud viros honoratos; neque possit impediri nisi occultè occidatur. Et hoc licere probabilius putant Bannes 2. 2. quæst. 64. art. 7. dub. 4. Andreas Du Val Doctor Sorbonicus quæst. 17. de Charitate, art. 1. & Cardinalis de Richelieu in Instructione Christiana, lect. 16. circa quintum præceptum Decalogi. In eandémque sententiam inclinat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 375. Sed meliùs Lessius, & alij supra relati disput. 20. Sect. 6. docent id esse grauiter illicitum, & in praxi nullo modo esse permittendum: quia multis cædibus iniustis occasionem daret cum ingenti perturbatione Reipublicæ. Nam graues inde sequerentur abusus: quia vt quisque in propria causa sibi fauere solet, facilè iudicaret se ab alijs circumueniri eousque, vt tale genus defensionis sibi necessarium sit: vnde plurimæ cædes iniustæ fierent, cum plurimorum damno corporis & animæ, magnáque Reipublicæ perturbatione. In iure autem defensionis semper considerandum est ne vsus illius vergat in perniciem Reipublicæ: tunc enim non est permittendus, neque licitus: idcóque meritò prohibetur à Republica hic agendi modus, & puniuntur vt homicidæ, qui sic egisse deprehenduntur, non admissâ excusatione defensionis necessariæ. Quintus denique modus est, si quis te prouocet ad duellum quod recusare nequeas absque nota infamiæ, & iactura spei consequendi honores militares: quod damnum viri nobiles solent pluris facere, quàm damnum bonorum fortunæ, magni licet momenti: imo non pauci vel ipsi morti præferunt. In quo casu videri potest alicui probabile licere duellum acceptare, non occidendi animo, sed famam tuam conseruandi, téque contra iniustam inuasionem defendendi cum moderamine inculpatæ tutelæ, si alter vulnus aut mortem inferre tibi aggrediatur. Sed hoc esse prorsus illicitum ostendimus in tract. de Charitate disputat. 20. Sect. 8. vbi fusiùs hac de re disseruimus, & præcipuis contrariæ sententiæ argumentis respondimus. Quibus autem alijs vijs possit tunc honori consuli, videri potest apud Ægidium Coninck lib. 4. de actibus supernaturalibus, disput. 32. dub. 2. & Suarem disput. 13. de Charitate, Sect. 9. Nunc certè in Gallia cessat infamiæ periculum, postquam à Rege Christianissimo Ludouico XIV. nunc regnante sublatum est, seuero contra duellantes edicto, à tota fere nobilitate venerabundè, vt par erat, acceptato, adhibito etiam iuramento de tali duello nunquam acceptando, multóque minus offerendo.

Quid si aliquis te grauibus contumelijs afficiat? (margin)

Vel falsis criminationibus infamet. (margin)

Vel ad duellum prouocet. (margin)

SECTIO II.

Plura de quæstione proposita.

SVperioribus addo, non tantùm ob vitam propriam tuendam, vel opes, honorem, & si

Licet occidere ad defensionem proximi iniustè inuasi.

pudicitiam propriam licere iniustum inuasorem occidere in casu necessitatis, id est, cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed etiam ad defensionem proximi iniustè inuasi. Quia tenetur quisque ex lege caritatis diligere proximum sicut seipsum. Non tamen tenetur, si non potest nisi cum æquali suo periculo, vel damno. Excepto casu, quo inuaditur ille à quo pendet tota salus publica: vel ad quem defendendum teneatur ex pacto: vt satellites Principum, & Magnatum. Alioqui enim potest quisque bonum suum præferre bono proximi secundùm ordinem Charitatis. Non tenetur etiam tueri proximum cum occisione inuasoris: sed sicut potest licitè permittere seipsum occidi, ne vtatur horrendo illo defensionis modo: ita & proximum: modò tamen non sit Magistratus, aut talis, vt ex Iustitia teneatur ratione officij, aut obligationis contractæ, vitam illius tueri contra inuasores. Sed neque tenetur Magistratus vitam priuati tueri cum periculo suæ: quia non obligatur ex officio vt pro homine priuato vitam exponat, sed tantum vt pro bono publico: vt bene docet Lessius cap. 9. num. 91. contra Syluestrum V. *Homicidium*, 1. quæst. 6. De iure autem contra tyrannos, vide eundem cap. cit. dub. 4. Valent. tom. 3. dispur. 5. quæst. 8. Puncto 3. Sotum lib. 5. de Iustitia, quæst. 1. artic. 3. Caiet. 2. 2. quæst. 64. art. 3. & Malderum tract. 3. cap. 1. dub. 4.

6. Et mutilare medicinæ causa, aut mortis vitandæ.

Addo præterea, licitum esse mutilare medicinæ causâ, non tantùm alterum, sed etiam seipsum, quando ad mortem euadendam, quæ aliter vitari nequit, id necessarium est: vt si vipera momordit, & non suppetat aliud remedium. Imò tenetur quisque pati abscissionem membri ad vitam suam conseruandam, si potest sine magnis doloribus id fieri, & iudicio Medicorum necessarium sit. Cùm ingenti verò cruciatu non tenetur, nec cogi potest, nisi sit persona publica, & communitati valde necessaria. Item, si quis v. g. manu alligatus non posset, nisi eâ præcisâ, incendium, aut mortem ab hostibus imminentem vitare: potest eam abscindere vt euadat. Aut etiam si tyrannus, aut Iudex hoc imperet ad maius malum vitandum: vt contra Sotum docent Lessius cap. cit. num. 101. & Tolet. lib. 5. cap. 6. Ratio est quia, vt ijdem aiunt, quilibet est custos suorum membrorum, & potest de illis disponere prout necessarium est ad conseruationem totius. Non tamen potest mutilare seipsum ad conseruationem salutis animæ, putà ad vitandas tentationes carnis: quia hoc remedium non est necessarium; alioqui Deus malè hæc membra instituisset: & non desunt alia remedia forti & strenuæ voluntati. Quòd si Sanctorum aliqui secus fecerunt; per ignorantiam, vel instinctum diuinum specialem excusandi sunt: sicut & illi, qui sibi mortem intulerunt. Neque enim licet sibi mortem inferre directè, & ex intentione se perimendi, in vllo casu, auctoritate propria: quia homo, cùm non sit sibi superior, non habet auctoritatem se interimendi. Nemo autem potest licitè occidere sine auctoritate legitima. Deinde occisio suiipsius crudelis est, & inhumana: neque potest esse medium necessarium ad saluandum aliquid in seipso præstantius vitâ: sicut abscissio membri aliquando necessaria est ad conseruationem totius. Dixi autem, *propria auctoritate*: quia Deo iubente, aut licentiam dante, certum est posse hominem seipsum interficere. An verò etiam Iudice iustè damnante, & præsertim mortem faciliorem permittente: controuersia est. Probabile id esse insinuat Lessius cap. 9. dub. 6. num. 25. Sed oppositum meliùs affirmant communiter Doctores: quia sicut nemo potest esse idoneus executor sententiæ mortis parentum suorum, ob reuerentiam sanguinis, & principij vitæ: multò minus suiipsius, ob maiorem coniunctionem, seu potius identitatem, maioremque repugnantiam cum inclinatione communi naturæ, & amore sibi debito. Dixi præterea, *directè, & ex intentione*: quia non est illicitum facere aliquid vel omittere ex iusta causa, vnde mors certò, sed indirectè, & præter intentionem secutura sit. Ex. gr. potest licitè miles, imò tenetur non deserere stationem in communi periculo, quamvis mors illi certò immineat. Potest licitè reus non fugere ex carcere, vbi mortem expectat. Potest licitè damnatus ad mortem iustam per famem, abstinere à cibo clam oblato: & damnatus ad veneni potionem, aperire os vt infundatur, atque etiam per se haurire, iuxta multorum sententiam, vt se conformet iustæ sententiæ Iudicis. Sed hoc secundum meliùs negant alij, quos secuti sumus in tractatu de legibus. Potest etiam quilibet sese opponere ictui lethali ad conseruandam vitam Principis: & in necessitate famis, vel naufragij, cedere alteri, saltem meliori, pane, vel tabula, quàm habet: & tempore pestis seruire infectis, propter Charitatem erga proximum. Addit Lessius cap. cit. num. 32. posse etiam licitè militem incendere, aut subuertere turrim, licet videat se eadem ruinâ vel incendio periturum. Et grassante domi incendio, posse de fenestra se demittere cum certo mortis periculo, ex intentione vitandi fugiendique incendium, & illud genus mortis horribile. Quo pacto excusat Samsonem, & Eleazarum, Iudic. 16. & 2. Machab. 6. citra instinctum peculiarem Spiritus sancti: & milites Belgas, qui in mari deprehensi ab Hæreticis, nauim suam incendunt communi consensu, ne illa cum ipsis veniat in manus Hæreticorum, seque mari committunt ad mortem fugiendam, sibi ab hostibus certò imminentem.

7. Quid si prægnans laboret periculosè?

Vlteriùs, si mater prægnans laboret periculosè; & non suppetat aliud remedium: potest ei dari pharmacum directè tendens ad curationem, purgando humores noxios, aut quid simile: vel etiam potest sanguis extrahi: licet aborsio secutura credatur: modò tamen fœtus nondum sit animatus: aut etiam licet sit animatus, sed non sit spes viuum edi posse, & baptizari. Nam si potest edi viuus, & baptismi gratiam consequi; debet ex Charitate, non tamen ex Iustitia, præferri salus animæ infantis corporali vitæ matris. Alioqui verò, mater non est priuanda iure quod habet vtendi remedijs necessarijs ad vitæ suæ conseruationem:

quo iure vtens potest abortum permittere. Qua de re plura vide apud Molinam tomo 3. de Iustitia, disput. 2. num. 1. Sanchem lib. 9. de Matrimonio disput. 20. num. 9. & 10 Lessium lib. 2. cap. 9. dub. 10. De Lugo tomo 1. de Iustitia, disput. 10. Sect. 5. num. 30. & 31. Reginald. lib. 21. cap. 1. num. 5. Tanner. tomo 3. disput. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 58. Laiman lib. 3. Sect. 5. tract. 3. parte 3. cap. 4. num. 2. quæst. 2 Vasq. Opusc. de Restitut. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 26. Turrian. 2. 2. tomo 2. disput. 26. dub. 2. num. 47. Syluest. V. *Medicus* 4. & Armill. V. *Abortus*, num. 2.

8. Denique non est iniustum mutilare vel occidere, quando mutilans aut occidens aliud intendit, & suo iure vtitur ad illud assequendum. Vt quando milites, iure belli iusti vtentes, interficiunt aliquos innocentes & inermes, quando id ad victoriam de hostibus armatis & nocentibus reportandam necessarium est; quam victoriam directè & per se intendunt. Et qui iure naturali defensionis vtens, ex intentione occidendi aggressorem iniustum, occidit infantem, quem ille opponit vt clypeum, & trans illum confodit aduersarium, nec potest aliter mortem vitare, ne quidem fugiendo. Quod addo, quia si potest, tenetur in eo casu fugere; ne innocentem occidat: ac si infans non est baptizatus, tenetur ex caritate præferre salutem æternam infantis vitæ propriæ, nisi ipse sit in periculo damnationis. Atque ita docent Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 147. Corduba lib. 1. quæst. 33. Bonacina disputat. 2. de Restitut. quæst. vlt. Sect. 1. Puncto 7. num. 1. Lessius cap 9. dub. 9. num. 57. De Lugo disput. 10. Sect 5 num. 124. vbi testatur hanc esse communem Theologorum sententiam. Idemque est dicendum de illo, qui fugiens viâ angustâ, non potest mortem euadere, nisi proterendo pedibus equi claudum vel infantem positum in via. Neque enim propter hoc priuatur iure naturali euadendi mortem fugiendo viâ publicâ; sed sufficit vt in tali casu adhibeat eam omnem circumspectionem, quam pro eo tempore & loco potest, ne noceat innocentibus. Vt contra Petrum Nauarram, Syluestrum, & Turrianum, docent Corduba, & Caietan. quos citant & sequuntur De Lugo suprà, num. 127. Lessius num. 59. & Bonacina loco antea citato. Quod si læsio vel mors claudi vel infantis ex eo contingat; non censebitur à fugiente intenta, sed permissa. Nam vtitur iure suo extremè sibi necessario, ea circumspectione, quâ potest. Similiter Respublica, quæ non potest ruinam euadere, nisi tyranno tradat aliquem innocentem, quem ille vult occidere, potest non quidem illum occidere, quia innocens est; sed cogere vt propter bonum commune hostem adeat, & vitam suam pro salute Reipublicæ exponat: ac si recuset, potest eum hosti tradere: quia ille ad hoc tenetur ex Charitate erga communitatem, & ex Iustitia legali, quâ tenetur ea præstare, quæ ad bonum commune necessaria sunt, & exiguntur à communitate. Ergo nisi sponte id faciat, potest cogi, & tradi, imò & interfici si sit opus: quia iam nocens est. Neque propterea communitas, quando tyranno eum tradit, cooperatur ad necem innocentis propriè loquendo: sed iure suo vtitur, faciens aliquid de se indifferens, quo tyrannus potest bene & malè vti.

Sunt etiam qui putent licitum esse marito interficere vxorem cum adultero, si sit persona vilis, deprehensam in domo propria in flagranti delicto. Itémque licere parenti interficere filiam cum adultero, deprehensam in adulterio in domo patris, vel generi. Quia leges ciuiles id permittunt L. *Marito*, ff. *de adulterijs*, & L. *Patri*, & sequentibus, eodem titulo. Potuerunt autem hanc potestatem dare marito, & patri, eosque veluti executores iustæ punitionis constituere, vt occidant tales adulteros publica auctoritate, ipsis velut Iustitiæ ministris commissâ in eiusmodi casibus. Sed nihilominus dicendum est id non licere in foro conscientiæ: quia Ecclesia leges huiusmodi improbauit causâ 33. quæst. 2. cap. *Inter hæc*, ob periculum salutis animæ occisorum, de quibus potest aliter sumi pœna sine magna difficultate. Possunt enim communiter facilè capi, & accusati, & puniri per sententiam Iudicis: quæ si eos patri vel marito tradat occidendos, vt fit, aut fiebat olim, in aliquibus regnis; possunt tunc ab illis, tanquam à Iustitiæ ministris, licitè interfici. 9.

SECTIO III.

Quomodo occisio vel mutilatio obliget ad Restitutionem?

Extra casus prædictos, & si qui alij sunt, qui possunt facilè ad illos reuocari, omnis occisio vel mutilatio alterius est illicita, & iniusta, & obligans ad restitutionem eum, qui verè & voluntariè causa illius est. Generaliter autem aduertendum est ad occisionem, vel mutilationem iniustam, & obligantem ad restitutionem tria requiri. Primò vt sit voluntaria. Ratio est, quia obligatio restituendi propter homicidium, aut mutilationem, oritur ratione culpæ: quod autem non est voluntarium, non est culpabile, quia non est liberum. Quare occisio merè casualis, & planè non volita nec in se, nec in causa; non est peccatum, neque propriè vocatur homicidium, sed occisio simplex: neque subiacet pœnis iuris ciuilis, aut Canonici, quæ de illa non intelliguntur, nisi quando expressa mentio illius fit. Alioqui enim debent intelligi de occisione, quæ est voluntaria, & culpabilis, adeóque pœnâ digna. Nec refert, quòd qui casu occidit, daret operam rei licitæ, aut illicitæ, dum occidit. Nam si penitùs non voluit, homicidium est perinde casuale, & inuoluntarium. Ac licet is qui dabat operam rei illicitæ, peccarit eatenus contra virtutem, cui actus ille illicitus opponebatur: non tamen peccauit per iniustitiam, & per occisionem sibi penitùs inuoluntariam. Imò licet actio, quam exercebat, esset periculosa; si tamen adhibuit sufficientem cautionem ad vitandum periculum, homicidium ex ea sequutum non est ei voluntarium, neque in se, neque in causa; quia sufficiens cautio periculum abstersit,

10. Occisio quæ obligat ad restitutionem, debet esse voluntaria.

& censetur homicidium non ex illa per se moraliter, sed casu accidisse.

11. Et propriè causata moraliter. Secundò requiritur, vt sis verè, & propriè causa, moralis saltem, mutilationis, vel occisionis. Quare si v.g. vulnus alteri inflixisti non lethale, ex quo tamen mors est sequuta per incuriam vulnerati, aut imperitiam, vel malitiam chirurgi; non es reus homicidij, neque teneris ad restitutionem pro illo, sed tantùm pro vulnere iniustè inflictô. Item, si Titium v.g. occidisti occultè, & eius occisio imputata fuit Caio, eius inimico: vnde Caius supplicio affectus est; non es verè, & propriè causa mortis illius, quæ merè per accidens ex actu tuo sequuta est; per se verò, & directè prouénit ex malitia accusatoris, vel testium, quibus debet imputari. Et hoc maximè verum est, si Titium occidendo, non aduertisti inculpabiliter id sequuturum. Tunc enim Caij supplicium est tibi merè casuale, & inuoluntarium. Sed quamvis id aduerteris, imò etiam intenderis; peccasti quidem actu interno contra Charitatem, & contra Iustitiam, intendendo mortem iniustam proximi. Probabilius tamen est actum illum externum non esse actum iniustitiæ erga Caium, ac proinde, non obligare ad restitutionem respectu illius, vt rectè ait Less. cap. 9. dub. 16. num. 113. quia, inquit, quando actus externus talis est, vt ex eo non sequatur damnum vt plurimum, siue ex ipsa conditione actus, sed aliunde; non est peccatum iniustitiæ, neque est causa moralis damni, ita vt operans teneatur ex Iustitia talem actum vitare. Attentio verò, vel intentio interna, quæ non mutat naturam actus externi; facere nequit vt sit actus iniustitiæ. Talis autem est occisio de qua loquimur. Ergo, &c. Idem dicendum est de eo, qui furatur alicui thesaurum, ex quo præuidet ipsum præ impatientia moriturum: & qui vendit arma militi, quibus malè vsurum putat: & de illo, cuius animalia, vel serui, vel etiam filij, homicidium fecerunt, aut aliud damnum irrogarunt, ipso nec impellente, nec suadente, nec permittente scienter, & liberè, neque culpabiliter negligente. Nam tale damnum, vel homicidium, non potest ipsi, veluti causæ imputari: neque tenetur ipse ad vllam restitutionem ex natura rei: licet ex iure positiuo teneatur vel restituere; vel animal, aut mancipium, quod nocuit, dedere. Ad quod tamen non tenetur ante sententiam: quia iura id non satis exprimunt. Ad filium autem dedendum, nullo modo: quia id nimis durum est, & crudele, vt parens teneatur filium ad necem tradere, vel ad aliam grauem pœnam subeundam.

12. Et facta sine iusta causa. Tertiò requiritur, vt non fuerit iusta causæ mutilandi, vel occidendi. Hinc qui occidit cum iure se defendendi, & cum moderamine inculpatæ tutelæ; non occidit culpabiliter, nec tenetur restituere, etiamsi daret operam rei illicitæ, quando fuit impetitus, & coactus se defendere: putà, si fuit deprehensus in adulterio à marito, vel à patre adulteræ. Suppono enim ex sententia communiori, illos non habere ius occidendi, quamvis leges ciuiles id permittant, id est, impunè patiantur, vt paulò ante diximus, num. 9. Similiter excusantur qui iure suo vtentes faciunt aliquid, ex quo per accidens sequitur mors alterius; vt v.g. remiges Christiani in nauibus Turcarum, quando metu verberum, & mortis adacti coguntur remos ducere ad Christianos insequendos, & capiendos. Vtuntur enim iure suo, quando ad proprium damnum vitandum, faciunt aliquid de se indifferens, cuiusmodi est triremem agere, quo possunt Turcæ bene, & malè vti. Neque censentur cooperari ad malum, quod neque intendunt, neque impedire tenentur ex Iustitia, sed ad summum ex Charitate, si possunt sine magno suo incommodo.

SECTIO IV.

Quid, & quibus debeat Restituere iniustus mutilator, aut occisor?

Dico primò, teneri vtrumque ad expensas factas in vulnere curando: quippe quarum fuit causa efficax & iniusta. Cum moderamine tamen, quod subjiciam paulò post. Et si mutilatus, aut occisus erat aliquid lucraturus suâ industriâ, vel artificio; tenetur mutilator, aut occisor lucrum illud compensare, quod iniustè abstulit in radice, & in spe: tenetur, inquam, quantum valet illa spes, deductis ijs, quæ mutilatus, aut occisus impendisset in victum, & in alia subsidia ad lucrandum necessaria: hæc enim in lucro erepto computanda non sunt. Deducendo item aliquid pro labore molesto, si ille pro labore redimendo aliquid dare voluisset; alioqui fit illi iniuria quòd à labore iucundo, & toto illo lucro impediatur, totúmque illi, aut eius hæredi, si ipse fuit occisus, restituendum est, quod onus restituendi transit ad hæredes homicidæ, vel mutilantis, si ille moriatur antequam restituat. Hæc autem restitutio lucri fieri debet secundùm tempus, quo erat probabiliter victurus, iudicio prudentum. Si enim aliunde naturali, vel iusta morte erat mox extinguendus; non tenetur restituere qui præuénit: quia nihil in spe abstulit: mors enim naturalis, aut iusta priuat occisum iure quod habebat viuendi, & lucrandi: secus autem si morte iniusta: quia quòd alius esset iniustè eundem occisurus, non liberat præuenientem ab onere restituendi: sed sicut ille, qui occidisset, subijsset illud onus; ita tu subis, quando præuenis: neque enim alterius iniustitia priuat occisum iure, quod habet viuendi, & lucrandi; vt facit mors naturalis, aut iusta. 13. Tenetur ad expensas, & ad lucrum cessans.

14. Tenearne ad expensas funeris? Dico secundò, occisorem ad nihil teneri pro expensis funeris: quia aliunde facienda erant, licet morte naturali obijsset. Nisi fortè ex eo quòd citiùs facienda sunt: vel quia in terra aliena fuit occisus, damnum aliquod sequatur, vel maiores expensæ faciendæ fuerint: tunc enim tenetur de damno, vel de excessu, cuius causa iniustè fuit. Simili autem moderatione vtendum puto circa expensas in medicos, de quibus dixi num. 13. Nam si probabiliter erat aliunde ex naturali infirmitate tantumdem impensurus; non tenetur occisor ea restituere, quæ alioquin expendisset.

15. Excusari potest à restitut. qui prouocatus occidit.

Dico tertiò, probabilius esse ea quæ dicimus hac tota Sectione de obligatione restituendi, intelligenda esse solùm de occidente aut mutilante iniustè sponte propria; id est, non aggrediente iniustè, aut prouocante altero, quem mutilat, vel occidit vltra moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia aggrediens, aut prouocans est sibi causa mali, alterum iniustè inuadendo, aut prouocando: debètque sibi id imputare. Imò videtur hanc iniuriam alteri condonare, quia tacitè dat illi potestatem tuendi se vt poterit. Quod clarius est, quando alterum prouocat, vt faciunt duellantes. Sed & aggressio ipsa est quædam prouocatio. Hoc tamen intellige, nisi aggressio leuis fuerit, & inuasus valde excesserit moderamen inculpatæ tutelæ: tunc enim iustè, & rationabiliter non præsumitur condonatio iniuriæ, nec causa efficax tanti mali ex parte aggressoris. Non teneri tamen inuasum excedentem moderamen iustæ defensionis restituere tantumdem, quantum tenetur occidens sine aggressione, sed aliquid pro inuasione iniusta deducendum esse docent Syluest. Angel. Sotus, Gomez, & alij, quos sequitur Less. cap. 9. n. 135. Quia aggrediens iniustè, se priuat aliqua saltem parte iuris.

16. Tenetúrne pro damno animæ occisi?

Dico quartò, non teneri occisorem quicquam restituere animæ occisi pro vita erepta; vel facultate merendi apud Deum, aut satisfaciendi pro peccatis ipsi ereptâ per mortem iniustè illatam. Quia hæc non possunt reddi in seipsis, neque in bonis eiusdem ordinis quibus possint compensari. Si tamen causa est vt in Purgatorio patiatur plus quam si diutius vixisset, puto homicidam teneri ex Iustitia ad resarciendum illud damnum per preces, eleemosynas, & sacrificia pro anima occisi oblata: quibus possit à malo illato liberari, debentque Confessarij hæc illi iniungere in Satisfactionem, seu Sacramentalem pœnitentiam. Qui enim iniustè damnum intulit, tenetur auferre, si potest.

17. Quid debet restituere eius parentibus, filijs, & vxori?

Dico quintò, homicidam, per se loquendo, seu præcisè ratione homicidij, non teneri restituere nisi parentibus, filijs, & vxori defuncti, damna ex eius morte ipsis illata. Hæc conclusio duas inuoluit propositiones, quarum prima est, homicidam teneri restituere parentibus, filijs, & vxori defuncti damna quæ illis intulit: & hæc omnium consensu admittitur. Ratio eius præcipua est, quia prædicti censentur esse vna persona cum occiso. Quare læduntur in re sua, ex qua vtilitatem percepturi erant, & veluti parte sui frugifera, & vtili priuantur. Quare si filius occidatur, & careat alijs hæredibus necessarijs, id est, liberos non habeat; restituendum est parenti, tanquam hæredi ipsius necessario, & resarcienda sunt illi damna, ex filij morte secuta. Si parens occidatur; restituendum est filijs. Si maritus; filijs, & vxori. At non si frater, fratri: quia frater non censetur vna persona cum fratre; vnde non censetur læsus in re sua, neque est hæres illius necessarius, id est, qui repelli non possit.

18. Dixi in conclusione, *damna ex occisi morte illata:* quia si damnum non inferatur, nulla est restituendi obligatio: vt si parens interfectus non erat ampliùs vtilis futurus: aut si vxor potest æquè commodè, & facilè nubere alteri: tunc enim illi non infertur damnum pecuniâ æstimabile. Dixi præterea, *per se loquendo, seu præcisè, ratione homicidij iniusti:* quia aliunde potest alijs teneri, quibus directè, & per se nocere voluit. Vt si mortem minatus est, & interfecit debitorem, ne creditoribus debita solueret, ne pauperes hos aleret, ne his, aut illis benefaceret. Tenetur enim resarcire illis damnum, cuius per se causa fuit occisione tali modo facta. Et è contrario potest non teneri quicquam restituere, nequidem parentibus, filijs, & vxori, si occisus iniuriam condonauerit, & condonare validè potuerit. Aut si alij morte ipsius læsi condonent.

19. Teneatúrne alijs restituere?

Secunda propositio est, non teneri alijs, quàm supradictis; de qua est inter Doctores controuersia. Multi enim existimant teneri etiam creditoribus, & alijs, putà pauperibus, quos alebat, vel quibus aliter benefaciebat. Ratio præcipua illorum est, quia quisquis est alteri iniustè causa damni, quique per vim, aut dolum impediuit ne aliquod bonum consequeretur; tenetur de damno. At homicida, si est causa ne creditoribus soluantur debita, vel ne pauperes alantur, est illis causa damni per vim iniustam. Ergo tenetur illis de damno. Sed quod attinet ad creditores: illi non habent ius in debitorem, nisi quoad bona, quæ actu habet, vel quæ sperabatur prudenter habiturus, nisi occisus fuisset. Atqui bona quæ actu habet, transeunt ad hæredes occisi, simúlque cum illis ad eosdem transit onus restituendi creditoribus. Quæ autem prudenter sperabatur habiturus, restituuntur eius hæredibus necessarijs, quibus occisor tenetur restituere totum interesse, vt paulò antè diximus: ideóque subeunt illi onus restituendi, & creditores possunt, ac debent ab illis repetere, non ab homicida. Quod si occisus nullum haberet hæredem, nec vlla bona relinqueret, per quæ debitis satisfieri posset, sed speraretur lucraturus, si vixisset: non propterea tenetur occisor, restituere creditoribus: quia per accidens est causa illius damni. Actio enim homicidij neque ex natura sua, neque vt plurimùm, est damnosa creditoribus: & occisor non tenetur ex Iustitia cogitare de creditoribus, & cauere ne illis noceat. Idémque dico de pauperibus, & alijs, quibus benefaciebat. Nimis enim durum esset obligare interfectorem, vt cogitet de omnibus quocunque modo coniunctis cum occiso, illorúmque damna caueat, famulorum, pauperum, amicorum, &c. Ad rationem autem aduersariorum respondeo in forma. Veram esse maiorem de eo, qui est causa per se: secus si per accidens, vt est in præsenti.

Putà, creditoribus, vel pauperibus quos occisus alebat.

20. Diluitur obiectio. Altera oppositio.

Objicies: Ideo tenetur homicida filijs occisi restituere, quia parens illis tanquam hæredibus necessarijs debebat ex Iustitia alimenta, & alia bona, quibus priuantur. Atqui debebat etiam creditoribus ex Iustitia. Ergo illis pariter restituendum est. Respondeo negando maiorem: multa enim restituenda sunt filijs, quæ parens ex Iustitia non debebat filijs: vt ea, quæ lucraturus erat, ad quæ tamen lucranda non tenebatur. Sed ratio est illa superiùs allata,

quia filij læduntur in suo vtili, & frugifero; cùm censeantur esse vna persona cum patre.

Altera oppositio. Instabis cum Mæratio disp. 26. Sect. 3. in fine. Si quis diuitem eleemosynam pauperi dare volentem minis impediret ne daret, & interficeret ex directa, & expressa intentione impediendi; nemo dubitaret quin peccaret contra ius pauperis, teneturque illi de damno iniustè illato. At quod attinet ad obligationem hanc, nihil refert vtrum ille expressa illa intentione impedierit, occideritve. Si enim ex ipsa externa actione occidendi non oritur obligatio restituendi, quando non fit directa illa intentione; neque orietur, quando ex illa fit. Obligatio enim restitutionis, quando ex illato damno nascitur, perinde nascitur siue damnum sit expressè, directéque volitum, siue non: & siue sit illatum ex odio erga personam illud patientem, siue quocunque alio ex fine. Respondeo differentiam esse: quia illa actio tali modo facta, est per se causa talis damni efficax, & talis actus externus est per se directa, & iniusta impeditio boni, ad quod pauper habet ius remotum. Secus autem, si intentio nocendi pauperi esset tantùm interna; sine minis ad impediendum intentatis, & sine vi externa eò per se tendente. Tunc enim de tali actione iudicandum esset, vt de alijs in exemplum allatis Sect. præcedenti num. 11. nimirum talem actum externum esse tantùm causam per accidens talis damni; ideóque non obligare ad restitutionem. Solus verò actus internus ad eam non obligat, sed ad pœnam in foro Dei.

SECTIO V.

De Iniurijs circa corpus per stuprum, & adulterium: deque necessaria Restitutione.

11. Quænam copula est iniuriosa? Non omnis copula illicita est proximo iniuriosa, sed ea tantùm quæ habetur cum persona vi coacta, vel per dolum, aut fraudem inducta; aut etiam licet ipsa sponte & sine fraude consentiat, fit tamen cum præiudicio tertij, cuius iustè interest: putà coniugis, cui matrimonio coniuncta est; vel parentum, aut tutorum, sub quorum custodia est puella, quæ nondum est sui iuris. Copula per vim habita cum puella, si virgo est, vocatur propriè stuprum: quod præter rationem intemperantiæ castitati oppositæ, habet rationem grauis iniuriæ erga virginem, obligantis ad restitutionem; quemadmodum, & quævis alia erga personam vi coactam, vel fraude inductam. In quo differt à simplici fornicatione. Illa verò quæ fit persona quidem consentiente sine vi, & dolo, sed alijs dissentientibus tacitè, vel expresè, quorum iustè interest; non est quidem iniuriosa ipsi personæ, quia volenti non fit iniuria; sed alijs, quorum interest, quibus propterea satisfieri debet. Et quidem quòd adulter, vel adultera faciat iniuriam coniugi non consentienti, nemo dubitat. De non coniugatis verò sentiunt aliqui, si ambo consentiant in fornicationem, nullam fieri iniuriam parentibus, aut tutoribus: quia quoad vitam, & generationem prolis omnes sunt pares, id est nullus in eo pendet ab alio, & quisque est dominus sui corporis: & filius, aut filia potest sine iniuria parentum, renuntiare matrimonio: ergo & ponere illi impedimentum, vel absolutè ad non contrahendum omnino, vel secundùm quid, ad non tam bene, & commodè contrahendum.

Sed vera, & communis sententia est, teneri corruptorem parentibus, & tutoribus restituere pro damno, si quod inde patiuntur: putà si nequeunt filiam æquè bene collocare. Si verò neque puella ipsa consensit simpliciter, sed vi, vel fraude adacta est: tenetur corruptor in conscientia etiam ipsi puellæ damnum iniuriosè illatum resarcire, vel matrimonio, vel damni æstimatione (alterutrum enim sufficit, nisi promissio matrimonij intercesserit) putà, illi dando quantum necessarium est vt æquè commodè nubat, ac si non fuisset corrupta, augendo illius dotem, ne damnum inde patiatur. In foro tamen externo post sententiam iudicis tenebitur determinatè eam ducere, & dotare, si virgo erat: iuxta cap. 1. de Adulterijs: vbi sic dicitur: *Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit vxorem.* Quod si renuat, castigabitur corporaliter, & excommunicatus retrudetur in monasterium: vt statuitur cap. 2. eodem titulo. Quin etiam quando vis omnino illata fuit, & violatio propriè dicta; punitur morte violator per leges ciuiles, ob iniuriæ atrocitatem. Præter autem vim illam simplicem, & absolutam; alia est secundùm quid, per metum seruilem, aut reuerentialem; aut per preces, tam importunas, vt malit quis consentire, quàm pati tantum molestiæ, & importunitatis. Nam hæc non petitio, sed vis est. Imò quævis sollicitatio vel petitio importuna, contra ius est, vt sequenti Sect. videbitur. 12. Corruptor virginis tenetur parentibus de damno. Et ipsi puellæ, si non consensit.

Dixi autem, *nisi promissio matrimonij intercesserit:* quia si intercessit, & sub illa fuit extorta copula; tenetur, qui extorsit, ad matrimonium determinatè: licet fictè promiserit: vt rectè docent S. Thomas in 4. dist. 48. quæst. vnica, art. 2. ad 4. Sanches lib. 1. de Matrim. disput. 10. num. 3. Molina tomo 4. disp. 106. num. 4. Lessius cap. 10. dub. 3. num. 20. De Lugo disput. 12. Sect. 2. num. 20. & alij communiter. Ratio est quia, vt ait Lessius ibidem, tenetur corruptor implere contractum prout exterius sonat iudicio prudentum, postquam ipsa ex parte sua contulit quod ab illa exigitur. Alioqui enim detrimentum pateretur: & contractus humani paterent fraudibus innumeris. Quare non placet quod cum paucis alijs dicit Valentia disput. 9. de Temperantia, quæst. 3. Puncto 3. Non teneri in conscientia eum, qui non verè & ex animo promisit, quia non verè promisit. Nam promissio, quamvis ficta interius, dat ius ei, qui bona fide contrahit, & ex parte sua præstat id, quod per contractum onerosum requiritur. Excipiuntur tamen casus aliqui, in quibus promissio matrimonij non obligat: vt docent etiam auctores supra citati. Primus est, si vir tantopere excedit conditionem fœminæ, vt ipsa non ignorans excessum, potuerit facilè intelligere promissionem esse fictam. Secundus est, si promissio fuit facta 13. Tenetur ducere corruptam qui fictè promisit. Exceptis certis casibus.

verbis ambiguis, ex quibus, vel aliunde, facilè potuit cognoscere se ab illo deludi. Et tunc ille ad nihil ipsi tenetur; quia non seduxit, si tamen ipsa fraudem aduertit. Sed non tenetur credere affirmanti non aduertisse. Tertius est, si graue scandalum ex tali matrimonio, vel malus exitus prudenter timeatur: multóque magis si antequam contrahant matrimonium, contingat aliquid, propter quod posset iustè fieri diuortium, etiamsi matrimonium contractum esset: hoc enim multò magis sufficeret ad perimendam obligationem contrahendi, etiamsi sincerè promisisset. Quartus est, si fœmina virum decepit, affirmando se esse virginem, cùm non sit. Hoc enim pariter sufficit, etiamsi absque fictione promisisset. Si autem id à fornicatore sciebatur, & promisit nihilominus; tenetur illam ducere, si ipsa velit: quia non fuit deceptus, & illa ex parte sua præstitit conditionem contractus: vt rectè docent Palud. in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. conclus. 4. & Vasq. cap. 3. de Restitut. §. 1. dub. 5. Quamvis Lessius cap. 10. num. 31. contrarium sentiat post Sanchem, & alios quos citat. Quintus est, si pater nolit vt filia cum illo contrahat, vel ipsa iure suo cedat, vel deinde cum alio fornicetur, vel si ambo fiant affines, vel si ingressus Religionis, aut susceptio ordinis sacri, vel aliud legitimum impedimentum interueniat.

24. Neque potest licitè impedimentum ponere. Porro, qui matrimonium promisit, posteaque impedimentum ponit, siue liberè contrahendo affinitatem, siue ordinem sacrum suscipiendo, aut Religionem profitendo, aut aliam ducendo; peccat grauiter contra Iustitiam erga personam, cui promisit: & tenetur illi damnum aliter compensare quoad fieri potest. Si autem impedimentum est aliunde ortum sine ipsius consensu, aut cooperatione; non peccat, neque tenetur ad restitutionem, nisi aliter conuentum fuerit. Quia non tenetur ad aliud, quàm ad implendum promissum quantum potest, ducendo illam in vxorem. Quin etiam licet ante promissionem matrimonij votum simplex castitatis, aut ingrediendi Religionem emiserit; tenetur stare promissioni, si sub illa copulam obtinuit: quia maius est vinculum obligationis reparandi damnum per matrimonium, quam obligatio voti prædicti: vt rectè docent contra Nauar. Vasques cap. 3. de Restitut. §. 2. dub. 6. Sanches lib. 1. de Matrim. disp. 45. Malder. tract. 4. de Iustitia, cap. 4. dub. 6. & plures alij. Nota præterea, fieri posse vt etiam sine promissione præcedente teneatur quis ducere à se corruptam; si nimirum infamia, vel detrimentum iniustè illatum aliter satis vitari nequit: vt fit inter personas paris conditionis, prole concepta ex copula vi aut dolo extorta. Si verò talis copula non fuit cuiquam iniuriosa; tenetur solùm ex Charitate, non ex Iustitia, illam ducere, si potest sine graui suo incommodo. Plura de his vide apud De Lugo totâ disput. 12.

25. Quid teneantur restituere adulteri? Quod verò attinet ad adulteros: quando proles ex adulterio est sequuta, idque certò constat; tenentur adulteri, si possunt sine infamia, vel detrimento maioris boni, vitare, vel compensare damnum mariti in educanda prole non sua, & bonis suis illi relinquendis tanquam legitimo hæredi, cum iniuria ipsius, & aliorum hæredum naturalium. Vt si adulter (qui tamen adulteræ non debet facilè credere affirmanti prolem ipsius esse, cùm mariti, vel alterius esse facilè possit, & ipsa fide indigna sit) det occultè matri vnde tantumdem refundat marito, & proli, vel hæredi legitimo. Vel si mater nitatur persuadere filio illegitimo vt Religionem ingrediatur: vel si de bonis suis paraphernalibus, & peculio, atque etiam statui suo, & sumptui detrahendo quidquid potest, & rem familiarem diligentissimè procurando, aut lucrando labore aliquo sibi conueniente, det marito, & filijs legitimis, quantum illis detrahitur per educationem, & portionem hæreditatis prolis illegitimæ. Caueat tamen ne seipsam prodat, & infamet, dum vult consulere bonis temporalibus mariti, & hæredum, quæ sunt ordinis inferioris, quàm fama, & vita propria. Plura hac de re videri possunt apud De Lugo tota disput. 13. Malder. tract. 3. cap. 4. dub. 9. & 10. Molin. tom. 4. disp. 101. & seqq. & Less. cap. 10. dub. 5. 6. & 7.

SECTIO VI.

De Iniurijs circa animam, & bona spiritualia: & ad quid illa obligent?

Certum est, & notum lumine naturali, non minùs quemque iuris habere, vt non lædatur in anima, quàm in corpore. Tripliciter autem potest quis in anima lædi. Primò, si maleficio, philtro, veneno, vel alio modo priuetur vsu rationis. Secundò, si ad malum aliquod spirituale inducatur. Tertiò, si à bono aliquo spirituali consequendo impediatur. His præsuppositis, 26. Tripliciter possumus in anima lædi.

Dico primò, qui alium per iniuriam priuauit vsu rationis, tenetur illum ei restituere, si potest: & compensare damna, quæ inde sunt sequuta: vt patet ex dictis disput. 28 de restitutione in communi. At non præcisè pro ipso vsu rationis; quippe qui non est pretio æstimabilis, neque compensabilis: vt ibidem probatum fuit. 1. Priuari vsu rationis.

Dico secundò, vnumquemque habere ius Iustitiæ, vt non inducatur in errorem perniciosum, sine causa legitima: siue directè, asserendo falsum; quod semper malum est, & culpabile, si fiat scienter & liberè mentiendo, neque potest vllâ causâ legitimâ excusari: siue per accidens, vtendo reticentiâ, seu retentione mentali, vel æquiuocatione, quâ quis pro sua imprudentia in errorem inducatur. Ratio conclusionis est, quia vnusquisque ius habet vt non lædatur in anima sine causa. Læditur autem, quando inducitur in errorem perniciosum. Ergo, &c. Præcipuè verò id locum habet in contractibus, in iudicijs, & alijs actibus legitimis, ac serijs. Nam in illis decipere, & illudere, est contra fidem, quam contrahentes sibi mutuò dant, & accipiunt tacitè; & contra ius & exigentiam societatis humanæ, quæ per huiusmodi illusiones, & deceptiones pessumdatur. 27. 2. Induci in errorem perniciosū.

28. Potest tamen iusta de causa celari veritas.

Dixi autem, *sine causa legitima*: quia potest interdum licitè taceri veritas; aut etiam dici, vel fieri aliquid, ex quo alij pro humana conditione fallantur: non modò quando illorum nihil interest scire veritatem, & deceptio non est illis perniciosa; verùm etiam licet intersit, si tamen mea plus interest vt nesciant: tunc enim possum meum incommodum vel damnum præferre alieno v. g. Occiderim ego occultè aliquem, & me curiosè, aut non iuridicè interroget aliquis parentum eius, vel iudicum, an id fecerim, vt me conuincat, & puniri faciat: possum importunam eius interrogationem, & mihi tantopere perniciosam, eludere retentione mentali, vel æquiuocatione. Quo pacto S. Athanasius elusit hostes se insequentes, vt habetur in eius vita. Et Abraham Gen. 12. & 20. atque Isaac Gen. 26. responderunt de vxore sua, *Soror mea est*, ad vitandum grauius malum homicidij, permisso materiali adulterio. Sic etiam Dauid 1. Reg. 21. cautè, & prudenter supposuit Achimelech sacerdoti se à Rege missum fuisse: & 1. Reg. 27. insaniam simulauit coram Achis Gethæorum Rege. Et 2. Paralip. 18. Michæas Propheta respondit Regi Achab secundùm ipsius intentionem, suppressa veritate. Et Christus Ioan. 7. dixit se non ascensurum ad diem festum, subintelligendo *palam*; postea enim ascendit in occulto. Et Luc. vlt. finxit se longiùs ire. Et Deus ipse Iudic. 20. non respondit Israëlitis secundùm eorum mentem, sed passus est eos decipi: Cùm enim interrogassent, an deberent ascendere contra filios Benjamin, intelligentes nimirum, an prosperè sibi esset euenturum, & an Deus vellet Israëlitis auxiliari? Respondit Deus: Ascendite ad eos, & certamen inite: quo facto, victi & cæsi sunt Israëlitæ: vt dicitur ibidem ver. 23. & 25.

Exempla æquiuocationũ, seu mentalis retentionis.

29. Potest eludi curiositas.

Inter alias verò causas, propter quas verum celari, & artificiosè tegi potest, vna est ad eludendam nimiam curiositatem multorum: Habet enim quisque ius naturale tenendi aliquid secretum circa se, & sua, tam interna, quàm externa: vtque sine causa sufficienti non exploretur ab eo, qui per potestatem superiorem non potest iuri illi detrahere. Contra quod ius peccant curiosi scrutatores alienorum, seu rerum, seu personarum, & qualitatum, aut affectionum internarum, vel externarum, quas esse occultas nostra interest. Ideóque Iacob Gen. 31. tumens cum iurgio conquestus est de socero suo Laban, quòd ipsius supellectilem scrutatus esset: sciens esse commune ius naturale vnicuique habendi secretum suum.

30. 3. Sollicitans ad peccandũ renuentem peccat cõtra Iustitiã.

Dico tertiò: Qui importunè sollicitat alium ad peccandum, nolentem, & renuentem, peccat contra Iustitiam. Ratio est, quia vnusquisque ius habet vt non patiatur sine causa legitima vim vllam, neque molestiam ab alio contra voluntatem. At importunè sollicitari ad peccandum nolentem & renuentem, est pati vim aliquam, & molestiam sine causa legitimâ? Ergo, &c. Contingit autem sollicitare & vrgere aliquem ad peccandum multis modis: scilicet promissionibus, precibus, vel blandimentis importunis, territamentis, & similibus. Quæ omnia sunt contra ius, quod quisque habet, vt in quiete & pace, & in sua libertate relinquatur.

Objicies: Si iniuriosum est sollicitare: Ergo sollicitator tenetur ad satisfactionem pro iniuria. Atqui hoc videtur esse inauditum: Ergo, &c. Respondeo, quædam esse mala, quæ, licet dum inferuntur, sint molesta; tamen post se non relinquunt damnum perceptibile: vt afflictio aliqua, & similia: quædam verò esse, quæ post se damnum relinquunt. Pro vtrisque posset iustè exigi pœna, vel compensatio aliqua: sed solet quisque esse contentus si à prioribus maneat liber, & solet fieri tacita condonatio. Pro reliquis autem debetur compensatio: ac si quis sollicitando esset alicui causa morbi, vel alterius damni; teneretur ad resarciendum: quia verè suâ culpâ contra Iustitiam esset causa mali, & damni.

Dico quartò: Qui alterum fraudulenter decepit, & in errorem noxium induxit circa fidem, vel mores, vel quid aliud; aut vi, metu, vel fraude pertraxit ad peccandum; tenetur ex Iustitia errorem dedocere, & vim, fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo erret, aut peccet. Ac si aliquod damnum inde sequutum est, tenetur illud resarcire, si est compensabile? Ratio est quia talis est iniustè causa damni. Ergo tenetur restituere ratione culpæ. Dixi autem: *qui fraudulenter, aut vi, metu, &c.* quia secus dicendum est, si absque vi, dolo, & fraude, suasione tantùm, vel precibus non importunis, aut alio modo induxit ad peccandum. Volenti enim, & consentienti simpliciter non fit iniuria. Ergo talis non est iniustè causa damni, neque tenetur ad restitutionem ratione culpæ. Similiter qui vi, vel fraude, seu dolo alium impediuit ab aliqua scientia, vel arte acquirenda; tenetur ex Iustitia vim tollere, aut fraudem detegere, si adhuc nocet ne illam assequatur: & damna inde sequuta resarcire: quippe quorum fuit causa culpabiliter, & iniustè. Si verò iam acquiri non potest, tenetur compensare quantum valet spes lucri, ex tali scientia, vel arte, consequendi. Idémque dico de eo, qui vi, vel fraude impediuit à quovis alio bono spirituali consequendo: secus autem si suasione tantùm, vel precibus, sine iniuria. 31.

Ad quid teneantur qui decipiunt, vel sollicitant?

Hæc verò omnia intellige, nisi offensus tacitè, vel expressè condonet. Quo pacto is quem vi vel dolo induxisti ad peccandum; si postea aduertens se peccasse, sciensque modum quo posset Deo reconciliari per pœnitentiam, id tamen facere negligat, ac voluntarie in statu peccati perseueret; censetur hanc obligationem tibi condonare, quia non vult recuperare gratiam, quam perdidit. Si tamen vellet & non posset nisi tua ope, à peccato resurgere, putà nisi à te absoluatur, vel doceatur actum contritionis exercere: deberes ex Iustitia conari vt resarcias malum à te iniustè per vim, aut fraudem illatum. Secus autem si tantùm suasione, vel precibus, sine iniuria: tunc enim deberes tantùm ex Charitate. Speciatim verò disputari hîc solet de eo, qui aliquem à Religione impediuit, vel abduxit: De quo. 32.

Dico quintò: Qui aliquem absque vi, fraude, 33.

Ad quid teneatur qui aliū impedit ab ingressu Religionis, aut Nouitium retrahit?

& dolo, ab ingressu Religionis, suasione tantùm, vel precibus impediuit, aut nouitium retraxit; non tenetur quicquam restituere vel Religioni, vel ei, quem retraxit. Non Religioni: quippe quæ non habet ius circa personas, nisi post professionem, aut votorum simplicium emissionem in Societate IESV. Et sicut alter sine iniustitia erga Religionem potest non ingredi, aut recedere, dum nouitius est: sic iste potest sine iniustitia erga Religionem idem illi suadere. Non etiam illi, quem impedit, aut retrahit: quia iniuriosè id non facit, cùm (vt suppono) precibus tantùm, aut suasione non importuna inducat. Volenti enim non fit iniuria. Potest tamen peccare grauiter contra Charitatem, & alias virtutes.

Dixi autem, *absque vi, fraude, & dolo:* secus enim iniuriam faceret ei, quem impedit, aut retrahit; teneretur que vim, & dolum remouere, & exhortari ad ingressum, vel ad perseuerantiam in Religione, vt damnum tum ipsi, tum Religioni illatum resarciret. At non tenetur ex Iustitia (vt aliqui putant) aliquem alium inducere vt Religionem ingrediatur, vel ipsemet ingredi. Nam, vt rectè dicunt Petrus Nauarra, Rebellus, Azor, Dominic. Sotus, Valentia, Lessius, & plures alij, status Religionis non humana persuasione suscipiendus est, sed ex inspiratione Spiritus sancti, quæ non omnibus datur; neque etiam omnes ad illud vitæ genus idonei sunt: propter quod magno delectu opus est, magnâque prudentiâ in examinanda vocatione, & aptitudine eorum qui admitti postulant. Debet quoque status ille valde liberè suscipi, ex spontaneo & sincero desiderio perfectionis, quæ per liberos virtutum actus acquirenda est. Vnde licet aliqui possint & soleant propter peccata in Monasteria includi vt pœnitentiam agant; non tamen cogi vt statum Religiosum suscipiant, & votis illius se adstringant. Æquum tamen est, vt si possit, prudenter, & suauiter, vel alium inducat, vel ipse ingrediatur, vt compenset obsequium, quod Deo subtraxit, & Religioni: licet ad hoc non obligetur ex Iustitia.

34. Aut qui Professū extraxit.

Dico sextò: Qui vi, vel fraude, aut etiam sine his retrahit Professum à Religione, tenetur ex Iustitia restituere Religioni Professum, si potest: atque etiam damna ex eius egressu secuta resarcire. Ratio est, quia Religio ius habet erga eum qui non est amplius nouitius, quique per vota transijt in suum veluti dominium, & possessionem. Ergo non potest illi sine iniuria subtrahi. Ergo qui eum siue dolo, aut vi; siue etiam suasione, vel precibus, sine causa legitima subtrahit, facit iniuriam Religioni, & tenetur de damnis, quorum iniustè causa est. Ita Valent. D. Antonin. Azor. Molina, Sotus, Ricard. Palud. Adrian. & alij. Dissentiunt tamen ex parte Less. cap. 8. num. 16. & sequentib. Petr. Nauarra, Salon, Bannes quos citat & sequitur Dicastillius lib. 2. tract. 2. disp. 71. dub. 2. affirmantes eum quidem, qui vi vel fraude professum abduxit à Religione, teneri Monasterio compensare, quanti emolumentum temporale ex ipso proueniens æstimabitur: quia est causa efficax damni modo iniusto: non tamen si precibus, vel consilio, absque vi, & fraude id fecit: quia Religiosus non tenetur ex Iustitia procurare illa emolumenta, sed solùm ex virtute Obedientiæ, & Religionis. Vnde tametsi nolit laborare, & commoda Monasterij conquirere, non peccat peccato iniuriæ in Monasterium; sed peccato irreligiositatis. Si ergo ipse Religiosus non facit propriè iniustitiam nolendo laborare, cùm tamen sit principalis causa damni: multò minùs qui consulit tantùm vt non laboret.

Respondeo, argumentum istud posse contra Lessium, aliósque aduersarios retorqueri. Nam Professus qui vi, vel fraude abducitur à Religione, non magis tenetur ex Iustitia procurare emolumenta, quæ ex ipso prouenirent Religioni; quàm Professus qui consilio & suasione, sine vi & fraude abducitur. Et tamen qui vi vel fraude abducit Professum, tenetur ad restitutionem, vt docent ipsimet aduersarij: propterea scilicet quòd est causa iniusta damni quod Religio inde patitur. Ergo ille quoque qui suasione, aut consilio abducit, tenetur ad restitutionem, quia iniustè est causa efficax eiusdem damni. Facit enim contra ius quod habet Religio vt ex suo Professo emolumenta illa percipiat. Quod ius licet non sit Iustitiæ, respectu Professi, vt plurimi docent; sed tantùm Obedientiæ, aut Religiositatis: secus tamen respectu abducentis Professum. Ideóque ille est causa non tantùm Sacrilega, vt Professus; sed etiam iniusta. Considerandum tamen est quod & quantum damnum verè sequatur ex huiusmodi abductione, deductis expensis Professi, qui fortè tantumdem consumpturus erat: & num facilè, & commodè possit alius æquè vtilis substitui. Modus verò restituendi est similis illi, de quo in præcedenti conclusione diximus.

35. Soluitur argumentum contrariæ sententiæ.





DISPVTATIO NONA.

De Iure, & iniurijs circa famam, & honorem.

DE iniurijs circa famam, & honorem disputat S. Thomas q. 72. & quatuor sequentibus. In quarum primo tractat de Contumelia, docétque eam propriè consistere in verbis, quibus id, quod est contra honorem alicuius, deducitur in notitiam eius, & aliorum. Esséque peccatum mortale, non minùs quàm furtum, & rapinam, si ad hoc feratur, vt aliquis per verba, quæ profert, honorem alterius auferat: vt fit quando est propriè conuitium, seu contumelia. Teneri autem nos habere animum paratum ad ferendas contumelias illatas, si expediens fuerit. Sed eo non obstante licitum esse illas repellere, tum propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet: tum etiam propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Denique contumeliam ex ira magis, quàm ex alio vitio oriri; quia magis ad vindictam accedit, qui iræ finis est.

In secunda affirmat detractionem esse occultam alienæ famæ per verba denigrationem. Et hoc peccatum esse valde graue, per se loquendo: quia inter res temporales fama videtur esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo à multis bene agendis. Ideóque detractio secundùm genus suum, maius peccatum est, quàm furtum: minus tamen quàm homicidium, per quod tollitur vita: vel quàm adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam. Peccare quoque grauiter eum, qui inducit ad detrahendum: & eum qui non resistit detrahenti, quando potest; sed sibi complacet in detractione, ex odio personæ. Si verò non placet ei peccatum, sed

ex

ex timore, vel negligentiâ, vel etiam verecundia quadam omittit repellere detrahentem; peccat multò minùs, ac plerumque venialiter tantùm.

In tertia dicit Susurrationem, & Detractionem conuenire in materia, & in forma, siue in modo loquendi: quia vtraque malum occultè de proximo dicit. Differre autem, quia detractor intendit denigrare famam proximi: at susurro intendit amicitiam separare. Vnde ille ea mala præcipuè de proximo profert, per quæ fama eius lædi possit. Hic autem ea, quæ possunt contra proximum commouere animum audientis. Vnde fit, vt Susurratio sit grauius peccatum, quàm Detractio: quia per illam tollitur maius bonum: & peccatum in proximum tantò grauius est, quantò maius est nocumentum, quod infert.

In quarta asserit Derisionem differre à tribus linguæ peccatis supradictis, propter diuersum finem, quem intendit. Sicut enim aliquis conuitiando intendit honorem conuitiati deprimere: & detrahendo, diminuere famam: & susurrando, tollere amicitiam: ita irridendo intendit vt ille, qui deridetur, erubescat. Et derisionem in paruis quidem esse peccatum veniale: in magnis verò, graue; & eò grauius, quò maior est conditio personarum: vt si derideatur Deus, vel parentes, vel iusti, & sancti homines, quorum irrisio alios retrahit à bene agendo.

In quinta docet primò, Maledicere ex animo maledicendi, siue optando, siue imprecando malum alicui, in quantum malum ipsius est, esse illicitum, & peccatum: Secus autem si optetur ratione boni: quia iustum, aut vtile illi est tale malum pati, vt puniatur, vel vt melior efficiatur. Secundò, Maledicere rebus irrationalibus prout sunt creaturæ Dei, esse peccatum blasphemiæ. Maledicere autem ijsdem secundùm se consideratis, esse otiosum, & vanum; & per consequens leuiter illicitum. Tertiò, Maledictionem esse peccatum mortale ex genere suo: quia secundùm se repugnat Charitati optare malum alteri: plerunque tamen esse veniale, vel propter paruitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum eius qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ioco, aut ex subreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur. Quartò denique, maledictionem, quæ fit per modum desiderij, esse peccatum leuius detractione, per se loquendo: quia grauius est nocumentum inferre, quàm desiderare solùm. Eam verò, quæ fit per modum imperij, cùm habeat rationem causæ, posse detractione grauiorem esse, si grauius malum inferat: vel leuiorem, si minus. Hucvsque D. Thom.

❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦

SECTIO I.

An quisque habeat ius Iustitiæ vt alij de ipso bene sentiant, vel vt non male sentiant sine causa?

1. *Fama, honor, & æstimatio differunt.*



Ota primò, differre famam, honorem, & æstimationem: quòd æstimatio consistat in iudicio interno de excellentia alicuius, vel de eius opposito. Honor, in testificatione nostræ opinionis de excellentia alterius, cum quadam nostri submissione, siue verbis, siue alijs signis honorificis fiat. Fama, quæ à fando dicta est, in sermone, & rumore multorum de excellentia alicuius, si bona est: vel de opposito, si mala. Sermone, inquam, & rumore non solo, sed internæ æstimationi bonæ, vel malæ coniuncto. Verùm hîc sermo est de bona fama, & similiter de bona æstimatione, deque honore. Quibus opponuntur iudicium internum temerarium, vel erroneum, quod de alicuius peccato, aliòve malo infami ex leuibus indicijs concipitur: Contumelia, quâ quis verbis, vel factis lædit iniustè alterius ho- *Eorum opposita.*

norem, in eius præsentia, vel intendens vt hoc illi manifestetur; vnde ostendit se illum parui facere, & non vereri: Detractio, & susurratio, quâ quis famam alienam iniustè lædit in ipsius absentia, non intendens vt hoc illi innotescat: Irrisio, quâ vitium aliquod morale, aut naturale per ludi formam objicitur alicui, vt in erubescentiam, & pudorem inducatur. Et denique maledictio, quâ malum aliquod alteri optamus, & verbis exprimimus, seu imprecamur. De quibus omnibus dicemus Sect. 2. & sequentibus.

2. Status quæstionis, & prima sententia. His præsuppositis, quæritur 1. Vtrum quisque ius habeat vt alij de ipso bene sentiant, vel non malè sentiant sine causa? Ratio dubitandi est, quia videtur id negare D. Thomas quæst. 60. art. 3. ad 3. vbi dicit, Iustitiam & iniustitiam esse circa actus externos: ac tunc iudicium suspiciosum pertinere ad iniustitiam, quando procedit ad actum externum. Quasi dicat actum internum non esse per se contra ius hominis. Quare ex sententia D. Thomæ non habent homines ius vt alij de ipsis bene sentiant, aut non malè, per actus merè internos. Secundò, idem S. Doctor quæst. 104. art. 5. eximit actus internos à iurisdictione humana, & à potestate imperandi: quod etiam tenet communis Doctorum sententia. Ergo multò magis credi debet eos eximere à vulgari & communi hominum iure. Tertiò, oportet iura esse clara, vt admittantur; & similiter debita. Ergo vt imponatur hominibus tale debitum ex Iustitia, debet ius certum, & clarum proferri. Quod non fit: cùm neque per se tale appareat, neque in sufficienti ratione fundetur. Quartò denique; si obscurum est, & incertum, quales alij sint; non tenentur homines communiter ex Iustitia inquirere qualesnam sint; aut sine inquisitione iudicare bene de illis, & exponere se periculo errandi: sed possunt iudicium suspendere, & quales sint, Deo relinquere. Si verò manifestum sit de aliquo qualis & quantus sit, tamen si nihil aliud sit, non tenentur homines circa illum immorari, & approbare positiuè, aut expressè concipere bonam de illo æstimationem. Ac neque licet habeant malam merè internam: quia, vt antea dictum fuit, non habent homines ius ad actus merè internos, & per se occultos: ergo actus mali, purè interni, non sunt illis iniuriosi.

3. Non habent homines ius vt alij de se bene sentiant. Contraria, & vera sententia, & communis Theologorum, affirmat neminem quidem habere ius vt alij bene de illo sentiant positiuè, per se loquendo, & communiter: id est, nisi ex aliqua speciali ratione oriatur in illis hæc obligatio: habere tamen ius vt nemo de ipso malè sentiat absque sufficienti causa.

Prior pars huius assertionis probatur ratione paulò superius allatâ: quia scilicet si nihil aliud sit, hoc est, nisi aliunde incumbat necessitas & obligatio iudicij ferendi de aliquo, déque illo bene sentiendi; non tenemur ex debito Iustitiæ immorari circa alios, & inquirere quales sint, vel approbare positiue apud nosmetipsos bonam eorum vitam & mores, bonámque de illis existimationem habere. Dixi autem, *Nisi ex aliqua speciali ratione, &c.* quia quando necessitas incumbit iudicandi de aliquo, ratione officij, aut alterius debiti Iustitiæ; putà ad ferendum suffragium, aut promouendum aliquem ad officia, vel ad beneficia, dignitatesque Ecclesiasticas, aut ciuiles, ex Iustitia distributiua; tenetur ille, cui hoc incumbit, iudicare sincerè de merito personæ, & secundùm illud ferre sententiam, aut suffragium.

Posterior pars eiusdem assertionis, quòd scilicet vnusquisque ius habeat vt nemo de ipso malè sentiat sine causa, probatur 1. ex D. Thoma, quæst. 60. art. 3. ad 2. vbi sic ait: *Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum. & ideo iniuriatur ei.* Probatur 2. quia vnusquisque ius habet ad retinendam propriam famam apud alios. Quare sicut contra ius illud peccat qui eam tollit, aut minuit apud alios, per detractionem: ita & qui eam apud semetipsum tollit aut minuit per iudicium temerarium. 3. Vnusquisque ius habet vt ne falsum crimen ipsi impingatur. Ergo etiam ius habet vt non iudicetur esse malus sine sufficienti fundamento. Hoc enim perinde est, ac si ei falsum crimen impingeretur. Et sicut falsum crimen impingere vel apud vnum, & sub secreto, malum est, & iniuriosum proximo: ita & apud semetipsum malè de illo temerè iudicare. 4. Nisi mala æstimatio interna esset iniuria; qui apud alios quempiam infamaret, non teneretur ex Iustitia ad restitutionem famæ, & ad efficiendum vt malam æstimationem deponant. Consequens est absurdum. Ergo & id ex quo sequitur. Probatur sequela: quia obligatio restituendi famam non oritur præcisè ex verbis de illo prolatis: quibus si fides habita non fuisset, non esset facienda restitutio famæ: sed ex eo quòd alij malam æstimationem de proximo conceperunt. Atqui si huiusmodi mala æstimatio interna non est iniuriosa proximo, non habet ille ius vt deponatur, aut mutetur in contrariam. Ergo qui illum infamauit, non tenetur ex Iustitia restituere illi famam, & efficere vt alij deponant vel mutent malam æstimationem. — 4. Sed vt non malè sentiant sine causa.

5. Explicatur D. Thom. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondeo D. Thomam, quando dicit loco ibi citato, Iustitiam & iniustitiam esse circa operationes exteriores; & iudicium suspiciosum tunc directè pertinere ad iniustitiam, quando ad actum exteriorem procedit; intelligendum esse de Iustitia, & iniustitia inadæquatè sumptis, secundùm partem notiorem, humano regimini & commercio accommodatam: ne alioqui contradicat ei quod dixerat immediatè antea in solutione 2. argum. *Eo ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo iniuriatur ei.* Vide quæ supra diximus disp. 25. Sect. 5. num. 37. & seq. vbi ostendimus Iustitiam non versari tantùm circa actiones exteriores, sed etiam circa internas, & circa passiones ipsas secundùm ius cuiusque moderandas, quoties cunque illi aduersantur.

6. Quo sensu non habemus ius ad Ad secundum Respondeo D. Thomam, & communem Theologorum sententiam eximere, quidem actus purè internos à iurisdictione humana, id est, à potestate præcipiendi, aut

prohibendi, puniendive: de qua potestate loquitur ibi S. Doctor: Sed non negare quòd aliqui actus merè interni sint contra ius humanum, siue iniusti & iniuriosi hominibus: vt sunt voluntas furandi, verberandi, aut occidendi iniustè, vel detrahendi, & ignominiosè tractandi, licet in actum externum non prodeant; quique si prodirent, constituerent actum externum formaliter iniustum.

actus internos?

7\. Ad tertium dico, fundamentum istius iuris satis certum, & satis notum, istud esse, quòd quisque naturaliter ius habet ne quicquam de ipsius bonis ei detrahatur sine sufficienti causa. Honor autem & fama non infimum locum tenent inter hominis bona; sed bonis fortunæ potiora esse censentur, neque desunt qui bonis corporis & vitæ ipsi præferant. Qui autem temerè de proximo malè iudicat, aliquid apud semetipsum detrahit de bona illius fama vel æstimatione: sicut qui falsum crimen imponit apud alios, detrahit apud illos de illius honore. Ac sicut iste tenetur ex Iustitia damnum famæ reparare, quod intulit, tollendo malam existimationem, quam apud alios ingenerauit: sic iste tenetur statim deponere quam in animo concepit.

Fundamentum istius iuris.

8\. Ad quartum Respondeo, tametsi homines non habent ius, communiter & per se loquendo, vt alij de ipsis bene sentiant positiuè, quemadmodum diximus in prima parte assertionis: habere tamen ius vt non malè sine causa: quia habent ius vt ne sibi detrahatur siue externa locutione apud alios, siue interna apud semetipsum. Quo autem sensu verè dicatur non habere homo ius ad actus internos, paulò superiùs explicatum fuit.

Ratio differentiæ inter ius vt non malè sentiant, & ius vt bene.

SECTIO II.

De Iudicio temerario.

9\. QVæritur secundò, Vtrum omne iudicium de altero in malam partem, sine ratione latum, sit graue peccatum? & an liceat ob aliquam causam iudicare de alterius voluntate, & de actibus internis?

Respondeo, & dico primò, non omne iudicium in malam partem, esse graue peccatum, sed illud solum, in quo hæc quatuor concurrunt. Primò, vt feratur sine indicijs sufficientibus, aut fere sufficientibus. Nam si indicia sint sufficientia, nullum est peccatum, vt dicemus inferiùs. Sin autem fere sufficientia sunt, parum pro nihilo reputatur. Secundò, vt sit de graui malo, id est, quod proximo sit magnæ infamiæ, & valde perniciosum per se, vel ratione effectus ex iudicio illo sequuti. Alioqui leuitas materiæ excusat à mortali. Tertiò, vt sit iudicium perfectum, id est, certum & firmum, aut saltem fixum & pertinax: alioqui tenuitas, & imperfectio actus excusat à mortali. Quartò, vt feratur ex aduertentia, & deliberatione perfecta: quippe quæ ad omne peccatum mortale necessaria est. Ita scilicet, vt qui sic iudicat, aduertat se male iudicare sine indicijs sufficientibus, aut fere sufficientibus & probabilibus; liberéque consentiat. Ita Less. cap. 29. dub. 3. Ex quo infert num. 28. iudicium temerarium esse tantùm peccatum veniale primò si malum, quod proximo tribuitur, graue non sit. Secundò, si graue quidem sit, sed non tribuitur cum aduertentia quòd malum graue sit, aut quòd signa sint insufficientia. Tertiò, si signa, licet non sint sufficientia ad iudicium certum, sufficiunt tamen ad opinionem probabilem: quia quod est probabile positiuè, est fere certum. Existimo tamen hoc esse intelligendum, vt verùm sit, de valde probabili, & parum differente à certo. Quartò, si iudicium sit tantùm suspiciosum, nisi suspicio sit pertinax, vt quando prouenit ex contemptu; vel ex maleuolentia, & malitia, quâ quis vult pertinaciter ita suspicari, vt alium contemnat, & pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde suo sibi præponere, tametsi aduertat se iustam causam non habere. Idémque censeo dicendum de eo, qui ex simili affectu pertinaciter dubitaret de graui malo alterius; & de eo, qui simili modo pertinaciter malum graue tribueret per iudicium opinatiuum: quamvis Caiet. ad quæst. 60. art. 3. Nauar. in Rubrica de iudicijs, n. 48. Pet. Nauar. lib. 2. cap. 4. n. 454. & alij oppositum sentiant. Vt autem intelligatur quando sit tantùm opinio, vel suspicio, præsertim quando non est formido expressa de opposito, Notanda est hæc Regula ex Caiet. supra, & Lessio num. 29. Quando aliquis ita iudicat, vt si interrogaretur, an rem pro certa habeat, responderet certam, aut fere certam sibi videri; tunc est iudicium firmum, & certum: si verò responderet se facilè posse falli, & non esse moraliter certum; tunc est tantùm suspicio, vel opinio, adeóque non est per se peccatum mortale, semota voluntatis malitia pertinaci.

Iudicium temerariũ quandonam est graue peccatũ?

Objicies, non esse peccatum mortale, iuxta probabilem aliquorum Theologorum sententiam, detegere vni soli sub secreto, graue malum, seu crimen infame alterius occultum: quamvis id fiat absque vlla necessitate, vel causa rationabili: vt nos etiam dicemus inferiùs Sect. 4. Ergo similiter non est peccatum mortale malè iudicare de aliquo, quamvis temerè, & in re graui, apud se solum; quod secretius est, quàm id quod vel vni soli reuelatur. 10.

Soluitur obiectio.

Respondeo Theologos ita probabiliter sentientes, loqui de crimine vero, vni soli reuelato: non autem de ficto, & falsò imposito. Neque enim negant esse peccatum mortale falsum crimen imponere vel apud vnicum, & sub secreto. Qui autem temere iudicat de proximo in re graui, imponit illi apud seipsum crimen infame, quod illi sine fundamento tribuit.

Objicies secundò, si malè iudicare de aliquo apud semetipsum, est peccatum contra Iustitiam, ergo obligat ad restitutionem. Atqui non est cui, & cuius facienda sit restitutio: cum nihil cuiquam ablatum sit, aut illatum nocumentum. Respondeo detrahi proximo & noceri, quando læditur illius honor, priuando illum bona existimatione, quam apud nos habebat, vel habet apud alios; & loco illius concipiendo malam sine causa legitima. Loquor autem de

illo qui suum iudicium continet intra se. Nam si alijs patefacit; iam est detractio, obligans ad reparationem famæ, & tollendam malam opinionem quam in alijs ingenerauit: vt dicemus Sectione sexta.

11. Non omne iudicium de internis est malũ.

Dico secundò, non omne iudicium de alterius voluntate, & actibus internis esse malum, & illicitum. Probatur, quia licitum est ex operibus externis, & vitâ, iudicare de ipsius persona, id est, de ipsius animo, & voluntate interna: vt Christus significauit Matth. 7. cùm dixit de falsis Prophetis, *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Cauendum tamen est ne ex leuibus & minùs sufficientibus indicijs ferat quispiam iudicium de alterius voluntate: cuiusmodi sunt actus multi externi, qui licet speciem quandam mali habeant, tamen per se indifferentes sunt, & ex intentione possunt esse boni. Vitiosum enim est, in vnam partem, & præcipuè deteriorem, trahere determinatè id, quod ad varias causas referri potest. Deinde, cùm signa externa possint esse vel euidentia, vel tantùm certa, vel opinabilia, vel purè dubia: non est plus tribuendum illis, quam verè præ se ferant: sed euidentia sunt habenda pro euidentibus; certa pro certis; dubia pro dubijs. Vitiosum enim est habere ignota pro notis, & incerta pro certis. In quo multi parum prudentes grauiter peccant. Item, quò iudicium grauius est, eò debent indicia esse maiora, vt sint illi proportionata. Est autem grauius tripliciter. Vel primò, ratione materiæ, & obiecti, quando nimirum est de re grauiori. Vel secundò, ratione modi assentiendi, quò pacto iudicium certum est grauius, quàm opinio, aut suspicio. Vel tertiò, ratione finis ad quem refertur: quo modo iudicium iudicis fungentis publica auctoritate, ad sententiam ferendam exteriùs, est grauius iudicio hominis priuati. Et iudicium superioris iudicantis in ordine ad gubernationem, est grauius iudicio hominis merè priuati, qui nihil tale potest intendere. Et inter hos, quò iudicium refertur ad aliquid maius, eò grauius est, & plus requirit ad agendum. V. g. superior, qui iudicat in ordine ad grauem increpationem, debet maius habere indicium, quàm si iudicaret in ordine ad simplicem monitionem. Licitum tamen est in ijs omnibus iudiciorum generibus vti signis externis, quamvis ineuidentibus, prudenter expensis: vt de iudicio publico, omnium grauissimo, patet ex vsu communi, approbato in vtroque iure ciuili, & Canonico, in quo extat titulus de præsumptionibus. Laudatur etiam in Scriptura 3. Reg. 3. iudicium Salomonis de duabus meretricibus, in iusta præsumptione fundatum. Et in Decretalibus Gregorij IX. cap. 12. *De præsumptionibus*, conceditur vt sententia diuortij feratur ob violenta signa adulterij culpabilia, non tamen necessaria, neque planè certa.

Quomodo ferri debet?

12. Objicies, Christum Matth. 7. sic præcipere absolutè: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini*. Et ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit*. Et 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, &c.* Et Iacob. 4. *Qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem*. Respondeo, hæc non esse intelligenda de omni iudicio, cùm Christus manifestè permittat alibi iudicare, Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Et Ioan. 7. *Iustum iudicium iudicate*. Docet etiam Scriptura non facilè cuilibet fidere, sed per signa externa experiri quales interiùs homines sint, Eccles. 6. *Si possides amicum, in tentatione posside eum*: id est, post probationem, & experimentum: *& ne facile credas ei teipsum*. Sunt ergo illa priora loca intelligenda solùm de iudicio vitioso, quale est iudicare ad vindicandum, & subjicere pœnæ priuatâ auctoritate: Quale item est iudicium insufficiens, & malè fundatum, vel progrediens ad turbandam pacem, & quietem aliorum per murmurationes, & querelas iniustas, & similia. Est autem differentia inter actus externos, & internos; quòd externi sensibus patent per seipsos, ideóque facilius est de illis iudicare, sicut & de alijs rebus sensibilibus: at interni sunt occultiores, & per se insensibiles: ideóque periculosiùs, ac frequentius vitiosum est de illis ferre iudicium.

Quodnã iudicium prohibetur in Script.

SECTIO III.

De Detractione, & Obtrectatione.

13. QVæres tertiò, an quilibet ius habeat vt alij de ipso non malè loquantur, vel vt loquantur bene? Respondeo & dico primò, non deberi communiter hominibus ex Iustitia vt alij de ipsis bene loquantur, corúmque virtutes & bona prædicent. Probatur, quia nullus est titulus sufficiens in quo fundetur tale debitum Iustitiæ. At debita non sunt suscipienda, nisi bene probentur; sed odibilia, quoad fieri potest, restringenda sunt; immunitates verò ampliandæ. Neque dicas, ius istud esse fauorabile ijs, quorum bona prædicanda sunt. Grauius est enim subire debitum enuntiandi omnium aliorum bona, quàm carere quemque iure vt enuntientur sua. Quod si nemo tenetur ex Iustitia immorari circa aliorum vitam per internum iudicium, vt superiùs diximus: multò minùs tenetur eorum bona prædicare. Confirmatur ex communi hominum sensu. Nemo enim exigit, tanquam debitum ex Iustitia, vt sua bona prædicentur ab alijs communiter: neque, si non faciant, vocat propterea in ius, vel exigit satisfactionem.

Non habemus ius vt alij bene de nobis loquantur.

14. Dixi autem, non esse id communiter debitum, id est, nisi aliunde peculiaris obligatio incumbat: vt v. g. ijs, qui ex officio tenentur aliorum saluti inuigilare; sicut Magistratus publici, & similes: tenentur enim, quando id necessarium est, subditos à periculis testimonio suo eruere: quia tenentur ex Iustitia, ratione officij sui, & conuentionis cum Repub. afferre quæcunque necessaria sunt ad pacem, & salutem subditorum. Item patroni, & defensores, quibus se alij ex pacto, & pro mercede commiserunt, debent illis ex Iustitia officium linguæ necessarium ad legitimam eorum defensionem, vel ad ius ipsorum, vt par est, prosequendum. De testibus verò, ad quid, & quomodo teneantur, dicemus inferiùs disput. 33.

Nisi in casibus specialibus.

Sect. 7. & iam nonnihil diximus suprà disp 28. Sect. 8. in fine.

Interdū id debetur ex Charitate. Dixi præterea, id non deberi communiter ex Iustitia: neque enim nego deberi ex Charitate, quotiescunque necessarium est ad malum proximi auertendum, aut bonum ei necessarium procurandum, potéstque fieri sine nostro magno incommodo. Tenetur enim quisque facere ex Charitate alteri, quod sibi vellet fieri; & proximum diligere sicut seipsum. Sed nihilominus qui peccat hac in parte, siue contra Charitatem, siue contra Iustitiam, non propterea detrahit propriè loquendo. Quia detrahere propriè est auferre tacitè, vel impedire famam bonam, vel æstimationem: hoc enim est propriè detrahere, seu minuere famam alterius. At ille, qui tantummodo non prædicat virtutes, & bona alicuius, nihil illorum facit. Ergo non detrahit propriè; quamvis hoc vitium sub nomine detractionis latiùs sumptæ sæpe comprehendatur. Quo sensu D. Thom. q. 73. art. 1. ad 3. ait detrahi alteri immediatè vel negando bonum illius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo. Et Petr. Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 4. nu. 344. refert ex communi Doctorum sententia triplex esse genus detractionis: Videlicet falsum vitium alteri imponere, detegere inordinatè verum vitium, & contegere virtutem alienam.

15. Habemus ius vt nihil mali nobis falsò tribuatur. Dico secundò, vnumquemque habere ius Iustitiæ, vt nullus falsò tribuat illi aliquid mali, sine legitima saltem præsumptione, nec de bono, quod illi inest detrahat aliquid: non tamen vt nemo de illius vitio loquatur, aut illum corripiat. Prima pars probatur, quia vnusquisque habet ius Iustitiæ vt non lædatur sine causa legitima. Est enim hoc primum, & notissimum principium Iustitiæ, Neminem lædere. Ille autem, cui aliquid mali falsò attribuitur sine legitima saltem præsumptione, læditur sine iusta causa: ergo fit contra illius ius. Confirmatur ex communi vsu: coguntur enim ad reparationem, qui aliquid mali falsò alteri tribuunt. Secunda pars probatur, quia vnusquisque habet ius, vt ei suum non adimatur sine legitima causa. Est enim hoc vnum ex principijs in hac materia notissimis, Suum cuique tribuere: quod fit positiuè, & negatiuè: non retinendo, & non auferendo id quod alterius est. Atqui cùm detrahitur de bono, quod illi inest, adimitur illi suum, si non re, saltem verbo, aut secundùm aliorum æstimationem. Ergo, &c. Tertia pars patebit ex sequentibus.

16. Reuelatio alieni peccati occulti est contra Iustitiā. Dico tertiò, peccare non modò contra Charitatem, sed & contra Iustitiam, eum, qui sine ratione peccatum occultum alterius detegit, saltem si tale sit, vt probari non possit. Ita Doctores communiter. Et probatur, quia talis non amisit ius famæ apud homines, in cuius adhuc est possessione; licèt coram Deo peccauerit, dignúsque pœna sit. Vnde vsus fert, vt qui peccatum alterius reuelat, cogi possit in iudicio ad id probandum, vel ad pœnam infamationis ferendam. Dixi autem primò, *qui sine ratione*: quia sunt aliquæ causæ, propter quas

Exceptis certis casibus. licet detegere vni, vel pluribus peccatum occultum alterius, & famam eius falsam minuere, vel auferre. Vt, si id necessarium sit consilij, vel solatij capiendi, vel mali vitandi causâ: vt dicemus Sect. sequenti. Si falsa alterius fama noceat alijs innocentibus, quibus magis fauendum est. Noceat, inquam, vel obscurando veram eorum famam, & in contemptum eos adducendo, vel damnum aliud eis causando: si quis iactantiâ propriâ, simulatione, & hypocrisi, alijsque fraudibus famam huiusmodi sibi comparet: tunc enim existimo non esse contra Iustitiam illi resistere, & hypocrisin ipsius aperire: quia cùm fraude, & verborum, aut factorum mendacijs talem famam sibi comparet; non habet ius ad illam. Deinde quia nititur alios decipere, & in falsam opinionem sibi non debitam pertrahere: quod est illis iniuriosum, aut iure molestum. Ergo potest illi obsisti, & veritas aperiri. Et hoc docet Adrian. ac probabile censet Lessius, licet contrarium verius esse dicat hac ratione motus: quia (inquit) quandiu ipsius malitia est occulta, ius habet vt non iudicetur esse malus, eo quòd palam nihil improbè gessit. Qui autem aperit hypocrisin, facit vt iudicetur positiuè malus; ergo facit ei iniuriam. Respondeo talem non habere ius decipiendi positiuè, neque impediendi ne alij fraudes eius detegant, & magis faueant innocentibus, quos decipere nititur. Quare maior argumenti propositi non est vera.

Dixi secundò, *saltem si tale sit, vt in indicio probari non possit*: quia si probari potest, probabile est quod aliqui existimant, non esse contra Iustitiam si patefiat: vt notat Pet. Nauar. lib. 2. de Restit. cap. 4. n. 256. quippe quia potest etiam tunc accusari zelo Iustitiæ ad commune bonum: Peccatur tamen saltem contra Charitatem, se id fiat sine ratione, & sine necessitate: vt Christus significat Matth. 18. quando præcipit, vt qui peccauit, corripiatur priùs secretò, *inter te, & ipsum solum*. Tum, si non emendetur, adhibeantur duo, vel tres testes. Si neque hoc sufficiat, denuntietur Ecclesiæ. Si enim denuntiare Ecclesiæ non statim licet, quando potest aliquis minori ope emendari, quamvis illud fiat tantùm ad emendationem: multò minùs licet accusare, cùm hoc fiat ad pœnam exigendam. Vlteriùs, docet nos Christus non esse patefaciendum pluribus peccatum eius, qui per duos, aut tres corrigi potest. Siquidem illum ordinem præcipit, vt qui per vnum emendari non potuit, tentetur per duos, vel tres, priusquam communitati aut Prælato detegatur. Quod autem Christus ibi loquatur etiam de peccato, quod probari potest, patet ex eo, quod ait, *Adhibe vnum, vel duos testes*: duo enim testes sufficiunt ad probandum in iudicio. Quare licet non sit contra Iustitiam statim accusare: est tamen contra Charitatem, & contra istud Domini præceptum, quod seruandum est communiter, saluis prudentibus exceptionibus, quas patiuntur in moralibus omnes ferè Regulæ generales. Nimirum si prædictus ordo sit futurus inutilis, aut minùs efficax ad reum emendandum, aut si aliqua ratio grauior, & bonum magis necessarium postulet non seruari, sed incipi à denuntiatione, vel accusatione. Qua de re plura diximus disp. 21. Sect. 7. & 8. disputando de correptione fraterna.

17. Et nisi probari possit in iudicio.

SECTIO IV.

Vtrum omnis Detractio, vel Obtrectatio sit peccatum mortale?

18. Excusat à mortali leuitas materiæ. RESpondeo negatiuè. Primò enim leuitas materiæ excusat à peccato mortali, tam in formali detractione, cùm quis directè intendit lædere famam alterius; quàm in materiali, cùm id quidem non intendit, sed ex quadam loquacitate, vel alio vitio, defectus, aut peccata aliorum narrat. Exempla sunt, si narret tantùm defectus veniales, aut vtatur nominibus generalibus, dicens aliquem esse auarum, superbum, &c. quæ non sonant per se peccata mortalia, sed naturales inclinationes, vel leues defectus significare possunt. Aut si narret, aut exprobret defectus naturales, vt esse gibbosum, cæcum, spurium, &c. propter quæ nemo censetur infamis. Aut etiam si narret quidem peccata mortalia, sed quæ propter talis personæ conditionem, non censentur famam eius notabiliter lædere: quia scilicet non magni fiunt in talibus personis, neque ducuntur dedecori: vt si qui dicat nobilem suscepisse duellum: militem prædatum esse, aut esse concubinatium: Adolescentem puellam decepisse, aut esse prodigum, &c. Quæ tamen communiter accipienda sunt, saluis exceptionibus, quas recta ratio dictabit. Nam v.g. qui de viro graui, & Religioso affirmaret illum solere mentiri: peccaret grauiter, quia tali personæ multùm noceret. Item, qui viro graui exprobraret in faciem ipsum esse spurium, gibbosum, &c. Et qui ingenij exiguitatem, similésque defectus naturales animi, vel corporis narraret præuidens fore vt magnus contemptus, vel aliud damnum notabile proximi inde sequatur. Ita Less. cap. 11. dub. 3. post Antonin. Syluest. Nauar. & alios: & Cardin. De Lugo disput. 14. Sect. 4. num. 49.

19. Et necessitas consilij, vel solatij capiendi. Secundò excusatur non tantùm à mortali, sed etiam à veniali, si quis non animo detrahendi, sed consilij, vel solatij ab amico, capiendi, dolorisque mitigandi causâ, alterius iniuriam sibi factam amico narrat. Neque enim alterius iniuria priuat me iure capiendi consilium, quando illud mihi necessarium est. Postulat etiam humana conditio, vt liceat tale solatium capere, ne cogamur alioqui totum pondus doloris ferre, & sub illo fatiscere: leuamur enim aliqua eius parte, quando illum cum amico communicamus. Quod si auctor iniuriæ damnum aliquod famæ inde patitur; debet id sibi imputare. Cauendum tamen ne pluribus dicatur, quàm ad consilium, & solatium sit necesse. Neque nominanda persona, nisi ad consilium sit opus, vel ad necessariam consolationem valde expediens: vt rectè ait Less. suprà, dub. 12. post Molinam disp. 29. num. 5. Petrum Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 4. quib. adhærent plures alij recentiores relati à Diana tomo 2. tract. 2. Miscell. resolut. 32.

20. Vel ad vitandum graue damnum proprium, aut proximi. Tertiò, excusat etiam à peccato necessitas aperiendi peccatum alterius occultum ad vitandum graue damnum proprium, quod aliâ viâ vitari nequit, etiam in eo casu, in quo mors immineret illi, cuius peccatum reuelaretur. Ratio est, quia non teneor cum tanto meo incommodo seruare famam, aut etiam vitam nocentis. Idémque censeo de vitando graui damno proximi, quem teneor ex Charitate diligere sicut meipsum. Quare si v.g. homicidium à Petro commissum imponitur Paulo innocenti inde plectendo; possum reuelare Petrum. Si noui Ioannem esse furem; possum monere eos, apud quos habitat, vt sibi caueant. Ratio est, quia nemo ius habet tuendæ famæ cum tanto damno, quod alteri iniustè obueniret. Notandum tamen, quòd si damnum aliâ viâ possit auerti, non licet peccatum occultum, seu personam patefacere. Alioqui peccatur contra Iustitiam, si probari non possit: vel contra Charitatem, iuxta superiùs dicta. Imò nec contra Iustitiam peccatur, si reuelatur sine tanta necessitate peccatum illius, qui positiuè conatur alijs nocere. Quemadmodum enim qui iniustè inuaditur, non peccat contra Iustitiam occidendo, licet fugere possit, & per fugam non ignominiosam euadere: sic, &c. Qua de re plura videri possunt apud Cardin. De Lugo disputat. 14. tota Sect. 7. & alios quos citat.

21. Vel si vni tantùm detegatur, aut duobus, sine alio damno. Quartò, excusandum etiam censeo à mortali eum, qui vni tantùm vel duobus reuelat graue peccatum proximi, ita tamen vt illi sint rem silentio pressuri, & non sit inde sequuturum aliud graue incommodum. Ratio est, quia illud censetur esse leue detrimentum, si non sit periculum euulgationis, aut alterius incommodi. Ita Caiet. quæst. 73. a. 2. dub. 1. Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. n. 335. Corduba, & alij recentiores teste Lessio cap. 11. n. 68. Quamvis ipse hanc sententiam limitandam esse putet: quia, inquit, fieri potest vt quis malit sua crimina, multis externis, & plebeijs esse nota; quàm Prælato, vel alicui viro graui, cum quo assiduè versatur, vel à quo dependet. Sed hæc limitatio à nobis comprehenditur in graui incommodo inde secuturo. Mœror enim, & apprehensio tanta, graue incommodum est. Alia verò incommoda essent, si ex eo contemnendus foret, aut malè tractandus, aut aliquo beneficio priuandus, & similia. Quin etiam debent illa incommoda sequi per se ex tali detractione: alioqui peccatum non est graue in genere detractionis, sed in genere damnificationis, vt dicemus alibi de furto. Loquimur autem de eo, qui verum crimen reuelat: & non de illo, qui falsum imponit. Iste enim mortaliter peccat, licet apud vnum solum graue crimen, & infame imponat. Peccat mort. qui falsò graue crimé imponit. Multò enim maior iniuria est falsum imponere, quàm verum aperire: Sicut etiam falsum de altero enuntiare grauius est, quàm apud se solum temerè suspicari: idéoque licet non sit mortale temeraria suspicio, secus tamen falsa obtrectatio in re graui, nisi modus enuntiandi excuset; talis scilicet, vt qui audiunt, non sint malè opinaturi: vt contingit quando litigantes, & præ iracundia sui impotes, mutuis se conuitijs afficiunt: vel si leuem tantùm suspicionem apud vnum aut duos generant modo iam explicando.

Quintò, sunt qui excusent a mortali eos, 22.

Quomodo peccat qui tantùm refert se audiuisse? qui tantùm referunt audita, affirmántque solùm se audiuisse, absque propria asseueratione. Sed distinctione opus est, quam rectè adhibet Lessius cap. 11. dub. 5. Vel enim talis ita refert dubitanter, aut nominatis talibus auctoribus, vt non sit probabile infamiam inde orituram: vel periculum est ne auditores pro sua leuitate malam inde suspicionem, vel opinionem, aut fidem concipiant, quamvis ipse sufficientem occasionem non dederit. Vel denique ita refert, & nominatis talibus auctoribus, támque fide dignis, vt det sufficientem occasionem malè iudicandi de proximo. In primo casu non peccat mortaliter, quia non est probabile periculum damni. In secundo peccat mortaliter contra Charitatem, si apud plures narret, quia non vitat malum graue proximi, quantùm commodè potest, & debet; imò illius aliquo modo est causa; sed non peccat contra Iustitiam, neque tenetur ad restitutionem: quia non est efficax causa damni, quod merè per accidens sequitur ex eius narratione ob aliorum leuitatem, vel malitiam. In tertio peccat grauiter, etiam contra Iustitiam: quia dat causam sufficientem, & efficacem. Quæ omnia sunt intelligenda seu vera narret, seu falsa: licet grauiùs peccet is, qui sciens falsa narrat quolibet ex prædictis modis.

23. Vel qui publica narrat, & notoria crimina. Sextò, non peccant contra Iustitiam qui crimen alterius publicum, & notorium patefaciunt alijs, qui ignorant, vel ijs in locis, vbi nondum vulgatum est. Ratio est, quia tunc famæ ius amissum est, propter facti euidentiam, & publicationem. Tripliciter autem dicitur crimen esse publicum, vel notorium. Primò, notorium iure, de quo videlicet constat in iudicio per sententiam iudicis, vel confessionem rei, vel legitimam testium depositionem. Notoriũ triplex. Secundò, notorium facti, quia publicè fit, aut factum est: vt in conuentu publico, in platea celebri coram multis, vel in oculis viciniæ, aut maioris eius partis. Tertiò, notorium famosum, id est, cuius fama sufficienti nixa fundamento ad multos emanauit, saltem ad maiorem partem viciniæ. Famosũ dicitur dupliciter. Vbi aduerte dupliciter aliquid famosum dici posse. Nimirum vel absolutè, vt id, de quo iam diximus. Vel respectiuè solùm; quale est, id quod innotuit maiori parti congregationis, aut collegij, in quo sint saltem decem. Hoc enim illi congregationi famosum est, potéstque intra illam dici, at non externis euulgari sine iniuria: quia non est absolutè, & simpliciter famosum ac publicum modo supra explicato. Ita Less. cap. 11. dub. 13. Non peccant etiam contra Iustitiam qui narrant præterita vitia ignota eius, qui olim fuit infamis, sed iam est emendatus, & bonæ famæ: Licet in hoc casu & in præcedenti peccari grauiter possit contra Charitatem; vt contra Nauar. & Caiet. docet Less. dubit. citata.

24. Vel alia connexa, aut similia. Septimò, cùm quis propter aliquod crimen est infamis, non est mortale narrare alia in eo inclusa, vel adeo connexa vt facilè in eo inclusa esse intelligantur; vel etiam similia, si sint eiusmodi, vt prudenter censeantur non augere notabiliter infamiam. Secus autem si crimen, quod narratur, addit augmentum magni momenti: vt docent communiter Theologi contra Paludan. in 4. dist. 19. in fine. Ratio est, quia fama multiplex est, sicut & infamia illi opposita, & vitia ex quibus oritur. Alia enim est infamia circa furtum, alia circa adulterium, alia circa homicidium, sacrilegium, periurium, ebrietatem, &c. Et qui amisit famam circa vnum vitij genus iam notorium facti, vel iuris; non propterea perdidit circa alia quæ sunt adhuc occulta: sicut ille cui manus fuit abscissa, non propterea ius amisit conseruandi alias partes corporis. Quare fit illi iniuria cum deteguntur alia eius vitia adhuc occulta, & aufertur illi fama, quam adhuc possidebat.

Octauò, non peccat contra Iustitiam, ac ne quidem contra Charitatem (si nihil aliud sit) qui alterius vitia, occulta licet, narrat alteri iam scienti, aut pluribus, quibus iam æquè nota sunt: quia non est causa infamiæ, nec damni noui, cùm scientibus tantùm narret. 25. Vel narrat scientibus. De reis verò, qui tormentorum vi, aut metu seipsos infamant, & falsa crimina confitentur, licet videant ex tali confessione mortem sibi imminere, vide Lessium cap. 11. dub. 7. Vbi post Syluestrum, Angelum, Sotum, Toletum, & alios recentiores, excusat eos à mortali, si tormenta tam grauia sint, vt moraliter præponderent damno, vel infamiæ propriæ, aut alienæ inde sequuturæ, ita vt reus non teneatur cum tanto suo incommodo ista vitare, maximè cùm possit in extremo vitæ omnia retractare, & tollere causam damni per se. Vel seipsum in tortura infamat. Neque propterea talis seipsum interficit, sed tantùm propter iustam causam neci se exponit; vt faceret, si rogaret iudicem, vt se potiùs interficiat, quàm ita torqueat; vel honesta virgo, quæ peteret à corruptore, vt se potiùs occidat, quàm violet.

SECTIO V.

An quisquis audit Detractorem peccet mortaliter?

Respondeo negatiuè. Primò enim quæcunque excusant detractorem ipsum à peccato mortali, aut veniali; excusant similiter auditorem: nempe leuitas materiæ, necessitas peccatum alterius aperiendi ad consilium, vel solatium, vel ad malum aliquod proprium aut proximi vitandum; & alia suprà commemorata. 26. Multa excusant à P. M. audientē. Secundò, qui audit tantùm detractorem, & non excitat, neque etiam resistit, quia non potest efficaciter resistere, & impedire, non peccat mortaliter etiamsi lætetur de eloquentia detractoris, vel de curiosa cognitione eorum quæ narrantur, vel audiat ex otiositate aut vanitate, sine odio, aut displicentia personæ. Secus autem si lætetur de iniuria, & damno graui proximi: peccat enim grauiter contra Charitatem, & contra Iustitiam per affectum, quatenus gaudet de graui iniuria proximi; sed tamen non tenetur ad restitutionem, quia non est causa damni. Tertiò, qui audit ita vt inducat, vel excitet ad grauem detractionem, & infamationem, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem famæ: quia est causa iniusta

damni. Qui verò audit tantùm, & non resistit, cùm possit commodè, peccat quidem grauiter, sed non tenetur ad restitutionem, si non debebat ex Iustitia impedire: quæ obligatio non incumbit nisi superioribus, & similibus, qui ex officio tenentur impedire ne talis infametur. Ratio est, quia, qui non tenetur ex Iustitia impedire damnum, non tenetur ex Iustitia illud resarcire, quamvis culpabiliter non impediat, & peccet grauiter contra Charitatem.

27. Et non impediētem. Excusantur tamen à mortali qui non impediunt, in multis casibus. Primò, si detractio, vel infamia est leuis, putà, quia est de re leui, vel apud vnum tantùm aut duos, qui secretum seruabunt, & sine alio graui incommodo. Secundò, si putant auditores non credere, vel monitionem suam non profuturam. Tertiò, si timeant rationabiliter magnum aliquod damnum, vt contumelias, aut graues inimicitias, & similia: quia non tenentur cum tanto suo incommodo. Quartò, si obstet rationabilis verecundia; vt si audiens detractionem, sit filius detractoris, aut inferior, aut nullius auctoritatis. Quintò, si ex nimia verecundia, quamvis non rationabili, aut ex pusillanimitate non audeat resistere: quia tunc valde difficile est resistere cum fructu. Neque tenentur homines tantam sibi vim facere, nisi infamia esset valde atrox, vel magna incommoda allatura. Debent tamen qui audiunt malè loquentes, de proximo sine causa legitima, discedere, vel sermonem aliò transferre, si commodè possunt, vel tristiori vultu ostendere id sibi displicere, vt illi finem detrahendi faciant: alioqui peccant venialiter contra Charitatem, non auertentes damnum proximi, cùm id commodè possint. Non sunt tamen damnandi peccati mortalis, si id non faciant, nisi in casibus suprà expositis: quando scilicet infamatio grauis est, & possunt sine magno incommodo, & sine rationabili, vel nimia verecundia, vel pusillanimitate, & cum fructu, seu efficaciter impedire diffamationem, discedendo, vel sermonem transferendo, aut tristitiam præ se ferendo. Et quoniam id rarò contingit; idcirco S.Thom. q. 73. a. 4. affirmat, si absque complacentia, ex negligentia tantùm, aut timore, aut verecundia, non repellat quis detrahentem, peccare quidem, sed plerunque venialiter tantùm.

28. Detractio per libellos famosos est grauissima. Superest notare cum Lessio cap. 11. dub. 3. & communi omnium consensu, inter omnes detractiones pessimam esse illam quæ fit per libellos famosos, id est, quibus fama aliena siue vnius aut plurium particularium, siue alicuius communitatis grauiter & iniustè læditur: eò quòd hæc diffamatio ad plures emanat, & diutius durare solet, præsertim quando eiusmodi libelli typis mandantur. Ideoque meritò qui eos componunt, spargunt, aut inuentos euulgant, damnantur pœna capitis L. vnica C. de famosis libellis: grauitérque peccant qui eos legunt, vel legentes audiunt, vel alijs legendos communicant: de quibus plura dicemus inferiùs num. 36.

Potest etiam detrahi grauiter mortuis. Nota secundò, non solùm viuis, sed etiam mortuis detrahi posse, vel detegendo peccata occulta, quæ, dum viuerent, admiserunt: vel imponendo falsa: atque in eo peccari posse grauiter, tum respectu ipsorummet defunctorum, tum etiam propinquorum, quorum interest ne illi infamentur, & quibus graue damnum affert talis detractio: Ex quo fit vt non modò teneantur detractores restituere famam defuncto, sed etiam resarcire damnum propinquis illatum: vt bene docent Molina tomo 5. tract. 4. disput. 28. Malderus tract. 7. cap. 1. dub. 8. Lessius cap. 11. dub. 21. De Lugo disput. 14. Sect. 3. num. 44. & alij vnanimiter. Ratio est, quia ius famæ non amittitur per mortem, sed manet penes animam, penes quam residet omne ius quod habent homines ad bona ipsorum propria. Quare fit illis iniuria quando illis detrahitur, adimiturque fama & bona existimatio per quam viuunt quodammodo post mortem in hominum memoria. Quanti autem fama illa æstimetur, patet ex eo, quòd homines, præsertim magnanimi, tantopere curant posteritati se commendare. Cæteris tamen paribus, minus peccatum est detrahere mortuis, quàm viuis. Quia bona existimatio est illis magis vtilis, aut necessaria ad multa vitæ commoda. Potest tamen ipsorum quoque mortuorum infamatio esse mortalis, quamvis in viuos non redundet, & obligare ad restitutionem: quod de damnatis etiam verum esse affirmat De Lugo Sect. cit. num. 46. contra Malderum, & Molinam, ab eodem relatos: quia, inquit, non desinunt esse proximi nostri per naturam; & per damnationem non priuantur bona existimatione, quàm habebant apud homines, sed ijs solùm bonis, ad quæ sententia condemnationis sese extendit; & tantummodo ius aufert ad ea bona, quibus per sententiam reus priuatur. Quòd verò eiusmodi detractores mortuorum teneantur etiam resarcire damnum, si quod eorum propinquis diffamando intulerunt, notum est ex dictis alibi disput. 28. neque noua probatione indiget.

SECTIO VI.

An, & quomodo fama iniustè læsa restituenda sit?

Circa primum, Dico obligationem famæ restituendæ grauem esse, & obligare sub peccato mortali; exceptis casibus sequentibus. 29. Obligatio restituendi famam grauis est: exceptis certis casibus. Primò, si fama non fuit verè ablata; quia auditores non crediderunt detractori, eò quòd nullius esset fidei, vt sæpe contingit. Tunc enim ne sub veniali quidem tenetur restituere: quia nihil abstulit: quamvis peccauerit conando auferre. Secundò, si infamatio fuit leuis: nempe quia de re leui; vel de re quidem graui, sed vera, & apud vnum, aut duos tantùm, absque alio incommodo graui. Tunc enim tenetur tantùm sub veniali: quia damnum leue est, ex probabili sententia superiùs exposita. Tertiò, si fama non fuit iniustè ablata saltem materialiter, violando scilicet ius famæ, quod læsus adhuc retinebat. Nam obligatio restituendi oritur solùm ex iure læsi violato. Vnde possunt excusari ab huiusmodi obligatione, qui euulgarunt cri-

men, quod in iudicio probari poterat: iuxta sententiam probabilem suprà relatam; vel quod publicum, seu notorium est. Quartò, si crimen occultum, quod narrasti, alia viâ publicum fiat: quia ex quo fit publicum, amittitur ius famæ, cessâtque obligatio illam restituendi: sed si quod damnum ille passus est ex tua reuelatione, antequam crimen eius publicaretur, teneris illud resarcire. Putà, si beneficio priuatus est, aut impeditus ne bonum aliquod assequeretur; teneris bonum ademptum in re, vel in spe, restituere iuxta prudentem æstimationem damni illati. Quintò, si diffamatus famam ablatam aliter recuperauit, purgando se sufficienter, aut alio modo: quia non teneris restituere, quod iam habet. Sed si quod damnum interea passus est, teneris, vt in casu superiori. Sextò, si infamia prudenter æstimatur ita obliuione deleta esse, vt non sit periculum ne reuiuiscat, non teneris restituere, siue verum, siue falsum dixeris: quia fama iam censetur restituta, vel damnum illatum omnino euanuisse. Imò si verum dictum fuit, non est memoria renouanda, nisi periculum sit euidens: vt rectè monet Less. cap. 11. dub. 18. Septimò, si bona fide persuasus, esse verum & publicum, narrasti; nec potes sine tua infamia, vel graui incommodo restituere, non teneris: cùm enim sine culpa infamaueris, non teneris cum tanto damno restituere, quod sine culpa abstulisti. Neque teneris de damnis, si quæ inde sequantur: quia non censeris causa iniusta damni, cùm non sis causa iniusta infamiæ. Si tamen potes sine graui incommodo, teneris restituere, licet tantùm infamaueris apud superiorem, correptionis causâ: quia qui retinet alienum, postquam deprehendit esse alienum, tenetur restituere: Ergo similiter qui detinet famam alienam, postquam agnouit errorem. Ac si quæ damna sequuntur, ex quo est in mora culpabili, tenetur de illis. Octauò, si te de aliquo narrante, intelligant auditores imprudenter de alio; teneris quidem ex Charitate malam intelligentiam impedire, & tunc, & post, si commodè potes: sed non teneris ex Iustitia famam illi restituere: quia non es causa directa, & per se illius infamiæ, sed auditorum mala intelligentia. Nonò, si restitutio sit impossibilis, vel non possit fieri sine periculo vitæ, vel periculo maioris infamiæ tuæ. Quia ad impossibile nemo tenetur. Nemo etiam tenetur restituere bonum ordinis inferioris, cum damno boni ordinis superioris, vel cum damno boni multò maioris in eodem ordine. Videndum tamen an præter infamiam proximi, sequatur periculum vitæ illius, aut aliud grande malum priuatum, vel publicum, famæ tuæ vel vitæ par, aut maius: quia tunc teneris cum periculo tuæ. Ratio est, quia tunc obligaris non tantùm ratione infamiæ, sed & ratione damni ex tua iniuria sequuti; alioqui verò non teneris. Atque ita Prælatus v. g. aut vir illustris, qui plebeium infamauit, non tenetur cum iactura sui nominis reuocare: sed sufficit vt illum laudet in eodem genere, in quo diffamauit, aut pecuniâ illum placet, vel inducat ad condonandam restitutionem. Decimò, si læsus famæ restitutionem condonauit, & condonare validè potuit: quod addo propter eos, quorum infamia in alios redundat, aut alijs nocet: qui non possunt validè condonare, saltem si infamia sic redundet in alios, vt inde maneant infamati, vel suspecti. Qua de re vide Less. cap. 11. dub. 24. Denique si iusta famæ compensatio facta sit, cessat obligatio restituendi. Vt si alius te infamauit, quantùm tu infamasti illum, neque velit ipse restituere. Quemadmodum enim si quis è tuis bonis tantum eripuisset, quantum tu retines de bonis ipsius, non teneris restituere: sic, &c. Seruata tamen æqualitate, quantùm fieri potest. Quamquam non improbo quod addit Less. dub. 25. Licet alium plus diffamaueris, & ille nolit famam tibi restituere, posse te quoque ipsi non restituere, & famam eius, veluti loco pignoris, retinere, vt sic eum compellas ad restitutionem: quemadmodum potes retinere annulum maioris pretij, donec debitor soluat tibi aureum, quem debet. Sed si quis te infamauit, non potes tu vicissim illum infamare: quia hæc non compensatio, sed vindicta, est, quæ non potest fieri priuata auctoritate, nisi in rebus exiguis. Potes tamen si quis te iniustè infamauerit, occulta illius vitia detegere, vt ei fidem adimas, si non possis aliâ viâ iniuriam auertere. Ac licet possis, probabile est, non esse id contra Iustitiam, sed contra Charitatem. Vt alibi diximus de eo, qui commodè potest fugere, & non fugit, sed occidit aggressorem vitæ suæ.

Circa secundum de modo restituendi, sit hæc prima conclusio: Qui dicendo falsum de aliquo, ipsum infamauit, tenetur ei famam restituere, affirmando se dixisse falsum: nisi modo loquendi suauiori possit illi famam sufficienter restituere. Ita Valent. q. 6. punct. 5. col. 5. assert. 1. post D. Thomam, Caiet. Scotum, Ricard. Sotum, & alios, quos ille citat. Quin etiam debet, si sit opus vt alij credant, affirmare iniureiurando se fuisse mentitum. Quod si adhuc credere nolint, tenetur testes adhibere, si commodè possit: quia tenetur efficaciter reuocare; inquit Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. & Less. cap. 11. dub. 20. Sed meliùs censent Nauar. cap. 18. n. 45. & Pet. Nauar. lib. 2. cap. 4. n. 378. id durius esse, miniméque necessarium. Quia si nolint iuranti credere, id ex eorum malitia prouenit, non ex tuo facto, quod iam satis reuocatum est aperiendo veritatem, & tollendo causam erroris à te positam. 30. Qui falsum imposuit, tenetur retractare.

Secunda conclusio: Qui alium diffamauit iniustè, verum eius crimen sed occultum patefaciendo, tenetur ei famam restituere, non quidem dicendo se falsum dixisse, quia licet secundùm Lessium & alios nonnullos, possit vti hîc amphibologiâ, sub intelligendo id esse falsum, aut non verum secundùm publicam scientiam; tamen non tenetur seipsum diffamare, quasi falsum crimen imposuerit: neque etiam dicendo se deprehendisse se fuisse deceptum; quia non tenetur decipere auditores specie quadam mendacij: sed sufficit dicere se iniustè, inconsideratè, & malè id dixisse: vt monet S. Thom. quæst. 61. art. 2. ad 2. Nisi tamen loquatur doctis, vel ingeniosis, qui inde po- 31. Quid si verum detexit?

tiùs confirmatentur, scientes cur modus ille loquendi vsurpetur. Tunc verò sufficiet laudare infamatum, vt quantum amisit vna ex parte, tantum acquirat ex alia.

32. Apud quos tenetur infamator restituere? Tertia conclusio: Infamator tenetur restituere famam, & reuocare non solùm apud eos, quibus ipse dixit, sed & apud alios, quibus isti retulerunt; nisi silentium, & secretum ab ijs poposcerit, & obtinuerit: vel nisi prudenter existimauerit rem fore secretam, & illorum silentium meritò sperauerit: Maximè verò si crimen falsum sit. Ratio est, quia in primo casu est verè causa iniusta damni. In secundo autem censetur tantùm esse fortuitum respectu ipsius, quippe qui ad illud vitandum sufficientem diligentiam adhibuit. Ita Less. suprà post Pet. Nauar. & plures alios.

33. Contumeliosus, & Irrisor quomodo debent satisfacere Quarta conclusio: Qui alterius honorem læsit iniustè, contumelijs, irrisione, & similibus modis, siue coram alijs, siue priuatim; tenetur illi satisfacere eo modo, quo iudicium prudens dictabit. Patet ex Christi præcepto Matth. 5. Vbi post hæc verba, *Qui dixerit fratri suo Fatue, &c.* subjicit, *Si ergo munus tuum offers, &c. vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Confirmatur quia omnis iniuria externa obligat ad conuenientem satisfactionem. At hæc vera est iniuria externa: ergo, &c. Conueniens autem satisfactio est vel amica salutatio, & compellatio honorifica, quod communiter sufficit in superioribus respectu inferiorum, vel inuitatio dando locum honorificum, aut veniæ petitio, quæ ab inferioribus, & æqualibus exigi meritò potest interdum: ac si non sufficit, sed iniuriæ atrocitas amplius exigat, putà vt veniam petat flexis genibus, cum solo indusio, & face accensa, vel fune ad collum alligato; non tenetur ad satisfactionem tam duram ante sententiam iudicis, & executionem.

34. Superiores tenentur aliquando pro inferioribus. Quinta conclusio: Superiores, qui patiuntur subditos suos infamare, vel infamari, id est, non impediunt, quando possunt commodè; tenentur famam restituere illis, quibus debent ex Iustitia actionem impediendi, ita vt contra illorum ius faciant, si non impediant: sed non alijs, quibus id non debent ex Iustitia. Patet ex dictis disp. 28. Sect. 9. Vnde sequitur primò, superiores spiritales tantùm, qui patiuntur subditos suos infamari ab alijs, non teneri illis ad famæ restitutionem: quia superior spiritualis ex officio non suscepit defendere famam subditi, sed salutem animæ eius procurare. Quare non tenetur per se loquendo famam ei restituere ab alio læsam, sed tantùm per accidens, quando id ad bonum eius spirituale necessarium esset. Sequitur secundò, secus dicendum esse de Principibus, & Magistratibus temporalibus, quibus ex officio incumbit defendere subditos in fama, vita, & bonis temporalibus, quando id necessarium est.

35. Refutatur contraria sententia Quare Lessio non assentior affirmanti generatim dub. 23. non teneri superiores ad famæ restitutionem suis subditis, ob rationem allatam: quæ manifestè non concludit de superioribus temporalibus, quos tamen ab ipso superiorum nomine comprehendi patet ex fine dubit. citatæ, vbi ait, nomine superiorum esse intelligendos parentes respectu liberorum, dominos respectu seruorum, Superiores Regularium, Episcopos, & ex parte Parochos, Principes denique, & Magistratus. Eidem quoque non assentior ibidem affirmanti superiorem, si non impediat subditum alteri non subdito detrahentem, quando facilè potest, teneri ad famæ restitutionem, nisi subditus restituat; quia, inquit, ex officio incumbit illi subditum suum corrigere, & impedire ne alteri iniustè noceat: ergo si non impediat, cùm facilè possit, censebitur causa moralis damni: sicut si Prætor non impediat furta in ciuitate, tenebitur ad restitutionem, quia indirectè censetur causa. Hæc Less. Cui oppono constare ex dictis disp. 28. Sect. 9. causas non-impedientes non teneri ad restitutionem, nisi ijs, quibus ex iure debetur actio impediendi. Non debetur autem à superiore extraneis, & non-subditis. Ergo non tenetur illis restituere, sed ex officio tantùm tenetur efficere, vt subditus restituat. Consentit Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 17. p. 4. §. *Secundò notandum.* Similiter, Prætor non tenetur restituere, nisi ijs, quibus ex Iustitia debet actionem impediendi furtum: Et belli dux, & alij similes. Et hactenus de Detractione. Iam de alijs quibusdam vitijs quibus honor aut fama proximi lædi solet, dicendum superest.

SECTIO VII.

De Contumelia, & Susurratione.

Contumelia, quæ à Iurisconsultis, & in vulgari nostro sermone iniuria appellatur, 36. Quid sit Contumelia. vel à tumendo dicta est, eò quòd irâ cor tumeat, vt vult Isidor. lib. 1. Ethymol. cap. 3. vel potiùs à contemnendo, vt mauult Vlpian. l. 1. ff. *de iniurijs*: & in eo formaliter consistit, quòd sit actio iniuriosa, quâ minuitur honor alterius cum ipsius contemptu, plerumque in ipsius præsentia, interdum verò in absentia, sed cum intentione vt ab ipso sciatur. Nomine *actionis* intellige latè, dictum, scriptum, vel factum. His enim tribus modis Contumelia inferri potest. Dicto quidem, seu verbo, vt si quis alterum per contemptum appellet furem, Tripliciter infertur. ebriosum, mendacem, cæcum, spurium, gibbosum: siue id verè, siue falsò affirmet. Scripto autem, vt fit per libellos famosos, quorum auctores, & publicatores damnantur pœnâ capitis l. 1. C. de famosis libellis: & debent excommunicari, si libelli famosi sint contra Ecclesiasticos, C. *Quidam maligni*, & C. *Si cui inuenti*, 5. q. 1. Imò excommunicantur ipso facto, si sunt contra Regulares Ordinum SS. Dominici, & Francisci, & alios gaudentes eorum priuilegijs: vt videre est apud Salon. 2. 2. q. 72. a. 2. & Sairum lib. 12. cap. 4. n. 10. Facto denique, vt si quis virum nobilem fuste verberet per contemptum; si gestu corporis aliquid ei exprobret: si eius vxorem ad adulterium sollicitet, non voluptatis solùm causâ, sed vt noceat eius honori, ostendátque se illum parui facere.

37. Læditho-norem. Additur autem in definitione, *Actio quâ minuitur honor alterius:* quia, vt ait S. Thom. in eo differt contumelia à detractione, quòd per illam læditur honor, id est, reuerentia externa alteri debita: per istam verò, læditur fama, id est, bona de illo apud alios existimatio. Quanquam non rarò hæc duo vitia in eandem actionem concurrunt. Vt quando occultum alterius vitium exprobratur, multis audientibus, aut falsum crimen illi cum contemptu imponitur.

38. Cum cõtemptu formali, aut virtuali. Additur secundò, *cum ipsius contemptu:* formali scilicet, aut virtuali. Nam, vt notat Molina tract. 4. disp. 18. & ex eo Laiman. lib. 3. tract. 3. parte 2. cap. 6. Non requiritur ad contumeliam expressum & formale propositum lædendi honorem, & contemnendi: sed virtuale sufficit, quod dici solet intentio operis: cùm quis scienter aliquid facit quo alterius honor ex natura rei minuitur, ipséque contemptibiliter tractatur. Vt si virum honestum baculo percutias, quamvis eum contemnere & eius honori derogare non intendas.

39. Idque coram, & in præsentia læsi. Additur tertiò, *In ipsius præsentia, &c.* quâ particulâ distinguitur iterum contumelia à detractione, simili modo, quo rapina à furto. Nam detractio fit clanculum, & in absentia, sicut furtum: vult enim fur latére dominum rei. Contumelia verò, sicut & rapina, fit coram & in præsentia, vel ex intentione vt ab illo sciatur; quippe cui displicere vult, eique suum contemptum notum facere.

40. Est P. M. ex suo genere. Hoc autem peccatum esse de se graue, & mortale, patet ex Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Nam gehenna ignis non nisi peccatis mortalibus constituta est. Patet etiam, quia læsio honoris est res grauis ex suo genere, æquè, ac multò magis, quàm læsio in bonis fortunæ: honor enim maius bonum est. Quare si furtum est peccatum mortale ex suo genere: multò magis contumelia.

41. Multa excusant eam à P. mortali. Excusant tamen à mortali 1. imperfectio deliberationis: vt quando ex ira repentina & vehementi proferuntur inconsideratè, seu potiùs excidunt verba contumeliosa. 2. Leuitas materiæ, tametsi non desit sufficiens deliberatio. Quando scilicet exprobratur aliquid leue vel in se, vel comparatiuè ad personam cui exprobratur. Nam eadem contumelia quæ respectu viri honesti, vel parentis, aut domini, grauis est; censetur leuis respectu vilis personæ, vel filij, aut famuli. 3. Si ioco tantùm fiat, vel nocumentum honoris non sit notabile. Nam vt ait S. Thom. q. 72. a. 2. Peccata quæ in verbis, aut signis consistunt, debent præcipuè æstimari ex intentione & affectu, seu voluntate directa, vel indirecta proferentis. Imò tunc non est contumelia formalis, quando deest animus inhonorandi. 4. Si fiat inter personas parui momenti, vt inter rusticos & alios vilis conditionis, aut inter mulierculas quæ sæpe rixari solent, multaque in se inuicem effutire conuitia, provt in buccam veniunt: vel inter seruos, & famulos, inquit Tolet. lib. 5. Instruct. cap. 9. Aut denique si fiat correctionis gratiâ. Possunt enim parentes liberos, Magistri discipulos, Domini seruos, & superiores subditos sine graui, aut etiam leui peccato, carpere conuitijs, moderatis tamen, & ex intentione eos corrigendi. Sicut Christus Luc. 24. Discipulos euntes secum Emmauntem vocauit stultos, & tardos corde ad credendum; & Paulus Galatas insensatos; ad Galat. 3. Rectè tamen monet S.Thom. q. 72. a. 2. ad 2. post S. Augustinum, quem citat, tutius esse abstinere corrigendo à conuitijs, & verbis contumeliosis, quæ sæpe magis exacerbant, quàm emendant subditum existimantem ex ira potiùs & malo affectu, quàm ex Charitate proficisci.

Qui verò alium iniustè læsit per contumeliam, tenetur ei satisfacere, & honorem læsum resarcire, siue petendo veniam, siue aliter honorem exhibendo pro contemptu, provt recta ratio & prudens iudicium dictabit, expensâ grauitate iniuriæ, cui reparatio vel compensatio exæquari debet. Quomodo autem expendi debeat, docet Iustinian. Institut. *de iniurijs*, §. *Atrox*, vbi dicit æstimari debere vel ex facto, veluti si quis fustibus cæsus, vel ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu Prætoris iniuria facta sit: Vel ex persona, veluti si Magistratus iniuriam passus fuerit; vel si Senatori ab humili persona iniuria facta sit, aut parenti, &c. 42. Obligat ad satisfactionẽ.

Tametsi autem ille qui contumeliam patitur, non possit eam referre vindictæ causâ, sicut percussus non potest repercutere animo vindictæ: tamen cum moderamine potest eam à se repellere, dicendo aut faciendo præcisè quicquid est necessarium ad arcendam iniuriam; putà affirmando inferentem mentiri, imponere, calumniari, malè motatum esse, periurum, perfidum, &c. si hoc verum, & ad fidem eius dictis adimendam necessarium sit: quemadmodum rectè docet Laiman supra cit. post Abbatem in cap. *Cum te de re iudicata, num. 25.* & Sotum lib. 5. de Iustitia q. 9. a. 3. 43. Potest repelli cum moderamine.

Quamvis etiam laudabile plerumque, ac melius sit tacere, & patienter ferre contumeliam, abstinendo à medijs, quibus posset licitè propulsari: interdum tamen magis expedit, aut etiam necessarium est eam repellere: propter duo. Nimirum, vel vt reprimatur contumeliosus, ne deinceps audeat eidem, vel alijs facilè conuitiari: vel vt ne bonum aliorum, & profectus impediatur per contumelias illatas ei, qui vitæ exemplo, exhortationibus concionibus sacris, & alijs modis prodesse illis potest: iuxta illud Gregorij magni Homil. 9. super Ezechielem: *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere: ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Sed his quoque moderatione opus est: cauendúmque ne vindictæ potiùs, aut superbiæ affectu, quàm salutis alienæ, & Charitatis zelo sincero moueantur. Possumus autem dupliciter contumeliam pati: vel immediatè, in nobis ipsis; vel mediatè, in alijs, quorum contumelia in nos redundat. Neque tantùm viuis, sed etiam mortuis inferri potest; si indignè v.g. tractentur eorum corpora, vel statuæ, & imagines. 44. Nõ semper melius est non repellere.

Nota præterea contumeliam a conuitio & 45.

Quomodo differt à conuitio, & improperio? improperio, secundùm aliquos, ita distingui: vt contumelia propriè dicatur, quando exprobrantur mala culpæ, vocando furem, periurum, adulterum, concubinarium, hæreticum, &c. Conuitium, quando alij defectus non culpabiles: vt si quempiam voces spurium, cæcum, gibbosum. Improperium, quando mala indigentiæ: id est, quando per contemptum exprobrantur beneficia, vel auxilia alicui præstita ad subleuandam eius inopiam. Iuxta Eccles. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit.* Sed distinctio illa inter conuitium, & contumeliam, parum apposita esse mihi videtur. Nam potiùs conuitium à vitio dictum est. Vitium autem in malo culpæ consistit præcipuè, multóque magis quàm in defectibus naturalibus. Quare meliùs alij conuitium, & contumeliam indifferenter pro eodem vsurpant. Et de his hactenus.

46. Susurratio quid sit? Iam verò Susurratio est occulta oblocutio contra proximum, per quam possit amicitia dissolui, & discordia inter amicos suboriri: iuxta illud Eccles. 28. *Susurro & bilinguis, maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Dicitur *occulta oblocutio:* in quo differt à contumelia, quæ palam fit: & conuenit cum detractione. Differt autem ab vtraque, quia contumelia lædit honorem, detractio famam, susurratio amicitiam. Item susurratio non tantùm habet pro materia ea quæ verè mala sunt, sicut detractio, & contumelia: Verùm etiam bona, modò vel appareant mala, vel displiceant audienti. Vt si cuipiam hilari & dissolutè festiuo, dicas alterum esse nimis grauem & moderatum. Possunt autem hæc vitia coincidere in eandem actionem. Nam qui vitium occultum alicuius detegit eius amico, vt amicitiam minuat, aut rescindat, est simul detractor, & susurro.

47. Est P. M. ex suo genere. Hoc autem peccatum esse graue ex suo genere, patet ex verbis Script. suprà relatis Eccles. 18. & Prouerb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Hoc est, *Eum qui seminat discordias inter fratres.* Et Eccl. 5. *Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Ratio est, quia proximum magno bono priuat, vel magno damno afficit, quando amicitiam dissoluit, aut discordias serit. *Amico enim fideli nulla est comparatio.* Eccles. 6. Et, vt ait Philosophus 8. Ethic. Amicitia est melior, quàm honor: & amari est melius, quàm honorari. Ex quo infert S. Doctor q. 74. a. 1. susurrationem formalem, id est, factam ex intentione dissoluendi amicitiam, esse grauius peccatum contumeliâ, & detractione: quia lædit maius bonum, quàm sit honor, aut fama.

48. Supponimus autem amicitiam esse honestam. Nam susurrare ad tollendam peruersam amicitiam, saluâ veritate, & moderatione, nullum peccatum est. Vt si quis occultum aliquod meretriculæ, vitium detegat ei, quem vult à turpi eius amore abducere. Excusat etiam à graui peccato leuitas materiæ: licet alioquin amicitia sit honesta: sed non-nisi leuiter lædatur: aut si non intenditur eius dissolutio: sed nimiæ familiaritatis correctio. Hoc genere peccati solent peccare aulici, dum alium alius à Principis gratia submouere conatur, séque in illius locum intromittere. De cuius peccati grauitate ex circunstantijs iudicandum est. Maiùs enim peccatum est si eiusmodi gratia sit Regi & regno expediens: si dolis, & malis artibus Princeps circumueniatur; si grauiora crimina imponantur: si cum maiori damno suo & dedecore pellatur qui gratiâ excidit. Fitque non modò contra Charitatem, sed etiam contra Iustitiam, saltem quando susurratio nititur fraudibus, & mendacijs. Est vitiũ aulicorũ.

SECTIO VIII.

De Irrisione, & Maledictione.

IRrisio, de qua D. Thom. q. 75. est peccatum, quo proximus ludi causâ suffunditur pudore & verecundia, bonóque pacis & serenitatis conscientiæ priuatur. In quo differt à vitijs præcedentibus. Nam contumeliosus intendit honori derogare: detractor, famam lædere: susurrator, amicitiam minuere, aut rescindere: Irrisor verò, rubore & erubescentia suffundere. Linguæ autem peccata maximè distinguuntur ex intentione & affectu: vt suprà diximus cum D. Thom. quæst. 72. art. 2. Differt etiam, quia priora illa peccata seriò fiunt. Irrisio verò, sub ioci & ludi formâ. Vnde propria illius materia, ex natura rei, est paruum aliquod vitium naturale, aut morale. Vitia enim grauia non ioco, sed seriò exprobrari solent, eorúmque improperatio seria esse censetur ex natura sua. Ex quo præterea fit vt irrisio ex genere suo sit peccatum veniale dumtaxat: licet interdum mortale esse possit ratione personæ quæ irridetur, & grauis damni quod illi infertur, aut alijs. Quo in genere primum locum tenet irrisio Dei, vel Religionis, & rerum sacrarum: quæ blasphemia potiùs dici debet: iuxta illud Isa. 37. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? &c. Ad sanctum Israël.* Secundum, irrisio parentum: de qua dicitur Prouerb. 30. *Oculum, qui subsannat patrem suum, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ:* id est, talis derisor meretur pendére de patibulo, & à volucribus rapacibus deuorari. Tertium, irrisio iustorum, bona eorum opera in ludum & iocum vertendo: iuxta illud Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas, &c.* Quod vitium eò deterius est, quòd non solùm pudorem injicit deriso, verùm etiam alios à bonis operibus retrahit. 49. Quid sit irrisio? Quãtum peccatũ sit?

Hæc tamen non ita accipienda sunt, quasi quælibet derisio huiusmodi personarum, excepto Deo, graue peccatum sit. Nam etiam in illis potest leuitas materiæ à mortali excusare. Semper tamen irrisio deterior est, cæteris paribus, quò grauior & venerabilior est persona quæ deridetur. Interdum etiam graue aliquod vitium reputatur veluti paruum ratione personæ quæ contemnitur, quæque vsque adeo parui penditur, vt graues eius defectus pro nihilo habeantur: id est, parum æstimetur quòd persona 50. Interdũ miscetur contumeliæ.

sona tam vilis, sit tam magnis inquinata vitijs, aut deturpata defectibus adeo pudendis. Túncque irrisioni miscetur contumelia, quando tales defectus huiusmodi personis exprobrantur per iocum, & contemptum personæ. Et talis derisio, seu potiùs tale peccatum ex irrisione & contumelia simul conflatum, peius est solâ contumeliâ, vt rectè ait D. Thom. a. 2. q. 75. quia scilicet quamvis graue peccatum sit magnum aliquod vitium alteri objicere per contemptum & contumeliam; maius tamen fit, si contemptui addatur iocus, & contemptu eo vsque progrediatur, vt ioci materia censeatur tantum vitium exprobrare aut impingere tam vili personæ.

51. Non omnis est iniuriosa. Quæ autem diximus, intelligenda sunt de irrisione iniuriosa: non de iocosa solùm, quæ per honestam recreationem fit, & ad virtutem Eutrapeliæ pertinet. Neque de illa quæ fit correctionis causâ: quando parentes filijs, Magistri discipulis, superiores inferioribus exprobrant ioco vitia, vel defectus aliquos, vt pudore iniecto eos ab illis deterreant.

52. Maledictio quid sit? Denique maledictio, de qua S.Thom. q.76. est peccatum, quo malum alicui sub ratione mali imprecamur, siue optamus euenire, aut etiam imperamus, idque verbis exprimimus. Est enim hoc vnum de linguæ peccatis, & dupliciter committi potest: optando scilicet, vel imperando vt malum cuipiam eueniat: putà, damnum rerum temporalium, aut spiritalium, infamia, mors, diaboli vexatio, æterna damnatio, & similia. Idque sub ratione mali: ita vt hæc non desiderentur zelo Iustitiæ diuinæ, aut humanæ, vt puniantur peccatores pro meritis: neque ex affectu boni eorum spiritualis, vt corrigantur & resipiscant: neque etiam vt desistant bonis nocere: sed simpliciter vt malo sit illis, quibus maledicimus.

53. Est P. M. ex suo genere. Ex quo apparet hoc peccatum esse mortale ex genere suo, cùm sit directè contra Charitatem velle hoc modo malum proximo sub ratione mali. Excusat tamen à mortali 1. Leuitas mali quod optatur. 2. Subreptio & imperfecta deliberatio: quando, licet malum sit graue, tamen ex iræ motu subito & præcipiti prorumpitur in huiusmodi maledictiones sine perfecto vsu libertatis. 3. Defectus intentionis maledicendi. Quando nimirum verbo tantùm maledicitur, sine intentione vt eueniant mala quæ imprecamur. Quo pacto solent parentes maledicere liberis. Sed tunc maledictio materialis tantùm est, non formalis. Et nihilominus potest interdum esse mortalis aliunde, ratione grauis scandali quod parentes, liberis aut alijs præbent. Quare vehementer ab hoc peccato dehortandi sunt. Idémque dicendum à fortiori, si liberi parentibus, inferiores Prælatis & alijs superioribus maledicant: quod vix sine graui scandalo fieri potest, propter reuerentiam illis debitam: licet id non fiat ex intentione & desiderio mali quod ore profertur. Debent autem interrogari parentes virum deliberatè, & ex animo maledixerint: cùm id Confessario aliter notum esse non possit. Neque sufficit, vt excusentur, eos statim pœnituisse. Nam id non est signum sufficiens quòd non ex animo maledixerint: sed tantùm quòd in malo animo non perseuerauerint. 4. Non peccant etiam qui malum alijs imprecantur sub ratione boni honesti, aut vtilis: neque tunc est formalis maledictio, sed materialis dumtaxat. Quo pacto Ecclesia maledicit sibi rebellibus & contumacibus, eos anathematizando, & excommunicando, vt resipiscant: & Prophetæ sæpe imprecantur mala peccatoribus, vt conuertantur, vel vt eorum iusta punitio gloriæ Dei & aliorum exemplo inseruiat. Et potest quisque zelo Iustitiæ, aut diuinæ gloriæ, optare licitè vt malefactores puniantur; vel vt hostes & perturbatores boni publici tollantur è medio, sicque nocere desinant: vel vt morbo, inopiâ, aut alio flagello temporali compescantur à Deo, qui ad peccandum importunè & periculosè nos sollicitant, aut rapinis & litibus iniustè vexant. Vnde collige posse similiter maledici dæmonibus, inimicis Dei rebellibus, & salutis nostræ bonique spiritalis & temporalis infensissimis hostibus.

Multa eã excusant à P. M.


54. Maledictio materialis non illicita.

55. Quale peccatũ sit maledicere creaturis irrationalibus? Quoniam autem male dici potest non solum creaturis rationalibus, verùm etiam alijs; notandum est non peccare grauiter eos qui maledicunt creaturis irrationalibus absolutè consideratis & secundùm se: imò posse sine peccato illis maledici ratione alicuius mali. Sicut Dauid 2. Reg. v. 21. montibus Gelboe maledixit, eo quòd ibi abiectus fuisset clypeus fortium, clypeus Saül, quasi non esset vnctus oleo: & Iob cap. 3. v. 3. & seqq. maledixit diei natiuitatis suæ, ratione miseriarum, & dolorum, quibus fuerat expositus. Secus autem si maledicatur illis spectatis vt sunt creaturæ Dei: quia sic considerantur provt sunt aliquid Dei: & quod illis vt talibus fit, in Deum ipsum redundat. Vnde talis maledictio est quædam blasphemia contra Deum, & graue peccatum. Secus etiam dicendum est si creaturæ irrationales spectentur relatiuè ad homines, provt ad illos pertinent aliquo modo, & malum, quod illis imprecamur, in eos redundat. Vt si quis per imprecationem optet armenta & greges proximi perire, terram sterilescere, vineas grandine vastari: quod perinde est ac imprecari homini famem & inopiam, grauiúsque repugnat Charitati.

56. Excusare tamen possunt à mortali leuitas materiæ, & alia quæ dixi de maledictione erga ipsas creaturas rationales. Eâdem enim ratione licitum, aut illicitum est maledicere creaturis irrationalibus provt referuntur ad hominem; quà licitum, aut illicitum est maledicere ipsi homini: cùm illis vt talibus maledicere, sit re vera maledicere ipsi homini; vt rectè aiunt Caiet. ad art. 2. quæst. 76. & Valent. q. 19. de Iustitia puncto 2. Vbi addit maledictionem formalem aliquando maius peccatum esse, quàm detractionem, cæteris paribus; & aliquando minus; vt docet etiam S. Thom. quæst. cit. art. 4. Si enim est deprecatiua tantum: cæteris paribus minus peccatum est, quàm detractio: quia minus est optare malum alteri, quàm inferre. At qui detrahit, infert malum reipsa, auferendo famam: qui imprecatur, solùm optat inferri. Si autem est imperatiua & efficax: potest esse quandoque maius peccatum detra-

Sitne peccatũ grauius quàm detractio?

ctione, quandoque minus, quandoque par; pro diuersitate mali quod maledicendo imperatur fieri: Quod si est æquale infamiæ, vel ipsamet infamia; par esse poterit peccatum imperantis efficaciter, & inferentis seu exequentis, detrahentisque reipsa. Si autem grauius sit, aut minus: erit quoque maledictio peccatum magis aut minùs graue. Et hactenus de iniurijs circa famam, & honorem.



DISPVTATIO DECIMA.

De Iniurijs fortunarum per furtum, & rapinam, & necessaria Restitutione propter illas.

DE furto & rapina disputat S. Thomas quæst. 66. Docétque 1. Hominem habere naturale dominium rerum exteriorum. Quia per rationem, & voluntatem potest illis vti ad suam vtilitatem, quasi propter se factis. 2. Licitum esse hominibus possidere rem aliquam veluti propriam: imò id esse necessarium propter tria. Quia scilicet magis solicitus est vnusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi competit; quam id quod est commune omnium, vel multorum. Vnusquisque enim laborem fugiens, relinquit alteri id, quod pertinet ad commune: sicut contingit in multitudine Ministrorum. Tum etiam quia ordinatiùs res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandæ: esset autem confusio, si quilibet indistinctè quidlibet procuraret. Item quia per hoc magis pacificus status hominum conseruatur, dum vnusquisque re suâ contentus est. Vnde videmus iurgia frequentiùs oriri inter eos, qui ex indiuiso aliquid possident. 3. Furtum esse occultam ablationem rei alienæ. Differréque à rapina: quia furtum in sua ratione includit ignorantiam eius, cui fit iniuria: rapina verò, violentiam. 4. Furtum esse peccatum mortale ex genere suo: quia aduersatur Iustitiæ, & Charitati. Posse tamen in euidenti, & vrgenti necessitate constitutum (putà, quando imminet personæ periculum, & aliter subueniri nequit) licitè ex rebus alienis sibi succurrere, siue manifestè, siue occultè. Neque id habere propriè rationem furti, vel rapinæ. Quia ea, quæ sunt iuris humani (sicut est rerum diuisio, & proprietas) non possunt derogare iuri naturali, vel diuino, secundùm quod res inferiores sunt ordinatæ ad subueniendum necessitati hominum. 5. Rapinam esse peccatum: quia violentiam, & coactionem importat, per

quam contra Iustitiam aufertur alicui quod ipsius est: siue à priuatis personis id fiat: siue ab habentibus potestatem publicam: obligatéque ad Restitutionem. 6. Rapinam esse grauius peccatum, quàm Furtum. Tum quia est magis inuoluntaria læso. Nam violentia magis opponitur voluntario, quàm ignorantia. Est autem Rapina inuoluntaria per violentiam: Furtum verò, per ignorantiam. Tum etiam quia per Rapinam non solùm infertur alicui damnum in rebus: sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam, siue iniuriam. Et hoc præponderat fraudi, vel dolo, qui pertinet ad Furtum. Hucvsque D. Thom. cuius doctrina sequentibus Sect. fusiùs exponetur.

****

SECTIO I.

An & quomodo Furtum, & Rapina sint peccatum mortale?

1. Sunt P. M. ex suo genere. DIfferunt Furtum, & Rapina, quia furtum occultè fit: rapina palam, id est, sciente cuius bonum eripitur, & cum quadam violentia, vt rectè docet S. Thomas quæst. 66. art. 3. & 4. Esse autem peccatum mortale ex genere suo, de fide est, 1. ad Corinth. 6. *Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Sed vt peccatum sit mortale in indiuiduo, requiritur vt fiat cum sufficienti deliberatione, seu perfecto vsu libertatis; & vt quantitas sit notabilis, ita vt proximus notabiliter lædatur. Quanta verò debeat esse, non est facilè definire. Existimant aliqui sufficere quinque aut decem asses, etiam respectu ditissimi: vt Tolet. lib. 5. cap. 16. & Less. cap. 12. n. 31. Alij vnum, vel duos aureos; vt indicat Sotus lib. 5. q. 3. a. 3. ad 3. Alij centum aureos requirunt, vel amplius, secluso quovis incommodo: teste Less. cap. cit. n. 29. qui tamen meritò hanc sententiam reprehendit, vt nimis laxam, & Scripturæ minùs consonam, ibid. num. 31. Alij vt Pet. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 34. censent non posse materiam sufficientem taxari generatim: quia quæ grauis est respectu vnius, non est talis respectu alterius. Quare de grauitate aut leuitate furti pro varia personarum conditione, prudenter statuendum esse.

2. Quæ quantitas sufficiat ad P. M. Existimo cum Valent. q. 10. p. 5. col. penult. attendendam esse quantitatem ex nocumento, quod moraliter loquendo res ablata affert, aut afferre apta est, vel secundùm se, quia videlicet secundùm se iudicio hominum est aliquid notabile, qualem esse puto quantitatem vnius, aut duorum aureorum, à quocunque auferatur: vel ex ratione detrimenti in rebus externis, quod ex rei ablatione obuenit huic personæ hîc & nunc, ratione cuius furtum potest esse mortale, quamvis res secundùm se non sit notabilis. Obuenit, inquam, necessariò, & naturali quadam sequela, velut ex causa per se: vt si artifici auferas instrumentum, quo lucratur vnde viuat, si non possit habere aliud: vel si pauperi habenti tantùm quinque asses, quibus se & familiam alat vno die, auferas illos, & cogas diem sine cibo transigere. Si autem tale damnum graue proueniat tantùm per accidens ex furto, per se verò ex imaginatione læsi vel mala animi dispositione; puta quia ratione nimij affectus ad res temporales, vel æstimationis nimiæ, & imaginariæ, rei ablatæ: tale furtum non est mortale in genere furti, neque comprehenditur maiori excommunicatione lata contra fures; sed est graue in genere damnificationis, vel scandali contra Charitatem. Peccat etiam aliquatenus contra alias virtutes, quibus opponitur malum cuius fur erit causa. V. g. si læsus præ impatientia erumpet in execrationes, Blasphemias, alia sua bona destruet, aut morietur præ tristitia; peccat fur hæc præuidens peccato scandali contra Religionem, & contra amorem proximi, per damnificationem circa alia bona, quæ læsus destruit præ impatientia.

3. Furtum rei leuis est interdum P.M. Fieri etiam potest, vt qui leue quid furatur, aut rapit, peccet mortaliter, idque in quatuor casibus. Primus est, si habet voluntatem multum furandi si posset: tunc enim actus ille internus est peccatum mortale: at non externus furti rei exiguæ: ideóque talis non incurret excommunicationem maiorem latam contra fures, quæ, vt omnes aliæ pœnæ, iuxta Regulam iuris in 6. benigniùs interpretanda est de furto graui secundùm se in actu externo. Nam excommunicationes, & aliæ censuræ, ac pœnæ Ecclesiasticæ feruntur contra actus externos, & sensibiles: qui, nisi sint graues, non sunt graui pœnæ proportionati.

4. Et plura minuta furta, quando intenditur summa notab. Secundus casus est, si quis per minuta furta intendat summam notabilem acquirere, siue ab eodem accipiendo, siue à diuersis, vt faciunt, qui vtuntur mensuris, vel ponderibus iusto minoribus, quos peccare mortaliter docet Scriptura Prou. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus. Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.* Idem communiter tenent Doctores contra Angestum cap. 9. Moral. post 3. textum dub. 2. in fine, vbi censet non peccare mortaliter eum, qui à diuersis multum surripit, sed parum à quolibet; neque teneri sub mortali ad restitutionem. Ratio eius est, quia talis nemini facit notabilem iniuriam: nullum enim notabiliter lædit. Ergo non peccat mortaliter. Respondeo talem facere notabilem iniuriam communitati, vel multitudini eorum, quibus surripit, quippe quam priuat summa notabili simul sumpta: licet particulares non

inde sentiant notabile incommodum. Habet autem communitas & multitudo ius, secundùm quod potest offendi grauiter, æquè ac contrahere, aut suscipere grauem obligationem: vt fit quando communitas paciscitur cum aliquo. Confirmatur responsum, quia ex opposito sequeretur eum, qui ex publico ærario, vbi est pecunia in omnes regnicolas distribuenda, furaretur mille aureos, non peccare mortaliter: quia nullus particularium læditur notabiliter. Vel si multum tritici surriperet ex cumulo totius communitatis.

5. Sed quid, si nulla sit communitas, vt inter barbaros: vel si quis surripiat hominibus diuersarum communitatum, quarum neutra curat bonum alterius, ita vt censeat se lædi iniustè per iniuriam illi factam? Respondeo, eo non obstante, rationem naturalem dictare esse valde iniquum hoc modo ditescere de bonis alienis. Vnde meritò Doctores communi consensu id damnant peccati mortalis, excepto Angesto suprà citato, cuius opinio singularis est, nec illius auctor magnæ auctoritatis, vt ait Vasq. cap. 9. de Restitut. §. 1. num. 71. qui tamen fatetur argumentum suprà allatum, esse difficillimum. Sed dico, licet homines non sint eiusdem communitatis: vnumquemque tamen tacitè, vel expressè, esse iure & rationabiliter inuitum, & valde ægrè ferre quòd sibi modicum eripiatur ad constituendam cum furtis aliorum notabilem quantitatem, & ad ditescendum hoc modo de bonis alienis: quod ratio naturalis valde iniquum esse dictat. Notandum tamen ex Medin. Cod. de Restit. q. 10. in fine, Angelo V. *Furtum*, num. 37. Fumo ibid. num. 10. Vasq. in Opusc. cap. 9. de Restitut. §. 6. dub. 5. n. 73. & Less. cap. 12. n. 37. excusari à mortali eum, qui graui necessitate pressus id facit: quia non habet aliunde vnde se, & familiam alat, & est talis conditionis vt alij teneantur illi succurrere: aut si scirent eius statum, non essent inuiti de re ipsa, quamvis fortè modus eis displiceret. Quo pacto possunt excusari in foro conscientiæ multi sartores, qui solent quid exiguum retinere, & famuli, alijque similes, qui non habent aliud vnde viuant, aut vestiantur, suntque in graui necessitate, & impotentia morali restituendi, vel habendi aliunde, quo sibi subuenire queant. Sed hoc æquo & prudenti iudicio examinandum est.

Nisi grauis necessitas excuset.

6. Nota secundò, iuxta probabilem multorum sententiam, singula minuta furta non esse peccata mortalia ratione sui, sed tantùm ratione intentionis internæ furandi sic magnam quantitatem, cui intentioni iunguntur omnia illa furta: & in ea coniunctione vniuntur quodammodo, & constituunt vnum numero moraliter peccatum mortale externum. Quòd peccatum externum non est maius, imò est minus, quàm si omnia illa simul eriperentur: minùs enim nocet, qui successiuè, quàm qui simul summam notabilem accipit, vt dicam paulò post: internum verò peccatum multiplicatur physicè quoties illa intentio mala & mortalis reperitur: moraliter autem est vnum continuatione, quamdiu quis manet habitualiter in eo affectu, & statu, neque est necesse in confessione explicare quoties iterauerit.

Tertius casus est, cùm quis, licet per minuta furta non intendat acquirere notabilem quantitatem, sed tantùm ex occasione ea committit: nihilominus post aliquot minuta furta aduertit se iam peruenire ad notabilem quantitatem. Tunc enim peccat mortaliter per furtum subsequens, nisi intendat restituere, si potest, quod priùs abstulit. Quia tunc incipit velle retinere, seu non restituere alienum in notabili quantitate. Hoc tamen furtum externum non est per se mortale, sed ratione voluntatis retinendi notabilem quantitatem: quod peccatum crescet, quò per plura subsequentia furta minuta plus, & plus accipietur sine animo restituendi. Deque isto casu sicut de præcedenti, in ordine ad confessionem philosophandum est. Notandum autem ex Nauar. Vasq. & Lessio cap. 12. num. 46. & sequentibus, multò plus requiri ad constituendum furtum mortale ex huiusmodi minutis acceptionibus, licet eidem factis longo temporis spatio, & non de industria, sed ex occasione: quia homines minùs sunt inuiti, & minùs æstimant eiusmodi furta interpolata & fortuita, quàm ea quæ semel, vel successiuè de industria fiunt in eadem quantitate. Quare si aureus v.g. requireretur ad mortale quando simul surripiatur; requiruntur duo circiter, vt furta ista minuta constituant mortale. Imò si maius est interuallum, maior quantitas requiritur, quia plus nocet, qui breui interuallo multa parua surripit, quàm qui magno interuallo. Quòd si minutæ surreptiones non sint factæ eidem, sed diuersis, maior adhuc quantitas requiritur; quia diuersi illi minus læduntur, & minus curant rei tam leuis ita sibi ereptæ restitutionem.

7. Atque etiam licet non intendatur.

Quartus casus est, cùm quis per se quidem non infert damnum notabile, si seorsim consideretur damnum quod infert: sed tamen consideratum cum illis, quæ ab alijs inferuntur, constituit damnum notabile: vt v.g. quando multi vineam prætereuntes, accipiunt singuli parum, sed omnes simul multum. Tunc enim, si communi consilio id fiat, peccant singuli mortaliter, & tenetur quilibet ad totum restituendum, alijs non restituentibus, si fuit causa sine cuius præsentia, consilio, exemplo, vel exhortatione, alij non intulissent damnum. Ratio est, quia quilibet consentit in totum damnum notabile, & est illius totius causa moralis, quamvis physicè parum accipiat. Dixi autem, *si communi consilio id fiat:* quia si casu tantùm eueniat, nemine alterius conscio, non peccant mortaliter: quia nullus est causa damni notabilis. Quin etiam licet aduertat alios accipere, & ex omnibus simul fieri damnum notabile; non tamen peccare mortaliter eum, qui parum accipit, si nullo modo suo consensu, exemplo, præsentia, vel exhortatione est alijs causa accipiendi, docent Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. & lib. 4. de Iust. q. 7. a. 3. col. 6. Malder. 2. 2. tract. 4. cap. 1. dub. 5. casu 3. Tanner. tom. 3. disp. 4. q. 6. dub. 9. n. 286. Lessius cap. 12. n. 52. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 16. Sect. 27. n. 92. De Lugo tom. 1. de Iust. disp. 16. Sect. 3. n. 55. & alij quorum confusè meminit Petrus Nauar.

8. Et paruū damnum multis alijs coniunctum.

lib. 3. cap. 1. n. 48. Quamvis ipse cum Medina, Conar. Maiore, Petro & Martino Ledesma, Corduba, Lopez, Rodrig. Nauar. Sayro, Molina, Vasque, Suare, Turriano, Filiucio, Bonacina, & alijs, aduersetur. Quorum sententia probabilis quidem est, tum ob tantam multitudinem Doctorum; tum ob rationes subjiciendas, & diluendas paulò post: illámque nos vt talem supposuimus tom. 5. disp. 59. Sect. 16. Sed contraria quoque parem, imò maiorem probabilitatem habere mihi videtur rem attentiùs consideranti, & vtriusque opinionis argumenta præcipua expendenti.

Cōtraria sentent. est probabilis. Primò, quia ille, qui modo supradicto furatur aliquid exiguum, infert parum damni per se. Ergo ex eo præcisè non peccat mortaliter, neque tenetur sub mortali ad restitutionem. Et quamvis hoc damnum cum alijs coniunctum constituat damnum notabile: ille tamen non est causa alterius damni, neque illud infert, neque illius inferendi est particeps, siquidem cum alijs inferentibus nullo modo communicat. Ergo ex eorum facto, cuius non est causa, non debet eius peccatum, vel obligatio restituendi aggrauari mortaliter. Neque dicas, talem cum alijs communicare sufficienter eo ipso, quòd scienter & liberè magnum cum illis damnum infert, & furtum suum, exiguum per se, coniungit cum alijs plurimis, ad inferendum damnum notabile. Nam inde sequeretur furantem Regi obolum, quippe cui alij multùm furati sunt, peccare mortaliter, & teneri sub mortali ad restitutionem: quod ridiculum est, & multorum scrupulorum origo. Vix enim vlli quidquam eripi posset sine peccato mortali: cùm possit meritò præsumi alios antea multa minuta eidem furatos esse, vel postea furaturos. Item sequeretur, eum qui scienter complet summam notabilem furando vnum quadrantem, peccare infinitè grauiùs, quàm eum qui centum quadrantes antea furatus esset.

Neque valet distinctio Petri Nauar. loco supra cit. de eo qui tantum damni infert, quod cum alijs constituat damnum notabile, & ante quod nondum erat notabile. Etenim quantitas notabilis non consistit in indiuisibili, neque per vllam partem solam, vi nimirum partis illius per se constituitur: sed existit ex omnibus partibus, sicut totum. Quare qui videt ex damno à se illato, & ex alijs damnis existere notabilem quantitatem, non consentit in illam per suam actionem, cuius nempe vi illam quantitatem non constituit.

9. Soluitur 1. argum. prioris sententiæ. Ex his soluitur primum, & præcipuum argumentum alterius sententiæ, quod sic habet: Ille qui scienter infert damnum, etiam per se leue, ex quo tamen, & ex alijs illatis scit notabile furtum existere, consentit in damnum notabile, illudque infert reipsa: nempe in illud ipsum quod facit, quodque cum alijs coniunctum, illisque superueniens, est notabile. Ergo & dum infert damnum illud peccat mortaliter, & quandiu non satisfacit manet in peccato mortali. Respondeo primò negando consentire in damnum notabile: neque enim approbat, quod ab alijs fit: imò potest de eo dolere. Secundò, licet consentiret interiùs mente, & complacentiâ: modò tamen exteriùs non cooperaretur ad damnum, quod ab alijs infertur, non peccaret mortaliter actu externo, sed solùm actu illo interno complacentiæ: neque teneretur sub mortali ad restitutionem: quia hæc obligatio requirit vt vel res aliena retineatur in magna quantitate, vel vt aliquis sit causa per se damni notabilis. Sola verò complacentia, & voluntas etiam iniusta, sine actione, non sufficit ad inducendam obligationem prædictam. Vnde qui delectatur de homicidio, vel læsione iniusta, sed eius causa non est, non contrahit obligationem illam.

Objicitur secundò Talis cooperatur damno notabili. Ergo peccat mortaliter. Respondeo cooperari tantùm per accidens, & in parua quantitate. Nam in casu proposito singuli non sunt causa damni notabilis, neque constituunt cum alijs causam vnam, sed sunt causæ diuersæ tantùm, & disiunctæ: quamvis per accidens, propter vnitatem subiecti patientis, ex omnium actibus sequatur vnum damnum notabile. 10. Diluitur secundū.

Objicitur tertiò: Ille qui post minuta furta peruenit ad notabilem quantitatem, peccat tunc mortaliter, cùm furatur modicum quid, quod alijs coniunctum videtur facere summam notabilem. Ergo à pari peccat mortaliter is, qui modicum quid furatur videns id, coniunctum aliorum furtis præcedentibus, aut concomitantibus, facere summam notabilem. Respondeo differentiam esse, quia prior est causa totius damni, quippe qui omnia illa furta commisit, & totam summam notabilem accepit, ac retinet. Posterior verò non est causa damni per alias illati, & exiguum tantùm accipit, retinétque.

Instabis, quia si plures leuibus ictibus, aut punctionibus quempiam interficerent, peccarent omnes, & singuli mortaliter, saltem si viderent ex suo facto cum alijs coniuncto mortem secuturam: absurdum enim est dicere occisionem hominis in tali casu non fore peccatum mortale. Nulla autem est ratio, cur vnus illorum peccet mortaliter, potiùs quàm alius, cùm omnes simili modo se habeant. Quare vel nullus peccat mortaliter, vel omnes. Ergo à pari peccant omnes mortaliter, cùm plures paruis acceptionibus quempiam lædunt notabiliter in bonis, saltem si videant ex suo facto cum alijs coniuncto graue damnum sequuturum. Hæc instantia difficilis est. Respondeo tamen distinguendum esse. Vel enim ictus illi simul dantur, vel successiuè. Si successiuè: priores ictus efficiunt vt respectiuè, propter subiecti patientis dispositionem, vnus sit grauis, qui communiter talis non esset. Vnus, inquam, vel plures iam valde malè afficientes subiectum, & mortem causantes: quique talem ictum infert, peccat mortaliter. Sin autem simul inferuntur, tunc concursu ipso omnes, & singuli aggrauantur, & ad vnum effectum physicum ordinantur, qui est subiecti concussio, & mors; quæ cùm ab omnibus simul concutientibus fiat, peccant omnes, & singuli mortaliter. Similitérque in furtis plurium minutis, si supponamus ea fieri successiuè, possunt priora efficere, 11. Instantia difficilis.

vt posteriora respectiuè propter subiecti patientis dispositionem sint grauia sigillatim; putà, quia illi nihil amplius superest vnde viuat, aut graui necessitati succurrat; vnde grauiter indiget illa re, quamuis exiguâ per se. Sed hoc est per accidens ratione talis dispositionis. Nos autem loquimur de eo, quod est communiter, & per se. Sin autem simul fiant subiecto similiter disposito, aggrauantur singula per accidens ex tali dispositione; vnde singuli peccant mortaliter, sed per accidens, vt ante dictum est. Nos autem hîc loquimur de furtis illis per se consideratis, quæ negamus vt sic esse mortalia, vt neque essent ictus illi, si nihil aliud esset, putà si longo interuallo darentur, vnde neque grauis concussio, neque mors sequeretur.

Dices ex illis furtis coniunctis sequi per se graue damnum proximi in bonis fortunæ. Tam verò est absurdum posse à multis inferri scienter & liberè graue damnum in bonis sine peccato mortali, quàm in vita. Respondeo neutrum esse mortale: nisi illud ipsum, quod fit ab vno, vel ea, quæ fiunt à pluribus, sint grauia sigillatim ex dispositione subiecti patientis modo suprà explicato.

SECTIO II.

De causis excusantibus à furto.

12. Excusat grauis aut extrema necessitas. TRes sunt causæ generatim excusantes à furto: Prima est grauis admodum vel extrema necessitas eius, qui non potest aliter sibi succurrere, vel ad amicos aut alios ditiores recurrendo miseriamque suam illis exponendo, si spes est aliquid obtinendi: vel ostiatim mendicando, ad quod tamen non tenetur persona honestæ conditionis. De extrema consentiunt Doctores. De graui multi negant. Sed meliùs affirmant Syluester, Angelus, Nauar. Med. & alij, quos refert, & sequitur Less. cap. 12. n. 71. Ratio vtriusque est, quia in diuisione rerum iure gentium introducta, quâ factum est, vt nemini liceret, rem alterius vsurpare; debuit hæc conditio subintelligi, Nisi extrema, vel grauis necessitas postulet. Neque enim potuit illa diuisio derogare naturali facultati, quâ possunt homines vitæ suæ consulere, grauissimisque eius, vel extremis necessitatibus, per res inferiores in hunc finem à Deo factas. Porro non tantùm quisque suæ necessitati extremæ, aut valde graui potest succurrere modo prædicto; sed etiam alienæ. Vnde filius potest surripere de bonis parentis ad faciendam eleemosynam in tali casu: quia parens non est rationabiliter inuitus, & ipsemet tenetur dare: Et vxor de bonis mariti, & communibus: Et famulus de bonis domini, &c. At non est par ratio de leuibus, & communibus necessitatibus, propter quas si liceret bonum alienum accipere, diuisio rerum fuisset fere inutilis ad suum finem, id est, ad pacem inter homines conseruandam. Omnes enim fere in aliorum bona passim inuaderent, ob multitudinem talium necessitatum. Neque verò illæ tantopere vrgent, vt rerum diuisioni, eiusque fini debeant præiudicare: sed potiùs iuuant ad excitandam hominum diligentiam, & industriam.

Secunda causa excusans est, cùm quis repetit suum, vel aliunde sibi debitum per æquiualentiam, quod recuperandi hîc & nunc ius habet, & non potest aliter absque notabili molestia, vel expensis, vel alio graui damno aut incommodo. Cauendum tamen periculum scandali, & ne idem bis soluatur. Ratio est, quia is, à quo rem tuam repetis, non est iure inuitus. Secus autem si non haberes ius recuperandi hîc, & nunc, quia titulo iusto ab alio detinetur, putà pignoris, vel locationis, aut commodati: quia facis contra ius illius. Nisi tamen periculum sit, ne finito illius iure recuperare tuum non possis sine incommodo. Hinc excusant aliqui seruos, qui compulsi necessitate operam suam pluris valentem pretio exiguo locant, & clam accipiunt, quod ad æquiualentiam sufficit: modò dominus tali seruitio egeat, vel magnum inde capiat emolumentum: Tunc enim, inquiunt, æquum est, vt dominus suppleat, quod ad æquiualentiam deest: estque contra rationem abuti aliorum necessitate, & pro exiguo stipendio magnos labores & improportionatos exigere. Sed hac de re alius erit dicendi locus. 13. Et si tantumdem debeatur.

Tertia causa est consensus tacitus, vel expressus, qui facit vt res non subtrahatur domino inuito. Vnde excusantur furta minuta esculentorum, & poculentorum, facta sæpe à famulis, non vt vendant, neque ad profusiones, compotationes, ludos, &c. sed ad vsus ordinatios: quia dominis id non omnino displicet, vt ex eo colligitur, quòd licet sciant talia fieri, non omnino impediunt. Si tamen dominis id omnino displiceret; non possent plus accipere, quàm ad conuenientem sustentationem necessarium sit. Excusantur item amici, qui ab amico; filij, qui à parentibus; vxores, quæ à maritis; Religiosi, qui à domo Religiosa accipiunt aliquid, quod si peterent, non negaretur: vnde non res, sed modus ipse displicet. Itémque filij, qui versantes in studijs, vel extra domum paternam, impendunt in eleemosynas, & honestam recreationem, quæ solent alij modesti eiusdem conditionis; quia meritò præsumunt parentem id non ægrè ferre, nisi constet oppositum: multóque magis idem possunt vxores, quibus tenentur mariti dare quæ necessaria sunt ad honestè, & decenter viuendum more aliarum suæ conditionis. Loquor autem de bonis, quorum non habent liberam administrationem. Nam filij de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & vxores de bonis paraphernalibus, possunt liberè disponere sine periculo iniuriæ, vel furti. Ac si pater, aut maritus de illis impendat in suos vsus, aut familiæ; possunt illi tantundem de ipsius bonis, aut de bonis communibus accipere in compensationem. Possunt etiam filij, qui gerunt negotia patris, mercedem laboris sui accipere, quam daret alijs, quibus necessariò vteretur, deductis expensis alimoniæ: nisi pater exigat & egeat vt id gratis præstent. Et vxores possunt accipere quod impendant pro rebus familiæ necessarijs, vel sibi ipsis: vt pro victu, vestibus, medica- 14. Et consensus domini tacitus, vel expressus.

mentis, operibus pijs pro salute mariti, vel domus, &c. Quia maritus non potest iustè id denegare. Item si maritus est amens, vel absens, & vxori relicta sit administratio; potest ipsa impendere, vt prudenter videbitur: vel si maritus sit dissipator, potest ipsa sibi, & suis consulere, subtrahendo clam dotem, & alia sibi debita, vel filijs suis, aut hæredibus: vt sua pars bonorum communium cum dote salua sit. Potest etiam, si pater, vel mater, vel frater, aut soror, aut proles ex alio matrimonio suscepta, sint pauperes, ita vt miserè viuant secundùm suum statum; succurrere illis, de dote, vel de bonis communibus subtrahendo, vt illis det: quia iure naturæ tenetur illis succurrere, & maritus non potest iure inuitus esse, nisi ipse in simili necessitate sit.

15. Quomódo peccét vxores & liberi per furtum erga maritos aut parentes? Extra hos casus, & similes, in quibus parentes, aut mariti tacitè consentiunt, vel non possunt iure dissentire* (hæc enim pro eodem reputantur) non est dubium peccare filios & vxores, cùm accipiunt de bonis, quorum administratio penes ipsos non est: & quidem mortaliter, si quantitas accepta censeatur notabilis pro conditione status, & personarum. Quod addo, quia, vt rectè notat Less. n. 76. post Pet. Nauar. lib. 3. parte 2. cap. 2. Non idem censendum est notabile in furtis filiorum, vel vxoris, quod tale censetur in furtis externorum: sed maior quantitas requiritur, quæ non est eadem respectu omnium, sed varia pro conditione status, & aliarum circumstantiarum, ex quibus prudenter iudicandum est, sitne parens, aut maritus iure grauiter inuitus. Tuncque, nisi parentes, vel mariti condonent tacitè, vel expressè, tenentur illi restituere de bonis proprijs, si habent; vel alioqui computare illud in diuisione, nisi alij, ad quos pertinebit diuisio, similiter fecerint.

SECTIO III.

De Obligatione restituendi propter furtum, & rapinam.

16. Fur peccat quãdiu non restituit, si potest. Quæritur primò, an fur & raptor continuò peccet donec restituat? Respondeo peccare toto eo tempore, quo, cùm potest, & debet, non restituit. Ratio est, quia continuò lædit voluntariè, & iniustè proximum, dum continuat læsionem, quam potest, & debet auferre. Est tamen totum hoc moraliter vnum peccatum, continuò crescens, quò magis durat. Crescens, inquam, saltem ratione durationis, atque etiam interdum ratione damnorum inde emergentium, vt molestiæ animi, vel damni crescentis, aut incommodi maioris, & similium. Ratio est, quia furtum non est solùm acceptio quævis rei alienæ, sed acceptio cum animo retinendi. Quare retentio in affectu, vel in effectu, est pars furti in affectu similiter, vel effectu commissi. Ergo furtum, & retentio rei non sunt peccata diuersa, sed vnum inchoatum in acceptione iniusta, & completum, ac continuatum in retentione, quæ retentio continuatur, quamdiu non restituitur. Idem enim est retinere rem alienam, ac non restituere. Et licet dum res aliena retinetur, possint actus voluntatis circa illam retinendam interrumpi frequenter, ac renouari; quod dum fit, committuntur plura physicè peccata: Illa tamen omnia per modum vnius se habent moraliter, neque in confessione debent necessariò explicari, sed sufficit dicere se tamdiu retinuisse, cùm posset, ac deberet reddere. Sicut qui aliquem per annum integrum odit, non tenetur explicare quoties actus odij iterauerit; sed sufficit dicere, se per annum odisse. Si quod tamen graue incommodum proximi sequutum est ex retentione iniusta, explicandum pariter est ab eo, qui scienter fuit illius causa. Sed hoc iam est peccatum damnificationis, & non furti propriè.

Porro qui retinet inuito domino rem alienam, & eâ vtitur, non peccat de nouo quoties vtitur, nisi vel rem deteriorem reddat, vt vestem, equum, &c. vel se faciat impotentem ad restituendum, vt si consumat, aut alienet. Túncque non fit peccatum diuersum specie morali, sed prius tantùm magis crescit: quia rem alienam accipere, retinere, vti, & destruere, censentur eiusdem rationis, & speciei moralis. Et quando concurrunt, constituunt vnum peccatum continuatum. Ita Less. n. 25. post Sotum, Gabr. & alios. Quando verò vsus est talis, vt non intersit domini an vtatis, supposita retentione; non crescit culpa per vsum magis, quàm per meram detentionem. Quòd si res vsu consumatur, aut aliter pereat apud iniustum detentorem: restituendum est eius pretium, nisi consumatur, aut pereat eo loco, & tempore, quo apud dominum sine ipsius commodo æquè peritura fuisset: vt si perijt frumentum ablatum communi incendio, quod horreum quoque domini incendit, aut sit consumptum à militibus, qui apud dominum æquè consumpsissent. Item si rei pretium creuit, dum iniustè detinebatur, & dominus erat rem venditurus eo tempore, quo pretium creuerat, tenetur detentor restituere rem secundùm illud maius pretium, & resarcire damnum emergens, cuius fuit causa. Quod si creuit res ipsa eius curâ, & sumptibus, vt v. g. si pullus ab eo pastus creuit, si ager cultura diligenti melior effectus est; tenetur nihilominus restituere rem in statu, in quo est; sed potest in foro conscientiæ repetere sumptus, & mercedem laboris in domini commodum impensi. Si verò contrà, res deterior euasit, aut pretium eius decreuit, sed similiter apud dominum erat deterior euasura: putà, si equus morbo laboret, aut frumentum nunc minùs æstimetur; sufficit reddere rem qualem habet, quia non plus haberet dominus, si ei rem suam non abstulisset, posito quòd frumentum summo pretio non vendidisset, aut equum ante morbum, vt supponimus. Quòd si id certò non constet, æstimanda est probabilitas oppositi, & tantundem restituendum, quantum spes probabilis lucri valet, fauendo potiùs innocenti, quàm reo.

17. Peccatne quoties vtitur re aliena?

Debet damnum ex retentione ortum resarcire.

18. Sitne obligatio grauis re- Quæritur secundò, an possit esse obligatio sub mortali restituendi id, in quo auferendo fuit tantùm peccatum veniale? Respondeo,

ſtimendi quid leue? quando quis tenetur ſolùm ratione culpæ, ſeu iniuſtæ acceptionis ; nunquam obligari ſub mortali, niſi acceptio iniuſta fuerit peccatum mortale. Poteſt tamen ratione rei acceptæ obligari ſub mortali ad non retinendum id, in quo accipiendo peccauit tantùm venialiter. Quod vt probem, ſuppono ex dictis Sect. 1. eum qui modicum quid furatur, peccare tantùm venialiter in furto illo modico: fieri tamen poſſe vt ex illo modico furto, iuncto cum alijs, ſiue a diuerſis, ſiue ab eodem perpetratis, exiſtat magna quantitas rei furto ſublatæ: vt quando plurimi ſine communi conſenſu, & cooperatione ad factum alterius, vineam deuaſtant: vel cùm vnus & idem furatur à multis magnam quantitatem, ſed à ſingulis parum. Item cùm quis ab eodem furatur multa modica ſucceſſiuè, quæ tandem in magnam molem euadunt.

19. Primus caſus ſecundùm aliquos. In primo caſu Suares diſp. 20. de Cenſuris Sect. 2. num. 3. & plures alij ſuprà citati Sect. 1. num. 8. putant ſingulos teneri ſub mortali ad reſtituendum, quando cognoſcunt factum aliorum, ad quod tamen non ſunt cooperati. Sed quamvis hæc ſententia probabilis ſit, iuxta ea quæ diximus loco cit. Meliùs tamen Nauarr. cap. 17. Manual. n. 130. Sot. in 4. diſt. 22. q. 1. a. 2. caſu 3. Leſſ. cap. 12. dub. 9. n. 52. De Lugo tom. 1. de Iuſtitia diſp. 16. Sect. 3. §. 2. & alij cenſent teneri tantùm ſub veniali. Ratio eſt, quia leue eſt quod ſinguli retinent, & in eo accipiendo peccarunt tantùm venialiter. Ergo obligatio reſtituendi non eſt grauis neque ratione rei acceptæ, neque ratione culpæ. Nec obeſt quòd quiſque ſciat factum aliorum. Nec enim propterea vnus cooperatur damno aliorum, niſi illa ſcientia ſit efficax, & cauſa moralis cur acceperint, aut cur non reſtituant, ſuo malo exemplo, vel conſilio Non obeſt etiam quod tales ſoleant excommunicari: quia Eccleſia meritò præſumit eos eſſe cooperatos toti damno. Quod tamen niſi ita ſit, excommunicatio non ligat in conſcientia: quippe fundata in præſumptione facti non vera. Vel, vt aiunt Leſſ. & De Lugo ſup. cit. ſi excommunicatio feratur contra eos etiam qui modicum quomodocunque furati ſunt, niſi reſtituant, idque exprimatur in ſententia excommunicationis; retinentes, licet non peccent grauiter contra Iuſtitiam, quia materia furti ſemper eſt leuis: poterunt tamen peccare grauiter contra obedientiam, & meritò excommunicari: quia Prælatus iuſtis de cauſis ita præcipit ob aliquem finem grauem & neceſſarium: ſicut propter eundem finem poteſt grauiter præcipere aliquos actus etiam de ſe indifferentes.

20. Alij duo caſus vere. In ſecundo, & tertio caſu, quando ſcilicet vnus & idem furatur à multis, vel ab eodem, magnam quantitatem per plura furta minuta, tenetur ſub mortali ad reſtitutionem, non ratione culpæ, ſeu acceptionis iniuſtæ: quippe quæ ſemper exigua fuit in actu externo, vt ſupponimus: Obligatio autem reſtituendi ratione culpæ inter homines oritur ex actu externo, qui ſi eſt leuis, non grauiter obligat, qualiſcunque fuerit actus internus. Sed tenetur ratione rei acceptæ, quæ iam eſt magna, vt ſupponimus, adeóque furem grauiter obligat: ſiue adhuc extet in ſeipſa, ſiue in alio vnde fur maneat ditior, ſiue non extet, quia culpâ ipſius perijt, aut eam malâ fide conſumpſit, aut alienauit. Nam obligatio reſtituendi ratione rei acceptæ non perijt, re ipſa pereunte, niſi ſine noſtra culpa perierit: vt diximus diſp. 28. Sect. 3. num. 25. quod diligenter notandum eſt.

Quæritur tertiò, Vtrum ad vitandum P. M. neceſſe ſit totum reſtituere: an verò ſufficiat partem illam reddere quæ quantitatem notabilem reddit. Ex. gr. Quando aliquis per minuta furta ſurripuit decem, quæ nondum erat quantitas notabilis: deinde ſurripit vnum, & tunc facit notabilem quantitatem: ſufficitne ad vitandum P. M. reddere illud vnum? Reſpondeo cum Vaſq. cap. 9. de Reſtit. §. 1. num. 79. ſufficere reddere id, quod notabiliter aggrauat: idque ſiue ab eodem totum illud ſurripuerit, ſiue à diuerſis. Sufficit enim ſi eidem, vel aliquibus illorum diuerſorum reſtituat id, quod facit notabilem quantitatem. Ratio eſt, quia ſi ſurripere decem, non eſt peccatum mortale, eò quòd non eſt quantitas notabilis: ergo neque retinere. Ergo ſi vnum reddit, & decem tantùm retinet, non peccat mortaliter. 21. Sufficitne reſtitue re id quod notabiliter aggrauat?

Dices, teneri quemque tantum reſtituere, quantum abſtulit, vt ſeruetur æqualitas. Ergo tenetur iſte reſtituere vndecim, & quidem ſub peccato mortali: quia quantitas notabilis eſt. Reſpondeo teneri quidem reſtituere quantum abſtulit: at non ſub peccato mortali, quando per diuiſionem ventum eſt ad quantitatem non notabilem. Sicut enim non peccaret mortaliter ſolam illam quantitatem non notabilem auferendo: ita nec retinendo.

Inſtabis, quia ſi ille ſub mortali tenetur tantùm reſtituere vnum; ergo tenetur ſub mortali reſtituere quid leue: Illud enim vnum eſt leue, & minus quàm alia decem, quæ, per nos, non tenetur reſtituere ſub mortali. Atqui abſurdum eſt teneri aliquem ſub peccato mortali reſtituere quantitatem non notabilem: & alioqui teneretur ſub mortali reddere alia decem: quare noſtra ſententia ſeipſam deſtruit. Reſpondeo, teneri illum ſub peccato mortali non retinere notabilem quantitatem, ideóque teneri ſub mortali non retinere illud vnum cum alijs decem, ſed vel reddere totam illam quantitatem, vel id ſaltem detrahere, quod facit eam notabilem, quodque ſi retinet cum alijs coniunctum, retinet ſummam notabilem. In forma igitur, nego conſequentiam. Et ad eius probationem, dico illud vnum retentum cum alijs decem, non eſſe quid leue, ſed efficere grauem, & notabilem retentionem, quia facit notabilem quantitatem: vnde obligatio illius non retinendæ cum alijs, non eſt rei leuis. 22. Soluitur inſtantia.



DISPVTATIO VNDECIMA.

De Iure, & iniurijs in Contractibus: præcipuéque de Vsura.

DE Iniurijs in Contractibus, & de Vsura disputat S. Thomas q. 77. & 78. In quarum priore docet, omnino peccatum esse adhibere fraudem ad hoc, vt aliquid plus iusto pretio vendatur. Neque posse licitè vendi rem cariùs, quàm valeat, vel secundùm se, vel secundùm quod valet habenti, & damnum ex venditione incurrenti. Vtilitatem verò ementis non debere pretium rei augere: quia nullus debet vendere alteri, quod non est suum: licet possit ei vendere damnum quod patitur. Esse quoque illicitum vendere rem vnam pro alia, vel non in debita mensura, vel rei qualitate: quod qui faciunt, obligantur ad restitutionem. Emptorem pariter iniustè emere, & teneri restituere, si cognoscit venditorem errare circa speciem rei, quam vendit, vel circa qualitatem, aut quantitatem, & idcirco illam minùs pretiosam æstimare: vt si vendatur aurum pro aurichalco. Teneri etiam venditorem, occultum rei suæ vitium detegere emptori, si ex eo periculum, vel damnum isti imminet: vel si propter illius ignorantiam cariùs emit, quàm valet: vel si propter huiusmodi vitium vsus rei redditur impeditus, vel noxius. Denique negotiationem, quæ fit propter lucrum, vendendo cariùs,

quàm emeris, non esse vitiosam, si ad finem honestum referatur, aut necessarium. Vt cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, refert ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus: vel cùm aliquis negotiationi intendit propter publicam vtilitatem: ne scilicet res necessariæ ad vitam, patriæ desint, & lucrum expetit, non tamquam finem, sed tanquam stipendium laboris.

In posteriori affirmat illicitum esse pro vsu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur Vsura obligaréque ad restitutionem. Quia vsus pecuniæ non distinguitur à re ipsa: & per mutuum transfertur eius dominium. Vnde præter ipsam pecuniam, quæ integrè repetitur, non potest peti pretium vsus illius. Hoc enim esset rem eandem bis vendere, aut bis accipere. Eadémque de causa non licere aliquid pecuniâ æstimabile pro mutuo accipere, nisi tamquam gratuitum donum, secluso omni pacto tacito, vel expresso. Ac si aliquid frugiferum pro mutuo acceptum fuit, putà domus alterius, vel ager: teneri vsurarium non solùm rem ipsam restituere, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, & ideo ei debentur. Non tamen peccare, qui, vt subueniat necessitati suæ, petit mutuum ab vsurario, non illum ad vsuram exercendam inducendo, sed malo eius animo & peccato vtendo in bonum sibi necessarium. Hucvsque D. Thomas.

****

SECTIO I.

Supponuntur aliqua de Contractibus in genere.

1. Quid sit contractus.

SVppono primò contractum dupliciter sumi. Primò, strictiùs pro conuentione duorum aut plurium, obligationem pariente in vtroque. Quo pacto definitur L. *Labeo ff. de verb. signific.* Contractus est vltro, citróque obligatio: effectiua scilicet, & causalis: id est, conuentio causans, & inducens obligationem reciprocam. Secundò, latiùs pro conuentione duorum, quæ saltem in vno parit obligationem. Quo modo sumitur L. *Contractus*, Cod. *de fide instrumentorum*, & alibi sæpius, vbi donatio vel promissio vocatur contractus: Nam donatio ponit tantùm obligationem in donante, non in eo, cui donatur: sicut & promissio in promittente, non in eo, cui promittitur. Ideóque non sunt contractus in primo, & stricto sensu.

2. Tria requiruntur vt sit iustus.

Suppono secundò, ad contractus strictè sumpti Iustitiam tria requiri, quorum aliquod si desit contractus non sunt iusti, neque Iustitiæ obligationem inducunt. Primum est, vt celebrentur modo per iustas leges, diuinas, vel humanas valido, seu non irritato. Ratio est, quia potestas inferiorum disponendi de se, & de rebus suis, subest diuinæ, atque etiam humanæ potestati superiori, á qua potest limitari, atque impediri penitùs ne effectum sortiatur: quemadmodum patet ex legibus irritantibus matrimonium clandestinum, & alia quædam, vt contractus impuberum, aut pupillorum, & similia.

Secundum est, æqualitas ex parte rerum, quæ reciprocè dantur, & accipiuntur à contrahentibus toto suo iure vtentibus: vel ratione quarum pariter in vtroque obligatio reciproca. Quæ tamen æqualitas non spectatur ex sola rerum natura, sed ex varijs circumstantijs, quæ pretium augent, vel minuunt in hominum æstimatione. Ratio huius assertionis est, quia si desit æqualitas; iniuriam patitur, seu læsionem, & detrimentum iniustum is, qui plus dat, & minus accipit, quando vult vti iure suo naturali tantumdem accipiendi. Quod addo, quia si sciens, & volens simpliciter, cedit iure suo, non patitur iniuriam, dum recipit inæquale: condonat enim id quod vlteriùs deberetur; & neque expressè, neque tacitè vult restitui in integrum, & suppleri quod deest ad æqualitatem. Sed, vt dixi, hæc æqualitas non attenditur ex ipsa sola rerum substantia, vel substantiali, aut accidentali perfectione quacunque; sed ex ordine ad vsum, & ad commoditatem, vtilitatem, & prouentum, vel ad ornatum, delectationem, & similia, quæ potissimum à contrahentibus attenduntur; & quorum ratione fit commutatio, ac pluris æstimantur, quæ plus valent ad illos fines. Vnde fit vt non rarò substantiæ nobiliores minùs æstimentur, quàm ignobiliores. Nam gemma interdum pluris venditur, quàm equus: & equus, plus quàm homo, ratione commoditatis, aut vsus, qui pluris fit: vt notat S. Thom. q. 77. a. 2. ad 3. post D. August. lib. 11. de Ciuit. Dei, cap 16.

Tertium est, vt vterque contrahentium habeat rei, de qua contrahit, sufficientem notitiam, & contrahendi potestatem, ac voluntatem, non vi, aut metu iniusto extortam. Alioqui vel non satis consentit, vel læditur iniustè, vel inualidè contrahit: vt dicam paulò post.

Suppono tertiò, contractus diuidi in nomi- 3.

Diuiditur in nomi nat. & in nominatum. natos, & innominatos. Nominati dicuntur illi, qui habent nomen speciale, & proprium : vt emptio, mutuum, commodatum, depositum, pignus, locatio, & similes. Innominati, qui carent nomine proprio, & speciali. Eorúmque species quatuor assignantur: Do, vt des: Do, vt facias: Facio, vt facias: Facio, vt des. Ex vtrisque tam nominatis, quàm innominatis oritur iure naturali in foro conscientiæ obligatio, si modò seruetur æqualitas moralis in commutationibus, & sponte, ac liberè fiant, contrahentésque sint capaces contrahendi : ita vt non possint rescindi parte inuita, nisi superiori potestate irritentur, vel ab ea fiat irritandi potestas. Ratio est, quia iure naturali tenetur quisque præstare quod sponte, & liberè promisit, vel ad quod aliter se obligauit, altero acceptante, siue titulo oneroso, siue gratuitò promiserit, aut se obligauerit.

Obligat iure naturali in foro conscientiæ.

4. Dixi, *iure naturali :* quia ius ciuile, & forum externum non fouet omnes huiusmodi contractus, vt videre est apud Less. c. 17. dub. 1. & 4. Sed nos hìc forum conscientiæ, & ius naturale spectamus : forum verò ciuile Iurisconsultis relinquimus. Dixi secundò, *si modo seruetur æqualitas moralis in commutationibus :* quia si sit excessus iniustus, non obligant, saltem eatenus, in conscientia : licet ad vitandas lites contractus aliqui iniusti foueantur iure ciuili : vt emptio quæ fit supra dimidium iusti pretij : quamvis alioqui sit infra iustum infimum. Dixi tertiò, *si modo sponte, & libere fiant:* quia si fiant ex errore tollente consensum, vt si error sit circa substantiam rei, v. g. si quis vendat gemmam, putans vendere vitrum : aut si error vel dolus det causam contractui ; nimirum quia omnino non contraxisset, si error, aut dolus non interuenisset : non obligant in conscientia : sed in priori casu sunt irriti : in posteriori possunt irritari à parte, quæ decepta est ; vt fusiùs docet Less. cap. cit. dub 5. Idémque dico de contractu per vim, & metum iniustum extorto : potest enim huiusmodi contractus in foro conscientiæ rescindi, & irritari pro arbitrio eius qui metum iniustum passus est ad contractum extorquendum, nisi contractus aliunde sit irreuocabilis. Ratio est, quia qui metum iniustum incussit, iniuriam alteri intulit ; vnde tenetur illum in priorem statum restituere, & alter habet ius exigendi hanc restitutionem : Dixi quartò, *si partes contrahentes sint capaces contrahendi :* quia sine capacitate, seu potentia agendi nihil validè fit. Duplex autem est incapacitas, seu impotentia. Vna naturalis, vt in amentibus, ebrijs, furiosis, infantibus, & quibuscunque destitutis vsu rationis. Altera à iure positiuo, vt in pupillis, minoribus, & similibus, quorum potestas naturalis restricta est per superiorem potestatem, cui subsunt : ita vt liberam sui ipsorum, vel rerum, de quibus contrahunt, dispositionem non habeant. Quintò denique dixi, *nisi à superiori potestate irritentur, &c.* quia Principes tam sæculares, quàm Ecclesiastici, in ijs, quæ gubernationi suæ subsunt, possunt propter bonum commune statuere conditiones aliquas, vel formulas, sine quibus contractus sint inualidi : vel etiam, licet validi fuerint, possint reuocari ab eo, cuius interest. Vt patet in contractu impuberum, in alienatione fundi dotalis, & similibus.

Quid requiratur vt obliget?

SECTIO II.

De Emptione, & Venditione.

EMptio, & venditio est pactio pretij pro merce, & pactio mercis pro pretio. Nomine pretij intelligitur pecunia. Nomine mercis intelligitur quæcunque res vendibilis, siue mobilis, siue immobilis : quæ si pacto subjicitur pro pecunia, venditio est : Sin autem pro re alia, non est venditio propriè, sed permutatio. Potest autem præter emptionem, & venditionem esse multiplex commutatio. Nam res cum rebus commutari possunt, & vsus earum cum vsu, & opera cum opera, id est, vnus actus liber, aut officium liberum, cum alio. Et rursus vnumquodque eorum potest cum quolibet alio commutari ; videlicet res cum opera, vel cum vsu alterius, &c. de quibus contractibus, quoad Iustitiam, & Iniustitiam, iudicandum erit cum proportione ex ijs, quæ dicentur de Iustitia, & Iniustitia in emptione, & venditione. Hoc supposito,

5. Quid sint emptio et venditio?

Differunt à permutatione.

Dico primò : Ad Iustitiam contractus emptionis & venditionis, per se loquendo, & nisi contrahentes remittant aliquid de iure suo, requiritur vt pretium sit iustum ; id est, vt sit æqualitas quædam inter mercem, & pretium. Patet ex dictis de contractu in genere. Pretium verò iustum censetur illud, quod vel à publica potestate propter bonum commune taxatum est ; vel communi hominum æstimatione definitum. Prius vocatur legitimum, quasi lege statutum : posterius naturale, quasi naturali prudentia constitutum sine lege positiua ; itémque vulgare, & arbitrarium : quasi vulgi, aut communi hominum arbitrio definitum. Quamquam non est cuiusque, sed prudentum dumtaxat, id definire, quorum iudicium, & arbitrium vulgo sequendum est : quia imprudentiores debent Regi à prudentioribus, & peritioribus, tam in contractibus, quàm in alijs negotijs. Pretium legitimum dicitur communiter esse positum in indiuisibili, quod tamen non ita intelligendum est, quasi semper idem esse debeat. Lex enim, aut constitutio publica, vt iusta sit, debet rerum circumstantijs accommodari, ex quarum mutatione pretium etiam mutandum est. Et quando constaret Magistratum esse negligentem in rerum pretio mutando iuxta exigentiam circumstantiarum, aut esse deceptum in eo constituendo ; non tenerentur in conscientia ementes, & vendentes, legem aut constitutionem certò iniquam seruare. In dubio autem pro superioribus præsumendum est, & standum pretio legitimo. Notandum tamen est taxationem communiter fieri respectu vendentium, vt scilicet non pluris vendant ; at non respectu emptorum, vt non possint viliùs emere intra aliquam latitudinem, in qua iustum, seu æquale moraliter potest consistere, iuxta ea quæ mox dicemus de pretio vulgari.

6. Pretium debet esse æquale.

Pretium legitimũ, seu lege statutum.

7. Pretium naturale, seu vulgare.

Pretium naturale, seu vulgare, non est positum in indiuisibili: tum quia statuitur ex plurium prudentum arbitrio, quod non vnum, & idem est, quia non in vnum & idem conueniunt, vt simul statuant aliquod pretium, vt fit in pretio legitimo ab vno, vel à pluribus communi consensu, statuto, & publica auctoritate sancito: tum etiam quia in moralibus expedit res spectari secundùm aliquam latitudinem, intrá quam veritas comprehendatur. Ob quam rationem expediret etiam pretium legitimum habere aliquam latitudinem; nisi ad vendentium auiditatem coërcendam, & tollendos abusus, cogeretur lex aliter decernere. Dicitur ergo esse triplex. Supremum, medium, & infimum. Supremum est illud, quo nemo prudens pluris rem æstimaret. Infimum, quo nemo prudens minùs æstimaret. Medium, quod est inter vtrumque. In ijs autem omnibus, quorum pretium non est publica constitutione legitima præscriptum, aliquod ex his pretijs seruandum est, non tantùm in his, quæ ad victum humanum necessaria sunt, sed etiam in illis, quæ ad delectationem. Falluntur enim Petr. Nauar. Sotus, & alij quidam existimantes res eas, quæ vitæ humanæ necessariæ non sunt, vt gemmas, canes, falcones, statuas vel imagines antiquas, & similia, tanti vendi posse, quanti volet dominus, cuius sunt. Etenim res illæ non plus valent, quàm vel communi æstimatione, vel prudentis alicuius mercatoris arbitrio, pensatis omnibus circumstantijs, æstimantur. Quare non plus vendi licitè possunt, nisi quis sponte domini voluntati pluris vendenti consentiat. Item; licet leges ciuiles non rescindant contractum, nec obligent ad restitutionem, quando venditor non fuit deceptus infra dimidium iusti pretij: tenetur tamen in conscientia emptor vel contractum rescindere, vel addere quod deest vsque ad iustum pretium. Præterea, qui vendendo de pretio infimo pactus est, non potest ab eodem exigere postea medium, vel supremum: sed contractum seruare debet. Ratio est, quia tenetur stare iusto contractui de tali pretio, pro tali re, in tali substantia, quantitate, & qualitate: quod nisi facit, peccat contra Iustitiam, accipiendo alienum contra voluntatem domini rationabiliter inuiti. Tales sunt v.g. mercatores, qui ponderi, aut mensuræ subtrahunt quod requiritur ad summum pretium attingendum.

Est triplex: supremum, medium, & infimum.

Non licet pluris vendere.

8. Pretium augetur, aut minuitur multis de causis.

Dico secundò, pretium rerum mutari multis de causis, ob quas licet pluris, aut minoris vendere, vel emere. Primò, ratione officij mercandi. Quia enim coguntur mercatores toti esse in curandis mercibus, & alias lucrandi vias relinquunt, vt illi vni insistant, æstimabile id pretio est, eáque de causa possunt res cariùs vendere, quàm alij communiter. At non propterea possunt excedere pretium legitimum; quia Magistratus taxat etiam pro mercatoribus, & in eo taxando habet rationem officij mercandi. Secundò, ratione laborum, & expensarum, in rebus quæ venduntur conquirendis, aut conseruandis factarum: dummodo per infortunium, aut imprudentiam factæ non sint: neque enim infortunium vel imprudentia mercatorum debet in alios refundi: neque propterea mutare possunt pretium legitimum, in quo taxando habita fuit ratio expensarum, & laborum ordinariorum, & periculi, cui expositum est officium mercandi. Tertiò, mutatur etiam pretium ratione paucitatis mercium, & multitudinis emptorum & pecuniarum: vel è contrario, ratione multitudinis mercium, & paucitatis emptorum & pecuniarum. Solent enim vbique gentium merces pluris vendi, quando est earum inopia, & magna mercatorum, & pecuniæ abundantia: minoris autem, quando è contrario, magna est mercium copia, & mercatorum pecuniæque inopia. Sic excusantur à Caietano, Nauarro, & alijs, illi etiam qui res emunt vili pretio à militibus, & pauperibus, defectu aliorum qui emere velint, quamvis ipsi propter necessitatem cogantur viliùs vendere: quia pretium rerum debet sumi à tempore præsenti, & copiâ emptorum, quæ est in tali tempore. Quartò, ratione damni, quod venditor incurrit, potest rem suam cariùs vendere: putà, si res illa plus ei valet, quia meliùs nouit eâ vti, aut commoditatem, vel fructum ex ea percipere: vel si iusto, aut rationabili affectu illam prosequitur, aut specialem oblectationem ex ea capit rationabiliter, putà, quia est domus auita, vel antiqua picturata, quâ valde oblectatur. Ratio est, quia vt rectè S. Tho. q. 77. a. 1. in c. Vnusquisque potest vendere damnum suum, seu vendendo, rationem illius habere: quia nimirum non tenetur damnum subire, vt alteri prosit, sine alia necessitate. Dixi autem, *affectu rationabili:* quia irrationabilis non est vendendus, sed corrigendus. Debet autem in eo casu venditor significare causam maioris pretij, ne emptor putet rem per se tanti valere, & decipiatur, atque alijs simili pretio vendat, quamvis ipse tali incommodo careat. Quintò, ratione lucri cessantis potest etiam res pluris vendi: vt si statueris seruare triticum vsque ad mensem Iulij, quo cariùs vendi solet, potes nunc roganti vendere eo pretio, quo tunc vendetur, si pretium certum est, deducendo tamen quantùm valet æstimatio custodiæ, & periculi ne tibi pereat, aut deterius fiat. Si verò pretium summum est incertum, deducendum est etiam aliquid pro illa incertitudine, vel assignandus certus dies, quo vendere statueris, & pretium commune illius diei seruandum. Neque potest indefinitè exigi summum pretium totius anni, aut totius temporis, quo seruare volebas: quia non potes petere compensationem, nisi lucri, quod habere potuisti, adeóque eligere. At nemo est qui possit scire, quando venditurus est, hoc esse summum pretium tritici: pendet enim ab euentu dubio futuro, neminique noto. Igitur iniquè petis certò lucrum, seu pretium summum, in compensationem lucri, quod non potuisti eligere. Sextò, non licet tamen rem pluris vendere emptori ob singularem vtilitatem, aut commoditatem, quam ex ea capturus est, vel ob eius necessitatem. Quia, vt rectè ait S.Tho. art.cit. nullus potest vendere non suum, licet possit vendere damnum, quod patitur, seu pro eo aliquid accipere. At quod emptori prouenit

uenit peculiariter & ex proprijs, ac priuatis, non est in bonis venditoris: ergo non potest illud vendere. Septimò, si res emptori parum vtilis est, & in gratiam venditoris eam emit, potest viliùs emere: quippe quæ vilescit, tum quia parum ei vtilis est, tùm defectu emptorum. Qua etiam de causa, quando multæ sunt merces, & pauci emptores, vt in fine nundinarum, possunt viliùs emi. Octauò, ex modo vendendi: vt quando multæ res simul venduntur, aut emuntur, possunt minoris emi, quia cedit in lucrum mercatoris, quòd liberatur curis & laboribus multis circa tot merces minutim vendendas; & fortè diuersa in loca transportandas non sine expensis, fiatque expeditior ad alias statim conquirendas. Item, si res per auctionem seu licitationem vendantur, subsunt fortuito, & incerto pretio licitantium. Crescit enim, aut vilescit earum pretium, iuxta multitudinem, vel paucitatem, & feruorem, aut teporem licitantium. Debet tamen abesse fraus, aut monopolium. Item, si res vendantur creditò, possunt cariùs vendi ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex dilata solutione, vel etiam ratione periculi sortis, cui mercator creditò vendens exponitur, & expensarum, ac molestiarum, quas rationabiliter timet in recuperanda sorte: hæc enim omnia sunt pretio æstimabilia: at non præcisè ratione crediti, quod mutuum quoddam est; ob ea, quæ diximus inferiùs de vsura: sicut etiam propter solam anticipatam solutionem non licet rem minoris emere infra pretium infimum: quia solutio anticipata est mutuum implicitum, pro quo solo non licet plus accipere, sed tantùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex solutione anticipata, aut periculi fraudis, vel dilationis, & molestiæ, similiumque difficultatum in recuperanda merce, pretio æstimabilium. Ob eandémque causam solent credita, seu chirographa minoris vendi, quàm contineant; ratione periculi, aut difficultatis: vel quia ei, qui dat pecuniam præsentem, priuat se vtilitate, aut commoditate, quam non habet per chirographum. His enim de causis chirographum minùs æstimatur communiter, quàm pecunia præsens: & quò plus est periculi, aut difficultatis, eò magis pretium minuitur, adeo vt interdum infra dimidium pretium emi possint, non solùm ab ijs, quorum respectu est tantum periculum, aut difficultas; sed etiam ab alijs, qui tutiùs, aut faciliùs possunt recuperare. Possunt enim isti emere communi pretio, & secundùm communem rei æstimationem. Fortunæ verò eorum tribuendum est, quòd tutò, aut facilè recuperent. Quòd si debitor non est penitùs soluendo, peccat sine dubio, qui vendit tale debitum, sciens inopiam debitoris. Est enim illud vitium mercis occultum, à venditore patefaciendum, iuxta ea, quæ mox dicemus assertione 5.

9. Possunt res vendi currente pretio, licet mox transiturum sciatur.

Dico quartò, valorem rerum, quamdiu durat, esse verum, licet citò sit transiturus; posséque illo vti eum, cuius res est; neque teneri negotium aliorum ita agere, vt eos moneat de futura mox pretij mutatione, ac vilitatem pretij anticipare. Ex. gr. magna nunc est tritici raritas & caritas. Scit mercator propediem affuturam magnam eius copiam, & pretium vile futurum. Potest interea dum res ab alijs nescitur, triticum suum currente pretio vendere, ita tamen vt non inducat alios ad emendum, sic enim in fraudem induceret. Ita D. Thomas q. 77. a. 3. ad 4. Caiet. ibid. Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. ad 3. Sylu. Verbo Emptio, Less. cap. 21. n. 40. Valent. q. 10. Punct. 4. Ratio est, quia pretium currens durat adhuc, quamdiu res manet occulta, id est, nondum est publicè nota: tamdiu enim manet communis æstimatio, & pretium in ea fundatum. Neque tenetur ipse ex officio alios monere. Ex Charitate verò non debet cum suo incommodo. Similiter potest merces currenti pretio vendere, qui scit breui futuram obsidionem, ob quam vilescent: & locare domum pretio solito, qui scit aulam recessuram, vnde pretium locationum minuetur. Quin etiam tales mercatores interrogati de euentu futuro, si respondeant se nescire, aut negent; non tenentur ad restitutionem: quia non tenentur aperire veritatem, & mendacium illud non est contra Iustitiam: modò non inducant positiuè ad præueniendum euentum, emendo, aut locando currente pretio. Idémque dicendum de augmento, aut diminutione valoris pecuniæ: par enim est illius ratio, atque augmenti, & diminutionis valoris mercium. Notandum tamen hæc non intelligi de Magistratibus & alijs, qui ex officio tenentur admonere, aut impedire talem ignorantiam.

Objicies: Tenetur mercator admonere emptorem de vitio occulto mercis suæ, vt dicemus paulò post. At hoc est vitium occultum, quòd v. g. res non sit tanti valitura, vel pecunia sit valorem ex parte, aut ex toto amissura. Respondeo non esse id vitium ipsius rei, sed esse tantùm mutationem extrinsecam æstimationis, aut pretij, propter concursum aliarum mercium, vel circumstantiarum, vel legum, nondum publicè notam, idcóque nondum mutantem pretium vulgare: propter scientiam enim priuatam non mutatur communis æstimatio, quandiu res occulta est.

10. Tenetur venditor occultū rei suæ defectum aperire.

Dico quintò, teneri venditorem defectum occultum rei vendendæ aperire emptori. Ita D. Thom. art. cit. & alij communiter. Quod intellige primò de vitio, quod scire interfit emptoris, aut alterius tertij. Nam si emptor emat vinum, aut triticum, vt citò consumat, defectus eorum in durando non debet attendi; quia perinde se habet respectu talis, ac si non esset. Secus autem si emat vt diu seruet, vel vt distrahat, & vendat alijs tanquam diu duraturum, ignorans defectum. Idémque dico de eo, qui vendit ligna cariosa, pro integris; aromata euanida, pro recentibus; semina corrupta, pro sanis: quia non prosunt ad vsus, ad quos emuntur, sed potiùs damni causa sunt: & talis venditor tenetur de damno, cuius iniustè causa est. Secundò intellige de vendente, qui non detrahit de pretio quantum est opus ratione vitij occulti, quod alioqui non interest emptoris: nam manifestè iniquum est rem vitiosam, aut defectuosam in substantia, quantitate, vel qualitate, vendere eodem pretio, quo

bonam, & integram. Vnde peccant qui vino miscent aquam; tritico secale, ceræ adipem: & ea vendunt vt pura, & integra: Quique mensura, aut ponderi detrahant aliquid, & tamen vendunt eodem pretio, quo alij pondus, & mensuram seruantes. Quin etiam licet pretio detrahatur, hæc propter fraudem illicita sunt, nisi aliqua causa legitima excuset: putà, si vinum alicuius excellentissimum sit, & admixtà aquà modicà sit æquè bonum, ac purum aliorum, nec possit pluris vendi. Intellige tertiò, de venditore interrogato ab emptore de rei vitio, vel an res bona sit; vel petente ad vsum aliquem, cui res conueniens non sit ob vitium occultum. Ratio est, quia nisi venditor teneretur tunc ex Iustitia rei suæ conditionem aperire, pateret locus fraudibus multis; & magnis, quæ non possent ab emptoribus vitari. Alioqui verò, si emptor fidens suo iudicio eligat mercem, interrogans solùm de pretio, non tenetur venditor ex Iustitia vitium mercis aperire: esset enim nimis dura hæc obligatio, & mercatores vix possent vlla ratione merces tantillum vitiosas distrahere: sed sufficit, vt iustum pretium exigat, & detrahat quantum opus est, pro ratione vitij: præcipuè verò si vitium non est occultum, potestque facilè innotescere. Similiter iniquum est emere rem bonam, & integram, pro vitiosa; aut pretiosam, pro vili; abvtendo ignorantia, & simplicitate venditoris: vt si gemmam pro vitro venderet. Licet tamen in loco, vbi res vili æstimantur communiter, emere eas vili pretio, quamvis alibi in magno pretio sint. Vt apud Indos aurum, & gemmæ initio erant vilis pretij, & ferrum maximi. Sunt tamen qui existiment imprudentiam emptorum, modò non careant iudicio, & vsu rationis, excusare à restitutione: quia ipsi sibi debent imputare errorem. Et si venditor peccat, peccare tantùm contra Charitatem, non admonendo emptorem. Idémque dicunt de venditoribus, qui, si iuuenes sunt, & minùs periti, res vili vendunt: non teneri scilicet emptores, quicquam illis restituere, quando nullus est error in substantia, quantitate, aut qualitate rei. Verùm nisi contrahentes iure suo saltem tacitè cedant, emptio, aut venditio supra vel infra iustum pretium, est apertè iniusta: ideóque obligat ad restitutionem.

11. Pactum retro-venditionis quomodo licitum?

Dico sextò, emptionem, & venditionem cum pacto retro-venditionis, & redemptionis, non esse illicitam, dummodo iusto pretio fiat. Ita nimirum, vt qui vendit cum tali pacto, tantum detrahat de rei pretio, quanti æstimatur prudenter illud onus retro-vendendi, aut redimendi. Potest autem hoc pactum esse multiplex: nimirum vel redimendi rem eodem pretio, quo nunc venditur: vel redimendi eo pretio, quod res tempore redemptionis est habitura, si fortè augeatur, aut minuatur eius pretium. Item, obligatio potest esse in fauorem vnius tantùm; nimirum vel ex parte emptoris solius, qui teneatur retro-vendere in fauorem venditoris: aut ex parte venditoris solius, qui teneatur redimere in fauorem emptoris. Vel etiam potest esse obligatio mutua in fauorem vtriusque: ita vt emptor teneatur reuendere, si venditor velit redimere: & venditor teneatur redimere, si emptor velit, & petat redemptionem. Quæ omnia onera sunt pretio æstimabilia magis, aut minùs, pro ratione obligationis, & circumstantiarum: ideóque aliquid de pretio rei nudè sumptæ, à venditore detrahendum est, quantum valet onus quod emptori imponit: vel aliquid addendum, quantum valet onus, quod in se suscipit. Addunt Nauarrus cap. 23. Manual. n. 91. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. Less. cap. 21. dub. 16. & alij recentiores, non esse per se malum, & illicitum rem creditò venditam alicui summo pretio, ab eodem statim redimere medio, vel infimo pretio, pecunia præsenti v. g. Eget quis pecuniâ, & mutuò petit à mercatore, qui non vult mutuare, sed vendere illi merces aliquas summo pretio creditò, putà 20. aureis, vt eas vendat pecuniâ numeratâ, cui voluerit: & eidem emptori volenti, ac petenti dat infimum pretium puta 18. aureos, quibus easdem merces redimit. Ratio illorum est, quia pretium vtrinque iustum est. Ac sicut posset emptor vendere alteri pretio infimo; potest & mercatori, qui proinde non facit illi iniuriam redimendo eodem pretio, quo alij; sed potiùs eum afficit beneficio, liberando ab onere quærendi alium, qui velit emere. Debet tamen, inquiunt, esse intentio sincera emendi, & vendendi, non autem vsuram palliandi. Neque emptor cogendus est, vt eidem reuendat: sed libertati suæ relinquendus est, vt, si potest, vendat alteri æquali pretio, quo emit, aut non adeo minori, verùm quia huiusmodi venditio habet speciem mali, & suspicionem vsuræ, paterque abvsibus plurimis, familijs & communitati valde perniciosis, estque grauis occasio scandali; censeo talem negotiationem non esse permittendam, sed potiùs grauiter prohibendam à Prælatis Ecclesiasticis, & à Magistratu, & Principibus sæcularibus.

Et prompta redēptio rei creditò venditæ, minuendo pretium.

Dico septimò: Qui rem alienam vendit cum ipsius consensu, aut mandato, pluris quàm ipse præscripserit, potest retinere sibi excessum pretij, vt mercedem suæ industriæ; nisi vel pro illa mercedem aliam accipiat à domino rei, vel ratione officij teneatur tale ministerium, & industriam exhibere, putà quia famulus est. Tales enim nihil possunt retinere pro eo, quod aliunde debent. Nec obstat quòd Dominus determinauerit pretium: id enim facit vt non infra vendant: non autem, vt non supra, si fieri possit, adhibita mediocri diligentia, quam ex officio debent. Si tamen dominus expressè vel tacitè significaret se maiori pretio renuntiare, aut diligentiâ extraordinariâ pluris venderent; non tenerentur ex Iustitia talem excessum Domino reddere: quia volenti non fit iniuria; & non tenentur ex officio ad diligentiam extraordinariam in rebus domini procurandis. Idémque dico de eo, qui gratiâ, & fauore, quo valet apud mercatores, rem pluris venderet, quàm alioqui fieri possit. Qui autem rem alienam vendit sine ipsius consensu; si bona fide vendit putans esse suam; non tenetur ad restitutionem nisi eius, quo ditior manet: quia tenetur tantùm ratione rei acceptæ, & non ratione culpæ,

12. Possitne aliquid retineri à venditore rei alienæ?

Quid si vendat sine ipsius cōsensu?

aut contractus. Sin autem mala fide, si reuendit iniquo venditori, putâ furi, à quo emit, vt pretium suum præcisè recuperet, & non est factus locupletior, ad nihil tenetur. Sin autem vendat alteri, cùm possit vero domino restituere: tenetur reddere pretium, ratione iniustæ alienationis, nisi alter rem restituat. Quia ipsius culpa, id est, iniusta alienatio, non debet ei prodesse: sicut neque prodesset iniusta rei peremptio & consumptio. Sin autem domino eam reddere non poterat: distinguendum est. Vel enim vendendo alteri, reddidit illam recuperatu difficiliorem vero ipsius domino, vel non. Si primum: tenetur resarcire damnum ex hac difficultate proueniens. Si secundum: tenetur solùm restituere id quo factus est ditior per alienationem: quippe per quam non aliud damnum intulit domino, neque rem ipsi eripuit, vt supponimus, sed ab alio emit. Quamdiu autem res non potest restitui domino, nihil interest domini, an hic, aut alius rem habeat, à quo possit non difficiliùs recuperari. Vlteriùs si venditor alicui vendidit mala fide rem, quam sciebat non esse suam; & hoc celauit emptori; tenetur secundùm omnes de euictione: quia istud est vitium occultum rei, de qua disponere non potuit: si autem manifestauit emptori, ideóque viliori pretio vendidit, non tenetur de euictione: quia volenti non fit iniuria, & ipse volens periculum in se suscepit.

13. Licétne vendere rem, quâ emptor abvtetur? Dico octauò, non esse illicitum vendere rem, quâ emptor abvsurus est, dummodo tamen illa sit ex natura sua indifferens, & venditor non teneatur impedire peccatum ex Iustitia; ac neque ex Charitate, quia non potest sine suo incommodo: neque id faciat eâ intentione, vt peccet emptor, vel vt cooperetur ad illius peccatum, sed ob alium finem honestum, aut lucri causâ. Idémque est dicendum de Locatione, Mutuatione, Restitutione, & Donatione rei, quâ alter est abvsurus. Ratio est, quia venditor vtitur iure suo, & emptor tantùm est in culpa. Peccaret tamen contra Charitatem, qui posset impedire illum abvsum sine suo incommodo, & non faceret.

14. Monopolium quomodo licitum, aut illicitũ? Dico denique, quod attinet ad monopolium, id est, machinationem vel industriam, quâ mercatores efficiunt, vt ipsi soli aliquid vendant, vel certo pretio vendant, non esse illud illicitum, & iniustum, si fiat Principis auctoritate id concedentis: modò adsit causa concedendi legitima, nempe bonum publicum; & pretium, omnibus spectatis, sit iustum. Neque etiam si fiat conspiratione venditorum, modò non excedat summum pretium iustum, & absit vis, & fraus in impediendo ne alij minoris vendant, aut ne aliunde merces asportentur & vilescant. Tunc enim non peccant saltem contra Iustitiam, licet peccent interdum contra Charitatem, quando sine ratione sufficienti id faciunt. Similitérque possunt emptores conspirare inter se vt non pluris emant, modò absit dolus, vel fraus; & iustum pretium, saltem infimum non excedatur, id est, pretium non vltra illud minuatur, quod prudentum iudicio res vt minimum valet. Licet etiam monopolium monopolio repellere, & vim vi, fraudem prudenti dolo, seu artificio. Addo cum Lessio cap. 21. dub. 20. & Molin. tract. 2. disp. 345. in fine, non peccare contra Iustitiam commutatiuam, quamvis grauiter peccent contra Charitatem, mercatores, qui v.g. frumentum totum emunt, & supprimunt, vt eius copiâ suppressâ, & occultatâ cariùs vendant. Ratio est, quia non tenentur ex Iustitia commutatiua prodere illud, & vendere. Et quemadmodum, si aliò asportarent, aut in fluuium projicerent, non peccarent contra Iustitiam commutatiuam: sic neque supprimendo. Posita verò suppressione, & occultatione, crescit pretium, ob mercium inopiam moraliter præsumptam. Copia enim, quæ ignoratur, perinde est, ac si non esset, quod attinet ad moralem rerum æstimationem, & pretij taxationem. Quare si vendant summo pretio, quo tunc res æstimantur, non tenentur ad restitutionem: peccant tamen grauiter contra Iustitiam legalem, seu publicam vtilitatem, possúntque iure cogi à Magistratibus, ac grauiter puniri pro iniuria Reipublicæ illata, cuius bonum commune ex debito Iustitiæ legalis procurare tenentur, ipsâ saltem exigente, & vtente iure suo. At non propterea obligantur ad restitutionem erga particulares, quos iniustè non læserunt. Ius enim Reipub. non est ius particularium: Et aliud est teneri ad satisfaciendum Reipub. pro iniuria legali ipsi illata, pœnam aliquam pro ea subeundo: aliud, teneri ad restituendum particularibus, quasi eorum bona fuerint contra ius ipsorum accepta. Quibus verò pœnis monopolæ afficiantur in foro externo docet Syluest. Verbo *Emptio*, quæst. 13. & 18. quem consule. Neque desunt plurimi qui affirment eos peccare grauiter etiam contra Iustitiam, & teneri ad Restitutionem: vt videre est apud Malderum tract. 5. cap. 2. dub. 7. & De Lugo disp. 26. Sect. 12. num. 177. quorum sententia probabilis est.

SECTIO III.

De Mutuo, & Vsura: Quid, & quotuplex sint?

15. Mutuatio quid sit. MVtuum dupliciter sumitur. Primò, pro actione mutuandi. Secundò, pro obiecto huius actionis, siue pro eo, quod traditur per mutuationem. Priori sensu definitur Traditio rei pondere, numero, vel mensurâ constantis, facta eo animo, vt statim fiat accipientis, cum obligatione vt similis specie, & bonitate restituatur. Posteriori sensu mutuum dicitur ipsa res pondere, numero, vel mensurâ constans, modo prædicto tradita. Dicitur primò in definitione, *traditio*: quia mutuum perficitur non solo consensu, aut animo & obligatione tradendi, verbis aut scripto expressa; vt multi alij contractus: sed ipsamet actuali rei traditione, & positione in dominio alterius. Dicitur secundò, *rei pondere, numero, vel mensurâ constantis*: quia, vt dicitur *lib. 3. Instit. tit. 15. in principio*, Mutui datio ijs in rebus consistit, *quæ pondere, numero, mensuráve constant*: nimirum vt in redditione constare possit de

æqualitate. Æqualis enim, & similis specie, & bonitate, vi mutui reddenda est, vt in vltima parte definitionis dicitur. Eiusmodi res sunt, vt dicitur tit. cit. frumentum, vinum, oleum, pecunia numerata, æs, aurum, argentum, & similia. Non est autem verum quod multi addunt, res, quæ mutuo traduntur, debere esse vsu consumptibiles: id est, quarum vsus sit consumptio, vt oleum, vinum, frumentum; vel alienatio, vt pecunia. Etenim licet mutuatio in his rebus plerumque versetur: potest tamen & in alijs fieri: vt qui laminam auream alteri mutuò daret, ad aliquid inaurandum, cum obligatione æqualem reddendi suo tempore.

16. Per illam transfertur dominium. Dicitur tertiò, *eo animo facta, &c.* Quia per mutuationem transfertur plenum rei dominium: vnde mutuum dicitur, quasi, ex meo tuum: quia ita datur, vt fiat accipientis. In quo differt à locatione, conductione, & commodato. Nam in locatione, conductione, & commodato, vsus tantùm rei, & non plenum dominium, aut ius eam consumendi, vel alienandi tribuitur locatori, conductori, aut commodatario. Et qui conducit domum, vel agrum, vel equum alterius, non efficitur eius dominus, sed dominium manet penes eundem: ac si res perit sine culpa conductoris, domino suo petit. At pecunia v.g. mutuo data, statim atque est in manu mutuum accipientis, ita eius efficitur, vt possit pro arbitratu eam consumere: & quacunque ratione pereat, ipsi perit.

Obligat ad reddēdū aliud simile, & æquale. Dicitur quartò, *Cum obligatione vt similis specie, & bonitate restituatur.* Quâ particulâ differt mutuum à dono: quia donum est datum gratuitum, sine conditione reddendi: sed mutuum est datum quidem, non tamen gratuitum: quia datur cum conditione, & obligatione, vt reddatur aliud eiusdem speciei, & valoris. Aliud, inquam, & non idem ipsum: in quo differt à commodato, locato, & conducto: in quibus, quia vsus rei solùm conceditur, non autem substantia; idcirco idem numero reddendum est, vsu percepto. Debet autem illud aliud esse eiusdem speciei, & bonitatis, seu valoris: quia si pro vna specie, esset species alia reddenda; non esset mutuatio, sed commutatio: Et nisi esset eiusdem valoris, non seruaretur æqualitas, seu Iustitia contractus: grauaretur enim ille, qui plus daret, aut redderet. Non est tamen necesse vt sit eiusdem speciei physicè, sed moraliter: nam in mutuo pecuniæ perinde est, siue reddatur pecunia aurea pro argentea, vel argentea pro aurea eiusdem valoris.

17. Quomodo differt mutuum à commodato? Ex his apparet differentia mutuationis à commodatione, & alijs contractibus. Notandum tamen, aliquando, sed impropriè, commodationem cum mutuatione confundi: vt Lucæ 11. *Amice accommoda mihi tres panes.* Nam quia panes vsu consumuntur, non poterant ijdem numero restitui, & non poterant concedi ad solum vsum, saluâ substantiâ; cum substantia per vsum eorum consumatur. Propriè tamen commodatum est, id, cuius vsus solùm tribuitur, quodque idem numero reddendum est. Differt autem commodatio à locatione, & conductione: quia commodatio fit gratis, æquè ac mutuatio: locatio verò, & conductio fiunt pro pretio, ita vt obligent ad certum pretium pro vsu soluendum, vltra rei ipsius redditionem.

Porro, quamvis illi omnes, qui sunt capaces contrahendi, sint etiam iure naturali capaces suscipiendi obligationem mutui: vi tamen iuris positiui statutum est, vt filij-familias, qui sunt sub patria potestate, & minores, id est, qui nondum expleuerunt annum ætatis 25. & Ecclesiæ, ac ciuitates vel non obligentur vi mutui, vel possint eius obligationem elidere in certis casibus; de quibus vide Lessium cap. 20. dub. 2.

Vsura verò tripliciter sumitur, vt idem auctor obseruat ibid. dub. 3. Primò scilicet, pro lucro vsurario. Secundò, pro pacto, seu contractu de tali lucro recipiendo. Tertiò, pro peccato formali vsuræ, seu voluntate recipiendi ex pacto huiusmodi lucrum. Primo sensu accepta vsura definitur communiter, lucrum immediatè proueniens ex contractu solius mutuationis, id est, vi solius mutui. Lucrum autem vocatur id, quod excedit summam mutuò traditam: quod vt sit vsurarium, tria requiruntur. Primò, vt sit ex mutuo. Secundò, vt intendatur, vel accipiatur cum obligatione imposita mutuanti. Tertiò, vt hæc obligatio fundetur in titulo mutuationis solo, sine alio iusto titulo, propter quem debeatur id quod supra sortem seu capitale accipitur, id est, supra summam mutuò datam. Ex his facile est colligere definitionem vsuræ secundo, & tertio sensu acceptæ, pro contractu scilicet, vel pro peccato formali vsuræ. 18. Vsuræ definitio.

Dixi, ad lucrum vsurarium necessarium esse vt proueniat ex pacto, seu contractu mutuationis: id est, per pacti obligationem, quam induxerit, aut induxisse censeatur ille qui dedit mutuum. Quia non est vsura, quod merè datur ex gratitudine ei, qui non exigit, neque censetur exigere veluti debitum ex Iustitia. Non est etiam vsurarius, qui mutuatur spe aliquid accipiendi ex gratitudine, & spontanea oblatione mutuatoris, quem scit esse liberalem, & beneficum: sed ille tantùm, qui vult obligare mutuatarium, & imponere illi necessitatem dandi aliquod lucrum. Non requiritur tamen vt sit talis necessitas, quâ iuridicè possit reipsâ cogi ad lucrum reddendum: sed sufficit necessitas, quæ moraliter cogit homines ad agendum: vt rectè Toletus exponit lib. 5. Inst. cap. 29. num. 5. Item, non est vsurarius qui lucrum exigit non vi solius mutui, sed alio iusto titulo vel damni emergentis, vel lucri cessantis propter mutuum, vel periculi probabilis, & alijs de causis inferiùs explicandis. Prouenit ex cōtractu mutuationis.

Diuiditur autem vsura in mentalem, & realem. Mentalis dicitur non solùm voluntas interna accipiendi lucrum vsurarium; sicut furtum, aut adulterium mentalis dicitur voluntas sola, quâ volumus hæc peccata externa committere: sed etiam illa, quæ licet prodeat in actum externum mutuationis, aut acceptionis vsurariæ; fit tamen sine pacto expresso de lucro accipiendo, sed illud pactum internum est in mente contrahentium. Realis verò dicitur, 19. Diuiditur in mentalē, & realē.

Realis est duplex: explicita, & implicita. quæ fit cum pacto externo. Et hæc iterum duplex est. Vna explicita, seu purè realis; quando pactum de lucro recipiendo est ita expressum, vt declaretur explicitè esse propter mutuum. Alia implicita, seu mixta, & palliata; quando, licet pactum sit reuera de lucro recipiendo propter mutuum; prætenditur tamen in contractu alius titulus, quo vsura tegatur. Vt cùm aliquis prætendit falsum interesse; vel per contractum emptionis, & venditionis, vendit supra iustum pretium ob solum titulum dilatæ solutionis: v.g. vendit viginti aureis, quod valet tantùm sedecim. Perinde enim ille se habet, ac qui mutuo daret sedecim aureos cum obligatione reddendi viginti, atque implicitè id facit, sed contractum hunc vsurarium tegit titulo venditionis ad terminum.

SECTIO IV.

Vtrum Vsura sit prohibita: & quo Iure?

20. Prohibetur iure Eccles. & diuino. Respondeo esse prohibitum iure tum naturali, tum positiuo diuino, & Ecclesiastico. De Ecclesiastico patet ex causa 14. quæst. 3. & 4. & in decretalibus toto titulo de vsuris, & in 6. Decreta eodem titulo ac denique in Clementina eiusdem quoque tituli, vbi refertur definitio Concilij Viennensis Oecumenici, declarantis errorem esse dicere, & puniendum esse velut Hæreticum, eum qui pertinaciter affirmaret vsuram non esse peccatum. De iure autem diuino probatur ex Psalmo 14. v. 5. vbi inter conditiones omnino requisitas vt quis requiescat in monte sancto Domini, hæc numeratur: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram:* Qui locus citatur à Concilio Nicæno primo, Canone 18. ad probandum quod intendimus, & refertur causa 14. quæst. 4. cap. *Quoniam:* Et à Concilio Romano sub Martino Papa, ibid. cap. *Si quis oblitus.* Et Ezechiel. 18. v. 13. dicitur, ad vsuram dantem, & amplius accipientem, non victurum: cùm detestandum hoc, & abominabile Deo fecerit. Et Luc. 6. v. 35. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes:* vbi, licet sensus literalis videatur tantùm continere consilium de mutuo dando etiam illis, qui non possunt remutuare, & à quibus nullum simile beneficium speramus: plus tamen ibidem vel duplici sensu literali eiusdem loci, vel à fortiori contineri, ac præcipi affirmat Vrbanus III. cap. *Consuluit, Extra, de vsuris:* & Concil. Later. sub Leone X. Sess. 10. non longè ab initio, vbi Summus Pontifex sic loquitur: *Sacro approbante Concilio: Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem* (id est, vltra summam creditam) *sperare debeamus.* Denique de iure naturali probatur ex

21. Atque etiam iure naturali. Concilijs, & Canonibus Ecclesiasticis id non obscurè affirmantibus. Concilium quidem Nicænum I. can. 18. cit. sic habet: *Multi Clerici turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti, quo dicitur. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram:* Can. verò *Super eo, tit. de Vsuris.* definitur vsuras ita ex vtroque Testamento esse illicitas, vt quemadmodum dispensari non potest, vt quis mentiatur pro alterius salute; ita sit indispensabile accipere vsuras, etiam ad redimendam vitam captiui. Ex his sic argumentor: Quæcunque sunt nunc prohibita & illicita vi præceptorum obligantium etiam in veteri Testamento, non sunt prohibita præcepto diuino purè positiuo; quia præcepta omnia purè positiua veteris legis cessarunt vnà cum lege ipsa. Atqui vsuræ sunt prohibitæ, & illicitæ etiam tunc, vi etiam nunc, præcepti veteris Testamenti, vt patet ex Concilijs, & can. citatis. Ergo non sunt prohibitæ præcepto tantum positiuo diuino, sed naturali, quod idcirco semper manet, & in vtroque Testamento, atque in omni lege, obligandi vim habet. Secundò, nisi vsura esset intrinsecè mala, adeóque illicita iure naturali, non appareret quo fundamento sacri Canones, loco proximè relato, dicere potuerint, adeo esse illicitam, vt ne quidem pro vita hominis redimenda permitti possit. Tertiò, vsura dicitur ibidem esse æquè illicita, & indispensabilis, atque mendacium. Sed mendacium est absolutè, & naturaliter, atque per se intrinsecè malum, adeóque illicitum ex natura sua, vt licitum fieri non possit. Ergo & vsura.

Probatur deinde hac præcipuè ratione sumpta ex D. Thoma quæst. 78. art. 1. quâ iniquitas, & iniustitia naturalis vsuræ ostenditur. 22. Contra ius naturæ est idem bis vendere, seu duplici pretio; aut vendere aliquid non suum. At ille qui accipit vsuram, id facit æquiualenter. Iniustitia naturalis vsuræ. Ergo peccat contra naturæ ius. Maior est euidens. Minor probatur. Vel enim accipit vsuram pro sorte, id est, pro summa mutuò tradita: & ita quodammodo bis idem vendit. Nam cùm sors æquali summa reddenda compensetur ad æqualitatem, sumit pro ea duplex pretium; nempe summam æqualem, & vsuram: atque ita grauat iniustè mutuatarium, plus ab eo accipiendo, quàm tribuerit. Vel potiùs accipit vsuram ratione vsus summæ mutuò traditæ: (vnde etiam dicitur vsura, quia pro vsu sumitur:) & ita vendit non suum. Nam cùm per mutuum transferatur plenum rei dominium in mutuatarium, ita vt si summa perit, ipsi pereat; & par omnino sit illi refundenda de suo: consequenter etiam transfertur vsus, & ius vtendi, sine quo plenum, & perfectum dominium pecuniæ, & similium rerum, consistere non potest. Quare si lucrum accipit pro vsu pecuniæ mutuatæ, accipit pro non suo. Confirmatur, quia plenum, & perfectum dominium ad vsum & insumptionem pecuniæ mutuatæ, compensatur æqualiter ex natura rei, si nihil aliud interueniat, per summam parem reddendam à mutuatario, cuius plenum, & perfectum dominium tradetur mutuanti ad vsum, & insumptionem. Ergo si accipit aliquid amplius, accipit plus quàm æquale, & grauat mutuatarium, à quo plus exigit, quàm dederit.

Dices, Summam mutuò traditam non omnino compensari ad æqualitatem per parem summam reddendam. 23. Diluitur obiectio. Primò, quia vsus pecuniæ pro toto tempore, quo durat mutuatio, pertinuisset ad mutuantem, si non mutuasset; & non compensatur per parem summam, quâ

T 3

non potest vti pro illo tempore, sed tantùm pro tempore sequenti. Quare vsus pecuniæ, vel potestas vtendi, perit illi ex parte quoad totum tempus mutuationis, sine compensatione. Respondeo, si mutuans volebat vti pecuniâ suâ, & lucrum inde sperabat rationabiliter; potest accipere compensationem, non ratione mutui, sed ratione lucri cessantis, quo se priuat in gratiam mutuatarij. Si verò vti non volebat, aut non erat ex ea lucraturus; euidens est parem summam reddendam æqualem esse summæ otiosæ futuræ, aut non plus domino fructificaturæ: vsus enim sine lucro non est maioris valoris, quàm non-vsus. Et perinde est quoad moralem æstimationem, siue nunc vtatur pecuniâ, siue post, quando ex præsenti vsu nihil vtilitatis accedit. Quare non se priuat aliquo compensabili.

24. Soluitur altera oppositio. At, inquies, si potest velle vti pecuniâ suâ ad lucrum, & vtilitatem suam per emptionem, aut alium iustum contractum; quidni etiam per mutuationem? Et si vsus pecuniæ potest afferre lucrum domino suo vtenti ad emptionem, quidni pariter vtenti ad mutuationem? Respondeo lucrum iustum in emptione consistere in eo, quòd licet emptor det æquale secundùm moralem æstimationem ei, quod accipit, id tamen quod emit, est illi melius, & vtilius. Neque propterea tenetur cariùs emere, quia nemo tenetur emere suum commodum, quod nec potest iustè vendi ab alio, quia non potest vendere non suum. At verò, qui ex mutuo intendit lucrum vsurarium, lædit æqualitatem; quia intendit plus accipere, quàm det, cùm per summam parem mutuum æqualiter compensetur, & tamen aliquid vltra accipiat tanquam debitum vi mutui.

25. Instantia repellitur. Instabis, quia mutuans dat pecuniam præsentem, & accipit tantùm ius ad parem summam reddendam suo tempore. At pecunia præsens est maioris æstimationis moralis, quàm pecunia in iure, & in spe. Ergo mutuans plus dat, quàm accipit à mutuatario. Respondeo ius certum, & remotum ab omni periculo, habendi parem summam, esse eiusdem moralis æstimationis, atque summam ipsam præsentem, per se consideratam, id est, posito, quòd non sit fructum vllum allatura eo tempore, quo mutuò traditur: quod si periculum sit non recuperandi omnino, aut non facilè recuperandi, vel si fructum erat allatura impediendo aliquod damnum, vel patiendo lucrum: potest his de causis accipi compensatio, vt inferiùs explicabitur. At hæc sunt mutuo accidentaria, possúntque ab illo abesse, atque non rarò absunt. Quare licet vi huiusmodi causarum, seu circumstantiarum, mutuo accidentium possit aliquid accipi supra sortem; non tamen vi ipsius mutui; in quo posita est vsura; quando nimirum pro vsu, & mutuatione ipsa sumitur lucrum sine alio titulo iusto, & sufficienti. Talem enim esse vsuram patet apertè ex sacris Canonibus, qui cùm damnent vsuram absolutè, & generaliter, locis suprà citatis; affirmant tamen posse aliquid accipi licitè supra sortem propter alios titulos, vt infra ostendemus, & patet ex Cap. *In ciuitate, Extra, de vsuris.*

SECTIO V.

Errores contrarij, & fictæ explicationes Vsuræ.

Contra doctrinam præcedentem sensit Carolus Molinæus Iurisconsultus Caluinista, in tract. de commerc. & vsur. Vbi affirmat non omnem vsuram, in qua vi mutui accipitur aliquid supra sortem, esse peccatum; sed eam tantùm, quæ est excessiua; vt illa est, quæ accipit plusquàm leges Ciuiles permittunt; eámque solam in Scriptura damnari. Qui error apertè repugnat Scripturæ, sacris Canonibus, Concilijs, & Patribus. Nam in Scriptura Ezech. 18. v. 13. *ad vsuram dare*, explicatur per *amplius accipere. Ad vsuram dantem*, inquit, *& amplius accipientem*, Et v. 17. *Vsuram, & superabundantiam non acceperit, &c.* Quo eodem loco vtitur caput *Consuluit, de Vsuris*, ad probandum omnem superabundantiam supra sortem esse vsuram. Et cap. *Plures*, cap. *Quoniam, eod. tit.* quodcunque lucrum supra sortem apertè vocatur vsura illicita, quando præcipitur, vt qui in pignus accepit possessionem, vel arborem frugiferam, si deductis expensis recepit ex fructibus pignoris sortem suam, reddat possessionem aut arborem illam, & nihil amplius accipiat, ne peccatum vsuræ detestandum committat. Idem statuit Concilium Turon. sub Alexandro III. ex quo desumptum, est caput *Plures sup. cit.* Clariùs verò, & omnino sine vllo tergiuersationis loco id statuitur Causa 14. totâ quæst. 3. Eodémque sensu acceptam esse vsuram, & damnatam à Concil. Nicæno I. patet ex Sanctis Patribus illi Concilio proximis, D. August. concion. 3. in Psal. 36. ad versum *Tota die:* cuius verba hæc sunt: *Si plusquam dedisti expectas accipere, fænerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.* Hieron. in Ezech. lib. 6. ad cap. 18. *Putant quidam vsuram tantùm esse in pecunia: quod preuidens Scriptura diuina omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias, quàm dedisti.* Et paulò post: *Non intelligunt vsuram appellari, & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus accipiant.* Ambros. lib. de Tobia, cap. 14. *Quodcunque sorti accedit, vsura est, quod velis ei nomen imponas.* Ibidemque talem vsuram ait esse contra præcepta legis. Denique Concil. Agath. relatum causâ 14. q. 3. c. 4. *Vsura est*, inquit, *vbi amplius requiritur, quàm datur v. g. si dederis Solidos 10. & amplius quæsieris: vel dederis frumenti modium vnum, & supra aliquid exegeris.* 26. Vsura non consistit tantùm in excessu lucri.

Ex quibus patet qualis ex mente Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Canonum sacrorum, sit vsura in Scripturis prohibita, & naturaliter illicita, atque indispensabilis. Nec dubium est quin Concilium Vienn. generale ante annos circiter 360. celebratum, definiens hæresim esse dicere, quòd vsura non sit peccatum, vsuram acceperit eodem sensu, quo Canones antiquiores suprà citati, & Concilia superiora, Turon. I. ducentis ante annis celebratum, &

Agath. multò antiquius habitum ante annos centum supra mille. Eodemque sensu Sancti Ambrosius, Hieronymus, August. & alij Patres vsuram acceperunt, & in Scriptura damnari intellexerunt. Quare hæc opinio vt Hæretica rejicienda est. Adde quòd, si vsura non esset prohibita, nisi quando est excessiua: non magis esset prohibita, & illicita, quàm venditio, & negotiatio, quæ non est illicita, nisi quando iustum pretium exceditur: neque Scriptura vnam magis reprehenderet, quàm aliam. At Scriptura nusquam prohibet simpliciter vendere, & negotiari: apertè verò pluribus locis prohibet vsuram simpliciter. Ergo non tantùm reprehendit excessum in vsura, sed vsuram secundùm se.

27. Neque in eo quòd mutuum non detur gratis valde eo indigenti. Alij secundò comminiscuntur nouam explicationem vsuræ, à nullo auctore Catholico traditam, & sacris Canonibus, atque Concilijs omnino dissentaneam. Aiunt enim peccatum vsuræ consistere in eo, quòd non detur gratuitò mutuum ei, qui existit in extrema, vel graui necessitate mutui gratuiti: sicut enim proximo donandum est, quando eget grauiter donatione: ita & mutuandum gratuitò, quando grauis eius necessitas exigit vt sic ei succurratur.

Sed contra: Primò, Scripturæ, Concilia Canones, & Sancti Patres supra citati, damnant vsuram generaliter, neque distinguunt pauperes à diuitibus, nisi quòd grauius peccatum est vsuram exercere erga pauperes: sicut & furari. Secundò, qui habet possessionem frugiferam, quam tradat in pignus, ex cuius fructibus sors æquetur, non est in graui necessitate mutui gratuiti, cùm habeat, vnde compenset. Et tamen cap. *Plures*, & cap. *Quoniam. de vsuris*, præcipitur vt sorte percepta, possessio ei reddatur, & nihil amplius exigatur, alioquin vsuram committi: Ergo, &c. Tertiò, peccatum vsuræ obligat ad restitutionem, vt patet ex cap. *Cum tu manifestos, de vsuris*. & alijs infra citandis. Ergo est peccatum contra iustitiam. Atqui obligatio iuuandi proximum in necessitate de nostro, & donandi illi rem nostram, vel lucrum quod possumus iustè percipere, est tantùm obligatio ex Charitate. Ergo qui non mutuant gratuitò, etiam indigenti, peccant tantùm contra Charitatem, ac proinde non tenentur ad restitutionem, sicut non tenetur is, qui non dat eleemosynam pauperi grauiter indigenti. Hoc autem est contra Canones citatos: ergo & illud, vnde sequitur.

28. Nec in eo quòd mutuator intenderit dari gratuito. Alij tertiò, fingunt peccatum vsuræ in eo consistere, quòd cùm mutuatio sit beneficium gratuitum, cum sola obligatione reddendi parem summam sine lucro, & auctario: mutuator nihilominus postea lucrum petit: & perinde facit, atque is, qui cùm alteri rem suam gratis donasset, eam postea repeteret. Itaque peccatum vsuræ pendére ab intentione dantis alteri pecuniam suam, qui potest vel mutuò, id est, gratis concedere, tuncque vsurarius est si plus exigat: vel potest nolle gratis dare, sed velle lucrari ex sua pecunia, & intendere vtilitatem ex illius vsu, ad quam iustè valere potest: & hic neque mutuator, neque vsurarius est, licet exigat aliquid supra sortem.

Sed contra: quia nemo dat, id quod habet, aut cedit iure, quod habet, nisi sciens, & volens. Ergo si dans pecuniam, habet ius ad capiendum lucrum ex illius vsu; non cedit illo iure, nisi sciens, & volens. At nullus vsurarius intendit, & vult cedere illo iure, quibuscunque loquendi modis vtatur in contractu, sed potius semper intendit oppositum in vsura implicita; & in vsura explicita semper ad id expressè obligat. Ergo nullus vsurarius committit peccatum vsuræ, si peccatum vsuræ in eo solùm consistat, quòd repetatur res antea gratis donata, nempe lucrum ex pecunia gratis remissum. Deinde si vera esset istorum sententia: quemadmodum is qui ignorans vocum proprietatem, conueniret de pretio concedens vsum rei suæ, & tantùm diceret, se commodare, non peccaret contra iustitiam, sed contra rectum loquendi modum, quando commodatum vocaret quod est conductum. Sic in vsura peccat tantum contra modum loquendi, & non contra iustitiam, qui lucrum intendit, & tamen vtitur nomine mutui. At hoc apertè est contra sacros Canones, & alia suprà citata, quæ damnant talem intentionem, vt vsurariam, & illicitam. Speciatim verò Capite *Consuluit: Extra de vsuris*, damnatur apertè hic error, vbi Vrbanus III. sic loquitur: *Consuluit nos tua deuotio, an ille in iudicio animarum, quasi vsurarius debeat iudicari, qui non aliàs mutuò traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, vt, licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat, &c. Et qui merces suas longè maiori pretio distrahit, quia ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur. Verùm, quia, quid in his casibus tenendum sit, ex Euangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur, Date mutuum nihil inde sperantes: huiusmodi homines iudicandi sunt malè agere pro intentione lucri, quam habent: cùm omnis vsura, & superabundantia prohibeatur in lege: & ad ea quæ taliter sunt accepta, restituenda, animarum iudicio sunt efficaciter inducendi.* Hucusque summus Pontifex, manifestè damnans intentionem lucri, eius, qui cùm non aliter velit credere pecuniam suam, certè non renuntiat iuri lucri accipiendi, sed potiùs illud intendit.

Vlteriùs, non sufficit lucrum intendere, nisi iusto titulo intendatur, vel damni emergentis, vel lucri cessantis, vel periculi, aut societatis, & alijs infrà explicandis, mutuo accidentarijs, quod essentialiter consistit solùm in concessione pecuniæ, vel alterius rei, ad dominium & vsum: à qua concessione possunt abesse huiusmodi incommoda per accidens adiuncta. Non est enim iusta, & rationabilis intentio velle lucrari quomodocunque, & de bonis alienis sua augere, nullum titulum iustum, & rationabilem lucri faciendi quærendo. Si quæ sufficeret illa intentio, nullus foret vsurarius: quia nullus eorum, qui supra sortem sine alio titulo iusto aliquid exigunt, lucrum non quærit: imò illi maximè lucrum affectant. Non sufficit etiam dicere, nolle se lucrum sumere præcisè vi mutui: vel nolle se nocere proximo: Et tamen velle lucrari nullo alio titulo iusto sibi proposito. Nam, vt liquet ex supradictis, solus titulus 29. Lucrum debet iustè intendi.

mutui non sufficit. Quare si nullus alius additur, intenditur lucrum, cuius nullus est titulus sufficiens. Atque hoc ipso nocetur proximo, quòd eius bona vsurpantur sine titulo iusto: ideóque velle hoc modo lucrum sumere, est velle proximo nocere.

Porro qui sic loquuntur, aut sentiunt, volunt à se rejicere onus quærendi titulum iustum, præsupponendo aliquem semper esse in mutuo, aut cum mutuo, ideóque non esse necessarium inquirere. Sed contra: Primò, Quamvis esset aliquis (vt aliquando reipsa est) non debet ita confusè præsupponi, sed debet considerari, & expendi: non enim cuicunque titulo quodcunque lucrum deberi potest: sed tantùm illi commensuratum, & æquale. Secundò, falsum est, & sacris Canonibus aduersum, dicere quòd semper, & infallibiliter sit annexus mutuo titulus sufficiens accipiendi aliquid supra sortem. Nam si hoc esset, nunquam contingeret vt totum lucrum esset vsura restituenda, & iniquè accepta: Semper enim ex illo titulo, infallibiliter comitante mutuum, aliquid supra sortem iustè deberetur. At hoc est contra sacros Canones, & Conciliorum decisiones, quibus refragari non licet. Nam ex illis constat multos obligari ad restitutionem integram totius lucri supra sortem accepti, tanquam iniustos rei alienæ raptores: vt patet ex Cap. *Consuluit*, paulò ante relato, & ex definitione Alexandri III. in Concilio Turon. cap. *Plures Clericorum*: vbi Pontifex statuit, vt si quis alicuius possessionem datâ pecuniâ, sub hac specie, vel conditione in pignus acceperit: si sortem suam (deductis expensis) de fructibus iam percepit, absolutè possessionem restituat debitori: Sin autem aliquid minus habet, eo recepto, possessio liberè ad dominum reuertatur. Et cap. *Quoniam*. proximè sequenti, statuit, vt qui de possessionibus, vel arboribus quas tenent in pignus mutuatæ pecuniæ, sortem, deductis expensis, acceperunt, ad eadem pignora restituenda sine vsurarum exactione, Ecclesiasticâ districtione compellantur. Itaque vocat vsuram si quis, postquam ex pignore frugifero sibi tradito à debitore, tantum perceperit fructus, quantum sors valet, aliquid amplius absque alio titulo accipiat: statuitque vt fructu æquiualente percepto, pignus integrum restituatur, & sors non repetatur. Idem Pontifex cap. *Cum tu manifestos*, eod. tit. docet non tantùm ex Ecclesiæ præcepto, sed ex iure diuino, & naturali obligatione, restituendam esse omnem vsuram, vt ostendimus inferiùs Sect. 9. Itaque Canones supponunt vsuram esse posse, & obligare ad restitutionem, quamcunque vel modicam acceptionem supra sortem. Quod ampliùs confirmari potest ex Concil. Agath. relato causa 14. q. 3. cap. 4. sic affirmante: *Vsura est, vbi amplius requiritur, quàm datur. Vt si dederis solidos decem, & amplius quæsieris*, nimirum sine alio iusto titulo. Quare peccatum vsuræ committitur, incurritúrque obligatio restituendi iuxta Canones, & Concilia, quidquid lucri accipiatur pro mutuo, absque alio titulo iusto. Estque falsum esse semper titulum in mutuo, aut cum mutuo, accipiendi aliquid supra sortem. Alioqui enim semper ex illo titulo aliquid iustè deberetur supra sortem, iustéque posset accipi, & retineri.

Non est semper in mutuo titulus iustus accipiendi aliquid supra sortem.

Neque dici potest, Summum Pontificem, cùm ait locis suprà citatis, debere restitui quidquid accipitur supra sortem absque alio titulo, loqui tantùm de illis, qui habuerunt intentionem lucrandi directè ex mutuo, id est, ex pecunia gratis concessa ad tempus, sine intentione plus accipiendi, quam intentionem postea mutant. Nam Vrbanus III. cap. *Consuluit* suprà relato, contrarium potiùs supponit. Declarat enim, vi præcepti Euangelici obligari ad restitutionem eum, qui mutuò credit suam pecuniam eo proposito, vt plus sorte recipiat; & mercatorem, qui supra iustum pretium vendit, ob dilationem solutionis. Deinde, vt suprà dixi, nullus vsurariorum vult gratuitò concedere, sed intendit lucrari, quamvis vtatur nomine mutui. Quare si sufficit intentio lucrandi, nullus eorum tenetur restituere quidquid accipit supra sortem, quamvis alio titulo careat, quàm titulo mutui. Et quemadmodum quando aliquis rem suam accipit, licet existimet falsò esse alienam, non propterea obligatur ad restitutionem, nisi ex errore conscientiæ, à quo dedoceri, & eximi potiùs debet: ita, si verè debetur semper alicuius lucri accessio in mutuo, illud intendenti; quisquis lucrum illud accipit, rem suam accipit, quamvis ex errore, aut ex ignorantia non cognoscat quo titulo sit sua, neque sciat eum nominare. Quare Summus Pontifex non bene diceret eum obligari ad restitutionem: sed deberet potiùs errorem conscientiæ, aut vocis ignorantiam tollere. 30.

Refellitur euasio.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta pro prædictis erroribus proposita.

Contra id, quod diximus, vsuram (qualem descripsimus) esse prohibitam iure diuino, Ecclesiastico, & naturali, objicitur primò illud Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno.* Et cap. 28. *Fœnerabis multis gentibus, & ipse à nullo fœnus accipies.* Ergo licitum est, saltem ab Infidelibus exigere vsuras, neque iure naturali sunt illicitæ per se: alioqui non possent concedi circa vllum hominem, cùm iura naturalia in omnibus hominibus sint integra. 31.

Ad priorem locum respondet D. Thom. q. 78. a. 1. ad 2. Vsuram erga alienos non fuisse permissam Iudæis, vt licitam, sed vt impunè toleratam, maioris mali vitandi causâ, ne fratres suos vsuris premerent: quemadmodum eodem cap. dicitur, *Non erit meretrix de filiabus Israël*, non quòd de alijs esse liceret, sed quòd de illis impunè permitteretur. Secundò, & meliùs respondent alij cum D. Ambrosio lib. de Tobia, cap. 15. Deum vsuram materialiter sumptam permisisse erga alienos Iudæorum vicinos, & hostes, quos subiugare non poterant, & quorum tamen bona, voluntate diuina, ad ipsos

Fuitne vsura Iudæis permissa?

pertinebant: ideóque poterant quà specie mutui, quà alijs vijs ea subtrahere. Tertiò, respondent alij Deum pro summo iure, quod habet circa omnium bona, permisisse Iudæis, ac verum ius dedisse, seu licitum fecisse, vt non darent mutuum gentilibus sine munere; quod appellatur fœnus, non quòd pro vsu mutui acciperetur quasi debitum, sed quia erat simile fœnori, & vsuræ. Dici etiam potest fuisse præceptum Iudæis, vt fratribus indigentibus mutuum darent, etiam sine compensatione lucri cessantis, aut damni emergentis, quod esset in ordine inferiori, quàm indigentia fratrum, & sine compensatione aliorum quorumdam titulorum minoris momenti, de quibus paulò post: sed non fuisse idem præceptum erga alienos.

Ad posteriorem Scripturæ locum in obiectione citatum Respondeo cum D. Thoma, quæstione 78. articulo 2. verbum, *fœnerabis*, ibi sumi simpliciter pro, *mutuabis*: neque enim additur ad vsuram, vt fuit additum in priori testimonio, in quo manifestum est *fœnerare* sumi pro, *mutuare*: sensúsque est, benedictionem, & abundantiam custodientium legem, tantam fore, vt ipsi possint mutuum dare gentibus multis, & nullius mutuo indigeant.

32. Objicitur secundò, Si vsura esset iniusta contra ius naturale, non posset humano iure concedi. Atqui in cap. 1. *Extra, de vsuris* conceditur, vt si Laïcus iniustè detineat aliquod beneficium Ecclesiæ, possint Clerici accipere ab illo vsuras, ad recuperandum id, quod ille detinet iniustè: asseritúrque posse Clericum retinere fructus pignoris accepti à mutuatario, & insuper repetere sortem integram. Item, cap. *Conquestus*, eod. tit. dicitur dominum feudi, qui fundum feudatarium in pignus debiti sui accepit, non teneri fructus eius restituere, sed posse vsum-fructum suum facere, & tamen integram suam sortem recipere. Tertiò, in cap. *Salubriter, de Vsuris*, Innocentius III. permittit generis, vt non computent in sorte fructus possessionum, quæ sibi à socero pro non numerata dote sunt pignori obligatæ, sed eos fructus retinere possint, & integram sortem, seu dotem repetere. Quartò, multæ leges ciuiles permittunt vsuras, & ad eas exigendas concedunt actionem: vt videre est in Cod. de vsur. initio. Et speciatim l. 39. ff. *de annuis legatis*, permittitur vt Legatarius possit ex pecunia, sic legata lucrum accipere donec persoluatur. Per leges etiam Christianorum coguntur tutores dare mutuam pecuniam pupillorum, & ex ea lucrum recipere.

Exponuntur Canones qui videntur permittere vsurá.

Ad primum respondeo, Sermonem ibi esse de Clerico, cuius beneficium iniustè detinetur ab eo, cui mutuat; & idcirco potest ope mutui repetere quod suum est, non tanquam debitum vi mutui, & velut vsuram propriè, & formaliter; sed vt debitum alio iusto titulo, beneficij scilicet, & tanquam vsuram tantùm materialiter, & per similitudinem: quæ responsio patet ex textu ipso.

33. Ad secundum respondeo, non esse ex natura mutui quòd Dominus feudi possit fructus illius retinere: sed ex natura feudi ipsius, quod ea lege traditum fuit, vt sicut debet ad dominum directum reuerti in certis casibus: ita & fructus ad eundem pertineant, si in pignus ei detur. Eadémque est ratio de emphyteusi, vt Doctores passim affirmant. Cùm autem totum ius, quod habet feudatarius, acceperit a domino feudi; manifestum est potuisse cum hoc onere illud accipere. Vt tamen in eo Iustitia seruetur, debent adesse conditiones aliquæ, quas recenset, & exponit Nauarr. cap. 17. Manual. num. 217.

Ad tertium respondeo, id fieri ex vi contractus matrimonij, quo socer explicitè, vel implicitè se obligat (vt par est, & vt meritò supponit Summus Pontifex) ad dandum genero, donec dotem persoluat, vnde alat vxorem, & sustineat onera matrimonij: quæ onera, cùm perpetua sint, & ad illa toleranda vix sufficiat dos communiter; non est conueniens eam minui per fructus perceptos in sustentatione primorum annorum: sed potiùs debet à socero integra reddi. Quòd si socer cum genero contraheret aliter, & hic iuri suo maiori renuntiaret contentus dote sua; non posset ex solutionis dilatione lucrum sumere, nisi vel damnum emergeret, vel lucrum ei cessaret, vel aliæ causæ interuenirent communes alijs omnibus, de quibus paulò post.

Possitne gener accipere à socero?

34. Leges permittentes vsuras correctæ.

Ad quartum respondeo, potuisse per leges ciuiles permitti impunè vsuras, vt & prostibula, ad vitandum maius malum. Qua parte verò videntur permittere etiam vt licitas, & concedunt actionem ad exigendum, correctæ sunt huiusmodi leges per Canones Ecclesiasticos, vt Christianis moribus aduersantes, præsertim in Clementina vnica de Vsuris: vbi excommunicantur iudices cogentes ad earum solutionem. Notandum tamen iure antiquo Cæsareo minores permitti, quàm nunc soleant exerceri: nam in maximis vsuris concessum tantùm fuit accipere duodecim in centum ad singulos annos, idque in fœnore nautico, seu pecunia traiectitia, id est, datâ mercatori mare trajicienti, vbi periculum sortis erat mutuantis, velut associati. Inter alios, si erant nobiles, quatuor tantùm in centum. Si non nobiles, neque mercatores, sex in centum. Si mercatores, octo: vt habetur L. *Eos qui*, Cod. *de vsuris*, *&c.* ff. *de fœnore nautico*.

Quod verò dicitur de Legatario L. tertia, ff. *de annuis legatis*: asseritur quidem id vniuersaliter ab Vlpiano: sed contradicunt Christiani, vt videre est apud Couarr. lib. 3. Variar. cap. 1. num. 6. secundùm quos id non licet vi solius dilationis, sed in casu, quo testator statuerit, vt Legatario certa veluti pensio persoluatur ab hærede, donec legatum soluerit: vel in pœnam solutionis iniustè dilatæ, ita statutum fuerit à testatore, vel à legatario ipso; vel denique mora fuerit causa damni emergentis, aut lucri cessantis, vel alterius tituli iusti. Alioqui enim non habet plus iuris legatarius, quàm alij.

35. Possitne tutor pro bonis pupillorum

Denique quod attinet ad tutores, obligantur ipsi iure ciuili iustam aliquam viam inquirere, & inire lucrandi ex pecunia pupillorum; siue aliquem fundum frugiferum emendo, siue ali-

accipere plus vi mutui? ter negotiando, saltem per contractum societatis assecurantis capitale, vt inferiùs explicabitur: à quibus si abstineant vt pecuniam pupillorum mutuò dent, possunt ratione lucri cessantis ex tali emptione aut negotiatione prouenturi, accipere aliquid supra sortem, metiendo quantitatem eius quod accipiunt, ad quantitatem lucri vere cessantis, & deducendo laborem redimibilem negotiationis, æstimationémque periculi. Nec verum est quod aliqui fingunt, leges ciuiles Christianorum (Ethnicæ enim, si quid amplius permiserunt, abrogatæ sunt per sacros Canones antea citatos) plus permittere tutoribus, quàm alijs. Nam non permittunt vt tutores possint aliâ formâ celebrare contractus mutui, quàm possint alij; neque vt possint conuenire de lucro supra sortem recipiendo, nisi alium titulum assumant. Adde quòd Alexander III. Cap. *Super eo, Extra de vsuris*, negat posse dispensari contra vtriusque Testamenti paginam in accipienda vsura, ne quidem ad redemptionem captiui, cuius vita periclitatur. Ergo neque in fauorem pupilli, cuius necessitas non est maior, quàm talis captiui. Ac sicut Principes statuere iustè nequeunt vt pupilli emant aliorum bona infra iustum pretium, aut vendant sua supra iustum: sic neque, vt sumant vsuras: cùm vtrumque æquè iniustum naturaliter sit. Non est autem par ratio de præscriptione, in qua partim in pœnam negligentiæ dominorum, partim ob maius Reipub. bonum, ad lites vitandas, & vt dominia non sint incerta, possessio longi temporis dat verum ius, auctoritate legum, & publicæ potestatis, vt alibi exposuimus.

36. Objicies tertiò: Mutuans sæpe neque ex Iustitia, neque ex Charitate tenetur ad mutuandum. Quidni ergo possit accipere pretium illius officij, quod exhibet sine obligatione? Confirmatur ex D. Thoma q. 78. a. 2. ad 4. vbi docet non posse exigi à mutuatario obligationem remutuandi in posterum: quia talis obligatio pecuniâ æstimari potest. Item, qui locat alteri equum, domum, aut vasa, & similia, accipit lucrum pro vsu illorum, licet sæpe nullum damnum patiatur, nec vllum commodum amittere videatur: & tamen potest pretium locationis accipere, & rem locatam post aliquod tempus integram repetere: cur non igitur idem in pecunia licebit? Tertiò, volenti, seu consentienti non fit iniuria. At qui mutuum accipiunt, sponte faciunt pactum, quo se obligant ad aliquid sorti superaddendum. Ergo non fit illis iniuria. Plura Molinæi argumenta sumpta ex ratione refert, & refutat Valent. quæst. 21. punct. 1. §. 3.

Non excusat ab vsura quòd non tenearis mutuare. Ad primum respondeo, in actibus Iustitiæ commutatiuæ non posse ex Iustitia exigi aliquid supra compensationem æqualem rei, quæ datur ab vltrò contrahentibus, nisi alius titulus interueniat. Alioquin omnes, qui vendunt rem, aut operam suam, cùm non tenentur, possent supra summum pretium rei venditæ exigere aliquid: quod est absurdum. Tenetur tamen mutuatarius ex gratitudine, vi illius officij, ad exhibendum simile mutuanti, in pari necessitate. Licet iuxta D. Thomam, non possit ex Iustitia obligari ad vicissim mutuandum, quia Iustitiæ obligatio est aliquod onus pretio æstimabile, differens à spontaneo, & gratuito mutuo. Non desunt tamen, qui existiment id intelligendum esse de obligatione absoluta ad vicissim mutuandum in quovis euentu quo alter indigebit, quod posset cedere in magnum detrimentum: Cæteroqui enim non esse vsurarium obligare ad id præcisè, quod debetur ex gratitudine; nempe ad par aliquid referendum. Qua de re paulò post.

Ad secundum respondeo, differentiam esse inter mutuum, & locationem. Nam in locatione non transfertur dominium rei locatæ, & si perit sine culpa locatarij, domino suo perit. Vnde non immeritò fructus pertinet ad eum, cuius est dominium, & qui subit periculum. Deinde res, quæ locantur, partim frugiferæ sunt, vt agri: partim vsu deteri solent, vt domus, equus, &c. At in mutuo transfertur dominium, & periculum: & summa æquiualens sine vlla diminutione restituenda est. Possent tamen pecuniæ simili modo locari ad pompam, & ostentationem, vel ad negotiandum committi factoribus, qui deductâ suæ operæ mercede, restituant sortem cum lucro residuo. At tunc non est mutuum; & neque dominium, neque periculum pecuniæ transfertur in eum, cui locatur, aut cui committitur, nisi accedat contractus societatis, de quo dicemus Sect. 11. 37. Neque exéplum locationis.

Ad tertium respondeo, planè volenti, & consentienti omnino liberè, sine errore, vel coactione circa substantiam contractus, non fieri iniuriam: secus autem volenti tantùm ex errore, quia putat in mutuo iustum aliquem esse titulum plus repetendi; aut ex coactione, quia non potest aliter mutuum obtinere, vel timet ne minimè obtineat. Quo pacto sunt communiter affecti mutuatarij. Si quis autem ex gratitudine, & liberalitate planè sponte & liberè plus daret, non esset vsura: sed quemadmodum consensus eius qui per errorem gemmam vendit pro vitro, non liberat emptorem à peccato, & à restitutione; quippe quia non cedit iure suo, quod ignorat: neque mercatorem excusat eius consensus, qui merces emit pluris iusto pretio, quia non potest aliter obtinere: quippe qui etiam non cedit iure suo, sed vim iniustam patitur: sic neque excusat vsurarium consensus mutuatarij ex errore, vel coactione datus. Neque consensus mutuatarij.

SECTIO VII.

Quænam intentio sit vsuraria: & quibus de causis possit aliquid accipi supra sortem?

38. Intendere vi mutui aliquid supra sortem ex Iustitia, est vsurarium. PRima conclusio: Omnis intentio, seu principalis, seu minùs principalis, quâ intenditur lucrum, aut fauor, officium, beneficium, amicitia, venia, & quidvis aliud, siue pretio æstimabile, siue non, est vsuraria; si intendatur illud tanquam pretium mutui, seu tanquam debitum ex Iustitia propter mutuum: secus autem si intendatur tantùm velut debitum ex gratitudine, ratione beneficij mutuando collati:

licet enim, etiam principaliter, hæc omnia intendere, quæ alioqui bona sunt, & debita ex gratitudine. Prima pars est Lessij cap. 20. dub. 5. 7. 8. & 9. & Valent. q. 21, p. 2. Ratio eius est, quia non potest intendi velut debitum ex Iustitia, nisi æquale, & nihil vltra. Sed in proposito, rei æqualitas constituitur sufficienter per æqualem summam redditam. Ergo qui ex Iustitia plus exigit, & intendit, siue pecunia æstimabile, siue non, contra naturam Iustitiæ facit. Secunda pars est etiam Lessij dubit. 5. cit. aliorumque plurium cum D. Thom. q. 78. art. 2. in corp. Ratio est, quia non est iniustum intendere id, quod non est iniustum accipere. Atqui non est iniustum accipere lucrum, & similia, ex gratitudine omnino liberè oblata; cum non accipiantur inuito domino, neque velut ex Iustitia obligato; sed ipsomet ratione gratitudinis vel amicitiæ liberè dante. Ergo non est iniustum illa intendere, siue principaliter intendantur, siue minùs principaliter, quod ad iniustitiam nihil facit. Confirmatur, quia mutuans non est deterioris conditionis, quàm alij; & quàm esset ipsemet, si non mutuasset: At quilibet alius potest licitè intendere, & accipere, id quod liberè datur ex amicitia, vel gratitudine. Ergo, &c.

Nec obest illud Christi Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes:* quatenus enim vim præcepti habet, tantùm prohibet spem, & intentionem alicuius velut debiti ex Iustitia: quà verò parte loquitur de non sperando quicquam, etiam ex gratitudine; consilium est, non præceptum. Non etiam obest cap. *Consuluit, Extra, de Vsuris*, vbi Vrbanus III. videtur reprobare spem omnem, & intentionem lucri, cùm sic ait: *Qui mutuat, aliàs non mutuo daturus, eo proposito, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat, pro huiusmodi lucri intentione, quam habet, iudicandus est malè agere.* Loquitur enim Pontifex de eo qui mutuat intentione veri lucri, hoc est, pretij debiti ex mutuo. Lucrum enim propriè dicitur id, quod prouenit ex nostra negotiatione, vel industria: non autem quod ex dantis liberalitate accedit.

39. Obiectio ex D. Thoma. Contra primam partem conclusionis videtur sentire D. Thom. q. 78. a. 2. in corp. vbi affirmat exigi posse pro mutuo recompensationem eorum, quæ pecuniâ, non mensurantur: Putà, beneuolentiam; & amorem eius, qui mutuauit, vel aliquid huiusmodi: quamvis non liceat ex pacto tacito, vel expresso, quodcunque aliud accipere, cuius pretium pecuniâ mensurari potest: sed tantùm si offeratur vt gratuitum donum, absque vlla obligatione tacita, vel expressa. Confirmatur, quia non videtur esse notabile onus, nec maius ipso mutuandi beneficio, quòd quis se obliget ex Iustitiæ obligatione ad illud, ad quod iam obligatus est obligatione naturali ex gratitudine, ita vt sine ingratitudine non possit recusare. Ergo non est iniustum exigere Iustitiæ obligationem ab eo, qui iam ad idem ratione mutui obligatur ex gratitudine.

Satisfit obiectionib. Ad primum respondeo cum Valent. suprà, D. Thomam sumere verbum, *Exigere*, minùs propriè, pro, expetere, vel accipere ex gratitudine. Neque propterea frustra ponit differentiam inter ea, quæ non sunt pretio æstimabilia, & alia. Hoc enim fecit, vt ostenderet in petitione talium rerum minus esse periculum vsuræ. Cùm enim res tales non soleant ex Iustitia commutari: non est verisimile quod vnquam petantur titulo Iustitiæ, sed titulo potiùs gratitudinis. Ad secundum respondeo beneficium mutui æquiualenter compensari simili beneficio debito ex gratitudine. Quare non est iustum addere illi obligationem Iustitiæ, quæ multò maior est obligatione gratitudinis: quia, vt iusta sit conuentio, seruari debet onerum paritas. Sunt tamen qui apertè docent licere obligare mutuatarium ad remutuandum vicissim in simili necessitate: & modicum, vt curationem in necessitate iusto pretio adhibeat: patronum, vt patrocinium necessarium præstet: agricolam, vt agrum iusto pretio colat: & idem est de alijs ex gratitudine debitis. Ita S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 7. 9. 10. Adrian. in 4. tract. de Restitut. §. *Sed contra:* Med. de vsura q. 4. sed quod supra dixi speculatiuè probabilius est: potest tamen negari beneficium mutui ei, qui simile præstare non vult: reddit enim se indignum beneficio, propter animum, & affectum ingratum.

Secunda conclusio: Multæ sunt causæ seu tituli mutuationi aliquando adiuncti, propter quos licet aliquid supra sortem exigere, qui vulgò solent vocari *Interesse*. Primus est, damnum emergens: quando scilicet quis vt mutuet, incurrit aliquod detrimentum rerum suarum, quod detrimentum vitasset, si non mutuasset, & non potest aliter vitare, quia non potest illud impedire nisi ope pecuniæ, vel alterius rei, quam mutuat. Hunc titulum admittunt omnes cum D. Thoma q. 78. a. 2. ad 1. vbi sic habet: *Ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere, cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod deberet habere.* Ratio est, quia æquum est vt mutuator sibi prospiciat, & non patiatur damnum subueniendo alteri. Neque facit iniuriam debitori, si eum obligat ad resarciendum damnum, cuius ipse est causa, æquum enim est, vt, quoad fieri potest, quisque onus suum ferat, & non in alium immerentem rejiciat. Neque tenetur quisquam nocere sibi in eodem ordine, vt alteri benefaciat, citra maiorem necessitatem. 40. Excusat ab vsura damnum emergēs.

Sed vt Iustitia in hoc titulo seruetur, requiritur primò, vt damnum verè sequatur per se ex mutuo, & mutuator non potuerit illud aliter commodè, & facilè vitare. Alioqui enim non patitur illud ob mutuum, sed suâ culpâ, aut negligentiâ, quam non potest sine iniuria conferre in mutuatarium, qui non est eius causa. Secundò requiritur, vt compensatio non excedat iustam damni æstimationem, aut periculi damni. Tertiò, vt mutuatarius ad id teneatur ex Iustitia, requiritur vel primò pactum expressum, quod duobus modis iniri potest: nimirum vel confusè, de resarciendo damno, si quod eueniat, quodcunque, & quantum eueniet; & de non resarciendo, si non eueniat: Si verè sequatur ex mutuo. Et vel pactum, vel culpa mutuatarij interueniat.

vel determinatè, de certo pretio, maiori vel minori, pro ratione periculi damni impendentis, quod periculum, licet damnum reipsa non eueniat, est pretio æstimabile. Optimus autem æstimandi modus est, vt mutuans videat quanti vellet ipse simile periculum emere, si ab alijs mutuum sumeret. Vel secundò requiritur vt quis iniustè ad mutuo dandum adactus fuerit: nam qui iniustè coëgit, est causa iniusta damni ex mutuo sequuti, ideóque tenetur resarcire ratione culpæ, licet pactum nullum fuerit. Vel tertiò, vt mutuatarius sit in mora soluendi, quo tempore damnum emergit; id est, non soluat, cùm possit, & teneatur soluere. Quod dupliciter contingere potest. Primò, quia terminus solutioni præfixus aduénit, quo elapso, cùm teneatur ex Iustitia soluere; si omittit, iniusta est omissio, & damnum ex tali omissione secutum, oritur ex eius culpa contra Iustitiam: adeóque tenetur ad illius compensationem. Secundò, si certus terminus non sit præfixus, sed pendeat à mutuante repetere creditum, quando volet: tunc enim, cùm repetit, terminum præfigit, seu ponit reipsa: & iniustè retinetur diutius mutuum, morâ iniustâ, & imputabili, cum damno mutuatarij.

41. Notandum tamen moram debere esse culpabilem, vt vi illius, citra aliud pactum sequatur talis obligatio. Vnde si mutuatarius probabili ratione ductus existimauit creditorem consentire in moram, non tenetur: multóque minùs si factus est impotens ad soluendum, quia ad impossibile nemo tenetur, *Reg. 6. de Regulis iuris in 6.* Vltra hos tres casus vel pacti initi, vel iniustæ coactionis ad mutuandum, vel iniustæ dilationis, non tenetur ex Iustitia mutuatarius damnum emergens compensare. Cùm enim omnis restituendi obligatio oriatur ex tribus tantùm capitibus: nimirum vel ratione rei acceptæ, vel ratione culpæ iniustæ, vel ratione contractus, seu pacti: talis non obligatur ratione rei acceptæ ad damnum sarciendum: quia res accepta obligat tantùm ad sui ipsius restitutionem in seipsa, vel in eo, in quo remanet: neque etiam ratione culpæ iniustæ, quia nec accepit iniustè, nec detinet etiam iniustè, donec sit in mora culpabili, & iniusta. Nec denique ratione pacti: cùm nullum initum sit, vt supponimus.

Soluitur obiectio. Dices, iniri tacitè pactum, quia non est præsumendum mutuantem velle cum suo damno alteri benefacere, neque est æquum vt beneficium cedat in ipsius perniciem. Respondeo mutuantem, hoc ipso, quòd nullum pactum init de damno resarciendo, censeri cedere iure suo, & contemnere damni periculum vsque ad terminum solutioni præfixum. Debétque sibi imputare, si minùs bene rebus suis prospexit. Neque præsumendum est mutuatarium, gratis mutuum accipientem, sine pacto resarciendi damnum, consensisse in reparationem damni secuturi, cuius nulla mentio facta est, quodque, si præuidisset, nunquam fortè cum hoc onere mutuum accepisset. Plura de hoc titulo vide apud Less. cap. 20. dub. 10. Malder. tract. 5. de Iust. cap. 3. dub. 12. & Dicastil. lib. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 7.

Secundus titulus est lucrum cessans: quando quis, nisi mutuum dedisset, consecuturus erat aliquod lucrum ex pecunia, vel re simili mutuata; quod non potest aliter consequi, & quo se priuat propter mutuatarium. Putà, quia ex pecunia sua emeret agrum frugiferum, vel negotiaretur. Hunc titulum recipit ius Canonicum in cap. 6. Extra, *de vsuris*, vbi dicitur, Non esse vsurarium vendere piper, cinnamomum, aliasque merces pretio quo valebunt tempore solutionis dilatæ: neque id illicitum esse, nisi dubium sit merces, illas plus minúsve solutionis tempore valituras. Atque ita similiter licitum est mercatori vendenti triticum æstate, quod seruaturus erat vsque ad finem veris sequentis, quo tempore carius erit, accipere pretium maius, quàm habeat æstate, quantum scilicet valebit tempore prædicto; deductis expensis, & periculis, si quæ sunt in seruando: vt dicitur cap. *Nauiganti*. eodem tit. Nimirum quia non tenetur in gratiam emptoris priuare se lucro sibi parato: sed iure potest ab illo exigere eius compensationem. Par autem est ratio de mutuante, qui se priuat lucro simili. Ergo; &c. Eundem titulum expressè admittunt Doctores fere communiter, teste Lessio dub. 11. Couarr. 3. Variar. cap. 4. & Nauar. cap. 17. num. 211. Requiruntur autem eædem conditiones, quæ in titulo superiori, vt seruetur æqualitas, & oriatur obligatio Iustitiæ ad lucrum compensandum. Nimirum primò, vt mutuatio sit verè causa lucri cessantis: alioqui enim iniustum est mutuatarium compensare id, cuius non est causa. Vt autem mutuatio sit verè causa lucri cessantis, non satis est lucrum esse possibile simpliciter; sed necessarium est, vt pecunia, ante mutuum, fuerit destinata lucro comparando, vel absolutè, vel conditionaliter. Vnde qui scit se nullo modo destinasse, aut destinaturum fuisse pecuniam vlli rationi lucrandi extra mutuum; non potest quicquam sumere in mutuo, titulo lucri cessantis. Ratio est, quia si potentia lucrandi non reducenda in actum, non est pretio æstimabilis: neque lucrum cessat ei, qui licet non mutuet, nullum lucrum facturus est. Secundò requiritur vt non habeat aliunde, vnde commodè idem lucrum consequatur. Tertiò requiritur vt seruetur æqualitas inter lucrum cessans, & compensationem: ita vt si lucrum sit certum, tantum reddatur, quantum ipsum est; nisi sit deducendum aliquid ob laborem molestum, & alia mox dicenda. Si verò incertum sit; tantum detur, quantum spes æstimatur arbitrio viri prudentis: in quo debet haberi ratio quòd beneficio mutuationis cessat aliquod periculum, quod esset in negotiatione. Item quòd mutuator minus laboris subit mutuando, quàm negotiando: Si labor sit talis vt meritò deduci debeat, quia molestus, & non necessarius, aut expetendus. Item quòd relinquit sibi tempus, quod impendat alijs exercitijs quæstuosis, in quibus si æquè facilè potest tantumdem lucrari, lucrum ei verè non cessat, ideóque non potest exigere eius compensationem, vt rectè notat Lessius dubit. 11. n. 85. Quartò, vt mutuatarius obligetur ex Iustitia ad talem compensa-

42. Excusat 2. lucrū cessans propter mutuum.

Quæ cōditiones seruandæ vt hic titulus sit iustus?

compensationem, requiritur pactum expressum, quod confusè, aut determinatè iniri potest, vt diximus de damno emergente: vel, si pactum deest, requiritur vt mutuans adactus fuerit iniustè ad mutuandum, aut mutuatarius sit in mora culpabili: tunc enim ratione culpæ iniustæ tenetur ad compensationem. Quintò denique requiritur, vt lucri cessantis, (& idem est de damno emergente) compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed conuenienti interuallo: vt si ex mutuo centum aureorum debeantur tibi quinque nomine lucri cessantis; non potes pacisci statim tibi dari quinque: quia iam non mutuares centum reipsa, sed tantùm nonaginta quinque, tamen acciperes lucrum cessans ex centum; quod est iniquum. Potes tamen sine vsura & iniustitia, mutuatario dare centum ea lege, vt statim accipias quatuor ratione lucri cessantis ex illis nonaginta sex. Nam si summa centum aureorum erat paritura quinque aureos; summa nonaginta sex est paritura quatuor, atque aliquid amplius. In hoc igitur non fit vsura, neque iniustitia, sed reipsa mutuantur nonaginta sex aureos cum interesse, & alij quatuor simul dantur sine interesse, qui tamen statim sunt reddendi, ad assecurandum interesse pro nonaginta sex. Nimirum vt scripto constet centum mutuatario datos fuisse, & totidem esse reddendos, sicuti verè ac sine iniustitia reddi debent: quatuor nempe; ob lucrum cessans: ex nonaginta sex per annum seruatis; & ijdem 96. propter mutuum. Porro ad iustitiam, & æquitatem huius contractus, & aliorum ob titulos sequentes, nihil refert an mutuans vltrò, an verò rogatus det mutuum; & an se offerat, vel ab alijs quæratur; dummodo titulus verè extet, & seruetur æqualitas inter lucrum, & titulum.

43. Obiectio ex S. Thoma. Contra hunc titulum videtur sentire D. Thomas q. 78. art. 2. ad 1. vbi sic habet: *Ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere. Hoc enim non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare: & potest esse, quòd accipiens mutuum, maius damnum euitet, quàm dans incurrat. Vnde accipiens mutuum, cum sua vtilitate damnum alterius recompensat. Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quòd de pecunia non lucretur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.* Hucvsque D. Thomas. Addit Dom. Sotus lib. 6. de Iust. q. 1. a. 3. conclus. 4. nullam legem siue Ecclesiasticam, siue Ciuilem existere, quæ id permittat. Nullum etiam ex antiquis Doctoribus ita sentire. Rationem denique obstare: quia cessare alicui lucrum, est illum à lucro cohiberi: cohiberi autem à lucro nemo potest, nisi voluntas eius impediatur per vim, aut metum, aut per ignorantiam. Quare vbi nihil horum est, non cessat lucrum. Ergo si quis mutuat volens, sine vi, sine metu, sine causa faciente inuoluntarium, non cessat illi lucrum.

Explicatur D. Thomas. Ad primum respondeo cum Lessio num. 82. D. Thomam intelligendum esse de lucro remoto, quando pecunia nondum erat negotiationi exposita, vel alteri iustæ lucrandi causæ destinata: vel negat solummodo posse tantum exigi, quantum erat lucrum possibile, aut incertum. At non negat posse deduci quantùm spes eius valet: imò contrarium apertè sequitur ex eius doctrina q. 62. art. 4. c. cuius hæc verba sunt: *Aliquis damnificatur dupliciter. Vno modo, quia aufertur ei id, quod actu habebat: & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualem. Alio modo, si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi: & tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est habere aliquid virtute, quàm habere actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solùm secundum virtutem, vel potentiam: & ideo si redderetur ei, vt haberet, hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis, vt dictum est. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum.* Hucvsque D. Thom. qui similia tradit art. 2. ad 4.

Ad secundum argumentum Dom. Soti, respondeo contrarium constare ex cap. 6. *Extra, de vsuris*, cuius sensum paulò ante, num. 42. in ipso initio explicationis huius tituli retulimus, & ad eius confirmationem auctoritate illius capitis bene intellecti vsi sumus, atque etiam capitis *Nauiganti*, eodem tit. Antiqui verò, qui non meminerunt expresse huius tituli, potuerunt illum comprehendere nomine damni emergentis, quemadmodum apertè à D. Thoma comprehenditur verbis relatis ex quæst. 62. a. 4. Plures tamen, & celebres citantur à Couarr. 3. Variar. cap. 4. num. 1. qui expressam huius tituli mentionem fecerunt: vbi etiam pro eodem varia iura allegat. 44. Altera opppositio diluitur.

Ad rationem eiusdem Soti respondeo cum Lessio num. 82. non tantùm dici lucrum alicui cessare, quando inuitus, vel ignarus impeditur; sed etiam quando ipse se priuat; siue id sponte faciat, siue ad preces alterius. Hoc enim est pretio æstimabile: neque tenetur mutuans, absque alia necessitate, carere suo commodo, vt occurrat alterius incommodo. Et quamvis posset gratis carere lucro certo, aut probabili; debetétque ex Charitate si mutuatarij necessitas id postularet: tamen extra necessitatem non debet, & in necessitate non tenetur ex Iustitia, sed tantùm ex Honestate, & Charitate. Nec valet quod addit Scotus in 4. d. 15. q. 2. ar. 3. ad 1. Si mutuator non velit carere lucro, non det mutuum. Etenim indigentia mutuatarij potest esse talis, vt ei expediat siue ad vitandum malum, siue ad consequendum bonum, accipere mutuum, etiam cum onere lucri cessantis. Ideóque mutuator potest licitè, & piè mutuare cum prædicto onere: imò interdum tenetur ex Charitate, quando potest cum proprij damni compensatione occurrere maiori incommodo proximi, quod aliter vitari nequit. Non tamen tenetur carere lucro propter alium, nisi simplex necessitas cogat, & non possit aliter subueniri graui proximi necessitati, quia non debet cum suo incommodo eiusdem ordinis impedire incommodum proximi, cui ad-

huc ferendo ipse sufficit. Hucusque de lucro cessante.

45. Excusat 3. periculum. Tertius titulus est periculum: quod duplex esse potest. Vnum amittendi sortem, aut illius partem. Alterum molestè, & difficilè recuperandi: quod periculum est pretio æstimabile tanto maiori, quanto ipsum est maius. Egregiè verò describitur ab Ecclesiastico cap. 29 initio, his verbis: *Multi quasi inuentionem*, id est, rem fortuitò inuentam, *æstimauerunt fœnus*, id est, mutuum, *& præstiterunt molestiam ijs, qui se adiuuerunt. Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam: & in tempore redditionis postulabit*, (id est, inuenietur qui postulet) *tempus*, id est, dilationem: *& loquetur verba tædy, & murmurationum, & tempus causabitur. Si enim potuerit reddere, aduersabitur. Solidi*, id est, totius, *vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inuentum. Sin autem, fraudabit illum pecuniâ suâ, & possidebit illum inimicum gratis, & conuitia, & maledicta reddet illi, & pro fœnore*, id est, *pro mutuo ac beneficio reddet illi contumelias.* Hæc Ecclesiasticus, quæ non infrequenti experientia satis comprobantur. Eundem titulum admittunt Syluest. V. *Vsura* 2 q. 35. Angelus ibid. nu. 38. Medina cod. de Restit. q. 38. Per. Nauar. lib. 3. c. 2. nu. 343. Malderus tract. 5. c. 3. dub. 14. Less. cap. 20. dubit. 13. & alij recentiores. Ratio præcipua est, quia tale periculum est pretio æstimabile. Ergo potest pro eo pretium exigi: iustum enim est si pro eo, quod est pretio æstimabile, pretium exigatur. Confirmatur, quia mutuator potest à mutuatario exigere fideiussorem, qui fideiussor ratione periculi, & oneris, quod subit, potest mercedem exigere. Ergo si mutuator recipit in seipso periculum, & onus fideiussoris, potest similiter pro eodem pretium exigere. Sed nota primò, debere esse verum periculum, & non leuiter præsumptum, cui exponere se sit aliquid pretio æstimabile. Quando scilicet malum non solùm potest euenire, sed etiam in similibus solet non rarò euenire, & habet causas, quarum euasio incerta est. Secundò, periculum non est amplificandum, neque plus exigendum, quàm eius ratio ferat. Optimus modus est, vt non plus exigas, quàm velles ipse dare alteri pro simili periculo. Certè qui vltro, offert alteri mutuum, non multùm timet hoc periculum. Tertiò, non est cogendus mutuatarius, vt hunc potiùs, quàm alium fideiussorem adhibeat, modò talem offerat, vt in eo meritò fidem, & securitatem fundare possis.

46. Refutatur contraria sententia. Contrarium sentiunt Nauarrus cap. 23. num. 81. & Sot. lib. 6. q. 4. art. 1. ad 1. quia, inquit, Ecclesia contrarium determinauit Cap. *In ciuitate, de vsuris*: ex quo cap. colligi potest Ecclesiam iudicasse tale periculum non esse considerabile. Et cap. *Nauiganti, eod. tit.* vbi sic habetur: *Nauiganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* Confirmatur, quia licet periculum hoc pretio esset æstimabile, non potes tamen pro illo aliquid exigere, nisi inuoluntariè patiaris. Ad primum respondeo negando quod assumitur. Nam cap. *In ciuitate* Alexander III. definit tantùm non licere merces pluris vendere, quàm modò valeant, ratione solius dilationis solutionis, nisi spes certa sit illas plus valituras tempore solutionis. In secundo, mendum in textu est, vt quidam recentiores sapienter notarunt cum Layman lib. 3. de Iustitia tract. 4. c. 16. n. 13. Legendum enim est, *Vsurarius non est censendus qui dat, &c.* Si enim in prima parte legeretur, *Vsurarius est censendus*, sine negatione; malè adderetur: *Ille quoque vsurarius non est.* Esset enim dicendum, *Ille verò vsurarius non est.* Nam affirmatio, & negatio per particulam aduersatiuam sunt connectendæ. Ad confirmationem patet ex dictis sup. de lucro cessante.

Quartus titulus est, secundùm aliquos Doctores, obligatio non repetendi mutuum ante certum tempus: vt si 1000. aureos tibi mutuo dem cum obligatione non repetendi, nisi post vnum aut duos annos. Primò, quia hæc obligatio est aliquod onus pretio æstimabile. Ergo potest pro eo compensatio exigi. Antecedens probatur à pari: nam fideiubere alterius nomine per annum pro eadem pecunia, est pretio æstimabile per se, ac citra periculum, aliàque adiuncta. Ergo & obligare se ad carendum eâdem summa, quod idem, aut plus est, quàm fideiubere. Deinde obligare ad remutuandum est aliquod onus pretio æstimabile, vt docet S. Thom. q. 78. a. 2. ad 4. Ergo & obligare ad continuandum mutuum per vnum, aut duos annos. Secundò, sicut alijs oneribus potest aliquod pretium imponi: ita & oneri carendi suâ pecuniâ tanto, vel tanto tempore. Propter hæc Less. cap. 20. dub. 14. nu. 120. dicit hanc sententiam posse videri probabilem: apertè verò eam tenet Medina Cod. de Restit. q. 32. §. *Inde infertur*. & quidam alij, quorum confusè meminit Molina disp. 308. 47. Excusat 4. obligatio non repetendi ad certū tempus, secūdùm aliquos.

Sed nihilominus communis, & vera sententia contraria est, non licere scilicet ratione solius obligationis amplius accipere, nisi vel damnum emergens, vel lucrum cessans, vel periculum, vel alius titulus intercedat. Ita Molina, Salas, Turrian. Layman, quos citat. & sequitur De Lugo disp. 25. de Iust. Sect. 3. n. 17. Ratio est, quia aliqua dilatio est essentialis mutuo, ita vt statim repeti non possit: alioqui neque differret à precario, neque beneficium esset propriè, iuxta axioma cap. vnici *de commodato, Oportet nos non decipi beneficio, sed iuuari*: alioqui beneficium euanescit. Vt enim quis iuuari possit mutuo, requiritur tempus, & spatium, per se; quia negotia humana non perficiuntur in momento, neque in breui tempore. Atqui vi mutui non licet aliquid accipere, vt antea probauimus. Ergo neque vi dilationis mutuo essentialis: quod autem dilatio maior vel minor sit, definita vel indefinita, nihil refert moraliter: neque est pretio æstimabile, nisi vel damnum emergat, vel lucrum cesset, vel periculum sit, &c. Vnde si ad horam tantùm hæc obligatio susciperetur, nihili fieret: cùm verò longior suscipitur, ideo pluris æstimatur, quia periculum est damnum aliquod emersurum, vel lucrum cessaturum, aut peri- Refellitur eorū sententia.

culum maius est sortem amittendi intra tam longum tempus: ideóque hic titulus non est censendus ab alijs distinctus. Consentiunt præter suprà citatos, Dicastillius tract. 10. disp. 2. dub. 8. & Maldetus tract. 5. cap. 3. dub. 15 vbi testatur communem hanc esse DD. sententiam.

48. Satisfit eorum argum. Ad primum argumentum contrariæ opinionis, nego antecedens, per se loquendo de obligatione seiunctâ ab alijs titulis. Ad confirmationem, nego fideiubere esse pretio æstimabile per se, ac citra omne periculum, aliàque incommoda: non magis quàm vendere, locare, &c. quæ, si fiant, debent fieri gratis à commutantibus. Obligatio quoque ad remutuandum non est pretio æstimabilis per se solam, sed quia solet esse iuncta cum alijs incommodis pecunia æstimabilibus. Ad secundum, responsum iam est, onus carendi sua pecunia sine vllo alio incommodo, non esse pretio æstimabile.

49. Excusat 4. pœna conuentionalis. Quintus titulus est pœna conuentionalis. Potest enim pacisci mutuator vt si mutuatarius non restituerit ad terminum præfixum, soluat aliquid supra sortem, in pœnam dilationis: vt rectè docent Gabriel. in 4. dist. 15. quæst. 11. art. 1. lit. K, Nauar. cap. 17. num. 215. Med. q. 3. de vsura §. *Quarta causa*, Sylu. V. *Vsura*, num. 28. Dicastil. cap. cit. dub. 12. Less. cap. 20. dubit. 15. Ratio est, quia is, qui retinet alienum inuito domino, est dignus aliqua pœna. Ergo mutuatarius, qui vltra terminum præfixum retinet mutuum inuito domino, est dignus aliqua pœna. Ergo in pœnam potest illi imponi mulcta pecuniaria. Potest autem dupliciter imponi. Primò, per leges aut publica statuta, vel per iudicis sententiam: quo pacto in Gallia Regum edicta statuunt sex in centum. Quæ tamen pœna non debetur vi legis, nisi post sententiam iudicis: neque solet decerni, etiam à die, quo debitor fuit in mora, nisi fuerit iuridicè interpellatus à creditore. Secundò potest ab ipsismet contrahentibus conuentione mutua statui. Sed cauendum est ne pallietur vsura intendendo lucrum dumtaxat, & fingendo te inuitum, vt lucrum consequaris; cùm alioqui non cures vtrum præfixo termino soluat, an non. Tunc enim non ex culpa iniuriosa, quæ tunc non esset in non soluendo; sed ex vi mutui tale lucrum intenderetur. Oportet ergo vt, dum mutuas, verè & sincerè velis tibi restitui tali tempore, siue tua intersit, siue non, & imponatur mulcta, tanquam pœna iniuriæ, quam pateris in non restituendo quod vis rationabiliter tibi restitui. Oportet vlteriùs debitorem esse in culpa: alioqui non est dignus pœnâ: Vnde non licet breuem terminum ipsi præfigere, intra quem scis non posse restituere. Item, Pœna debet esse moderata, & proportionata culpæ: nam iniquè faceret mutuans, si compelleret mutuatarium, vt ad grauem pœnam pro iniuria leui se obliget. Qua de causa pactum legis commissoriæ est illicitum, & prohibitum legibus, id est, pactum de retinendo pignore, quod fiat mutuatoris, nisi creditor soluat præfixo tempore. Nimirum, quia (vt rectè Less. notat) pignus solet esse quid multò melius ipso mutuo, adeóque excedens pœnam iustam dilationis. Porro, sicut pœna legalis, aut iudicialis, id est, imposita per legem, aut iudicem, non debetur in foro conscientiæ ante sententiam iudicis ordinariè: ita existimant aliqui non deberi hanc conuentionalem, vt Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 37. & alij plures, quos citat. Sed contrarium probabilius docent Less. cap. 20. dub. 15. Malder. tract. 5. cap. 3. dub. 18. Molina tract. 2. disp. 317. Dicastil. suprà, dubiolo incidente, num. 280. Azor. Rebel. Salon. Valent. Syluester, & alij plures: quia communiter intelligitur fieri conuentio in hunc sensum, ne alioquin expensæ faciendæ ad sententiam obtinendam, absorbeant compensationem: vt interdum contingeret.

Sextus titulus est labor numerandi, ponderandi, scribendi, & alia quædam præstandi propter officium mutuandi, pro quo labore, si sit alicuius considerationis, potest accipi moderata, & iusta compensatio: vt patet ex Montibus pietatis approbatis in Concil. Later. sub Leone X. Sess. 10. in Bulla prima eiusdem Pontificis, vbi eorum conditio, & natura exprimitur: & in Trident. Sess. 22. cap. 8. 9. 10. Vbi iubentur Episcopi hos montes, vt pia loca sibi subiecta visitare. Eorum leges referunt, & exponunt Nauar. *De vsuris, num. 59.* Malder. cap. 3. dub. 17. De Lugo disp. 25. Sect. 10. Less. cap. 20. dubit. 25. & Medina Cod. *De vsuris*, q. 10. Sunt autem hi montes pietatis, summæ quædam pecuniæ in quibusdam vrbibus Christianis à viris pijs relictæ, vt ex illis mutuò detur pauperibus eius loci, accepto ab illis aliquo pignore ad securitatem, cum iure repetendi mutuum integrum, & aliquid amplius moderatum; pro labore ministrorum huiuscemodi montium, quorum sunt satis magni labores in ijs, quæ ad montes pertinent conseruandis, administrandis, opibus erogandis, & repetendis pecunijs, custodiendis pignoribus, &c. 50. Excusat 6. labor considerabilis.

Quæres, cur sacri Canones non faciant mentionem huiusmodi titulorum, sed simpliciter prohibeant velut vsurarium accipi quicquam supra sortem? Respondeo Canones, aut leges Pontificias mentionem facere aliquorum, vt vidimus in eorum explicatione. Cur autem frequenter eorum non meminerint, ratio est, quia leges communiter loquuntur de rebus per se consideratis, abstrahendo ab ijs, quæ per accidens illis aliquando iunguntur: Ex. gr. leges prohibentes ne res vendantur supra iustum pretium legale, loquuntur de venditione per se: Quas non violat, qui ratione manifesti incommodi, quod vendendo subit, quia res ipsi plus valet, pluris vendit. Sic ergo Canones loquuntur de mutuo per se, cui omnes tituli suprà enumerati accidentarij sunt, possúntque ab illo abesse penitus, atque non raró absunt. 51.

Præcedentibus titulis addi potest quod ait Emman. Sa V. *Respublica*, num. 2. citans Caietanum in eandem sententiam, & Syluest. V. *Vsura 1.* num. 30. Rempublicam posse pro bono communi rem vnius alteri dare. Vnde non facilè, inquit, damnanda sunt statuta, quæ videntur iniqua, aut vsuraria. Sed hoc mihi non probatur, propter ea quæ suprà dixi num. 35. & num. 21. & seq. neque purò mutuantem posse hoc titulo ab vsura excusari. Excusántne statuta ciuilia?

SECTIO VIII.

Vtrum qui mutuò dedit aliquid, possit illud repetere in maiori mensura, si pretium creuerit?

52. Respondetur cũ multiplici distinctione. Sensus quæstionis est, an si v. g. quis tempore messis mutuò dedit 10. tritici modios valentes tunc 10. aureos reddendos tempore veris, quo valebunt 20. possit repetere tunc 20. modios, & pro eo pacisci. Vel si iam mutuò dedit 20. aureos reddendos post annum, & eo tempore creuerit eorum pretium, possit repetere pretium, quo creuerunt, & de illo reddendo pacisci. Respondeo primò, si par vtrinque sit periculum ne crescat pretium, & decrescat: non potest iniri pactum de augmento reddendo, nisi simul ineatur de decremento subtrahendo: quia in eo contractu non esset onerum paritas, & æqualitas: cùm æquale sit vtrinque periculum, vt supponimus; & vnus tantummodo subeat periculum, exempto alio. Secundò, potest tamen iniri pactum de re in eadem quantitate reddenda, quidquid eueniat. Ratio est, quia vterque subit æquale periculum, & non est maius onus vnius, quàm alterius. Tertiò, si certum est auctum iri pretium tempore restitutionis, potest pacisci de augmento, si modò rem suam vsque ad illud tempus erat seruaturus.* Ratio est quia alioqui periret illi lucrum ex mutuo. Dixi autem, *si rem suam erat seruaturus:* quia si iam erat venditurus, non haberet plus quàm nunc valeat, nec valor ille futurus ad eum pertineret: quare ratione illius, velut lucri sibi cessantis, non posset plus exigere. Quartò, si certum est pretium rei minuendum esse, potest pacisci mutuans, vt sibi in eadem quantitate reddatur: idque siue rem suam esset eousque seruaturus, siue non. Ratio est quia possum exigere vt res mihi restituatur æqualis pretio, & bonitate naturali, ei quam tradidi. At sicut possum vendere secundùm valorem, quem res habet de præsenti, quando venditur; ita & mutuare. Dices: Ergo lucraris ex mutuo, quia sine illo seruasses rem tuam vsque ad tempus, quo minùs valuisset. Respondeo mutuationem se habere per accidens, & esse tantùm occasionem extrinsecam, non verò causam lucri. Nam causa lucri est vetus rei valor in præsenti. Mutuatio verò est tantùm occasio, cur velim à me rem meam alienare. Sed posito, quòd velim alienare, possum exigere pretium, quod nunc habet: siue alienem vendendo, siue mutuando, quod mihi æquè facile est, & res eodem recidit, vixque differt hæc mutuatio à venditione. Venditio autem iuxta hoc pretium esset sine dubio licita: ergo & mutuatio. Quintò, si augmentum, vel decrementum rei mutuatæ non est certum, sed solùm probabilius; non potest tantum constitui in spe, aut periculo incerto, quantum in certo: sed res moraliter æstimari debet. Optimum verò esset pacisci indefinitè, quando euentus incertus est: Ita vt ex euentu debeat definiri quantitas rei restituendæ, collata varietate pretij currentis tempore mutuationis, & tempore restitutionis. In his omnibus conueniunt Doctores, vt videre est apud Molin. tract. 2. disp. 311. Sextò, si non fuit pactum expressum initum de restituenda maiori mensura, si pretium rei creuerit; vel minori, si decreuerit: considerandus est valor quem res habebat tempore traditionis, & ille valor est exæquandus tempore restitutionis, augmento, vel decremento mensuræ: vt rectè docent Pet. Nauarra, lib. 3. c. 2. num. 252. Rebellus, Molina, & alij, quos refert & sequitur Bonac. de contractib. disp. 3. q. 3. puncto 3. num. 21. Ratio est, quia sic seruatur æqualitas rerum secundùm præsentem valorem, quem habent tempore contractus, quæ in cæteris omnibus permutationibus seruari solet.

53. Refellitur contraria opinio. Contrarium tamen sentiunt Dom. Sotus lib. 6. q. 1. a. 2. & Less. cap. 20. dub. 17. num. 150. affirmantes sufficere si eadem mensura restituatur, quamvis pretium creuerit. Ratio præcipua est, quia, vt ait Lessius, ita videtur vsu receptum, vt mutuatarius non censeatur obligatus, nisi ad reddendam similem in specie, & parem bonitate, & mensura: nisi ratione mutationis pretij aliter sit conuentum. Confirmatur, quia communis consuetudo est accipiendi mutuò triticum v. g. quando carius est; (nam in caritate est necessitas, quæ cogit mutuò accipere;) & reddendi, quando est vilius; quia in vilitate est abundantia, & facilitas reddendi: debétque mutuans sibi imputare, si non præcauit in pacto, quod debuit præuidere ob frequentiam casus. Sed hæc sententia locum tantùm habere potest, vbi est communiter recepta talis consuetudo, ratione cuius censetur mutuator condonare augmentum, & condonat implicitè, nisi aliud exprimat. At hic vsus non est vbique: & per se loquendo, atque ex natura rei, reddendum est pretium æquale, sine quo non seruatur æqualitas moralis.

54. Pecunia mutuata est eodẽ valore reddẽda, & alia similiter mutuò tradita. Hinc sequitur primò, pecuniam mutuatam reddendam esse in eodem valore, quem habebat tempore mutuationis, per se loquendo, & citra pactum initum: siue pretium monetæ mutuatæ creuerit, siue decreuerit v. g. si mutuatus es tres aureos valentes singulos quatuor libras, & cùm restituis valent tantùm tres, oporteret reddere quatuor, vt efficias duodecim libras, quantum valebant tempore mutuationis. Quod si contrà, valor cuiusque aurei creuerit ad 6. libras, sufficiet duos reddere. Idémque dico de tritico, & similibus. Et quidem mutuator incurrit aliquod damnum, si triticum erat seruaturus vsque ad tempus augmenti. Sed hoc est per accidens, & debet sibi imputare quod per pactum non sibi cauerit. Sequitur secundò, eum, qui pecuniam mutuat in certa specie monetæ, cuius valorem augendum scit tempore restitutionis; posse pacisci vt sibi reddatur in eadem specie, & quantitate; si modò eam vsque ad illud tempus alioqui seruaturus fuisset. Tertiò, eum qui triticum vsque ad ver seruaturus esset, posse, si mutuet æstate, pacisci de quantitate sibi reddenda iuxta pretium commune quod habebit tempore veris, putà mense Maio, aut alio tempore as-

signato, quo vendere decreuerat. At non indefinitè iuxta summum pretium, quod aliquando obtinebit toto anno, aut toto veris tempore. Ratio est, quia non potest petere compensationem nisi lucri, quod habere potuit, & consequenter eligere. At nemo est qui possit scire quando venditurus est, hoc esse summum pretium tritici: pendet enim ab euentu dubio futuro, neminique noto. Itaque iniquum est facere per pactum mutuationis certius lucrum, quàm absque eo facere posset. At venditurus hoc vel illud tempus necessariò elegisset cum aliquo dubio de futuro augmento, vel decremento pretij: per mutuum autem infallibiliter haberet summum pretium: Ergo, &c. Sumendum ergo est commune pretium temporis assignati, nec infimum, nec summum, quo circiter vendidisset. Non infimum, quia potuit fortè vendere summo, non summum, quia fortè infimo: & sicut incerta spes vendendi summo dat illi ius ad pretium maius infimo: sic periculum vendendi infimo, adimit illi ius accipiendi summum: quare in medio standum est, ad temperandum vtrumque extremum.

SECTIO IX.

An & quomodo vsurarius teneatur ad Restitutionem?

55. Tenetur iure naturali, & positiuo. Dico primò, vsurarium iure tum naturali, tum positiuo teneri ad restitutionem. De positiuo patet ex pluribus Canonibus Ecclesiasticis Sect. 2. relatis. De naturali probatur, quia vsura est contra Iustitiam commutatiuam ex natura rei. Est enim ex natura sua, iniusta acceptio rei alienæ, domino inuito rationabiliter, vt ibidem ostendimus. Ergo obligat ex natura rei ad restitutionem. Probatur secundò, quia Alexander III. qui in Concil. Later. nouas, & graues pœnas statuerat contra vsurarios, nisi restituerent, declarat in capite *Cum tu manifestos*, Extra de vsuris, quòd illis pœnis etiam ij, qui extorserant vsuras ante Concilium, sint compellendi vt restituant. Ergo existimabat aliter, quàm vi Canonum, obligari ad restitutionem (nam leges non obligant nisi post promulgationem sufficientem) nimirum obligari ex ipsa natura rei. Siquidem eodem cap. fundat obligationem restituendi, quam habent vsurarij, in Regula D. Augustini, *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: quæ regula vtique est iuris naturalis: Nec quemquam excipit ab hac obligatione, & à pœnis contra non restituentes, nisi eos, qui non habent in facultatibus suis vnde valeant restituere: statuitque vt alijs facultatibus non existentibus, vendantur possessiones, quæ de vsuris comparatæ sunt, & ipsarum pretia his, à quibus vsuræ sunt extortæ, restituantur: *vt sic*, inquit, *non solùm à pœna, sed etiam à peccato, quod per vsurarum extorsionem incurrerant, liberari possint.*

56. Res accepta per vsuram debet reddi. Dico secundò, Rem acceptam per vsuram, si extet in indiuiduo, reddendam esse pariter in indiuiduo, ab eo, apud quem extat, quicunque ille sit. Ratio est, quia est aliena, & iniustè accepta. Ergo non potest retineri, sed debet ei reddi, cuius est. Confirmatur, quia iniusta detentio rei alienæ non est minùs iniuriosa, quàm acceptio; cùm sit quædam continuatio acceptionis, & vsurpationis iniustæ. Dicitur autem res extare in indiuiduo, & subesse prædictæ obligationi, quando nondum est consumpta, & potest facilè discerni à bonis vsurarij, vel alterius, qui illam habet: tunc enim, cùm eius dominium non sit translatum, debet reddi vero domino: à quo etiam potest repeti vbicunque sit, etiam ab eo, qui ab vsurario accepit titulo oneroso: vt fusiùs docet Lessius cap. 20. dub. 18. & patet ex dictis alibi de restitutione rerum per furtum sublatarum. Debet, inquam, reddi ipsamet in indiuiduo, nisi domini nihil intersit, neque ipse curet quod eadem reddatur, vel æquiualens: vt patet ex dictis alibi generatim de restitutione debita titulo iniustæ acceptionis: ex quibus etiam liquet quomodo debeat vsurarius restituere, quamvis res iniustè accepta non extet in indiuiduo.

Hinc collige peccare, & teneri ad restitutionem, eum qui ab vsurario accipit in compensationem rei sibi debitæ, assignationem vsuræ ab alio exigendæ. Vt si Petrus vsurarius debens Paulo 100. libras, assignet illi chirographum, quo totidem exigat à Francisco, à quo ipsi debentur pro contractu vsurario: modò tamen constet de vsura: Nam in dubio, facta sufficienti inquisitione, debet præsumere in fauorem Petri, & non damnare illum vsuræ: atque ita potest licitè accipere, aut retinere quod accepit.

Dico tertiò: Hæredes vsurarij tenentur quoque ad restitutionem. Ratio est, quia obligationes personales transeunt ad hæredes testatoris, cum eius bonis. Si tamen plures sint hæredes, non tenetur quisque in solidum, sed pro rata hæreditatis, quæ ad ipsum peruenit. Nam sicut bona testatoris diuiduntur in hæredes; ita & obligationes eius personales. Æquum enim est diuidi onera in successores defuncti, quando diuiduntur commoda. Ita Lessius cap. 20. dub. 20. addens id esse intelligendum de obligationibus solùm personalibus: quia quisquis reali obligatione obstrictus est, potest in totum conueniri. 57. Hæredes vsurarij tenentur ad restitutionē.

Dico quartò: Si bona defuncti sufficiant ad soluenda debita; & ad portionem hæredibus iure debitam (id est, ad suam legitimam, vel quartam iure debitam, quæ Falcidia dicitur) non tenentur legatarij, vel donatarij ad restitutionem, licet hæredes non restituant. Ratio est, quia onera debitorum non transeunt ad legatarios, vel donatarios: sed ad hæredes, qui substituuntur in locum defuncti, & qui ratione hæreditatis succedunt in vniuersum ius defuncti, vt dicitur L. *Hæreditas* ff. *de Regulis iuris.* Dixi, *si bona defuncti sufficiant, &c.* Nam alioqui tenentur legatarij, & donatarij, pro rata contribuere, vt debita soluantur, & hæredes, ijs solutis, legitimam suam, vel quartam partem obtineant. Ita Medina Codice de vsuris, quæst. 4. §. *Ad quintum principale*, Less. dub. suprà cit. Molina disp. 332. Dicastil. lib. 2. tract. 10. disp. 3. dub. 4. & plures alij.

58. Et qui cooperantur vsurario. Dico quintò: Quicunque agunt partes vsurarij, & concurrunt efficaciter vt vsuræ soluantur, vel solutæ non repetantur, tenentur quoque ad restitutionem: secus autem qui agunt partes mutuatarij, vel non concurrunt efficaciter, licet videantur cooperari. Ratio vtriusque partis conclusionis patet ex dictis de restitutione in genere, disp. 28. Sect. 9. Nimirum quia priores sunt causa iniusta ex qua sequitur damnum: secus autem posteriores. In priori ordine sunt illi omnes, qui iussu, vel consilio, vel aliter iuuant, & inducunt efficaciter vsurarios. Efficaciter, inquam, ita vt sine illis effectus non fieret, iuxta ea, quæ diximus Sect. cit. explicantes versus illos, *Iussio, consilium, consensus, &c.* Inter quos sunt iudices qui vsuras soluere cogunt, vel solutas repeti prohibent: & Notarij, qui inuito mutuatario instrumenta falsa conficiunt, quibus vsura ita tegatur, vt vi illorum mutuatarius possit cogi ad vsuram soluendam. Secus autem si mutuatarius consentit; quia tunc Notarius partes illius agit: aut si exprimit contractum qualis est; quia vi talis instrumenti non potest exigi vsura, atque ita non est efficaciter causa damni. In posteriori ordine sunt famuli, qui merè exequuntur voluntatem dominorum, non id ægrè ferentibus mutuatarijs. Et qui quærunt mutuatores (licet vsurarios) in gratiam mutuatariorum, aut mutuatarios egentes, & volentes, ducunt ad vsurarios. Et qui pecuniam deponunt apud vsurarium, modò non suadeant vt det ad vsuram, neque vsuræ participes sint, aut illius occasionem dent. Peccarent enim grauiter, saltem contra Charitatem, si viderent se dare vsurario occasionem exercendi vsuras. Plura de his videri possunt apud Malderum tract. 5. dub. 24. Molinam disp. 331. Less. dub. 21. Dicastil. tract. 10. disp. 3. dub. 4. & De Lugo disp. 25. dub. 11.

59. Pœnæ statutæ contra vsurarios. Dico sextò: Præter obligationem restituendi varias esse pœnas constitutas iure Canonico, & ciuili contra vsurarios. Primò enim sunt infames, L. *Improbum fœnus* Cod. *Ex quibus causis irrogetur infamia.* Secundò, non sunt admittendi ad communionem altaris, C. *Quia in omnibus, de vsuris.* Neque ad oblationes offerendas, ibid. Neque ad confessionem peccatorum, donec satisfecerint pro sua facultate, vel cautionem pignoratitiam, aut fideiussoriam sufficientem præstiterint creditoribus ipsis, vel Ordinario, aut eius Vicario, vel Parocho, præsentibus testibus, C. *Quamquam, de vsuris, in 6.* Si id non possunt, debent iurare se non posse, & facturos quidquid poterunt, vt restituant. Si etiam periculum non patitur moram, debent statim absolui, & postea cautio exigenda, vel iuramentum, &c. Non sunt quoque admittendi ad Ecclesiasticam sepulturam, C. *Quia in omnibus, citato.* Et qui eos scienter sepelire præsumpserint, excommunicantur ipso facto in *Clement. 1. de sepulturis.* Denique testamenta ipsorum sunt irrita, nisi ante mortem restituerint, vel cautionem legitimam dederint, Cap. *Quamquam, citato.* Sed nota hæc iura loqui tantùm de manifestis vsurarijs: adeóque ab ijs solis incurruntur pœnæ supradictæ. Manifesti autem vsurarij dicuntur illi, qui facto, vel iure manifestè sunt tales. Facto quidem, quando vsura nullâ potest tergiuersatione negari. Iure autem, quando quis fuit a iudice condemnatus de vsura, vel hoc crimen confessus est coram iudice legitimè interrogante, vel de illo in iudicio per idoneos testes est plenè conuictus. Ita Lessius cap. cit. dub. 22. Malder. tract. 5. de Iustit. cap. 3. dub. 25. Molin. tract. 2. disp. 333. Dicastil. disp. paulò ante citata, dub. 5. & De Lugo disput. 25. Sect. 11. § 3.

Dico septimò, excusari ab obligatione restituendi, & multò magis à pœnis eos, qui perceperunt lucrum ex contractu, reipsâ quidem vsurario, sed inuincibiliter, seu bona fide existimato iusto, si vt mutuarentur, omiserunt alios contractus iustos, quibus tantundem lucrati essent. Ratio cur excusentur à pœnis est, quia non peccarunt. A restitutione verò, quia habent titulum lucri cessantis: & quamvis ipsum non intenderint expressè; tamen cùm intenderint iustum contractum, intenderunt virtualiter, & implicitè omnes titulos iustos, qui in tali contractu possunt reperiri; & consequenter etiam titulum lucri quod cessat ex alio contractu, quem fecissent, nisi hunc iustum existimassent: in quem titulum censetur etiam virtualiter consentire mutuatarius, quia in mutuo consentit dare lucrum ex omni titulo quo mutuans intendit accipere. Similiter excusantur à restitutione, qui bona fide inierunt contractum vsurarium cum consensu partis, videntes eius similes probari à viris doctis; modò lucrum perceptum excusari possit titulo damni emergentis, vel alijs supra explicatis Sect. 7. vel etiam titulo census, aut contractus societatis, vel cambij, de quibus mox. Ratio est, quia in huiusmodi contractu seruatur æqualitas formalis, ex mente, seu intentione virtuali contrahentium: seruatur etiam æqualitas materialis, vt supponimus, quia non est maius lucrum, quàm ex alio titulo iusto implicitè intento consequeretur mutuator. Qui verò mala fide contraxerunt, tenentur ad restitutionem, si non curarunt vllum titulum iustum, nec eo vti intenderunt. Nam titulus iustus non facit contractum legitimum, nisi aliquo modo intendatur. Si quis autem intenderet, & tamen per scrupulum, aut conscientiam erroneam putaret non subesse; non propterea obligaretur ad restitutionem, sed ad deponendum errorem, licet peccauerit agendo mala fide. Plura de his videri possunt apud Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 25. puncto 2. Lessium cap. 20. dub. 12. & De Lugo disput. 25. Sect. 9. num. 180. & sequentibus. 60. Quenam excusent ab his pœnis, & ab obligatione restituendi?

SECTIO X.

De Censibus, seu redditibus annuis.

Omissis alijs acceptionibus, quæ apud Couarr. videri poterunt, lib. 3. Variar. resolut. cap. 7. & apud Malder. tract. 5. cap. 5. dub. 1. & De Lugo disp. 27. Sect. 1. Census, prout hîc sumitur, est ius percipiendi annuam pensionem 61. Census quid, & quotuplex sit?

ex re, vel persona alterius frugifera, vel vtili: quam qui soluit, dicitur Censuarius: qui accipit, Censualista. Diuiditur autem primò in Reseruatiuum, & Consignatiuum. Prior est, quando quis legando, vendendo, aut permutando, transfert rem suam in alterum, quoad dominium directum, & vtile, seruata sibi pensione annua super eadem re. Posterior est, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum, & vtile retinet, vel etiam super persona sua, consignat alteri ius annuæ pensionis. Dixi, *quorum dominium directum, & vtile retinet, &c.* vt distinguatur Census à Feudo, vel Emphiteusi, in quibus traditur dominium vtile, retento directo. Deinde, consignatiuus (de quo præcipue disputant Doctores) subdiuiditur primò in Realem, qui fundatur super re aliqua, ita vt ex ea pensio debeatur: Personalem, qui immediatè fundatur super persona quæ seipsam obligat: & Mixtum, qui super rem, & super personam constituitur immediatè. Secundò, in Fructuatium, ex quo debentur fructus: & in Pecuniarium, ex quo pecunia. Tertiò, in Certum, quando scilicet debetur certa pecuniæ summa, aut rei mensura: & in Incertum, quando non certa, sed variabilis, puta, quinta pars fructuum quotannis. Quartò, in Perpetuum, qui pro semper ex vi contractus constituitur: & Temporalem, qui ad tempus certum, vel incertum, quo elapso cessat ius exigendi Censum, pretio emptionis non refuso: putà, quando constituitur ad decem annos, vel ad vitam: Et hic Vitalitius dicitur. Perpetuus denique alius est Redimibilis; alius Irredimibilis: quando nimirum, licet ex se, vi contractus, quo constituitur, perpetuus sit; nouo tamen pacto cauetur, vt redimi possit, vel vt non possit, siue ex parte vnius tantùm, siue ex parte vtriusque. Multipliciter enim potest esse Census redimibilis. Primò ex parte venditoris tantùm: quippe qui potest cogere emptorem ad Censum reuendendum, pretio Census ei reddito; licet non possit ipse cogi ab emptore ad Censum redimendum, pretium ei reddendo. Secundò, ex parte emptoris tantùm, qui possit cogere venditorem ad redimendum Censum; licet ipse non possit cogi à venditore, vt reuendat ipsi Censum, & pretium eius resumat. Tertiò, ex parte vtriusque; ita vt vterque, quando volet, possit cogere alterum ad redimendum, aut reuendendum, & vterque vicissim teneatur redimere, aut reuendere ad voluntatem alterius.

62. Census reseruatiuus est licitus.

His præmissis, certum est contractum quo Census Reseruatiuus constituitur, esse iustum, & licitum; vt patet ex vsu omnium gentium à nemine reprehenso, & ex praxi communi Ecclesiæ circa pensionum reseruationem in resignatione, aut permutatione beneficiorum, quæ tacitè approbatur à Trident. Sess. 24. Decreto 2. de Reform. cap. 13. post medium: Et in cap. 21. *de Præbendis*, eius mentio fit. Ratio est, quia is qui alteri rem suam donat, aut legat, seruata sibi pensione non excessiua, nullam ipsi iniuriam infert, sed potiùs confert beneficium, donando, vel legando. Si autem vendit, aut permutat, non infert quoque iniuriam, modò ius pensionis reseruatæ, iunctum pretio venditionis, aut rei permutatæ, non excedat iustum pretium rei, quæ apposito Censu permutatur, aut venditur.

De Censu autem Consignatiuo dicendum est, ipsum quoque, secundùm omnes species, & differentias superiùs expositas, posse licitè vendi, & emi, saltem ex natura rei: dummodo verus Census, seu verum ius vendatur, & seruetur æqualitas secundùm æstimationem inter Censum, & pretium; & si aliqua grauamina præter naturam contractus Censuarij alicunde imponantur per pacta accessoria, ea prudentis arbitrio debitè compensentur. Quod vt explicetur, — Census consignatiuus potest licitè vendi, & emi.

Nota primò, non posse vendi Censum de re aliqua, vel persona: nisi res ex sua natura frugifera, vel vtili ad lucrandum, aut persona ex sua industria, vel officio, vel negotiatione, possit parere tantam vtilitatem, quanta est pensio soluenda ex illa, statis temporibus. Ratio est, quia si res, vel persona non est talis; dominus rei, vel personæ, non habet re vera ius percipiendi tantam vtilitatem. Ergo verè non habet id totum, quod vendit: & consequenter vendit aliquid non suum: quod manifestè iniustum est. Non est tamen necesse vt res quotannis tantum fructum afferat, quanta est annua pensio: nam Census solent constitui super agris frugiferis, qui alternis annis quiescunt: sed sufficit si fructus ex ea quomodocunque percepti, sufficiant ad pensionem quotannis soluendam: Hinc sequitur, re pereunte, aut desinente esse frugifera, vel vtili, perire etiam Censum super ea fundatum, nisi de reali transeat in personalem, aut res alia substituatur per pactum assecurationis, de quo dicemus paulò post: vel etiam pereat culpâ Censuarij, qui ratione culpæ iniustæ teneatur de damno. — 63. Debet esse ex re tandundem lucratiua.

Nota secundò, iustum pretium esse illud, quod vel lege statuitur, vel prudentis arbitrio definitur. Vnde fit vt pretia Censuum, pro temporum, & locorum, & pactorum additorum varietate, varia esse possint.

Nota tertiò, aliud esse loqui de Censibus ex natura rei: & aliud, ex iure positiuo, secundùm leges Ecclesiasticas, aut ciuiles, de illis constitutas: nam propter periculum palliandi vsuras, non pauca circa Census statuuntur, quæ ex natura rei necessaria non sunt. Ac primò quidem Martinus V. & Callistus III. in Extrauagante, *Communi*, quæ habetur *titulo de emptione, & venditione*, & refertur in summa Conciliorum post vitam Callisti III. expressè approbant Census reales habentes octo conditiones sequentes. Prima est, vt imponantur super certa re designata, immobili, & fructifera. Secunda, vt illa sola maneat obligata solutioni Census, non autem venditoris persona, aut alia bona. Tertia, vt iustum pretium soluatur. Quarta, vt soluatur statim pecuniâ præsenti. Quinta, vt venditori liberum sit Censum eodem pretio redimere, siue totum, siue per partes. Sexta, vt venditor non obligetur ad redimendum. Septima, vt Census pereat pereunte re, super qua constitutus est. Octaua, vt pensiones non excedant pretium rei, super qua — 64. Conditiones ad Censum requisitæ iure Canonico.

Census est constitutus. Verùm hi Pontifices licet expressè approbent solos contractus Censuum habentes has conditiones, non tamen dicunt illas esse necessarias, neque damnant contractus sine illis omnibus celebratos: sed interrogati an contractus celebrati cum prædictis conditionibus liciti essent, & iusti; respondent affirmatiuè: De alijs autem non loquuntur.

65. At verò Pius V. in Bulla de Censibus, edita anno 1568. easdem fere omnes conditiones repetit, & plures addit, vt videre est apud Malder. tract. 5. de Iust. cap. 5. dub. 6. Molin. tract. 2. disp. 389. De Lugo tom. 2. disp. 27. Sect. 4. & seqq. & Less. cap. 22. dubit. 12. indicatque contractus sine illis celebratos esse fœneratitios, & prohibet velut illicitos. Quare vbi illa constitutio est plenè recepta, & viget; Census Personales, & Mixti, & Census vtrinque, vel ex parte emptoris redimibiles, sunt nulli & illiciti, saltem in foro externo. Sed aduertendum est hanc constitutionem non esse receptam in Gallia: & vbi est recepta, Nauar. in comment. de vsuris num. 106. & Valent. q. 22. p. 2. prope finem, probabiliter censent eam procedere ex præsumptione Vsurariæ intentionis in ijs, qui non seruant conditiones assignatas: ideóque non obligare in foro conscientiæ, modò vitetur intentio præsumpta, & Iustitia naturalis in contractu seruetur: quia præsumptio non habet locum in foro conscientiæ, quando contraria veritas stat. Idémque dicendum de legibus ciuilibus, quæ in quibusdam regnis, aut ditionibus, à Principibus constituuntur circa Census.

66. Requisitæ ex natura rei, seu iure naturali.

Ex natura verò rei requiruntur solùm tres conditiones suprà propositæ. Nimirum primò, vt verus Census, seu verum ius vendatur, cuicunque tandem rei certæ, vel incertæ, mobili, aut immobili nitatur. Secundò, vt seruetur æqualitas Census, & pretij quo emitur. Tertiò, vt si quæ onera superadduntur per pacta accessoria, ea debitè compensentur. Quare licet ex natura rei constituere Censum, & emere, super quacunque re, ex qua venditor habet verè ius percipiendi vtilitatem, cuius pensionem vult vendere. Nam illud ius, ex quacunque re habeatur, est pretio æstimabile: adeóque vendi, & emi potest. Confirmatur, quia sicut potest emi ius transitus, seu seruitutis in agro alterius: ita & ius percipiendi fructus ex toto, vel ex parte. Cúmque ius non sit minùs possessoris, quàm ipsi fructus: non minùs potest ab eo vendi, si velit. Licet etiam secundò, emere Censum non tantùm ex rebus immobilibus, vt ex domo, vel agro: sed & ex mobilibus, etiam vsu consumptibilibus, dummodo sint in statu fructificandi: vt ex animalibus, vel pecunijs negotiationi expositis, aut ex officio quæstuoso: quia ex talibus rebus verè quis habet ius percipiendi vtilitatem. Ergo habet verè quod vendat, cùm vendit Censum ex illis. Similique de causa potest vendi Census super alijs Censibus, seu ius percipiendi vtilitatem ex Censibus prioribus. Item ius Census non modò ex rebus certis, & determinatis, seu designatis; sed & confusè, atque indeterminatè, ex rebus omnibus alicuius, nullam certam determinando: quia

Potest iure nat. constitui super quavis re vtili.

Etiamsi mobili, & per vsum cōsumptibili.

verè vnusquisque habet ius percipiendi vtilitatem ex rebus suis omnibus indeterminatè. Ergo potest illud vendere. Pontifex tamen citatus præscribit vt constituatur Census super certa re, determinata, & immobili.

Licet tertiò secundùm ius naturale constituere Censum super propria persona, quando est talis, vt velit, & possit propriâ industriâ, & opera, parare sibi vtilitatem aliquam, cuius pensionem vendit: Alioqui non haberet ius verum, quod venderet. Probatur, quia talis persona verè habet ius percipiendi vtilitatem ex propria opera, vel industria. Ergo habet quod vendat. Confirmatur, quia sicut potest quis vendere ius vtendi operâ suâ, & industriâ: ita & ius percipiendi fructum ex illa. Nam vtrumque ad ipsum pertinet æqualiter. Item, potest hominibus imponi obligatio personalis ad aliquid quotannis soluendum ex sua opera, vel industria; vt patet ex Cap. *Decimæ, 16. q. 1.* & Cap. *Apostolicæ*. & Cap. *Pastoralis, de Decimis*: ex quibus locis constat fuisse olim debitas Ecclesiæ decimas personales ex labore manuum, negotiatione, militia, & similibus: sicut etiam nunc alicubi tales decimæ, & tributa personalia soluuntur. Atqui huiusmodi obligatio, siue sponte suscepta, siue à superioribus imposita, est certo pretio æstimabilis. Ergo potest vendi, & emi. Vnde collige Censum Personalem esse licitum ex natura rei, licet prohibeatur à prædicto Pontifice; æquè ac realem: ac proinde etiam Mixtum, qui nihil est aliud, quàm Realis, & Personalis simul iuncti. Nam si census realis est licitus separatim, atque etiam personalis: ergo & coniunctim: quia coniunctio nihil addit, quo fiat ex natura rei illicitus. Confirmatur, quia verè quisque habet ius vt ex rebus suis, & ex persona sua simul percipiat vtilitatem. Ergo potest ius illud simul vendere: est enim pretio æstimabile, etiam coniunctim. 67. Et super persona.

Licet quartò ex natura rei apponere nudo contractui Census pacta quædam accessoria, quibus venditor, aut emptor aliquod onus subeat: modò fiat debita compensatio. Vnum est, pactum Assecurationis pensionis annuæ, etsi res Censui subiecta, casu pereat. Potest enim periculum eius amittendæ pretio æstimari, & tantumdem dari venditori Census, vt periculum in se recipiat. Ac licet vi primi contractus periculum amittendi pensionem, re pereunte, sit penes ipsum emptorem Census, cui perit Census, quando perit re pereunte, & fundamento eius destructo: Potest tamen emptor, & quivis alius, in quem incumbit alicuius rei periculum, illo se exonerare, & onerare alium volentem, & consentientem, data iusta mercede grauaminis, quod illi imponit. Et confirmatur efficaciter ex lib. 3. Decret. tit. 15. *de Commodato, cap. vnico*: vbi dicitur commodatarium posse obligari ad compensationem commodati, etiam si fortuitò sine ipsius culpa pereat. Quod vt fiat, necessarium est ad contractum commodati accedere pactum Assecurationis. Nam vi solius contractus commodati, commodatarius non est dominus rei commodatæ: adeóque si perit sine ipsius culpa; non 68. Potest illi apponi pactum assecurationis.

perit ipsi, sed commodanti, qui eius est dominus: Ac proinde commodatarius non obligatur ad compensationem, vi Contractus commodati. Confirmatur secundò, quia hoc nihil est aliud, quàm Censui reali adiungere personalem, vt, si res pereat, obligetur ipsa persona ad soluendam pensionem ex sua industria: aut vni rei, ex qua debetur Census, substituere aliam. At hæc omnia licent ex natura rei. Ergo, &c. Accedit ratio generalis, quia cuilibet contractui potest alius licitus superaddi, dummodo eius naturam non destruat. At imponere onus volenti, & consentienti, cum iusta mercede, est contractus licitus. Ergo potest superaddi contractui Census, cuius naturam non destruit.

Imò, inquies, destruit: quia vi contractus Census, oneratur emptor periculo: & vi contractus Assecurationis exoneratur. Respondeo non propterea destruere; sicut contractus Assecurationis, de quo suprà, non destruit naturam contractus commodati, licet similiter exoneret periculo ante imposito. Non enim est alia natura contractus Census, quàm vt emptor oneretur periculo, nisi aliud addatur. Et hæc natura manet: sed vi alterius contractus, qui additur, refunditur in venditorem periculum, cum iusta compensatione oneris, quod ei imponitur. Est enim illud onus, & periculum, æstimabile iusto pretio. Consentiunt Medina, Valentia, Malderus, & alij, quos citat & sequitur Dicast. tract. 11. num. 51. Hoc tamen quamvis per se & spectatâ sola rei naturâ non illicitum, iure tamen positiuo per Bullam Pij V. prohibitum est.

69. Et pactū redemptionis, aut oppositi. Aliud pactum, quod secundùm ius naturale potest addi contractui Census, est pactum Redemptionis, aut Retro-venditionis Census pretio refuso; vel contrà, pactum de non redimendo, aut non retro-vendendo. Et quidem pactum redemptionis ex parte venditoris, ita nimirum vt venditor Census possit cogere emptorem ad sibi reuendendum Censum pretio ipsi reddito, approbatur expressè à Pontificibus sup. citatis Martino V. Callisto III. & Pio V. Prohibet vero Pius V. simile pactum fieri ex parte emptoris, quo possit cogere venditorem ad pretium sibi refundendum, & Censum redimendum. Sed nihilominus id naturali iure solo spectato illicitum non est, dummodo iustè appretietur, & venditor sufficienter compensetur pro onere quod ei imponitur, vt volente emptore teneatur Censum redimere. Nam si potest venditor imponere onus emptori, vt teneatur Censum sibi reuendere, quando volet, & pretio refuso literas ei Census reddere, seu contractum rescindere: quidni similiter possit emptor imponere onus venditori, vt teneatur Censum redimere, & pretium sibi reddere? Vnum enim onus est alteri simile: & vtrumque est æstimabile pecuniâ, potéstque iusto pretio compensari. Ac sicut venditor alienat à se Censum prima venditione, & tamen ius sibi reseruat vt possit Censum recuperare per Redemptionem: sic emptor, licet alienet suam pecuniam emptione Census, potest tamen ius sibi reseruare vt eam Census reuenditione recuperet. Adde quòd Census est reuendibilis, & potest emptor de reuenditione pacisci cum alio, eumque ad emendum à se Censum obligare iusta mercede. Quidni ergo idem possit erga ipsum venditorem? Neque enim est deterioris conditionis respectu illius, eò quòd ab ipso emerit, quàm respectu aliorum. Sicut denique possum aliquem obligare vt meam apothecam frequentet, & emat à me res, quibus indiget, licet easdem ego ab alio emerim: Ita etiam vt Censum emat, à me priùs emptum, siue ab ipso emerim, siue ab alio. Consentiunt Malder. tract. 5. cap. 5. dub. 11. Lessius cap. 22. dub. 10. Valent. disp. 5. quæst. 22. punct. 6. & alij quos iste citat.

Dices esse differentiam, quia is qui reuendit Censum, refundit totam pecuniam quam ab emptore accepit in pretium Census: nam pensiones quotannis solutæ non computantur in pretium redemptionis, cùm fuerint debitæ, & acceptæ titulo Census. Ergo est Palliatio vsuræ: nam idem fit reipsa, nomine solo, aut modo agendi mutato, quod in contractu vsurario: datur enim pecunia, vt integra suo tempore repetatur, quidquid contingat, & interea lucrum certum ex ea capiatur; quemadmodum in mutuo fit. Respondeo, totam quidem pecuniam esse refundendam, si pretium Census non fit mutatum: quia tantundem valet, ac antea: sed nego contractum esse propterea vsurarium: nam pecunia non datur cum onere, vt reddatur integra immediatè propter ipsam pecuniam, quemadmodum fit in mutuo: sed cum onere emendi aliquid eodem pretio æstimabile, per cuius emptionem pecunia reuertatur: vnde intentio, & modus contrahendi, & titulus redditionis pecuniæ, longè diuersus est à mutuo, & vsura. Fatendum tamen est hunc contractum habere magnam similitudinem cum vsura, præcipuè verò in Censu Personali (cuius loco meliùs iniretur contractus societatis, de quo mox,) ac periculum esse ne eius prætextu pallientur sæpe vsuræ. Qua de causa meritò prohibetur à Pio V. quæ prohibitio vtinam vbique seruaretur. Meritò etiam Doctores qui hunc contractum approbant tanquam licitum ex natura rei, addunt non esse vltrò alicui suadendum, sed duntaxat esse tolerandum ijs in locis vbi Bulla Pij V. nondum fuit recepta: dempta intentione vitiosa, & abusu, si quis est. Ita nominatim Less. cap. 22. dub. 10. & Valent. q. 22. p. 6. Vbi addit eandem sententiam (pro qua etiam Conradum, Medinam, Gabr. & alias citat) placuisse Romæ grauissimis Theologis in consultatione coram ipso habita: licet in praxi iudicarint non esse suadendam, ob periculum intentionis vsurariæ. Esset autem intentio vsuraria, & vsuræ palliatio, si Census verè non subsistat, id est, verum ius, quod vendatur: aut si quis mutuum tantummodo apprehendat, & velit ex illo lucrati, nullo quæsito, & intento iusto titulo. Recta verò intentio est, si quis intendat verum ius emere, & obligare venditorem, non ad reddendum pretium hoc ipso, quòd fuit illi datum; sed ad idem ius redimendum iusto pretio. Porro hæc omnia intelligenda esse de Censu etiam personali rectè docet

70. Soluitur obiectio.

Cauendū hic ne pallietur vsura.

Less. cap. cit. nu. 60. Apud quem plura vide dub. 10. & 11. de huiusmodi pactis, deque alijs quibusdam, quæ contractui Census apponi possunt, quorum Iustitia ex dictis facilè intelligitur.

71. Quod sit iustum pretium Censuũ? Quæres quodnam sit iustum pretium Censuum, & quomodo constituendum? Respondeo & dico primò: Vbicunque pretium Census lege taxatum est, seruandum est tanquam legitimum, nisi sit manifestè iniustum, aut nisi lex per contrariam consuetudinem abrogata sit. Non est autem iure Ciuili vel Canonico taxatum vniuersaliter: sed tantùm legibus peculiaribus regnorum, aut Rerumpublicarum definiri solet: vt bene ait Nauarrus in fine Commentarij capitis *Si fœnerauerit*: neque in omnibus vnum & idem est: vt videbimus paulò post. Vbi autem nondum lege taxatum est, dico secundò, pretium iustum Census Realis Irredimibilis definiri posse ex proportione rerum frugiferarum, vt sunt domus, ager, vinea, pratum, sylua, officium quæstuosum, aut quid simile; ita vt si deductis expensis reddat quotannis quinquaginta nummos aureos; eodem fere pretio, sed paulò minori emi possit Census super eadem re constitutus. Paulò, inquam, minori: quia plus est habere plenum rei dominium, quàm ius tantùm percipiendi ex ea omnem fructum: Vt rectè ait Lessius cap. 22. dub. 14. Si autem Census est redimibilis ex parte venditoris, multò minori pretio emi debet: quia pro onere retro vendendi, quod emptori imponitur, aliquid amplius pretij detrahendum est. Si denique ematur Census redimibilis ex parte emptoris, debet Census esse minor, aut pluris emi, ratione oneris redimendi Censum, quod imponitur venditori.

Pretium Census quomodo æstimandũ? Census autem Personales redimibiles, vel irredimibiles, non solent pluris æstimari, quàm Reales in bono fundo constituti. Considerandum etiam est, vt bene monet Lessius ibid. an vigeat negotiatio, vel abundet pecunia, vbi Census emuntur. Nam vigor negotiationis, & inopia pecuniæ, faciunt Census vilescere. Hinc est quòd pro diuersitate locorum, temporum, & circumstantiarum, pretia Censuum varia esse possunt, prout res magis, aut minùs frugiferæ sunt; aut negotiatio magis, aut minùs viget; vel abundat pecunia, aut rarior est. Hinc etiam fit, vt sicut pretium rerum, quando non lege taxatur, triplex est: summum, medium, & infimum: ita & pretium Censuum. Pretium quoque lege taxatum diuersum est in diuersis regnis. Nam in Hispania pretium Census irredimibilis est 28. 29. aut 30. in singula. At verò in Gallia nunc per Regium edictum pretium Census irredimibilis ab emptore est 6. in 100. siue 16. in singula. Vnde si pactum redemptionis, & assecurationis illi apponatur, debet esse saltem 5. pro 100. seu viginti in singula: aut potiùs 4. tantùm pro 100. quia quando Census emitur cum hoc onere valde graui venditoris, vt teneatur redimere, & assecurare Censum: debet diminui Census modo prædicto, vt onus compensetur, demendo vnum pro onere redemptionis, & alterum pro pacto assecurationis, vt docet Valent. q. 25. p. 2. §. *Tertius modus*. Vel vt meliùs docet Lessius cap. 22. dub. 10. & 11. vnum pro pacto redemptionis demendum est, quia sic illud onus sufficienter compensari videtur: pacti verò assecurationis iustum pretium est, quanti illa obligatio conditionalis iudicio probi, & intelligentis viri æstimabitur. Si enim paruum sit periculum, paruo æstimandum est: si magnum, magno: si nullum, nullo; quia tunc pactum assecurationis foret inutile, & nullius est pretij, minimèque compensandum. Idem Less. dub. 14. num. 104. affirmat pretium Census realis redimibilis lege taxatum esse 14. in singula. Sed hoc pretium non est vbique positum: nam vt ibidem addit: In Sicilia est 10. in singula, approbant Nicolao V. & Gregorio XIII. Martinus vero V. & Callixtus III. in Extrauag. suprà citata approbant Census reales pro Germania, & Polonia, 10. 11. 13. 14. in singula, aut plus vel minus secundùm temporis qualitatem. Pretium autem lege taxatum seruandum est, eo modo quo paulo ante dixi, num. 71. & fusius Sect. 2. num. 6. disputando de pretio generaliter in emptione & venditione seruando.

SECTIO XI.

De contractu Cambij.

Cambium hîc sumitur, pro permutatione numismatum, seu pecuniæ cum pecunia: quam qui Cambit siue permutat in gratiam alterius, vocatur Campsor: is verò, cuius gratiâ fit permutatio, vocatur Campsarius. Solet autem diuidi Cambium in Reale, & Siccum. Sed hoc posterius non est verè Cambium, sed fictitium tantùm, habensque aliquam duntaxat veri Cambij similitudinem, quâ vsura palliatur. Vt quando fingitur solutio esse alibi facienda per literas, & tamen fit ibidem. Vel quando habetur solùm ratio temporis, seu dilationis solutionis, vt propter eam percipiatur lucrum absque alio titulo iusto: quod verè nihil aliud est, quàm percipere vi solius Mutui: quod esse illicitum & vsurarium ostendimus suprà disputando de Mutuo. Dicitur autem Siccum, eo quòd careat succo iusti tituli ad pariendum lucrum: sicut terra sicca est infertilis, defectu humoris necessarij ad ferendum fructum. Reale verò Cambium est illud, quo verè & realiter permutantur pecuniæ, cum reali & legitimo titulo percipiendi lucrum. Diuiditurque in Minutum, seu Manuale, quo permutatio fit de manu æreæ v. g. cum argentea, vel argenteæ cum aurea, patriæ cum externa, receptæ cum reprobata: & in Locale, seu per literas, quando permutatur pecunia præsens cum absente alibi recipienda. Quæ permutatio solet fieri per literas à Campsore datas ad locum destinatum, vbi pecunia reddenda est. Id tamen non est omnino necessarium ad veritatem & valorem, seu Iustitiam Cambij realis. Quia si ipsi Cambientes, vel eorum procuratores proficiscerentur ad locum illum, sufficeret conuentio, & obligatio viuæ vocis de pecunia ibi recipienda. Scriptum enim non est 73. Quid & quotuplex sit Cambiũ.

necessarium, & verus, & validus sit iste contractus: sed vt probari possit, & securiùs fiat.

Porro ad Cambium minutum seu manuale perficiendum duo contrahentes sufficiunt. Ad Cambium verò locale solent præterea concurrere procuratores, seu correspondentes Campsoris in loco vbi pecunia redditur, pro ea quæ fuit alibi accepta à Campsore; vel quæ datur à Campsore vt alibi reddatur à Campsario, qui tunc etiam solet respondentem seu cautionem dare pro securitate redditionis futuræ. Potest enim & solet Cambium locale vtroque modo fieri. Ita scilicet vt Campsor accipiat pecuniam, quæ Campsario reddatur alibi ab eius respondente: Vel è contrario, Campsor det Campsario pecuniam, quam iste reddat alibi illius respondenti.

74. Tituli percipiendi lucrũ. Tituli iusti, quibus potest lucrum percipi in Cambio minuto, sunt primò ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Vt si monetam aliò deferre statueras vbi plus valet: aut seruare in eodem loco, vbi eius pretium augendum est. Secundò ratione officij Cambiendi, & propter onera illi annexa: præsertim si à Principe, vel à Magistratu impositum sit. Cuiusmodi onera sunt cura & labor congregandi pecunias omnis generis ad permutandum, & semper ad hoc esse paratum iuxta voluntatem, & indigentiam Campsariorum, haberéque correspondentes, & famulos qui pecunias congregent, aut numerent, & literas ad eos scribant vbi commutatio perficienda est: & denique labor ipse numerandi pecuniam atque incumbendi officio Cambiendi. Neque enim verum est quod ait Caietanus in tractatu de Cambijs, cap. 1. hunc laborem compensari per laborem similem Campsariorum, qui pecuniam similiter numerare debent. Nam vterque labor suscipitur in gratiam illorum qui Cambium petunt: ideoque debet ab illis compensari. Debet tamen hic labor esse moraliter considerabilis, & æstimabilis; vt certè est, quando fit ex officio. Tertiò potest etiam percipi lucrum aliquod ratione puritatis materiæ, propter quam pecunia est maioris pretij naturalis, licet non sit maioris pretij legalis, ideóque potest, instar mercis, pluris vendi: atque etiam ratione maioris commoditatis transferendi, conseruandi, numerandi, vtendi, & vbique negotiandi, quia vbique, aut plurib. in locis vsum suum obtinet: ac denique ratione antiquitatis, vel raritatis: solent enim antiquiores, & rariores pluris æstimari. Notandum autem valorem, siue æstimationem pecuniæ & numismatum duplicem posse considerari. Vnum legalem, qui taxatur à Principe. Alterum naturalem, qui prouenit ex bonitate aut puritate metalli, seu materiæ; vel ex antiquitate, raritate, vtilitate, seu facilitate maiori ea vtendi, præsertim si pluribus in locis apud exteras nationes acceptetur; & ex alijs capitibus; propter quæ solet aliquid dari pro tali moneta vltra valorem eius legalem.

75. Vlteriùs in Cambio locali, quando Campsor prior accipit vt alibi restituat, tituli iusti accipiendi lucrum sunt primò translatio actualis aut virtualis & æquiualens pecuniæ in locum vbi debet ipse restituere, seu tantumdem reddere. Secundò; assecuratio: Campsor enim recipit in se periculum transferendi alio pecuniam; ita vt si perit, ipsi pereat. Tertiò, si pecunia sit minoris pretij in loco vbi Campsor accipit, quàm vbi restituit. Siue hæc maior æstimatio sit intrinseca ratione taxæ; siue extrinseca, & fortuita ratione negotiationis, aut abundantiæ, vel inopiæ pecuniæ. Si verò Campsor dat prior, vt alibi recipiat, potest adhuc lucrum accipere, primò, titulo virtualis translationis. Secundò, titulo maioris æstimationis in loco, vbi pecunia datur, quàm vbi redditur. Tertiò, ratione lucri cessantis: vt si pecunia, quam dat, erat destinata maiori lucro, omnibus expensis, & deductis deducendis. Quartò, ratione carentiæ pecuniæ cum periculo ne non restituatur, aut priuatione commoditatis negotiandi, quæ inter mercatores magni fit. Hæc autem omnia, vt seruetur æqualitas, indicio peritorum, & prudentium æstimanda sunt, & leges receptæ seruandæ. Videantur Toletus lib. 5. Summæ cap. 50. & sequentibus, Molina tract. 2. disp. 396. & deinceps, Valentia q. 13. de Iustitia, Malder. tract. 5. cap. 4. De Lugo disp. 28. De Salas tract. de Cambijs, Lessius cap. 23. qui hæc & alia fusiùs prosequuntur, & plurimos casus in particulari exponunt, qui ex dictis facilè solui possunt.

Refert etiam Nauar. cap. 17. Manualis, num. 300. Constitutionem Pij V. circa Cambia, in qua primò damnat omnia Cambia, quæ Sicca nominantur, & ita confinguntur, inquit, *vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca Cambia celebrare simulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem suas Cambij tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerant inanes referantur; aut etiam nullis huiusmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat: neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis; huiusmodi literis receptis solutionem faciat. Cui malo* (inquit Pontifex) *simile etiam illud est, cum pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti Cambij traduntur, vt postea eodem in loco, vel alibi, cum lucro* (sine iusto titulo) *restituantur.* Et hæc tota prima pars Bullæ nihil aliud est, quàm declaratio, & confirmatio iuris naturalis, quo illicita sunt, & vsuraria omnia eiusmodi Cambia sicca, seu ficta, in quibus ob solam temporis dilationem, sine alio iusto titulo, adeóque vi mutui, lucrum accipitur. Nam, vt alibi diximus, dilatio temporis est mutuo essentialis: ideóque accipere vi solius dilationis, est accipere vi mutui. 76. Cõstitutiõ Pij V. circa Cambia.

In secunda parte Bullæ quædam præscribit Pontifex circa Cambia realia: statuitque vt qui ea non seruauerint, pœnis à sacris Canonibus contra vsurarios statutis se nouerint subiacere. Et primo quidem damnat vsuræ Campsores, *qui in Cambijs realibus præstitutum solutionis terminum differunt, lucro ex tacita, vel expressa conditione recepto, vel etiam tantummodo promisso:* Titulo nimirum solius dilationis, non autem ratione veri interesse lucri cessantis, aut 77.

damni emergentis ex dilatione, quod interesse reipsa subsit, & non falsò prætendatur. Secundò, *Ad tollendas quoque* (inquit) *in (ambus occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum,* statuit *ne deinceps quisquam audeat sine à principio, siue aliàs, certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci.* Quibus verbis, vt rectè aduertit De Lugo citatâ disp. num. 109. non prohibet Pontifex exigere tunc aliquid amplius non propter temporis dilationem, sed propter damnum emergens, aut lucrum cessans Campsori ex prorogatione termini, & dilatione concessa: dummodo non determinetur aliquid certum, sed quantum euentus ostendet fuisse lucrum cessans, aut damnum emergens. Nam ad vitandum periculum vsuræ vetat Pontifex certum aliquod lucrum determinari à Cambientibus, vultque rem ab euentu pendere. Neque verò loquitur de lucro seu pretio Cambij: sed de interesse, quod exigitur ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vt notat auctor suprà cit. post Azor, De Salas, Filliuc. Lessium, & alios. Neque etiam irritat tale pactum, si secundum ius naturale taxetur iustè certum interesse à Campsore, in casu non-solutionis tempore præfixo: qui idcirco non tenebitur ad restitutionem, ante sententiam, pro tali lucro accepto: sed tantùm reddit illud illicitum (propter periculum vsuræ) ijs in locis, vbi hæc constitutio quoad hanc partem recepta est.

78. Tertiò, statuit Pontifex propter idem periculum vsuræ, vt neque realia Cambia *aliter quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur: vbi verò non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum vsum exerceantur: abusu illo prorsus reiecto, Cambia pro secundis, & vlterioribus nundinis, siue terminis exercendi.* Vbi nota per primas nundinas intelligi proximas in quibus solutio fieri possit. Sique tunc non fiat, sed ad vlteriores nundinas differatur; non peccatur differendo, modo pretium maius non accipiatur. Nullum enim tunc est vsuræ periculum, propter quod Pontifex differri prohibet. Quin etiam si tunc maius pretium accipitur propter verum interesse lucri cessantis, aut damni emergentis ex tali dilatione: peccatur quidem contra huius Bullæ prohibitionem, vbi recepta est: sed Campsor non tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis: quia pactum non est irritum: neque lucrum iniustum.

Quartò, dicit *curandum esse in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur: ne dum longiores præfinguntur, quàm loca destinata solutionis desiderent, fœnerandi detur occasio.* Vbi aduerte, præter distantiam locorum, & temporis necessarij vt literæ eò perferantur, habendam esse quoque rationem temporis nundinarum, si Cambium fiat ad certas nundinas. Et ijs in locis, vbi nundinæ non fiunt, neque ad illas determinatur Cambium, non esse habendam rationem solius longinquitatis, aut vicinitatis locorum, & moræ necessariæ vt literæ eò perueniant: sed etiam commoditatis ad soluendum. Vsu enim communi receptum est, vt post acceptas literas detur aliquod spatium temporis Respondenti Campsoris, maius, vel minus, pro maiori, vel minori summa, quam Campsario soluere debet, vt possit eam comparare.

Quintò denique addit Pontifex, *Eos, qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, vt quasi monopolium pecuniæ facere videantur; pœnis, quæ a iure contra exercentes monopolia constituta sunt, teneri obnoxios.* Vbi loquitur specialiter de monopolio, seu quasi monopolio circa Cambia: quando scilicet aliqui conspirationem faciunt, vel congestam vndique pecuniam ita ad se redigunt, vt alij cogantur ab ipsis accipere Cambium, eo pretio, quo ipsi voluerint, infra infimum scilicet, & iustum aliunde. Contra quam prohibitionem non peccaret, neque incurreret pœnas monopolij, qui tantùm fingeret in nundinis se magnam pecuniæ copiam habere, vndè alij falso timore decepti offerrent Cambia viliori pretio, infra iustum infimum. Talis enim neque conspirat, neque pecuniam congerit. Peccaret tamen contra Charitatem, & contra Iustitiam, quatenus per fraudem esset causa talis diminutionis, in præiudium Campsorum. 79.

Aduerte denique, totam hanc secundam partem Bullæ de Cambijs realibus, quoad ea, quæ addit obligationi iuris naturalis, paucis in locis esse receptam: & fortè nullibi quoad omnes eius conditiones, vt affirmant Lessius cap. 23. dub. 11. num. 93. De Salas in tract. de Cambijs dub. 24. n. 2. & De Lugo disp. 28. Sect. 8. num. 107. Vbi autem recepta est, obligat etiam in conscientia: quia fundatur in præsumptione periculi: iuxta ea quæ diximus in tract. de Legibus, disp. 29. Sect. 9. 80. Sitne recepta?

SECTIO XII.

De contractu Societatis.

Contractus Societatis, vt hîc sumitur, est conuentio plurium, qui coniungendo res suas, putà pecunias, aut operam, & industriam, volunt ex illis per negotiationem, aut opificium, aut (ex Toleto lib. 5. cap. 40.) officium quæstuosum, lucrum facere; cum iure, & obligatione ad iustè diuidendum in omnes, lucrum, vel damnum, quod eueniet. Iusta verò diuisio lucri, vel damni, commensuranda est quantitati pecuniæ, vel operæ, & industriæ, quam quisque Socius confert. Ita vt si æqualiter conferant, æqualiter lucrentur, & damni æqualiter participes sint. Natura enim, & vis huius contractus dat omnibus Socijs commune dominium in bona Societatis: ac proinde quicquid ex illis perit, vel acquiritur; omnibus Socijs perit, vel acquiritur; estque in omnes refundendum æqualiter, dummodo tamen æqualiter contulerint, & omnia sint paria. Nam alioqui ius & ratio postulat vt qui plus contulit, aut cuius maior industria fuit in lucrando, maiorem quoque lucri partem obtineat: & si cuiusquam maior fuerit culpa in amissione bonorum communium, maior quoque pars damni in eum refundatur. Cùm autem ab vno 81. Quid sit?

ab vno confertur tantùm opera, vel industria, & ab alio pecunia, vel alia res; iudicandum est de valore industriæ, vel operæ, vt conferatur cum valore pecuniæ, vel alterius rei collatæ; & cognoscatur vtriusque æqualitas, vel inæqualitas; ad sciendum quantum iuris tribuat conferenti circa commune lucrum, vel quantum debiti circa damnum, quod in vnum solum rejici non debet, si sors integra manet, & industria, operáve frustra impensa est. Tunc enim aliquid debet sorti detrahi, & dari alteri, qui contulit suam operam, vt sic illa compensetur, & ipse damnum totum non ferat. Videatur Lessius cap. 25. dub. 2. vbi plura dicit de hac comparatione operæ, & pecuniæ, seu sortis collatæ.

82. Possintne illi addi duo contractus assecurationis? Huic contractui Societatis addi solent alij duo ab ijs, qui volunt habere certum aliquod lucrum annuum, & non periclitari de sorte. Vnus est assecurationis certi lucri Minoris, pro Maiori incerto: alter est Assecurationis sortis, seu capitalis. De quibus contractibus quæritur an liciti sint? Respondeo affirmatiuè, cum Maiore in 4. dist. 15. q. 48. & 49. Couar. lib. 3. Variarum cap. 2. num. 15. Bonac. de Contractibus disp. 3. q. 3. puncto 11. num. 2. Petro Nauarra lib. 3. de Restitut. cap. 2. num. 442. Sarmiento lib. 7. Selectarum cap. 2. num. 7. Gratiano in disceptat. tom. 2. cap. 36. num. 10. & 11. Homobono in Examine, parte 2. tract. 9. cap. 14. quæst. 44. Maldero in 2. 2. tract. 15. cap. 2. dub. 9. Megala in 2. 2. lib. 2. cap. 17. q. 2. Nauarro in Summa cap. 17. num. 255. Lopez in Instruct. parte 2. cap. 72. Binsfeldio tract. de Vsuris, q. 7. cap. 25. Angelos V. *Societas*, §. 7. Syluestro eodem V. q. 2. Gabriele in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 10. Medina in Instruct. §. 27. Angles in floribus, quæst. de Societate, & alijs, quos citant, & sequuntur Valentia q. 24. de Iustitia, puncto 2. Lessius cap. 25. dub. 3. & Baunyus in Summa, pag. 335. Idque siue fiant eodem tempore, quo contractus Societatis, siue post, modò seruetur arbitrio prudentis æqualitas.

83. Probatur posse addi. Ratio est, quia vtrumque onus assecurationis est pecuniâ æstimabile, & potest iusto pretio compensari. Et quemadmodum possem cum Petro v. g. non habente locum in Societate, pacisci vt accipiat dimidiam partem lucri sperati, vt saluum præstet capitale, posito quòd periculum illud tanti prudenter æstimetur. Et rursum cum eodem pacisci, vt mediam partem illius dimidiæ sibi habeat, pro altera media mihi secura præstanda; posito quòd illius periculum tanti valoris sit: in quo vtroque pacto ne vmbra quidem apparet iniustitiæ. Ita quoque possum eosdem contractus inire cum Paulo habente locum in Societate: nam ex eo quòd Socius sit, non est conditionis deterioris, neque ex eo oritur iniustitia, & inæqualitas: & posset Socius hoc idem ius emere à Petro, si vellet: Quòd autem emat à meipso, vel à Petro, cui vendidi, nihil refert ad æqualitatem & Iustitiam contractus. Confirmatur, quia potest quisque per se loquendo, vendere quod suum est, iusto & æquali pretio. Atqui ius, quod acquiro per contractum Societatis, ad partem lucri, est meum; & est tanti valoris arbitrio prudentum. Ergo possum licitè illud vendere tanto pretio, siue eidem, cum quo inco contractum Societatis siue alteri.

Dices cum Soto contrarium sentiente, lib. 6. de Iustitia, q. 6. art. 2. differentiam esse: quia eo ipso, quòd idem, cui trado pecuniam, obligatur ad assecurationem, incipit esse mutuum, & fit totaliter dominus pecuniæ, cuius periculum suscipit. Deinde hi contractus destruunt contractum Societatis, eiusque naturæ repugnant: quia de natura Societatis est, vt sit commune periculum damni. Ergo non licet præstare se indemnem. 84. Soluuntur arg. contrariæ sententiæ.

Ad primum respondeo, negando fieri mutuum, & tradi dominium pecuniæ: nam sicut Petrus, alienus à Societate, non propterea fit dominus pecuniæ, licet eius securitatem mihi præstet in casu suprà posito: ita nec Socius præstans mihi periculum pecuniæ à me collatæ, fit propterea eius dominus: nec potest de illa absolutè disponere, sed tenetur impendere in negotiationem, & lucrum, vi contractus Societatis: & alioqui facit mihi iniuriam, & peccat contra huiusmodi contractum.

Ad secundum respondeo contractum Societatis non magis destrui per contractum assecurationis; quàm destruatur contractus commodati, & Census, per pactum assecurationis; de quo diximus superiùs, agendo de Censibus. Est quidem de natura Societatis, vt sit commune periculum, æquè ac lucrum, vi contractus Societatis præcisè sumpti: at hoc non obest, quin vi alterius pacti possit redimi periculum per iustam compensationem, & contractui Societatis inducenti periculum, addatur alius, quo vitetur periculum per assecurationem: quod dum fit, est Societas vi contractus primi; non sola tamen, sed cum assecuratione, vi contractus secundi.

Instabis, quia contractus Societatis exponebat te periculo, & dabat tibi ius ad integram partem lucri: alij autem duo superadditi eximunt te à periculo, & relinquunt ius ad dimidium tantùm partis lucri, quæ tibi obuenisset: ergo destruunt primum contractum. Respondeo non propterea destruere, sed modificare, & ligare aliquod ius, aut debitum ab illo profectum. Cuius rei signum manifestum est, quia destructo secundo & tertio contractu, vigeret idem ius, & debitum, vi primi contractus, absque nouo pacto inito. Simili modo, quo si coniuges emittunt votum castitatis mutuo consensu, non propterea destruunt contractum matrimonij: sed ligant ius, & debitum circa copulam, ab illo ortum. Vnde sublatâ voti obligatione per dispensationem, aut aliter; viget idem ius, & debitum, vi contractus matrimonij: qui si per tale votum destructus fuisset, opus esset nouo contractu matrimonij ad ius illud, & debitum acquirendum. 85. Repellitur instantia.

Quod verò addunt aliqui, iniquum esse, & vsurarium, velle ex pecunia exposita negotiationi acquirere lucrum aliquod certum, & sine periculo; friuolum est. Nam si spes magis lucrandi, quamvis non certa, & sine aliquo periculo, est nihilominus tanto pretio æstimabilis 86.

iudicio prudentum, vt supponimus: manifestum est posse sine iniquitate, & vsura, vendi tanto pretio. Multáque sunt alia æquè incerta, quæ simili modo venduntur certo pretio: vt iactus retis piscatorum.

87. Per huiusmodi contractus Nauarrus in Summa cap. 17. num. 254. & 255. excusat Galliæ consuetudinem recipiendi quatuor, aut quinque pro centum. Sed notandum est primò, debere saltem implicitè intendi eorum iustitiam à contrahentibus. Ratio est, quia vt iustè possis hoc lucrum exigere, necessarium est habere in intentione iustum ipsius titulum: alioqui enim non prodest neque fauet, nullo modo intendenti. Quare si quis intendit tantùm mutuare, etiam mercatori, & exigere partem lucri, vsurarius est; quia nullo modo intendit contractum Societatis. Nota secundò, hos contractus non posse initi cum quibuslibet, sed cum hominibus verè lucraturis ex negotiatione, aut aliter, per pecuniam, vel rem aliam in commune collatam: nam alioqui titulus lucri non subsistit. Vnde qui tradit cum prædicto onere pecuniam suam ei, quem scit non esse lucraturum, peccat, & vsurarius est. Hinc sequitur peccare eos, qui non eligunt quibuscum sic contrahant. Cùm enim omnes non sint capaces huiusmodi contractus; videndum est an sint capaces ij, quibuscum ineuntur. Alioquin incurritur periculum iniustè contrahendi; cui periculo se exponere peccatum est.

Quomodo debēt iniri?

88. Nota tertiò lucrum, quod vi horum contractuum exigi potest, esse communiter quinque pro centum, iuxta Valent. & Less. locis citatis, alióśque Doctores. At non potest semper idem ab omnibus exigi: & potest aliquando plus exigi, quam quinque pro centum. Ratio primæ partis huius assertionis est, vt bene dicunt eruditi quidam recentiores, quia tanta sunt pericula, & molestiæ in negotiationibus v. c. vt ad ea vitanda existimentur communiter esse in æquè optabili, imò meliori conditione, qui habent prædia & bona immobilia, ex quibus tamen non colliguntur nisi quinque pro centum & qui habent opes eiusdem valoris cum prædijs, sed expositas negotiationi, tam ratione periculi, quàm molestiarum, quas subeunt; etsi plus lucri ex negotiatione proueniat. Æstimant enim prudenter homines, quòd redimere se à labore, & periculo negotiationis, bene emarur iacturâ maioris illius lucri, quod negotiatione paratur. Vnde videmus tandem post negotiationem aliquandiu exercitam, opes per eam partas in coëmendis fundis collocati. Igitur existimatur securitas, & tranquillitas colligendi quinque pro centum ex prædijs, æquiualere maiori lucro, aut spei plus lucrandi negotiando cum labore & periculo. Cum ergo is qui confert in Societatem, & deinde assecurat sibi lucrum, & capitale; fit in eadem securitate, ac possessor fundi; & in ea conditione constituatur à Socio assecurante: iustè ab illo emit hanc securitatem, iacturâ maioris lucri: & non æqualiter compensat, nisi remittat illi quod superest ex lucro vltra 5. pro 100. Ille enim excessus est fructus periculi, & molestiarum, quibus est vacuus. Similiter officia lucratiua, saltem compensato labore, & periculo, non reddunt communiter, omnibus pensatis, plus quàm quinque pro centum.

Quod lucrum potest ex illis percipi?

89. Ratio secundæ partis assertionis, quòd scilicet non possit idem semper ab omnibus exigi, est, quia necessarium est pro diuersitate negotiationis, officij, loci, & temporis, variari æstimationem periculi, & spei lucri: Et quod in vno est iustum, in alio iniustum est. Vnde peccant qui à quacunque persona, in quocunque genere negotiationis, idem lucrum semper exigunt. Nam qui ab omnibus æqualiter petit, non curat vt seruetur æquitas, aut non seruetur. Tertia denique pars, quòd interdum possit plus exigi, quàm 5. pro 100. probatur, quia fieri potest vt aliqua negotiatio sit adeo lucratiua, putà mercatoris Indici, vt 8. de plura pro 100. exigi possint. Magna tamen habenda est ratio periculi, in tam longa, & periculosa nauigatione. Et hæc res tota non potest vnâ certâ Regulâ definiri: sed in singulis casibus debet prudenti æstimatione decerni, quid possit hîc & nunc legitimè accipi. Hæc autem æstimatio, non tam ex proprio, cuiusque iudicio, quod in suo negotio suspectum esse debet, quàm ex aliorum proborum, & peritorum consilio facienda est.

Non idē ab omnibus, neque semper, & vbique.

Nota quartò, eos qui bona fide contrahunt cum personis incapacibus vel omnino, vel tanti lucri; & alioqui parati erant, ac poterant contrahere cum verè capacibus; excusari à peccato, quia bona fide agunt; & à restitutione, ratione lucri cessantis: intendunt enim tacitè iustum omnem titulum, qui possit adsciscì. Similiter, qui parati erant contrahere veram Societatem, modo explicato, & ab ea desistunt vt mutuò dent; possunt ratione lucri cessantis tantumdem exigere à mutuatario, quantum cepissent lucri ex contractibus Societatis.

Bona fides interdum hic excusat ab iniustitia.

SECTIO XIII.

De Promissione, Donatione, Testamento, & Legatis.

90. Promissio potest accipi dupliciter. Vno modo significat orationem, quâ aliquis se aliquid boni alteri daturum, facturúmve ostendit, ad excitandam in eo expectationem, seu spem, id est, persuasionem cum cupiditate, & desiderio quodam obtinendi illud bonum. Cui promissioni opponitur comminatio, quæ est locutio, quâ vnus alteri aliquid mali se illaturum ostendit, ad excitandum in eo metum, vel expectationem illius mali, cum naturali auersione, quæ est erga malum. Hoc autem modo promissio non est formaliter obligatio iustitiæ; quamvis ex ea obligatio naturalis, quæ est vt expectatio ab aliquo mota non fallatur, determinetur ad satisfaciendum huic peculiari expectationi, dummodo nihil obstet. Alio modo promissio significat actionem, quâ aliquis pro potestate, quam in seipsum habet, suscipit debitum, & obligationem ad aliquid dandum, vel faciendum: quæ obligatio facile intelligitur, & conspicitur, in pactis & conuentionibus: po-

Promissio dupliciter sumitur.

téstque esse reciproca: & potest esse simplex, id est vna tantùm ex parte: Item potest esse nuda, aut vestita adiuncto aliquo, vt iuramento, solemnitate, & similibus, quæ sunt vltra illius substantiam. Hanc verò promissionem Suares Opusc. 6. Sect. 2. nu. 20. dicit non esse puram promissionem, quia includit donationem quandam, scilicet iuris illius quod tribuitur promissario, respondens debito Promissoris. Sed hoc non obstante potest rectè dici mera promissio respectu eius quod promittitur, quod solum est obiectum, & materia promissionis; respectu verò iuris, quod in promissario oritur, non dicitur promissio, sed eâdem actione, quâ promissor suscipit debitum, & obligationem, dat ius promissario acceptandi; totáque hæc actio vocatur promissio in ordine ad id, quod dandum aut faciendum superest. Non est autem omnino verum id, quod doctor prædictus asserit, ius illud æquiualere dominio. Etenim non est dominium, nec aliquid æquiualens, sed minus; nempe ius ad illud obtinendum, quod dandum, vel faciendum superest: & tantopere differt à dominio, vt quod vni dandum est ex promissione, si transferatur in alium per præsentem donationem, fiat planè eius, in quem transfertur; vt communiter omnes concedunt: quod nihilominus fieri non posset, si iam in priori fuisset dominium. Denique res promissa manet adhuc promissoris, estque illius dominio subiecta, vt ante: non quòd non debeat implere promissum, sed nihilominus habet potestatem facti, ad transferendum validè in dominium alterius.

Non dat dominiũ rei promissæ.

91. Nullum autem dubium est, quin talis actio obligandi se sit possibilis, & frequens. Nam si potest aliquis donare seipsum: quidni etiam potest seipsum constituere debitorem simpliciter & purè? Fit autem illud aliquando non purè, sed sub conditione aliqua, putà, operis à promissario faciendi, aut alterius rei cuiuspiam. Item aliquando fit reciprocè, aliquando ex vna parte tantùm, cum exhibitione præsenti siue rei, siue actionis, ex altera. Et in huiusmodi casibus promissorem teneri ex iustitia concedunt communiter omnes, & singulariter Suarez loco sup. cit. Est autem aduertendum, sicut id, quod in permutationibus datur pro alio, posset gratis donari: ita quod promittitur sub conditione, posse promitti liberaliter, & obligationem posse suscipi ex mera liberalitate. Quare potest aliquis constituere se debitorem, etiam ex iustitia, licet nihil apponat conditionis. Et hoc non negat Suares, sed ait non esse tunc puram promissionem, sed donationem cuiusdam iuris. Ad quod antea diximus, præter ius illud, adhuc esse aliquid amplius, ad quod dandum, vel faciendum suscepta est obligatio. Et hoc dicitur esse promissum, vel obiectum promissionis; non autem ius illud, quod in promissario ortum est, tanquam effectus promissionis.

Quænam obliget ex Iustitia?

92. Alia verò promissio, quæ opponitur comminationi, non affert vi sua obligationem iustitiæ, sed obligat tantùm ex veracitate, aut fidelitate. Licet enim vnusquisque naturaliter teneatur ad non mouendam expectationem, quam postea fallat: tamen ex sola vi locutionis, quia nempe dixit se aliquid facturum, aut daturum, non tenetur quisquam ex iustitia; sed tantùm ex honestate, vt sincerè agat, & fide dignum se præbeat. Notandum tamen, ne quidem ex honestate obligari promissorem, si promissarius non ei fidem habuit. Tunc enim non fallitur si nihil accipiat: & eo ipso redditur indignus vt accipiat.

Quæ verò solùm ex fidelitate?

Notandum præterea, alteram quoque promissionem non obligare ex iustitia, si non sit acceptata. Qui enim non acceptat oblatam sibi promissionem, non minùs impedit illius obligationem, quàm destrueret illam, si remitteret. Quod omnino clarum est, quando aliquis sciens, & volens, rejicit oblatam sibi obligationem alterius. At non hoc tantùm modo, verùm etiam quamdiu obligatio nondum est acceptata, non consistit: quia ante acceptationem nullum acquirit ius promissarius, & promissio non est omnino completa. Intellige autem acceptationem factam vel ab ipso promissario, vel ab alio habente potestatem. Potest verò hanc potestatem habere aliquis priuatus fungens vice absentis: itémque Respublica, quasi curam gerens singulorum: item etiam persona quædam publica ad illud habens auctoritatem.

Loquimur autem hîc de promissione gratuita, id est, facta ex liberalitate, vel ex gratitudine. Qua ratione distinguitur ab alijs contractibus, promissionem aliquam continentibus: vt à contractu promissionis pretij pro merce, aut mercedis pro labore, seu præmij pro merito: potestque sic definiri: Est deliberata & spontanea fidei obligatio, qua aliquis ex animo, verbis aut alijs signis externis sufficienter expresso, se obligat alteri ad aliquid bonum & possibile præstandum. Dicitur primò, *deliberata*, plenè scilicet & perfectè, quantum est opus ad peccatum mortale: quia sine tali deliberatione ne votum quidem obligat, seu promissio Deo facta: vt ostendemus alibi, disp. 39. num. 15. & sequentibus. Dicitur secundò, *spontanea*, id est, sponte suscepta, sine alio titulo inducente obligationem iustitiæ, vt fit in alijs contractibus. Item spontanea, id est, non metu vel fraude extorta: quod intellige de metu saltem graui & iniustè incusso ad promissionem extorquendam. Nam promissio sic extorta est inualida, siue iure naturali, siue positiuo tantùm, Ciuili aut Ecclesiastico: quod de votis etiam verum esse dicemus inferius disput. cit. num. 17. 93.

Definitio promissionis gratuitæ.

Dicitur tertiò, *fidei obligatio qua aliquis ex animo, verbis aut alijs signis externis sufficienter expresso, se alteri obligat*: quia promissio homini facta, de qua nunc loquimur, neque solo animo seu voluntate se obligandi fit, sine externa manifestatione: neque etiam solo signo externo, sine vero & sincero animo se obligandi. Non sufficit, inquam, assertio aut significatio voluntatis faciendi, vel propositi animi; sed oportet vt fides obligetur & detur; id est, vt homo se verè obliget alteri. Quare non sufficit si quis dicat animi sui significandi causâ, & propositi vel propensionis ad grati- 94.

ficandum aut placendum alteri, vt sæpe fit, Promitto me id facturum: vel, Promitto me facturum quicquid dixetis: Si quis tamen talibus loquendi modis deciperetur, & damnum incurreret; teneretur alter, deceptionis & damni vitandi causâ, implere id quod promittere visus est verbis nude propriéque acceptis, vel damnum præcauere.

Dicitur quartò, *ad aliquid bonum, & possibile:* quia ad impossibile nemo potest obligari, vt per se notum est, & affirmatur *de Regulis iuris, in sexto*: Neque etiam ad malum, seu peccatum: vt habetur cap. vlt. *de pactis*. Alioqui teneretur peccare: & impossibile foret homini vitare peccatum. Peccaret enim contra promissionem obligantem, si non faceret: & peccaret, si faceret; quia res promissa est mala & illicita, vt supponimus.

Hinc sequitur promissiones & pacta, quæ contra leges & Constitutiones, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, vt dicitur *L. Pacta, C. de pactis*. Si quis tamen aliquid pro opere malo iam patrato promisit, vt induceret ad id perpetrandum, probabilius est teneri soluere promissum, non ratione malitiæ, sed ratione laboris, vel periculi, vel damni quod alter incurrit, quod est æstimabile pretio, potestque illud dari & accipi sine nouo peccato, & sine prioris mali iam commissi approbatione, imò etiam cum illius detestatione. Quare hæc obligatio non est ad aliquid malum, postquam peccatum iam commissum est. Excipiunt tamen communiter Iuris vtriusque Doctores pretium operis mali legibus punibilis, licet iam patrati; vt furti, adulterij, homicidij, & similium: probantque ex *L. Generaliter, ff. de verborum obligationibus*: quæ tamen lex potest facilè explicari de non soluendo ante crimen commissum. Sed hac de re plura iam antea diximus alia occasione disput. 28. Sect. 12. quæstiunc. 1.

95. Debet acceptari vt obliget. Vlteriùs, licet promissio merè interna, si Deo fiat, obliget, quia Deus cordis inspector est: illa tamen quæ fit hominibus, non obligat, nisi sit externa, & acceptetur (idemque dico de donatione) vt cùm communi sententiâ docent Molina tract. 2. disput. 263. Malderus tract. 1. cap. 9. dub. 4. Lessius cap. 18. dubit. 5. & 6. & De Lugo disp. 23. Operis sui de Iustitia. Ratio præcipua est, quia qui promittit vel donat, non videtur animum se obligandi habere, donec alter acceptet vt dicitur L. *Qui absenti, ff. de acquirenda possessione*. Sufficit autem, vt supra diximus, si fiat acceptatio, vel ab eo ipso, cui promittitur, aut donatur; vel ab aliquo, qui possit pro absente stipulari, seu promissionem, aut donationem illi factam acceptare. Vt qui ab illo generalem, aut specialem commissionem habent: & filij familias, pro patre: serui, pro domino: Religiosi pro Prælato: tutores pro pupillo: & alij, de quibus vide Less. dubit. 7. capitis supra citati. Quando autem promissio fit certâ formulâ contrahendi; præcedente interrogatione creditoris, & sequuta responsione debitoris, dicitur stipulatio: v. g. Promittis dare centum? Promitto. Spondes, vel, dabis centum? Spondeo: vel, dabo. Hæc

Quando dicatur stipulatio?

tamen formula non est necessaria, nisi in foro externo. Nam in interno sufficit quævis acceptatio.

Cæterum obligatio orta ex huiusmodi promissione externa, & legitimè acceptata, est obligatio iustitiæ, adeóque ex genere suo grauis, ac sufficiens ad peccatum mortale, si fit de re magni momenti, vt post Sot. Nauar. Couar. Anton. & alios docet Less. dubit. 8. num. 55. quia talis promissio dat vi sua ius ad rem: & si sit facta per formulam stipulationis, dat actionem in foro externo, vt omnes consentiunt. Ergo hæc saltem obligat ex iustitia: imò etiam quævis alia vera, & completa promissio obligatoria: nam stipulatio non mutat naturam intrinsecam promissionis, sed tantùm robur illi addit in foro externo. Secundò, promissio onerosa acceptata obligat ex iustitia omnium consensu. Ergo & gratuita, quippe quæ non est alterius generis, & tantùm differt à priori, quòd onus reciprocum non imponat. Tertiò denique, cùm talis promissio violatur, solent homines conqueri iniuriam sibi fieri. Ergo censent obligare ex iustitia, sibique strictè deberi id quod promissum fuit, non modò vt non fallantur ab eo, cui fiduciam adhibuerunt: sed etiam quia ius aliquod ad illud vi promissionis, & stipulationis acceperunt. 96. Obligat tunc ex Iustitia.

Atque inde sequitur obligationem promissoriam quam aliquis liberè, & absolutè suscipit, dandi, faciendive aliquid magnæ æstimationis, sufficere ad peccatum mortale. Nam qui ita est obligatus, debet ex iustitia aliquid graue: quod si non solueret, læderet ius alienum etiam graue. Alia verò obligatio naturalis ex fidelitate tantùm, aut veracitate, quæ est non fallendi expectationem propria testificatione, & professione motam, non est per se adeo grauis, ac illa, quæ præcisè inducit obligationem iustitiæ. Et prudenter discernendum est in quovis negotio, sitne materia grauis, an leuis, & quanta præcipuè offensio sit secutura si non impleat promissum. Est etiam aduertendum qualis fides promissioni adhibita sit, & qualis expectatio. Item quo animo soleant homines ita promittere, & aliorum promissiones accipere. Hoc quidem tempore videntur frequenter includere conditionem non tantùm hanc, Si potuero, sed etiam hanc, Si commodissimè potuero, & si mihi interea non venerit aliud in mentem. Denique licet forma verborum eadem maneat: tamen ex hominum vsu significatio vt plurimum est diuersa: & quia passim hoc quisque intelligit, non magna habetur fides huiusmodi promissionibus: raróque est peccatum mortale si non seruentur; quia leues sunt, & infirmæ & quando cognoscantur esse tales, non possunt valde fallere. At inter viros graues, & grauiter, serióque agentes, & de re non leui, promissiones huiusmodi sufficiunt ad peccatum mortale, quia nihil deest quò minùs inducant huiusmodi obligationem. 97. Et interdum sub mortali.

Est etiam videndum an Promissoris infidelitas sit futura causa alicuius damni, vel incommodi: nam inde grauior etiam existeret obligatio. Item materia promissionis sufficiens ad peccatum mortale, debet esse longè maior, quàm 98.

ea quæ sufficit ad furtum mortale : quia promissum est multo imperfectius debitum, & obligatio promissionis multo minor est, quippe quæ tantùm dat ius ad rem, multisque de causis reuocari, vel impediri potest, quarum præcipuæ quatuor sunt. Prima est, si promiseris aliquid ob causam, quæ non subest : v. g. quia putas te accepisse ab illo beneficium, cùm tamen non acceperis. Secunda, si duo vicissim promiserunt, & alter non vult implere promissum. Tertia, si res promissa fiat illicita, vel inutilis, vel impossibilis. Quarta, si status rerum, vel personarum ita mutetur, vt promissor secundùm iudicium prudentum non videatur illum euentum voluisse comprehendere : quod ex conditione rei promissæ, promissoris, & promissarij dispositione, cæterisque circumstantijs iudicandum est. Ita Less. cap. cit. dub. 10. apud quem plura vide, & apud Malderum tract. 1. cap. 9. dub. 8. Possunt etiam aliquando à parentibus, vel à superioribus irritari, aut in aliud mutari, vt fit in votis. Huc vsque de promissione.

Quibus de causis possit reuocari?

99. *Donatio quid sit? & quo modo valida?* Donatio verò definitur Datiò liberalis, id est, non iure debita, sufficiens, ex natura sua ad dominium transferendum. Fieri autem potest vel actuali traditione rei, vel verborum officio. Hæc tamen posterior non transfert reipsa dominium, neque dat ius in re sine reali traditione, vt alibi exposuimus : non quòd non sit ex natura sua sufficiens ; sed quia iure positiuo impeditur. Ad valorem huius contractus requiritur vt fiat ab eo, qui donare possit, & de eo quod donare possit, & ei, qui sit capax recipiendi eius rei dominium. Quinam autem, & quid, seu quantum donare possint, & quibus, vide apud Less. cap. 18. dubit. 11. & duabus sequentibus, Malderum tract. 1. de Iustitia cap. 10. dub. 3. 4. & 5. Molinam tract. 2. disput. 289. & alijs deinceps, & De Lugo tom. 2. de Iustit. disp. 23. Sect. 10.

Quotuplex sit, & quibus de causis reuocetur? Diuiditur donatio in Gratuitam, & Remuneratoriam. Gratuita dicitur illa, quæ merè liberalis est, ac nullo modo debita. Remuneratoria verò est, quæ licet non sit iure debita, debetur tamen ex gratitudine. Secundò diuiditur in Puram, cui scilicet nulla conditio apponitur: & in Conditionatam, id est adstrictam alicui conditioni, quando scilicet aliquid sub conditione promittitur, neque completur donatio nisi posita conditione. Tertiò diuiditur in donationem quæ dicitur inter viuos, aliam quæ vocatur *mortis causâ*. Prior est, quâ donator non tantùm post mortem, sed etiam se viuo vult rem esse alterius. Posterior, quâ non nisi post mortem.

Donatio etiamsi facta inter viuos, & licet res donata sit tradita & acceptata, reuocari potest multis de causis. Primò, propter ingratitudinem notabilem donatarij erga donatorem. Si nimirum violentas manus in illum iniecerit, aut atroces iniurias effuderit, aut graue damnum rebus illius, aut ipsimet vitæ periculum inferre præsumpserit : vt dicitur cap. vlt. de donationibus, & L. vlt. C. de reuocandis donationibus : vbi additur reuocari etiam posse si donatarius conuentiones donationi verbo vel scripto à donatore appositas implere noluerit. Addunt denique multi Doctores sufficere etiam, si donatorem iam inopem factum alere noluerit, & donatio magna fuerit. Imò & quamcunque aliam ingratitudinem parem aut maiorem suprà enumeratis in iure expressis. Secundò reuocari quoque potest ratione prolis, id est, si donator non habebat liberos quando donauit, & postea ei nascantur L. *Si vnquam*, C. *de reuocandis donationibus :* supposito tamen quòd donatio talis & tanta fuerit, vt meritò præsumatur donator non fuisse eam facturus, si de liberis cogitasset. Supposito etiam quòd proles sit legitima, vel postea legitimetur per subsequens matrimonium, aut per rescriptum Principis. Qua de re plura videri possunt apud Malder. tract. 1. de Iustitia, cap. 10. dub. 10. Lessium cap. 18. dub. 14. & De Lugo disput. 23. Sect. 11. Tertiò præterea reuocari potest donatio si est inofficiosa, id est, contra officium paternæ pietatis erga liberos : quando scilicet donatio est tanta, vt non relinquat illis portionem legitimam : vt statuitur multis legibus C. de inofficiosis donationibus.

Donatio verò quæ mortis causâ fit, reuocari potest 1. Si donatarius moriatur ante mortem donatoris. 2. Si mutet voluntatem : cuius mutandæ potestatem sibi reseruauit hoc ipso quòd non nisi post mortem suam donationem perfici voluit : vt colligitur ex L. *Qui mortis causâ*, ff. de mortis causa donat. 3. Si donator erat in periculo mortis quando donauit, & nimirum eius intuitu donauit, si postea euadit periculum, donationem reuocare potest : vt habetur lege 16. eodem tit.

Inter eiusmodi donationes mortis causa factas celeberrima est illa quæ Testamentum appellatur, & communiter sic definitur : *Voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione.* Quâ vltima particulâ definitionis testamentum differt à quibusdam alijs vltimis voluntatibus, codicillo, legato, fidei commisso, & donatione mortis causâ. Testamentum enim propriè & formaliter est hæredis institutio. Codicillus verò non fit ad instituendum hæredem, nisi interdum ex priuilegio ; sed ad aliquid in testamento declarandum, vel mutandum, ad legata (id est, donationes aliquas) instituenda, ad fidei commissum, & similia. Ad valorem, & Iustitiam huius contractus nihil aliud requiritur iure naturali, quàm potestas in disponente, capacitas in eo, in cuius fauorem disponitur ; & libertas in dispositione. Iure autem positiuo requiruntur multa alia, sine quibus testamentum nullum est in foro externo : sed in foro conscientiæ docent multi valere, ita vt non teneantur ad restitutionem, qui sic donata acceperint per Testamentum, Legata, Codicillum, &c. vt post alios plurimos docet fusiùs Molina disp. 81. Malderus tract. 1. de Iustitia cap. 11. dub. 5. & Lessius cap. 19. dubit. 2. & 3. Apud quos etiam plura videri possunt de conditionibus requisitis, deque ijs qui secundùm ius positiuum possunt testari, vel hæredes institui.

100. Quid sit testamentum?

Quæ ad eius valorem requirantur?



SECTIO XIV.

De alijs Contractibus.

101. MVLtra Contractus iam explicatos, ex quibus cæterorum fere omnium Iustitia, vel iniustitia potest facilè intelligi, alij multi sunt, de quibus fusè disputant Dom. Sotus lib. 6. de Iustit. Molina tract. 2. & 3. Rebel. tota 2. parte de obligationib. Iustitiæ. Bonac. in disp. de Contractibus. Less. lib. 2. cap. 24. 26. & duobus sequentibus, & De Lugo tom. 2. de Iustit. disput. 29. 31. 32. & 35. Nobis sufficiet pauca, & præcipua de singulis notare, fusior enim eorum explicatio Scholastici Theologi propria non est, sed ad Iuristas pertinet.

De Locatione, & Conductione.

102. Quid sint locatio, & conductio? Locatio est Contractus quo aliquis personam vel rem aliquam ad vsum vel fructum, pretio, id est, pro pecunia concedit. Conductio verò est Contractus, quo quis personam, vel rem aliquam ad vsum vel fructum pretio sibi comparat. Locatio est similis venditioni: venditur enim per illam vsus, vel fructus, iusto pretio. Conductio verò est similis emptioni: emitur enim per illam vsus, vel fructus. Ac sicut emptio, & venditio concurrunt in vnum integrum Contractum: sic locatio, & conductio. Iustum earum pretium quomodo æstimandum? Iustum pretium in hoc Contractu, est quanti communiter æstimatur vsus, aut fructus talium personarum, vel rerum: quod tamen habet latitudinem, sicut pretium emptionis: nempe supremum, medium, & infimum. Qui grauatur, potest exigere compensationem, aut facere per seipsum, si aliter non potest obtinere, & constat de grauamine. Quod verum est, licet conuentio de certo pretio facta non sit. Mens enim contrahentis, est vt soluatur quod æquum, & iustum visum fuerit. Excipitur casus, in quo aliquis iuri suo renuntiauit contrahendo: vel cum non eget quis alterius opera, sed ipsum conducit ex pura misericordia: tunc enim sufficit alere, nisi operæ fructus, & præstantia, notabiliter pluris valeat. Notandum autem præstantiores artifices, & actores, posse mercedem, ac stipendium accipere non solùm ratione laboris, & operæ impensorum; sed etiam ratione iuris, quod ob maiorem perfectionem habent. Iuxta illud Pauli 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti. Item, Dignus est operarius mercede sua.* Sicut enim ij, qui bene præsunt, debent haberi digni duplici honore, id est mercede, & stipendio duplici; & presertim, qui laborant in verbo, & doctrina: ita qui meliùs consulunt, curant, defendunt, vel aliud quid tale agunt, etiam interdum cum minori labore, & impensa, sunt digni maiori stipendio. Vnde excellentiores Medici, Iurisconsulti, Doctores, & artifices, sunt digni amplioribus stipendijs, ac prosecutionibus, iuxta Pauli doctrinam; non solùm propter laborem, aut impensam maiorem, quæ sæpe non est: sed potiùs propter excellentiam, & perfectionem: neque debet tantùm haberi ratio operæ in compensatione, sed & præstantiæ artificis, cui debetur, honoris causâ & excellentiæ, maius stipendium.

De Feudo, Emphyteusi, & Liuello.

Feudum est Contractus, quo datur alteri dominium vtile rei alicuius immobilis, aut æquiualentis, retento dominio proprietatis, impositâque obligatione fidelitatis, & seruitij personalis exhibendi. Emphyteusis verò est Contractus, quo res aliqua immobilis, vel in perpetuum, vel ad longum tempus quod non sit minus decennio, alicui traditur sub onere cuiusdam pensionis domino proprietaris soluendæ. Differunt hi Contractus: quia in Emphyteusi est onus pensionis: In feudo autem puro est tantummodo onus seruitij personalis. Puro, inquam: quia non rarò Feudum admiscetur Emphyteusi, imposito onere soluendi aliquid in recognitionem dominij directi. Liuellus denique est propriè subfeudum, vel subemphyteusis: quando scilicet feudatarius, vel emphyteuta, simili Contractu, tradit alteri rem eam quam in feudum, vel in emphyteusim accepit. Vulgò tamen sumitur Liuellus pro Emphyteusi, imò & pro feudo. Nomen quoque feudi, & emphyteusis, propter similitudinem, non rarò confunduntur. De conditionibus autem ad hos Contractus requisitis, tam in bonis Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, vide Less. cap. 24. dubit. 8. 9. & 10. & Molinam tract. 2. de Iust. disp. 450. & pluribus sequentibus. 103. Quid sint, & quomodo differant?

De Sponsione, & Ludo.

Sponsio est Contractus, quo duo, vel plures de veritate, vel euentu alicuius rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt sit illius, qui veritatem fuerit assequutus. Ludus verò, vt hîc sumitur, est Contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, vt in præmium victoriæ cedat victori id quod singuli deposuerunt. Vtrumque licitum esse iure naturali docent communiter Theologi, modò seruentur debitæ conditiones. Potest enim quisque res suas sorti, aut conditioni pendenti à sorte, vel ab industria, exponere, æque ac donare. Iure tamen positiuo prohibentur Laïcis ludi aleatorum, id est, qui magis fortunâ, quàm industriâ reguntur, *L. 1. & 3 C. de aleatorib.* Et potiori iure prohibentur etiam Clericis, *cap. Clerici. De vita, & honest. Clericorum*, & in Trident. Sess. 22. cap. 1. de Reformat. Vbi etiam graues pœnæ imponuntur transgressoribus. Vnde collige posse grauiter peccare Clericos hac in parte, nisi excuset consuetudo contraria iam recepta, vel leuitas materiæ. Quænam autem conditiones requirantur ad Iustitiam huius Contractus, & an lucrantes ludo prohibito teneantur ad restitutionem lucri, diximus alibi disp. 28. Sect. 13. quæstiuncula 5. Deque ijsdem videri possunt De Lugo disp. 30. Sect. 1. & quinque sequentibus, Malderus tract. 1. cap. 12. & Lessius cap. 26. 104. Sponsio. Contractus ludi.

De Commodato, & Deposito.

105. Quid sit commodatum: & quomodo differt à precario? Contractus commodati, est rei alicuius, quoad vsum solum, gratuita concessio. Res ita concessa dicitur commodatum: quæ tamen vox pro Contractu etiam sumitur. Differt autem à mutuo: quia in mutuo transfertur dominium: hîc verò non transfertur; vnde res eadem numero restituenda est. Differt etiam à precario: quia precarium potest repeti ad libitum: at verò commodatum conceditur ad certum tempus implicitum, vel explicitum, ante quod non potest repeti cum damno commodatarij, nisi commodanti simile damnum impendeat: tunc enim non censetur talem euentum voluisse comprehendere. Si enim de eo rogatus fuisset, expresè negasset. Ad certum (inquam) tempus, vel explicitum, vt si ad annum: vel implicitum; vt si commodes equum ad eundum Parisios: tunc enim implicitè pro tanto tempore conceditur, quantum est necessarium vt Parisios commodè eatur.

106. Quid sit Depositum? Depositum est Contractus, quo aliquid alteri custodiendum traditur vt integrum restituatur. Solet etiam frequentiùs vocari depositum id quod ita custodiendum traditur. Perficitur autem iste Contractus traditione actuali deponentis rem custodiendam, & acceptione depositarij: qui re deposita non potest vti, nisi vel à deponente concedatur expresè, vel tacitè saltem, ita vt bona fide id præsumatur: vel depositum sit res vsu consumptibilis: & depositarius certus sit se æquè bonam restiturum, cùm opus erit: tunc enim non peccat, saltem grauiter. Quomodo seruandum, & restituendum si pereat? Tenetur etiam ex Contractu rem depositam seruare. Ac si depositio cedit tantùm in commodum depositarij, tenetur ex culpa etiam leuissima: si tantùm in commodum deponentis, tenetur solùm ex dolo, & culpa lata: non autem ex leui, vel leuissima. Si verò cedit in commodum vtriusque, vt si detur pretium pro custodia, tenetur etiam ex culpa leui. Hæc tamen sunt intelligenda in foro externo, iuxta leges à Lessio citatas cap. 27. dubit. 3. & Molin. tract. 2. disp. 296. De foro autem conscientiæ iudicandum est ex dictis disp. 28. Sect. 3. Item qui habet deposita apud se, in gratiam solius deponentis, vel in commodum vtriusque, potest in communi periculo ea postponere rebus suis æqualibus; ac multò magis pretiosioribus: quia in communi periculo, cæteris paribus, potest quisque sibi potiùs consulere quàm alteri. Si verò res sunt æquales, & depositum est in commodum tui solius, teneris præferre rem alienam, eámque saluare, tuâ relictâ, si vtramque non potes: nec ille tenetur compensare: quia cùm tui tantùm commodi occasione res alterius in periculum istud inciderit, teneris cum iactura rerum tuarum, quæ sint minoris, vel æqualis pretij, præstare illum indemnem. Si denique res alterius est pretiosior, teneris eam præferre rebus tuis vilioribus: quia, vt rectè ait Lessius dub. 6. capitis suprà citati, deposito, commodato, locato, & pignori, ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet. Quisque autem prudens res suas pretiosiores saluaret relictis vilioribus. Potes tamen exigere compensationem, si causâ solius alterius, vel vtriusque, res apud te erat: quia non teneris illam præstare incolumem cum tuo damno: vnde licet tenearis seruare rem alterius pretiosiorem, id tamen facis cum animo exigendi compensationem in rebus tuis, quas ideo perire siuisti. Ita Mol. disp. suprà cit. Less. cap. 27. dubit. 6. & alij communiter, vt iste testatur. Sunt tamen qui generaliter asserant deposita, vel commodata, causâ solius deponentis, posse in periculo postponi tuis quibuslibet: si causâ vtriusque; tuis æqualibus: si tuâ causâ solùm; tuis pretiosioribus. Sed apertè iniquum mihi videtur, ad saluandam ouiculam propriam, pati perire incendio equum pretiosissimum tibi commodatum, aut depositum, non obstante ouiculæ compensatione, quæ à commodante repeti potest, vel à deponente.


De Pignore & Hypotheca.

Pignus, & Hypotheca sæpissimè in iure pro eodem sumuntur: & vt dicitur in lege *Res*, §. vlt. ff. *de Pignoribus*, Inter pignus & hypothecam tantùm nominis sonus differt. Vtrumque sumitur dupliciter: nimirum, vel pro re subiecta creditori pro debito, vt nisi soluatur, inde sibi satisfaciat: vel pro Contractu seu conuentione, qua res huiusmodi subjicitur. Differunt tamen aliquatenus si strictè & magis propriè sumantur: quia pignus propriè est res quæ traditur reipsa creditori modo supradicto, aut Contractus quo sic traditur. Hypotheca verò, quæ sine traditione, sola conuentione constituitur; vel Contractus quo ita constituitur. Hæc autem conuentio duplex esse potest: tacita scilicet, vel expressa. Ideóque hypotheca potest contrahi dupliciter: nimirum vel tacitè, quando ipsâ iuris dispositione contrahitur, sine expressa partium conuentione; vt fit in multis casibus, de quibus vide Less. cap. 28. dub. 6. vel secundò expresè: & hoc iterum dupliciter: nimirum vel solâ partium conuentione, & voluntate formali, & expressâ, quæ dicitur hypotheca conuentionalis: vel decreto Iudicis; dicitúrque pignus prætorium, id est, à prætore, seu iudice constitutum. Quænam autem possint, vel non possint oppignerari, vide Molinam tract. 2. de Iust. disp. 529. & 530. De Lugo tom. 2. disp. 32. Sect. 2. num. 26. & sequentibus, & Lessium cap. cit. dubit. 7. 107. Quid sint pignus & hypotheca?

De Fideiussione, & Assecuratione.

Fideiussio est Contractus, quo aliquis obligationem alterius in se suscipit, atque ad eam implendam se obligat, si alter non impleuerit. 108. Assecuratio verò est Contractus; quo quispiam alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit. Quod dupliciter fieri potest. Nimirum vel gratis; & tunc est promissio gratuita: vel pretio, & tunc est Contractus similis emptioni, & venditioni. Emitur enim securitas ab vno, & venditur ab alio periculi præstandi obligatio. Vtque sit iustus requiritur æqualitas inter pretium

quod datur assecuranti, & obligationem quam in se suscipit: vt rectè Lessius dub. 4. capitis 28. Ita nimirum vt huiusmodi obligatio compensetur quanti prudenter æstimatur, vnde si nullum sit periculum, putà si merces iam ad portum peruenerint, non potest vendi vllo pretio eius obligatio, quia non est æstimabilis. Si etiam spes securitatis nulla est, quia mercator sit iam perijsse; non potest emi earum securitas, quia est impossibilis, adeóque non æstimabilis, & nullius valoris. Qui tamen occultè sciret non fore tantum periculum, posset accipere pretium, quo communiter periculum illud æstimatur: sicut qui scit occultè merces breui minùs valituras, ob earum copiam mox venturam, potest interea vendere pretio currente: quia hoc pretium est iustum, quandiu aliud ignotatur: neque potest prudenter mutari communis æstimatio, quandiu res occulta est. Hucvsque de Contractibus.



DISPVTATIO DVODECIMA.

De Iure, & Iniurijs in Iudicio.


DE argumento proposito disputat S. Thom. q. 77. & quatuor sequentibus. In quarum prima docet neminem posse iudicare aliquem, nisi sit aliquo modo ei subditus, per commissionem, aut per potestatem ordinariam. Cúmque Iudex exerceat Iudicium non secundùm priuatum, sed secundùm publicam potestatem, debere ferre sententiam, non secundùm suam notitiam priuatam, sed secundùm quod ipsi, vt publicæ personæ, per Leges, & per Testes, instrumentáque authentica notum est. Neque posse quemquam damnare, nisi habeat Accusatorem: quia cùm Iudex sit interpres Iustitiæ: non potest minùs, quàm inter duos, administrare Iustitiam. Non posse quoque pœnam debitam relaxare cum præiudicio partis læsæ, vel etiam Reipublicæ, cuius interest vt puniantur malefactores. Posse tamen Principem supremum eam remittere, si læsus velit, & id non noceat vtilitati publicæ.

In secunda affirmat teneri ad accusandum, qui nouit crimen vergens in damnum Reipublicæ, si possit illud probare sufficienter. Deberéque accusationem scripto fieri, vt certò constet. Tripliciter autem peccare posse accusatorem: vel scilicet per Calumniam, falsum crimen imponendo: vel per Præuaricationem, fraudem in accusatione adhibendo, & partem aduersam iuuando: vel denique per Tergiuersationem, omnino ab accusatione desistendo. Iustum verò esse, vt ille qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ induxit, ipse etiam pœnam similem patiatur, si in probatione defecerit.

In tertia dicit Reum, si iuridicò interrogatur, teneri sub graui peccato veritatem fateri. Si verò Iudex interrogando ordinem Iuris prætergreditur, non teneri accusatum ei respondere: sed posse vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere: non tamen mendacium dicere: neque etiam calumniosè se defendere, vel falsitatem dicendo, vel aliquam fraudem, & dolum adhibendo; vel appellando causâ afferendæ moræ, ne contra eum iusta sententia feratur: secus autem, si iniustè grauetur à Iudice. Nec denique si iustè damnetur ad mortem, licet illi se defendere contra ministros Iustitiæ.

In quarta asserit, in manifestis criminibus, & in ijs de quibus infamia præcessit, teneri ferre testimonium eum, qui iubetur à Superiore secundùm ordinem Iuris. In alijs verò, aut non petente legitimè Superiore, non teneri, nisi id necessarium sit ad liberationem innocentis. Duorum autem, vel trium testimonium sufficere in iudicio, & necessarium esse. Et productum testem non solùm propter culpam repelli posse, sicut infideles, & infames, & qui publici criminis rei sunt: Verùm etiam propter conditionem, ætatem, aut aliam quamcunque causam eneruantem testimonij probabilitatem; vt pueros, amentes, mulieres, consanguineos, aut domesticos, & pauperes, aut seruos, qui facilè possunt induci ad testandum contra veritatem. Denique peccare grauiter, qui falsum testimonium ferunt: cùm sint periuri, & agant contra Iustitiam.

In quinta docet, quando pauperum causis non potest aliter subueniri, teneri Aduocatos eorum causas suscipere: sicut tenentur omnes necessitatem patientibus misericorditer succurrere. Non tamen omnes ad munus Aduocati admitti, sed aliquos ab eo prohiberi, vel propter impotentiam, vt furiosos, impuberes, surdos, mutos, & imperitos: vel propter indecentiam, vt Clericos, Monachos, cæcos, infideles, infames, & damnatos de graui crimine. Posse tamen Clericos pro suis Ecclesijs, & Monachos in causis Monasterij hoc officio fungi. Peccare denique grauiter Aduocatum, si scienter iniustam causam defendat, tenerique ad restitutionem damni, quod infert. Vel si pretium immoderatum extorqueat ab ijs, quorum causas agit. Secus si moderatum accipiat, considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ. Hucvsque D. Thomas.



SECTIO I.

De Iudice.

1. Requiritur in Iudice potestas. Tria in Indice requiruntur, vt ex parte ipsius iustitia perfectè seruetur in iudicijs. Potestas, Veritas, & Forma seu modus iudicandi. Circa primum, Potestas quadruplex est. Vna ordinaria: Altera delegata: Tertia ex consensu partium, seu compromisso, quæ dicitur arbitraria: Quarta accessoria ratione delicti; vt quando quis commisit crimen in alieno loco, incurrit forum illius loci, licet alioqui non esset illi subditus. Item, si quis alterius Principis subditum iniuriâ affecerit, & superior eius interpellatus vindicare recuset; potest id facere Princeps illius, qui iniuriâ affectus est: quia reus illi subjicitur ratione talis delicti, alio non vindicante. Sicut enim ius habet bellum inferendi ob iniurias sibi, vel suis illatas ab extraneis: sic, & multò magis, talem vltionem sumendi.

Alioqui peccat vsurpatione Iudicij. Ad iudicandum requiritur in iudice aliqua ex his quatuor potestatibus circa personam quam iudicat, & circa rem, seu causam de qua iudicat. Alioqui peccat vsurpatione iudicij, & iniuriam facit, tum partibus, causæ illarum se ingerendo; tum legitimo iudici, cuius officium, & potestatem sibi vsurpat. Atque hoc peccatum ex suo genere est graue, & mortale, vt constat ex communi sensu: censetur enim esse grauis illa iniuria, & violatio publicæ auctoritatis.

2. Hoc peccati genere peccauit Pilatus Christum iudicans sibi non subditum, sed omnium Dominum, & verum Dei filium vnigenitum.

Clerici à quibus iudicandi? Quem imitantur iudices Sæculares: iudicantes Clericos exemptos ab eorum Iurisdictione, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt patet ex iure ciuili, *Authentica vt Clerici proprios iudices conueniant, collatione 6.* & ex iure Canonico tota dist. 96. & ex Trident. Sess. 25. cap. 20. de Reformat. Excipiuntur tamen casus, in quibus ex priuilegio, vel delegatione, seu commissione legitimi superioris, iudices Sæculares id faciunt. Vt quando Clericus degradatur, & traditur brachio Sæculari: quando Episcopus dat facultatem, vt potest in causa ciuili tantùm: aut quando Clericus conuenit Sæcularem coram iudice Sæculari vt ipse reus reconuenit Clericum: tunc enim ratione reconuentionis potest iudicari à Sæculari: sed hoc in causa ciuili tantùm: nam in criminali non potest reconueniri coram iudice Sæculari, *Cap 1. & 2. de mutuis petitionib.* Habent etiam iudices in Gallia, vt possint iudicare Clericos de possessorio, & de appellationibus ab abusu. Et nonnulli plus illis tribuunt ex priuilegio: sed cuiusmodi illud sit, non mihi constat.

3. Quinam peccent vsurpatione Iudicij? Idem peccatum vsurpationis iudicij committunt Ordinarij, quando exemptorum causas iudicare præsumunt: & iudices inferiores, qui iudicant de causis reseruatis superioribus, aut de personis ad aliud tribunal pertinentibus ex priuilegio, vel euocatione: Et Tyrannus vsurpatione (non autem sola gubernatione) quando iudicium per se, aut per suos exercet. Sicut enim peccat vsurpans Tyrannidem, & exercens: ita & iudicandi potestatem vsurpans & exercens, quæ pars Tyrannidis est. Quod tamen intellige, nisi Respub. suppleat in illo defectum potestatis expressè, vel tacitè, permittendo illum vti sua potestate in iudicijs exercendis, ad vitanda maiora incommoda: quia melius est sic gubernari, quàm omnino gubernatione, & coactione destitui. Atque ita præsumitur Respublica se gerere erga Tyrannum qui pacificè regnum possidet, ipsâ ampliùs non resistente, ob virium defectum. Præsumitur enim conferre illi potestatem gubernandi, & ministros ab ipso constitutos approbare, ipsorúmque acta rata habere, ad vitanda incommoda longè maiora quæ ipsa pateretur, nisi iudicia exercerentur. Vnde collige Tyrannum huiusmodi, vel Iudices ab ipso constitutos, non peccare quando seruato iuris ordine reos spoliant bonis, vel etiam vitâ priuant, quatenus id faciunt publica potestate, quam Respublica vult per ipsos exerceri: licet peccent si id facere præsumant auctoritate Regiâ tyrannicè vsurpatâ. Collige secundò, peccare quidem Tyrannum in iniusta vsurpatione & retentione regni: ex suppositione tamen gubernationis, & retentionis, non peccare iudicando per se, vel per alios: quia hoc facit auctoritate Reipublicæ, quæ ex suppositione Tyrannidis, vult ab ipso iudicia exerceri, ne incommoda multiplicentur. Collige tertiò, quæ ab ipso sic statuuntur, esse rata & valida. Nec obstat lex *Barbarius, ff. de officio. Pretoris*, vbi dicitur, acta illius, qui non est verè iudex, valida non esse, nisi sit titulus coloratus, & error communis. Id enim intelligendum est per se, nisi legitimus superior illa ratificet, & Iurisdictionem conferat, vt hîc supponimus fieri à Republica. Consentit De Salas disp. 10. de Legib. Sect. 3. num. 14. post alios plures, quos citat.

Quæres, num etiam peccet vsurpatione iudicij iudex excommunicatus, vel ipso iure priuatus titulo propter crimen, vel habens tantùm titulum coloratum? Respondeo primò, si excommunicatio est occulta, non peccare vsurpatione iudicij, neque eius acta esse irrita: imò etiam licet sit publica, & notoria: modò non sit nominatim denuntiatus, vel notorius percussor Clerici. Ratio est, quia id quod colligitur ex cap. *Nos Sanctorum, 15. quæst. 6.* & ex alijs iuribus, excommunicatos priuari vsu Iurisdictionis in suos subditos, intelligendum est de excommunicatis non toleratis ab Ecclesia. Atqui à tempore Concilij Constantiensis alij excommunicati, licet publici, tolerantur ab Ecclesia, permittitúrque vt fideles possint cum illis in rebus omnibus tam diuinis, quàm humanis communicare. Dixi autem, *non peccare vsurpatione iudicij* quia probabilius est iudicem excommunicatum, licet toleratum, peccare aliunde ratione communicationis cum fidelibus, si sponte se ingerat ad ferendum iudicium, absque necessitate, vel saltem neque ab illis inductus, neque rogatus. Nam vt diximus 4. Peccétne Iudex excommunicatus?

in tract. de Censuris, tom. 5. disput. 59. Constitutio, *Ad vitanda*, Concilij Constantiensis permittens fidelibus communicare cum excommunicatis toleratis, non fauet ipsis excommunicatis, neque illis reddit hanc communionem licitam, nisi ob aliquam necessitatem aut vtilitatem fidelium illam petentium, & in eorum fauorem. Dicuntur autem tolerati, quicunque non sunt nominatim excommunicati & denuntiati, vel manifesti percussores Clericorum, ita vt eorum crimen nulla possit tergiuersatione celari, aut excusatione iuris defendi; vt ibidem exposuimus.

Vel priuatus titulo propter crimen?

Secundò, quod attinet ad iudicem, qui propter crimen est priuatus titulo, ipso iure, dico illum non propterea peccare vsurpatione iudicij, neque eius acta esse irrita. Ratio est, quia retinet adhuc suam Iurisdictionem, licet in lege dicatur, vt ipso iure sit priuatus: nisi apertè constet talem fuisse mentem legislatoris: vt si addat, non posse absolui à Confessario, nisi dimittat: vel, officium, aut beneficium eo ipso vacare, vel non posse retineri salua conscientia: & similia. Imò licet in lege addatur, *absque alia declaratione*, intelligendum illud est de sententia, quâ declaretur pœnam esse incursam: at non de sententia quâ declaretur crimen esse commissum, quæ adhuc expectari potest: imò & sententia executiua pœnæ. Vsu enim iamdiu receptum est, vt nisi ipsa quoque pœnæ huius executio fiat per sententiam, per quam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur officio, vel beneficio; non censeatur omnino priuatus: neque leges propter crimen priuantes sunt in eo rigore receptæ, vt reus teneatur se sponte spoliare: vt post Couarruuiam parte 2. de Matrimonio cap. 6. §. 8. rectè ait Lessius cap. 29. num. 68. Qua de re plura dicemus inferius disputat. 34. num. 92. & 93.

Dico tertiò, Iudicem qui tantùm habet titulum coloratum, peccare quidem grauiter vsurpatione iudicij, nisi ignorantia, vel opinio probabilis eum excuset: quia, quantum in ipso est, vsurpat potestatem, quam non habet: eius tamen acta non esse irrita; vt patet ex lege *Barbarius, suprà citata*, vbi talis iudicis acta valere dicuntur. Titulus autem coloratus in duobus consistit. Primò, vt habeatur à vero superiore, vel saltem ab eo qui alioqui poterat illum dare. Titulus enim non nisi à superiore dari potest, & alioqui non habet colorem quo verus videri possit: cùm omnis Iurisdictio à superiore descendat, vt manifestum est. Secundò, vt communi errore putetur esse validus, licet ob aliquem defectum non sit validus & verus: adeóque iudex non sit legitimus, licet pro tali communiter habeatur. Quo non obstante ius ipsi confert Iurisdictionem ad singulos actus, propter bonum commune, & ad vitanda grauia, & frequentia incommoda, quæ sequerentur ex opposito. Quod verum est de iudice in vtroque foro, interno & externo, Ciuili vel Ecclesiastico, vt rectè & fusè docet Lessius dub. cit. vbi num. 68. addit post Henriq. & Sanch. quod diligenter aduertendum est, non solùm errorem communem, sed etiam probabilem Doctorum opinionem, efficere vt Ecclesia det Iurisdictionem, etiam si fortè opinio illa sit falsa. Quapropter (inquit) si probabile sit talem posse absoluere à casibus reseruatis, vel à censuris, assistere matrimonio, excommunicare, eligere confessarium, priuilegium non esse reuocatum, & similia; & ille ex hac opinione operetur: validè operatur, Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit. Cùm enim licitum sit operari ex opinione probabili: si omnia illa essent irrita, grauissima ex eo sequerentur incommoda. Imò etiam valent acta, quamvis populus dubitet an superior sit officio priuatus. Quia cùm antea fuerit habitus superior, non debent inferiores propter dubium superueniens, eum rejicere, cùm in officio perseueret. In dubio enim nemo est suo iure spoliandus, quia melior est conditio possidentis. Hucvsque Lessius, citans pro eadem sententia Panormitanum, Syluestrum, Rosellam, Henriquem, & Sanchem. Et de potestate hactenus.

Quid sit titulus coloratus?

Ecclesia supplet Iurisdictionem in agente ex opinione probabili.

SECTIO II.

Possitne iudex damnare innocentem, qui iuridicè probatur esse nocens?

Circa secundum, de veritate, difficultas est an Iudici liceat iudicare contra veritatem quam nouit, propter ea quæ in contrarium alleganda, & probantur? siue, an possit damnare reum, qui per testes legitimè probatus est nocens; licet per scientiam priuatam certò nouerit illum esse innocentem? 5.

5. Possitne iudex dānare innocētem, qui reus esse probatur?

Communior & vera sententia est, iudicem in eo casu debere partim ex iustitiâ, partim ex charitate facere quidquid potest ad liberandum innocentem. Putà, in primo limine causæ monere accusatorem vel actorem, vt desistat, & priuatim illum arguere, & cum iuramento affirmare veritatem, ac denique impedire accusationem quacunque via poterit: vel si id nequeat, refutare testium depositionem, aut crebris & subtilibus interrogationibus seorsim eos examinando, falsitatis conuincere: monere per se, & per alios, vt Deum timeant, & pœnam talionis; aperire carcerem, vt euadat reus, si commodè, & sine scandalo fieri potest; iurare coram populo innocentiam accusati, vel remittere illum ad superiorem iudicem, & apud illum agere testem, si spes sit eum liberandi hac via: differre sententiam quantùm fieri potest: aut si iudex sit Princeps supremus, testari apud populum innocentiam sibi notam, & à periculo reum eruere, vitámque illi donare. Quæ omnia si præstentur diligenter à iudicibus, impossibile fere est, moraliter loquendo, vt non liberent innocentem: ideóque casus qui superest discutiendus, est ferè metaphysicus, & nunquam contingens. Si tamen malitia humana prædicta omnia vana reddat; &, instante parte, incumbat iudicandi necessitas; potest iudex, ac debet, iudicare non secundùm suam scientiam priuatam, sed secundùm allegata, & probata: atque in iudicando sequi non veritatem simplicem sibi priuatim notam, sed eam quæ apparet per legitimam præsumptionem,

Vera sententia.

Probatur auctoritate. secundùm probationes, & processum iudiciarium. Ita D. Thomas quæst. 67. art. 2. c. & quæst. 64. art. 6. ad 3. Ricardus quodlib. 3. quæst. 25. Alensis p. 3. quæst. 40. membro 6. art. 2. Maior in 3. dist. 33. in materia de Iustitia, quæst. 4. Henricus quodlib. 3. quæst. 25. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 6. Couar. lib. 1. Variar. cap. 1. num. 4. Nauar. ad cap. *Si quis, de pœnit.* dist. 7. num. 118. Sotus lib. 5. de Iustitia, quæst. 4. art. 2. Tolet. lib. 5. cap. 56. Valent. quæst. 11. p. 2. Caiet. Salon, & Aragon. ad quæst. 67. art. 2. qui duo postremi de re proposita copiosissimè disputant, eandémque sententiam communiorem esse testantur, pro qua etiam plures alios citant.

6. Debet iudex sequi sciẽtiam publicã. Ratio præcipua est, quia iudex, cùm non iudicet vt priuata persona, sed vt publica, debet in iudicando sequi non particularem illam & priuatam scientiam facti, quam ipse vt priuatus homo habet, sed illam iuridicam, & publicam, quam habet vt publica persona, & vt iudex. Scientia autem publica & iuridica est illa, quæ constat ex testibus & instrumentis productis in iudicio. Ergo debet iudicare secundùm ea, quæ ipsi proponuntur, & probantur in iudicio; & non secundùm ea, quæ ipse priuatim nouit. Iudicium enim, cùm sit actio publica, quæ fit à iudice vt publica persona, debet exerceri secundùm notitiam proportionatam, nempe publicam: quia effectus debent habere causas proportionatas.

Confirmatur duplici ratione. Confirmatur, quia iudicia sunt propter bonum Reipublicæ, & pacem eius instituta. Atqui si iudex, causâ iuridicè & sufficienter probatâ, non teneretur iudicare secundùm illam, sed secundùm scientiam suam priuatam, oriretur ex eo magna confusio in Republica, & perturbatio. Populus enim, cùm non iudicet de occultis, perturbaretur meritò, & iudicem argueret vel malitiæ, vel inscitiæ: ipsique iudices muneribus corrupti, vel alio affectu ducti, haberent ansam prætexendi se scire oppositum eius quod probatum est, & damnandi, vel absoluendi immerentes. Confirmatur secundò, quia licet iudex sciret aliquem commisisse crimen morte dignum, & secundùm leges debere puniri; non posset ex priuata scientia illum damnare, si in iudicio probaretur oppositum, aut si illud in iudicio non probaretur; idque non tantùm ratione infamiæ; alioquin in causis ciuilibus damnare posset ex sola scientia priuata: sed quia non potest esse simul testis & iudex, neque ex priuata scientia sola agere tanquam iudex, & legum præscriptum applicare. Ergo similiter quamuis nouerit aliquem esse innocentem, non potest absoluere, aut dimittere; si per processum iudiciarium probetur oppositum: sed potest licitè in eo casu innocentem morti tradere.

7. Cõtraria sententia. Contrarium sentiunt non pauci: quorum aliqui, vt Liranus in cap. 23. Exodi, Angel. *Verbo Iudicare, quæst. 7.* Panormit. in cap. *Pastoralis, de officio delegati*, & alij quidam Canonistæ, affirmant simpliciter non posse Iudicem in vllo genere causarum, contra priuatam scientiam iudicare. Alij verò, quos sequitur Lessius cap. 29. dub. 10. dicunt non posse in causis criminalibus, in quibus agitur de morte, aut mutilatione: secus autem in alijs, in quibus tantùm agitur de fama, vel de bonis, de quibus potest Respublica disponere propter commune bonum: adeóque potest iudici dare facultatem iudicandi de illis, iuxta scientiam publicam, contra veritatem sibi priuatim notam. Et hæ duæ sententiæ, ob auctorum multitudinem, & grauitatem rationum, probabiles sunt, atque in praxi securæ. Argumenta verò vtriusque præcipua hæc sunt.

Primum argumentum: Ratio naturalis ideo dictat iudicem debere sequi notitiam publicam, per allegata & probata acceptam, ne facilè aberret, aut discedat à veritate, & à iustitia in iudicando: hæc enim est ratio illius legis & obligationis. Ergo quando est ei omnino euidens iudicium fore iniustum si sequatur allegata, & probata, non debet neque potest ex illis iudicare. Nulla enim lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est intentioni, & fini legis contrarium. Hoc argumentum ita proponit Lessius cap. 29. dubit. 10. num. 80. Cui respondeo primò, æquè probare, non posse iudicem agere contra priuatam scientiam in causis ciuilibus, atque in criminalibus; quod tamen negat Lessius paulò post, num. 84. adeóque parum sibi cohæret. Idemque defectus apparebit in sequentibus argumentis, quæ si valent, probant plus quàm velint auctores secundæ sententiæ suprà relatæ. Respondeo secundò, rationem naturalem dictare, debere iudicem sequi notitiam publicam; tum quia communiter hæc est melior via assequendi veritatem; licet interdum fallat: tum & præcipuè, quia, vt rectè obseruat D. Thom. quæst. 67. art. 2. ad 2. hæc est differentia inter Deum, & iudices humanos; quòd Deus ideo non indiget hominum testimonio, sed ipse est testis, & iudex; quia non habet potestatem ab alio, sed à seipso: At verò iudex humanus non habet illam à seipso, sed à communitate, & Republica. Ideóque debet sequi necessariò scientiam sumptam ex testimonio communitatis, non autem suam priuatam. 8. Primum eius arg. diluitur.

Secundum argumentum: Si iudex certò sciret leges esse iniustas, non posset iudicare secundùm illas. Ergo si certò scit probationes esse falsas, non potest secundùm illas iudicare. Patet consequentia: quia non minùs in iudice requiritur scientia facti, quæ petitur ex testibus; quàm scientia iuris, quæ petitur ex legibus. Respondeo consequentiam non valere, propter diuersam vtriusque rationem. Nam leges, quæ apertè sunt iniquæ, sunt planè nullæ; & non sunt leges, sed corruptelæ. At probationes, quæ secundùm notitiam publicam sunt legitimæ, & repelli non possunt; non sunt nullæ, sed validæ licet in re sint falsæ. 9. Diluitur secundũ.

Tertium argumentum à Lessio propositum num. 80. sic habet: Si Iudex certò sciret se non habere auctoritatem in reum, non posset eum iudicare, licet multi testarentur contrarium. Similitérque si sciret factum non mereri pœnam iuxta legem, non posset reum punire. Ergo neque etiam potest quando scit reum esse penitùs innocentem. Quia ad condemnandum reum 10. Soluitur tertium.

reum non minùs requiritur veritas criminis in reo, quàm vera potestas in iudice, & æquitas in lege, secundùm quam debet iudicare. Respondeo differentiam esse: quia multorum testimonium non dat illi veram auctoritatem, neque æquitatem legi, aut sententiæ contra legem latæ. At verò testimonium publicum legitimum secundùm formam exteriorem, quando repelli non potest, dat illi ius, imò imponit illi obligationem iudicandi secundùm illud. Etenim iudex ex officio tenetur ad dicendum ius: atque actores, & rei possunt ab eo illud exigere. Dicere autem ius, est applicare leges ad particulare negotium, provt innotuit iudici tanquam iudici: sic autem innotuit per probationes actorum, aut reorum. Quare iudex debet sententiam ferre secundùm notitiam, quam habet per huiusmodi probationes.

11. Quartū argum. Quartum argumentum: Non potest iudex mentiri licitè, & facere contra propriam conscientiam: quia hoc est intrinsecè malum. At in eo casu mentiretur, & faceret contra propriam conscientiam, pronuntians esse reum, & dignum morte eum, quem scit esse innocentem, & mortem non mereri. Respondeo iudicem non loqui vt hominem priuatum, quo modo scit esse innocentem: sed vt Iudicem, secundùm scientiam publicam; quo pacto pronuntiat eum esse nocentem, id est, legitimè probatum esse talem, secundùm procedendi, probandique modum, & ordinem, quem leges præscribunt: Iudicis enim officium est ministerium quoddam erga leges, in duobus consistens. Primum est, statuere an legitimè probatum sit quod intendebatur. Et hoc non pendet à priuata illius scientia, sed ab eo quod exteriùs actum est, & à legibus quæ procedendi & probandi ordinem, modúmque præscribunt. Alterum est, explorato negotio applicare leges, & pronuntiare quod illæ statuunt. Atqui dum aliquid rectè probatum est secundùm formam legitimam, non est malum pronuntiare id probatum esse, quia est verum. Deinde, pronuntiare etiam ex legum auctoritate id quod de negotio proposito leges decernunt, applicaréque legum decretum, non est malum. Ergo iudicare secundùm probationes, etiamsi oppositum illarum verum esse priuatim cognoscatur, non est malum. Neque illud est mentiri: quia quidquid iudex pronuntiat, verum est eo modo, & sensu, quo enuntiat. Non facit etiam contra conscientiam, licet faciat contra priuatam scientiam: quia aliud est scientia, & aliud conscientia. Scientia est clara notitia rei, conscientia est iudicium practicum de licito, vel illicito. At iudex iudicat in eo casu licitum sibi esse talem damnare, iuxta communiorem Theologorum sententiam, quam tutò sequi potest.

Non propterea mentitur Iudex, nec contra conscientiam agit.

12. Quintū argum. Quintum argumentum Lessij num. 78. est huiusmodi: Directè, & ex proposito occidere innocentem sua auctoritate, est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam. Ergo sicut non potes reddere debitum huic mulieri, quam certò nosti non esse tuam coniugem, etsi millies probetur esse tua vxor: ita non potes hunc morte damnare, quem certò nosti esse innocentem. Respondeo primò, differentiam esse. Nam redditio debiti est actus priuatus, qui per scientiam priuatam regi potest, ac debet: At iudicium est actio publica, quæ per notitiam publicam exercenda est. Secundò, dico iudicem in eo casu non occidere directè, & ex proposito innocentem: tum quia ignorat, quà iudex est, illum esse innocentem; imò cognoscit secundùm probationes esse nocentem: scientia verò priuata ad hoc impertinens est. Tum etiam quia iudicis intentio directa, & propositum non est, occidere innocentem, sed seruare legum præscriptum, suúmque illis ministerium ex officio debitum exhibere: quod dum facit, per accidens est, quòd, seruando legum præscriptum, & procurando bonum publicum, interdum innocens patiatur. Sicut alijs de causis possunt innocentes licitè occidi, putà, ad vrbem expugnandam, ad vitam tuendam fugiendo per viam angustam vbi infans iacet, & proteritur.

Sextum argumentum eiusdem auctoris num. 81. est huiusmodi: Fieri potest vt multorum conspiratione integrum Monasterium accusetur, & conuincatur testibus de proditione Reipublicæ, aut alijs grauissimis criminibus: certóque sciat Iudex accusationem esse falsam. Quis autem non horreat dicere illum tunc posse ac teneri viros innocentissimos equis discerpere, vel flammis tradere ob calumnias & minas perditorum? Respondeo primo, casum hunc non esse moraliter possibilem, si obseruentur ea omnia quæ supra diximus esse præstanda à Iudice vt veritatem detegat, aut iudicium ad superiorem remittat, ferátque testimonium sub iuramento pro veritate sibi nota, &c. Secundò dico argumentum retorqueri posse. Nam horrendum quoque videri potest Iudicem teneri in eo casu aut quopiam alio, damnare infamiæ, & amissionis omnium bonorum totum illud Monasterium. Quod tamen fieri posse ac debere affirmat Lessius dubit. citatâ. Docet enim nostram sententiam veram esse quando agitur de fama, vel de bonis temporalibus: vt vidimus suprà, num. 7.

Plura huius sententiæ argumenta, eorúmque solutionem, vide apud Salon. & Aragon. locis ante citatis. Tantùm addo Lessij opinionem videri minùs, quàm alias, probabilem. Primò quia rationes fere omnes quibus contendit probare, non posse iudicari contra scientiam priuatam in criminalibus, æquè probant de ciuilibus, vt iam supra monuimus, faciléque patebit legenti & applicanti. Secundò, quia non est verum & solidum fundamentum, cui Lessius nititur. Sicut enim Respublica ius habet disponendi de ciuium fortunis propter bonum commune; Ita & de vita, quando ad bonum commune id necessarium est: de neutris verò liberè & sine causa potest disponere ad libitum. Tertiò, verum quoque non est iudices solùm teneri vi legum humanarum iudicare secundùm allegata, & probata. Tenentur enim vi iuris quoque diuini, & naturalis, atque ex natura sui officij: quia iudicant vt personæ publicæ, & publicâ potestate; propter quod tenentur sequi scientiam publicam. Quartò, falsum est leges humanas in illud consensisse quoad causas 13.

Differentia inter ciuilia, & criminalia hic non prodest.

ciuiles, non quoad criminales. Nusquam enim tale discrimen legitur, sed leges vbique simpliciter præcipiunt iudicare secundùm allegata & probata. Quintò, veritas non mutat naturam suam, licet mutentur negotia, & causæ. Ergo si veritas rei priuatim cognita, est præferenda testibus in criminalibus; erit quoque præferenda in ciuilibus. Non enim minùs debet valere in vno negotio, quàm in alio. Confirmatur, quia vel sequi veritatem certò cognitam, & non falsos testes, est iustum & debitum: vel non. Quidquid dicatur, perinde verum est de criminalibus, ac de ciuilibus. Quod enim ex se iustum est, non variatur, quamvis varientur materiæ, & negotia, circa quæ versatur.

SECTIO III.

De Forma, seu modo Iudicandi.

14. Forma seruanda in Iudicijs. Circa tertium, de forma seu modo iudicandi, debet Iudex primò, in ferenda sententia, secundùm leges, & iura iudicare: nisi sit Princeps supremus, qui possit in quibusdam legibus merè positiuis dispensare. Secundò, si est iudex inferior, non potest pœnam legibus statutam remittere, parte licet desistente; sed tenetur illam exequi. Possitne pœna statuta remitti à Iudice? Princeps verò supremus potest illam remittere, parte desistente, nisi remissio illa foret perniciosa Reipublicæ: quin etiam si reus est valde vtilis Reipublicæ, vel magnum scandalum, aut detrimentum in Repub. ex illius morte timeatur, potest Princeps compellere partem, licet inuitam, vt pœnâ minori contenta sit. Potest enim bonum commune præferre priuato. Iudex verò inferior debet id Principi iudicandum, vel agendum relinquere, eúmque de rei statu monere. Quippe cui magis incumbit cura boni communis & vniuersalis, quàm iudicibus inferioribus, quibus legum executio mandata est: neque expedit hanc libertatem eis concedi quâ facilè abuterentur: Licet multa in legum explicatione, & applicatione, eorum prudentiæ & epijkiæ permittenda sint. Seruādus ordo processus. Tertiò, ante sententiam requiritur processus quidam, seu præparatio ad illam: in qua termini iuris debent concedi; neque ad libitum negari possunt, vel extendi; & alia, quæ sunt legibus statuta, debent seruari. Tum vt veritas publicè constet. Tum etiam vt reo detur locus defensionis, quæ iusta esse potest. Ratio est, quia iudex non habet potestatem iudicandi, ad vtendum eâ secundùm scientiam priuatam, aut secretò; sed publicè secundùm legum præscriptum. Sicut enim iudicat ex publica potestate; ita etiam ex publica scientia iudicare debet: quia scilicet actus publicus debet à potestate, voluntate & notitia publica, velut à causa sibi commensurata procedere, vt rectè ait Caietanus V. *Homicidium*. Neque expedit aliam potestatem hominibus concedi, ne eâ abutantur. Ratio quoque naturalis dictat dandum esse locum defensioni, quæ potest esse legitima. Et vnusquisque ius habet vt possit se tueri ratione, quando agitur de eius condemnatione. Præsertim quia certa & integra notitia facti non potest communiter haberi, nisi priùs reus audiatur, Quid enim si reus vulnerauit, aut occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ? Aut si erat furiosus, aut ebrius, aut semisopitus, dum ageret id, in quo peccasse existimatur. Cùm ergo tanto maior diligentia ad scienter & rectè agendum debeat adhiberi, quantò res maioris momenti est: & condemnatio, præsertim capitalis, potestate publicâ peracta, sit res magni momenti; debet fieri cum magna luce, & cognitione. Quare reus audiendus est, & processus aliquis præmittendus: non autem statim irruendum in condemnationem. Confirmatur exemplo Dei, qui licet nullius auxilio egeat, neque vlla consideratione; tamen non condemnauit Adamum & Euam inauditâ causâ, Genes. 3; sed eos vocauit, deditque eis spatium, & tempus, vt pro se loquerentur. Iosue quoque audiuit Achan, licèt indicio diuino deprehensum, Iosue 7.

15. Seruari debet etiā à Principe supremo. Atque hæc vera sunt etiam de iudice seu Principe supremo, qui non potest quoque iudicare nisi ex publica potestate, adeóque nonnisi ex scientia proportionata, nempe publicâ, & publico modo acceptâ. Quare licet Princeps supremus possit omittere nonnulla circa processum legibus tantùm positiuis requisita, in quibus dispensare possit: non tamen publicam probationem, & defensionem iure ipso naturali necessariam. Excipiuntur tamen casus aliqui, in quibus probatio esset apertè supervacanea, vel defensio euidenter inutilis, aut impossibilis. Exceptis certis casibus. Quando scilicet crimen publicum est, & nulla potest tergiuersatione celari. Aut quando crimen sufficienter notum est; &, si iuridicè procedatur, timetur rebellio, vel aliud graue malum. Aut si reus comparére nolit, & causa sit probata, vel publica, condemnari potest etiam non auditus; nisi fortè iustam haberet causam non comparendi, & nihilominus restaret aliqua probabilis defensio. Addunt aliqui si crimen sit atrox, neque expediat vulgari, posse Principem ex scientia sola priuata illum damnare, & punire; ad vitandum scandalum, quod ex maiori inquisitione oriretur. Alij etiam latiùs Principum potestatem extendunt, eò quòd eorum scientia æquiualeat publicæ scientiæ quæ habetur à duobus aut tribus testibus. Sed quoad hoc probabilius esse mihi videtur id quod supra dixi: & Principes tali potentia abuti possent. Cúmque eorum scientia sit priuata, quantumvis alioqui magni momenti propter personæ dignitatem: non videtur esse ex natura rei proportionata iudicio, quod est actio publicæ potestatis.

16. Quid prærequiritur vt Iudex possit inquirere in reum? Quartò, vt Iudex licitè possit in aliquem speciatim inquirere, vel contra illum iuridicè processum instituere, prærequiritur vel infamatio, id est, publica fama, & rumor apud multos, & bonos; vel denuntiatio, vel accusatio, apud iudicem cum prolatione testium. Ratio est, quia inquisitio ipsa, & processus iudicialis, cùm sit res valde onerosa ei, in quem inquiritur, & contra quem proceditur, atque in criminalibus nomini, & famæ officiat; non debet fieri sine legitimo fundamento. Nullus enim debet onerari, aut pati grauia, & molesta,

sine magno fundamento, & manifesto. Alioquin hominum societas peior est, quàm solitudo: & plurimum detrahitur bono communi. Adde quòd alioqui daretur libertas iudicibus impetendi quos vellent: quod bono communi, & paci, ac quieti ciuium valde aduersaretur.

Inquisitio generalis non tam multa requirit.

Dixi, *vt iudex possit in aliquem speciatim inquirere*. Quia ad generalem tantùm inquisitionem non est necesse vt præcedat infamatio, accusatio, vel denuntiatio. Nam per eam nulli fit iniuria, cùm aduersus neminem particulariter inquiratur: & ad morum reformationem expedit, atque etiam ad purgandam Rempublicam, vt huiusmodi inquisitiones generales interdum fiant: sicut fieri solent à Prælatis Ecclesiasticis tempore visitationis: vt statuitur cap. 1. de Censib. in sexto, §. *Sanè*. Neque tamen tunc subditi, licet interrogati, debent reuelare peccatores occultos, qui nulla criminis eiusmodi laborant infamia: vt cum communi sententia docent Malderus tract. 6. cap. 1. dub. 18. Dicastil. lib. 2. tract. 1. disp. 5. dub. 3. De Lugo disp. 37. num. 57. Lessius cap. 29. dub. 13. num. 109. contra Valentiam quæst. 14. Puncto 1. nisi vel id necessarium sit ad emendationem rei; tunc enim est aperiendum superiori, non vt iudici, sed vt patri: Vel impendeat aliquod malum spirituale, vel temporale, quod sine opera superioris non potest commodè impediri. Tunc enim emendatio proximi, vel auersio mali impendentis, est præferenda famæ nocentis. Vlteriùs, quando crimen est publicum, sed auctor ignotus, & spes aliqua est inueniendi auctorem; potest ac debet fieri inquisitio, nòn in personam certam, sed vniuersim: quia pessimi foret exempli, & Reipublicæ valde perniciosum, si in casu posito iudex taceret: videretur enim conniuere, & animum adderet improbis hominibus ad audendum similia: quod est contra bonum commune: cuius multùm interest vt puniantur & extirpentur delinquentes, cæterique à peccando deterreantur. Subditi tamen in eo casu, etiam sub iuramento interrogati, aut sub pœna excommunicationis, non tenentur patefacere auctorem, si nullâ laboret infamiâ, & nihil mali in posterum timeatur: quia superior non potest obligare subditos vt reuelent peccatores occultos: vt docent Lessius cap. cit. num. 109. & 118. Suarez tomo 4. de Religione, tract. 10. lib. 10. cap. 11. De Lugo disp. 37. num. 56. & alij communiter, vt idem testatur. Hæc tamen sunt intelligenda de inquisitione tendente ad punitionem: quia ad malum impediendum, vt quando agitur de matrimonio contrahendo, de collatione beneficiorum, vel officiorum, & alijs id genus, licitum est speciatim inquirere de personis: & qui sciunt defectus occultos, debent eos manifestare sub secreto, & quàm minimâ fieri potest læsione famæ; vt malum impediatur. Alioqui Respublica impleretur concubinatibus, & malis ministris, alijsque grauibus incommodis: quod impedire maioris est momenti, quàm famæ talium hominum consulere.

Sintne occulti peccatores reuelandi?

Alter modus inquisitionis generalis.

17. Quintò denique, iudex, qui sine potestate aliquem damnat sibi non subditum; tenetur ad restitutionem damni iniustè illati; Nisi superior legitimus, causâ cognitâ, factum approbet. Tunc enim iudicium incipit esse ratum, velut ex commissione factum, & iudex liberatur ab onere restituendi. Iudex quoque proprius, qui sine sufficienti & legitima probatione, vel ex notitia per dolum, aut metum iniustum extorta, damnauit; tenetur similiter ad restitutionem, nisi aliunde haberet vnde illum damnare posset legitimè, & iuridicè. Tunc enim non tenetur ad substantiam damni, quod aliunde iustè inferre poterat: vt bene ait Lessius cap. 29. dub. 18. num. 172. & seqq. vbi hæc fusius prosequitur. Idemque dico si contra modum procedendi peccauit, ita tamen vt aliunde sufficientes damnandi rationes habuerit; seruando modum iuridicum: Adeo vt eius omissio, aut violatio, non fuerit necessaria ad reum damnandum secundùm leges: aut etiamsi necessaria fuit; modus tamen contra quem peccauit, est talis, vt Princeps in eo dispensare possit: tunc enim sufficit eius dispensationem obtinere à Principe, vt cesset onus, & obligatio restituendi.

Iudex malè iudicans quandonam tenetur ad restitutionem?

Ex dictis de iudice, facile est intelligere quid cum proportione sentiendum sit de iudicum ministris. Dicendum enim est, quando sententia iudicis non continet manifestum errorem, aut iniquitatem, quamvis sit contra veritatem quam minister priuatim nouit; debere illam exequi, nisi vel testificando pro reo, vel appellationem vtilem ei suadendo, aut aliâ viâ possit ei prodesse, aut orando iudicem, vel aliter, declinare possit executionem sententiæ. Ratio est, quia minister, cùm sit persona publica, debet stare sententiæ publicæ, & non suæ scientiæ (sicut iudex iuridicæ probationi) quando suâ scientiâ priuatâ non potest reo prodesse, & malum auertere. Deinde sententia iudicis est veluti, lex quædam ministris. Vnde sicut iudex tenetur iudicare secundùm legem, quando lex non continet manifestam iniquitatem; quia non est iudex legis, sed executor tantùm: sic minister, &c. Ita Salon post D. Thomam, Caiet. & alios, ad art. 2. quæst. 67. Et confirmatur ex cap. *Pastoralis, de officio delegati*, §. *Quia verò*, vbi præcipitur Ordinario, vt exequatur sententiam iudicis delegati, etiamsi priuatim sciat illam esse iniustam: Modò tamen non contineat errorem intolerabilem, vel iniquitatem manifestam. Quod addidi, quia tunc non tenetur minister, neque potest talem sententiam exequi. Non enim tenetur neque potest obedire iudici, nisi in honestis, vel licitis. At exequi sententiam manifestè & notoriè iniustam, est illicitum, estque cooperari iniquitati Iudicis. Atque ideo non excusantur carnifices martyrum, qui nouerant Iudicum sententiam esse manifestè iniustam, & publicè notam vt talem.

18. Quomodo debeat ministri Iudicum exequi eorum sententias.

Modò non sit manifestè iniusta.

SECTIO IV.

De Accusatore.

Nota primò, accusationem ab actione, & denuntiatione differre. Actio enim, & 19.

Accusatio differt ab actione, & denuntiatione. actor, dicitur in causis ciuilibus; quando quis alium in iudicium vocat cum onere probandi id de quo litem mouet. Accusatio verò dicitur de causis criminalibus, & est actio, quæ apud publicam potestatem instituitur, cum obligatione probandi alicuius crimen, seu peccatum, vt puniatur. Vnde si deficit in probando, subit aliquam pœnam. Denuntiatio autem, vel delatio, non fit eo modo cum onere probandi; nec qui denuntiat, tenetur crimen probare; siue denuntiet alicui tanquam Iudici, vt ad emendationem, vel ad punitionem, propter bonum publicum procedat; quæ denuntiatio dicitur iuridica: siue tantùm vt patri, vel directori, secretò ad correptionem fraternam eius qui deliquit; vel ad prospiciendum alicui; quæ denuntiatio fraterna dicitur, & Euangelica. Propter solas autem denuntiationes secretas non potest fieri inquisitio: vt habetur cap. 21. *de accusationibus*, §. *Tertia*. Si tamen præcessit fraterna denuntiatio apud Prælatum; & vocatus à Prælato est rebellis, & non vult corrigi; tunc Iudex Prælatus, absque alio accusatore, potest vsque ad sententiam procedere, modò habeat sufficientes probationes: vt rectè docet Toletus lib 5. Summæ cap. 56. sub finem. Sed si crimina non sint notoria, & per Euangelicam denuntiationem procedatur; tunc ante contumaciam reus puniri non potest, vt notat Less. cap. 29. num. 104.

20. Nota secundò, crimina, seu peccata esse in multiplici differentia. Quædam enim sunt contra bonum publicum: quædam contra bonum priuatum alterius: & quædam tantùm contra bonum ipsius peccantis. Item, quædam sunt omnino præterita, & emendata: alia adhuc durant: & alia sunt futura, vel imminent. Rursus quædam sunt omnibus manifesta, quædam tantùm vni nota, quædam paucis, à quibus tamen in iudicio probari possint. Istis præmissis,

Nemo tenetur denuntiare, vel accusare peccata præterita omnino. Dico primò: Quando peccata sunt omnino præterita, nemo tenetur ea denuntiare, vel accusare. Ratio est, quia nemo tenetur denuntiare, vel accusare, nisi aliqua necessitas boni communis, vel priuati, id exigat; quæ necessitas tunc nulla est. Non enim ad bonum ipsius peccantis, qui supponitur iam planè emendatus, & neque esse in affectu, neque in periculo peccandi vlteriùs: alioqui enim peccatum maneret eatenus, & non esset omnino præteritum, vt supponimus. Non etiam ad bonum priuatum alterius, cui si peccatum nocuit, iam satisfactum est, quoad fieri potuit, aut debuit alioqui maneret adhuc in effectu. Nec denique ad bonum publicum; tum ob eandem rationem: tum etiam quia peccatum vel publicum fuit, vel occultum. Si publicum: potest iudex in illud inquirere, si expediat punire ad bonum Reipublicæ. Si occultum: satius est vt tale maneat, si omnino præteritum est. Publicatio enim ipsa non est bona per se, sed scandalosa: & peccata sunt eò peiora, quòd sint publica.

21. *Secus autem peccatũ durans vel imminẽs.* Dico secundò: Si peccatum adhuc durat, vel imminet, siue cum damno publico, siue cum priuato alterius, aut ipsius peccantis; tenetur denuntiare, vel accusare, ille cuius denuntiatio, vel accusatio necessaria est, & vtilis futura probabiliter ad malum impediendum, seruato semper ordine charitatis. Probatur, quia lex charitatis, siue erga multitudinem & communitatem, siue erga vnumquemque priuatum, postulat vt quod ad malum eius vitandum est necessarium, quia sine eo malum non vitabitur, exhibeatur, saluo ordine charitatis, ab eo qui potest sine suo graui incommodo. Subueniendum enim est graui indigentiæ, præsertim communi. Quare si delatio, vel accusatio peccati alieni sit necessaria ad grauius incommodum vitandum, siue commune, siue priuatum; debet fieri ex lege charitatis. Idem iudicat D. Thom. quæst. 68. art. 1. c. Vult enim etiam accusandum esse propter bonum commune: vt si ad vitandum Reipublicæ detrimentum opus sit accusatione vt puniatur peccatum. Etenim si sine punitione peccatoris prospici posset Reipublicæ, non esset opus accusatione, sicut neque punitione. Consentiunt etiam Salon, & Aragon. alijque interpretes D. Thomæ, ad articulum citatum. Toletus lib. 5. cap. 57. & Summistæ verbo *Accusatio*, & *Denuntiatio*.

Sed aduerte primò, oportere vt denuntiatio, vel accusatio necessaria sit: nimirum quia malum aut incommodum est graue, & aliter vitari non potest. Nam pro leuibus malis non est obligatio adhibendi medium adeo molestum, neque sæpe expedit adhibere, propter pacem, & bonum commune. Si etiam sufficit correptio priuata, non est necessariò adhibenda denuntiatio: & si sufficit denuntiatio, non est necessariò instituenda accusatio. An verò possit nihilominus institui, dicemus paulò post. *Quandonam id necessarium?* Secundò, denuntiatio, vel accusatio vtilis esse debet ad finem consequendum: alioqui enim nulla est obligatio adhibendi medium inutile, & frustra laborandi. Ideóque si probatio perfici non possit; non est instituenda accusatio, quæ sine probatione perfectâ non prodesset. Sed neque si probatio perfici possit, sed punitio propter vim dolum aut alicuius non sit secutura, eâque deficiente, malum quod timetur vitari nequeat. Quoniam duo illa supradicta requiruntur ad necessitatem: nempe, vt sit graue malum quod vitari debeat: & deinde, vt medium valeat ad illud vitandum, & sine eo vitari non possit. Tertiò dixi, seruandum esse ordinem charitatis: quia non licet prodere peccatum alienum occultum, quando nec communis necessitas, nec priuata alicuius, illud exposcit iuxta præceptum Christi Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum, &c.* Quibus verbis non contineri solummodo consilium, sed mandatum, docent S. Thomas quæst. 33. art. 7. in corp. eiusque interpretes ibidem, & alij Theologi communiter: Supponitúrque in capite 2. & 24. *de accusationibus*. Neque sermo tantùm est de peccatis, contra nos admissis (licet de illis directè & primò Christus loquatur, vt ostendimus in fine tract. de Spe, & Charitate) sed etiam de alijs coram nobis admissis, vt patet ex fine correptionis, qui est emendatio, & salus proximi. Neque enim debeo curam salutis eius suscipere in eo solum casu, quo contra *Seruãdus ordo charitatis.* *Vide suprà disp. 11. Sect. 7. & 8.*

me deliquit: sed etiam si aliter peccauerit. Quare correptio, quæ propter eum finem præcipitur, facienda est quandocunque me sciente frater peccauerit, si credatur esse necessaria.

22. Præceptū fraternæ corrept. duo continet. Duo autem præcipiuntur in hoc mandato, iuxta Theologos suprà citatos, & interpretes Scripturæ ad locum illum Matthæi. Primum est, correptio. Secundum, modus, & ordo seruandus in correptione, qui ordo est, *corripere inter te & ipsum solum*, &c. Vtraque autem præcepti pars seruanda est, si futura sit vtilis, sique non sit superuacanea: non aliter. Etenim quamvis sciam proximum peccasse; si pariter scio illum non manere in peccato, sed officio fungi; importunum est, & vitiosum corripere; cùm iam sit in fine, ad quem refertur correptio. Similiter, si moraliter certum est, vel omnino constat, secretam correptionem inutilem fore; debet prætermitti: quia otiosè adhiberetur. Hinc Hæreticus pertinax non est priuatim corripiendus necessariò: hoc enim ipso, quòd contra Ecclesiam pertinax est, ordinem omnem correptionis transcendit, neque præsumi debet corrigibilis per correptionem priuatam. Item, si magnum damnum ex ea timetur, vt si correptori mors, vel graue damnum immineat, non debet adhiberi: quia est moraliter impossibilis, id est, nimis difficilis, & sine fructu. Vel si periculum adeo vrget, vt non det spatium seruando ordini præscripto: sed statim sit denuntiandum, vel accusandum, ad illud auertendum. Extra hos verò casus, & similes, de quibus plura diximus disp. 21. Sect. vlt. seruari debet ordo præscriptus, & peccatum occultum proximi non est prodendum sine necessitate. Etenim Christus præcipit vt, si frater indiget correptione, corripiatur primò priuatim ab vno solo, si spes est proficiendi per priuatam correptionem. Ergo id seruandum est. Ergo non est prodendum peccatum proximi quando nullius necessitas id exposcit. Si enim liceret prodere, non esset opus celare, licet emendatio fieri posset sine manifestatione. Atqui celandum est; quia Christus verbis illis, *Inter te, & ipsum solum*, secundùm communem sensum interpretum præcipit vt peccatum alienum secretò emendetur. Et factâ emendatione multò magis celari debet, quod etiam ante emendationem erat secretò redarguendum vt emendaretur. Quæ omnia secundùm ius commune intelligenda sunt, saluis debitis exceptionibus.

23. Possitne accusari, aut denūtiari peccatum emendatum? Sed difficultas est, an possit accusari, aut iudicialiter denuntiari sine secreta correptione præuia, peccatum quod licet non sit omnino publicum, tamen potest probari, & est pluribus notum; licet auctor illius in eo non maneat. Qua de re dico tertiò non posse tale peccatum accusari, aut iudicialiter denuntiari, nisi aliqua boni priuati, vel communis necessitas id exigat: idque constare ex præcedenti Christi mandato, & ex cap. 2. & 24. *de accusationibus*. Quid enim opus esset ordine, & ceremonijs in corripiendo, si post emendationem liceret nihilominus deferre? Atqui seruandus est ordo à Christo præscriptus, vt si proximus per priuatam monitionem emendetur, non procedatur vlteriùs: Sique non per vnius monitionem, sed per duorum aut trium emendetur; sistatur ibi. Ergo contra Christi mandatum est vel accusare, vel deferre, sine alia necessitate, eum qui vel est emendatus, vel potest aliter emendari. Consentiunt Caiet. quæst. 33. art. 7. *circa solutionem tertij*, Durandus in 4. dist. 19. quæst. 4. num. 4. Syluest. verb. *Accusatio, quæst. 3.* & alij plures. Dissentiunt verò Sotus de *Ratione tegendi secreti*, membro 2. quæst. 5. conclus. 4. Petr. Nauar. lib. 2. de Restit. cap. 4. num. 254. & ex parte Lessius cap. 30. dub. 2. Quorum argumenta præcipua hæc sunt. Primò, ille, cuius peccatum probari potest, amisit ius vt fama ei seruetur, quia peccatum eius est notum. Ergo potest deferri, vel accusari. Secundò, interest Reipublicæ vt peccata puniantur: & vnusquisque habet ius vt propter commune bonum accuset, aut deferat eorum peccata, qui sunt emendati, & rectè funguntur officio; vt eorum punitione alij cautiores fiant; atque ipsi quoque timore pœnæ magis imposterum à peccando abstineant. Tertiò, accusatio vel denuntiatio iuridica non fit ad emendationem, sicut fraterna denuntiatio; sed fit ad punitionem. Ergo non debet illi necessariò præmitti fraterna correptio, neque etiam debet accusatio omitti, licet reus iam emendatus sit. Fieri enim potest vt adhuc puniri expediat: & si expedit, potest denuntiari, siue ante, siue post monitionem & correptionem fraternam, quæ ad puniendum non sufficit: cúmque eo fine possit fieri accusatio, non obstante emendatione; nihil refert siue ante correptionem fraternam, siue post, fiat. Confirmatur ex cap. 24. *de accusationibus*, in quo dicitur, *Sicut denuntiationem admonitio: ita accusationem inscriptio debet præcedere.* Quapropter ante accusationem non requiritur admonitio, vel correptio, siquidem sufficit inscriptio. Cōtraria sententia.

24. Soluuntur eius argumenta. Ad primum respondeo, non esse quidem peccatori debitum ex iustitia vt non deferatur iuridicè, vel non accusetur, quando peccatum potest probari (potest enim sine iniuria id fieri) sed tamen esse contra rationem, contra charitatem, & contra Christi mandatum, si absque alia necessitate ob punitionem deferatur. Ad secundum respondeo interesse Reipublicæ vt peccata, quæ in communem venerunt notitiam, puniantur: & Iudicem teneri ex officio ad inquirendum, & ad ferendam sententiam debito ordine, contra eiusmodi peccata. Sed non ita esse de omnibus peccatis occultis: multa enim per fragilitatem committuntur, quæ licet maneant impunita apud Rempublicam, nullum imminet periculum: & in eo casu voluit Christus nos ad misericordiam esse magis propensos. Si tamen in aliquibus peccatis, licet occultis, expediat reum propter bonum priuatum, vel commune accusari, & puniri; non negamus id posse fieri, etiam omissa priuata monitione; præsertim quando crimen est contra bonum publicum, & adhuc imminet, vel continuatur in futurum. Nam, vt rectè ait Lessius dub. cit. n. 13. periculum quod impendet, vel bonum quod speratur, est maioris momenti, quàm infamia, vel damnum omne quod ex accusatione reus incurrit. Neque hîc

scrupulosè inquirendum est an fortè reus emendabitur priuatâ monitione: quia in re tanti momenti eligendum est id, quod tutius est; & reus posset emendationem simulare, intereaque consilia sua exequi. Ex quibus patet responsio ad tertium argumentum, ad quod dico accusationem quidem esse licitam, & necessariam, quando communis, vel priuata alicuius necessitas id postulat: Sed cessante huiusmodi ratione, esse malam, & contra charitatem.

Punitio quare adhibenda? Confirmatur ex D. Thoma, quæst. 68. art. 1. c. vbi dicit pœnas non expeti per se, sed quatenus sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem peccatoris, vel ad bonum Reipublicæ, cuius quies procuratur per peccatoris punitionem. Ergo si neque peccatoris emendatio, neque bonum Reipublicæ, vel alia necessitas postulet deferri crimen occultum alicuius, non licêt deferre. Item tantùm abest vt prodere peccatum, quod non erat publicum, & facere illud publicum per manifestationem, sit bonum Reipublicæ, si nihil aliud concurrat: vt, potiùs sit illi malum & perniciosum. Nam, vt supra dixi, peccata sunt deteriora, quando sunt publica: & ideo puniri debent à Magistratu, vt quantùm offendunt quia sunt nota, tantùm punitio eorum prosit. Ergo non licet facere illa publica sine alia ratione. Ad vltimam confirmationem respondeo, ante accusationem specialem, in foro exteriori, requiri inscriptionem, siue libellum in quo accusator summam accusationis inscribat, quis, quem, quo nomine accuset; vt præscribitur cap. cit. de accusat. Sed non ideo negatur priùs corripiendum esse proximum, si priuata correptione iuuari possit: neque dicitur licitum esse accusare, si accusatio non sit aliter necessaria.

25. Dixi in conclusione, *nisi aliqua boni priuati, vel communis necessitas id exigat:* Nam alioqui maius bonum priuatum, vel publicum præferendum est famæ nocentis. Ideóque Christus capite Matth. cit. præcipit vt si peccator secreta monitione non emendetur, adhibeantur vnus, aut duo testes: & si neque id sufficiat, dicatur Ecclesiæ, vt ab ea corripiatur, & vt emendetur, vel excommunicetur si Ecclesiam non audiuerit. Quia emendatio proximi, & salus animæ, ipsius famæ anteponenda est. Ideóque propter spem emendationis licet denuntiare Ecclesiæ, id est Prælatis, crimen quod anteà illis erat ignotum. Si tamen spes emendationis non esset, neque punitio expediret, sed potiùs occultatio; satius esset tunc denuntiationem omittere, & negotium Deo relinquere. Sicut enim omnes sentiunt correptionem, seu per vnum, seu per plures, non esse faciendam quando non est spes proficiendi: quia media otiosè applicantur, de quibus nulla spes est quòd valitura sint: sic, &c.

Denuntiandum est, vel accusandú, quando maius bonum id exigit.

16. Quæ sint præstãda ab accusatore? Dico quartò, in accusatione quatuor esse accusatori præstanda. Primum est, veritas in accusando. Secundum, modus debitus in confirmanda accusatione, non vtendo falsis testibus, vel instrumentis & alijs malis actibus. Tertiò, vitanda est intentio peccandi, putà intentio malè nocendi tantùm accusato, aut alia similis vitiosa, & iniusta, affectio. Quartò, vitanda pariter est præuaricatio, id est, cessio, & desitio ab accusatione, vel collusio cum accusatore? Nisi vel Iudex accusationem non admittat, aut admissam rescindat: vel accusator deprehendat in progressu se falsum esse circa veritatem, aut necessitatem accusationis; aut non posse probare: aut nisi in causa ciuili, per gratiam, vel per transactionem recedat: quod etiam fieri potest in causa criminali, in quibusdam casibus iure vel consuetudine, permissis, de quibus vide Less. cap. 30. dub. 5. Ratio verò cur alioqui non liceat desistere à prosequenda accusatione, est, quia necessitas illius, & obligatio, non est tantùm ad simpliciter accusandum; sed & ad prosequendum, & ea omnia præstanda quæ necessaria sunt vt obtineatur finis accusationis, qui est punitio necessaria ad bonum commune, vel ad bonum alicuius priuatum. Et hoc peccatum dicitur præuaricatio, seu tergiuersatio, vt habetur *Causâ 2. quæst. 3. cap. Si quem pœnituerit.* De cuius peccati grauitate, ex materia, & circunstantijs censendum est. Estque illud peccatum contra iustitiam, quando iudex, & Respublica ius habent exigendi ab illo vt prosequatur accusationem necessariam, & id re ipsa exigunt. Alioqui verò non tenentur homines communiter, & per se loquendo, ad accusandum, ex iustitia; sed solùm ex charitate, ad impediendum malum proximi, vel communitatis, aut procurandum eius bonum; ad quod charitas quidem obligat, sed non iustitia, nisi aliunde aliqua specialis ratio ex officio, vel ex conditione personæ, obligationem iustitiæ inducat.

SECTIO V.

De Reo. Et primò, an & quomodo teneatur fateri veritatem Iudici interroganti?

Certum est non teneri nisi hæc tria concurrant. Primò, vt interrogetur à proprio iudice, id est, habente in illum auctoritatem, seu potestatem iudicandi. Secundò, vt interrogetur iuridicè, id est, seruatâ iuris formâ: nimirum de crimine cuius præcesserit infamia, vel violenta, & sufficientia indicia, vel saltem semiplena probatio, id est, quòd deponat testis omni exceptione maior, qui scilicet rejici non possit. Tertiò, debet hoc ipsum innotescere reo, nimirum se interrogari à proprio iudice, & seruatâ iuris formâ. Quare iudex ante interrogationem debet illi aperire statum causæ, & probationes, vt videat se interrogari iuridicè, & obligari ad respondendum. Sine his tribus constat inter Doctores reum non obligari ad aperiendam veritatem: sed posse vti amphibologia, & restrictione mentis, ad eludendam interrogationem iniustam: Peccantque iudices, qui deficiente aliqua ex tribus prædictis conditionibus, reos ad respondendum obligare præsumunt. Cùm non habeant ius interrogandi sine legitima potestate, nec nisi secundùm leges, & quatenus ipsæ concedunt: Quod nisi reus fieri intelligat, non debet respondendi obligationem suscipere, neque facilè credere 27.

Non tenetur sine tribus conditionibus.

Iudices peccant interrogãdo sine illis.

in re tanti momenti. Hinc collige peccare iudices qui interrogant, vel inquirunt de criminibus occultis, vel de complicibus, quorum nec infamia, nec indicia violenta, nec testis præcessit. Neque teneri reos de huiusmodi respondere ad mentem iudicis, sed negare posse quod in foro illo externo nihil est, quia ad illud non pertinet. Nisi tamen reuelatio complicum necessaria sit ad vitandum graue malum priuatum, aut publicum. Tunc enim Rei tenentur respondere, & iudices habent interrogandi ius. Qua de re plura videri possunt apud interpretes D. Thomæ 2. 2. quæst. 69. art. 1. vel 2. Malder. tract. 6. cap. 1. dub. 22. & 23. De Lugo tom. 2. disp. 40. Sect. 1. Summistas V: *Confessio delicti*, & Toletum lib. 5. cap. 58. num. 4.

28. Sufficiatne probatio semiplena? Sed difficultas est, an hæc tria sufficiant ad reum obligandum vt veritatem sincerè fateatur: & speciatim an & quomodo sufficiat semiplena probatio per vnicum testem omni exceptione maiorem, aut per infamiam, vel indicia violenta? Communior sententia sufficere affirmat: quam tenent D. Thomas quæst. 69. art. 2. c. Interpretes ibidem, Gabriël in 4. dist. 15. quæst. 6. art. 2. conclus. 6. Sotus de secret. memb. 2. quæst. 7. Nauar. cap. 25. num. 36. Henric. Quodlibet 1. quæst. 32. Corduba lib. 1. quæst. 33. Malderus tract. 6. cap. 3. dub. 1. Turrian. disp. 50. de Iust. dub. 2. Tolet. lib. 5. cap. 58. Less. cap. 31. dub. 3. num. 12. Eandemque supponit, & sequitur praxis communis Iudicum, qui post semiplenam probationem reum interrogant, atque etiam, si sit opus, subjiciunt torturæ, vt ad crimen fatendum adigant. Ratio præcipua huius sententiæ est, (Rationes sententiæ affirmantis.) quia, vt argumentatur auctor postremò citatus: tenetur quisque obedire superiori legitimè præcipienti. Atqui superior legitimè præcipit, quando secundùm ordinem iuris interrogat reum, aut iuramentum ei defert. Ergo reus tenetur obedire, & veritatem aperire. Secundò, vt idem addit ibidem, Iudex in eo casu habet ius eliciendi veritatem, ob bonum publicum. Ergo si reus eam occultet, facit contra ius, & auctoritatem superioris. Tertiò, reus interrogatus de vero crimine sub iuramento, cogitur vel fateri, vel negare. Atqui non potest negare, quia mentiretur in iudicio, & peieraret: ergo, &c. Quartò, si iudex iustè agit interrogando, & præcipiendo reo vt fateatur verum crimen: ergo reus peccat non obediendo. Quintò, reus negando crimen verum, facit iniuriam testi, si sit aliquis testis: aut accusatori, si ab aliquo sit accusatus: quia imponit illis crimen calumniæ, quasi ipsum falsi criminis insimulauerint. Sextò, si præcedente infamia, aut violentis indicijs, aut semiplena probatione, adhuc sit licitum reo crimen suum occultare, manebunt innumera crimina impunita, contra commune bonum. Septimò, quamvis obscurum esset nùm iudex in his casibus habeat ius præcipiendi reo vt crimen fateatur: nihilominus fauendum esset iudici, tanquam publicæ personæ, potiùs quàm reo. Octauò, Deus præcipit vt homines peccata sua accusent, quamvis occultissima, in foro secreto pœnitentiæ. Ergo non est tam horrendum, & inhumanum, vt rei in foro exteriori confiteantur peccata sua semiprobata. Et confirmatur exemplo Achan, *Iosue 7.* qui iussus est fateri publicè crimen suum occultum, ad gloriam Dei: quod autem fit ad gloriam Dei, potéstque præcipi, & debet fieri, non est contra naturam, neque inhumanum. Item exemplo S. Gregorij magni, qui vt habetur *Causâ quintâ, quæst. 1. cap. 2.* grauibus pœnis coëgit occultum auctorem cuiusdam libelli famosi, ad prodendum se publicè.

Contrarium tamen docent Angelus V. *Confessio delicti*, in principio, Syluest. ibid. quæst. 1. (Cõtraria sent. negans.) Emmanuël Rodrigues in Summa, tract. de Ordine iudiciali, cap. 10. num. 1. Sa V. *Iudiciales actus*, tit. de Reo, Petr. Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 4. n. 142. citans Paludanum, & Armillam, præter Syluestrum & Angelum supra relatos: Eandemque sententiam non esse improbabilem censent Vega, Suarez, De Salas, Henriquez, Villalobos, Filliucius, Fagundes, Reginaldus, Portellus, Peirinus, Diana, Ioann. Sancius, quos citat & sequitur Cardinalis De Lugo tom. 2. de Iust. disp. 40. Sect. 1. Insuperque Lessius, cap. 31. dub. 3. num. 16. & 17. Quorum aliqui putant reum quidem posse in prædictis casibus obligari à iudice ad fatendum, si agatur tantùm de pœna spirituali. Alij, vt Nauar. si agatur de causa ciuili, at non de criminali, præsertim capitali, neque in causis non capitalibus, in quibus pœna valde grauis imponitur, vt damnatio ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorum, vel grauis infamia & honoris iactura: Secus autem si agatur tantùm de pœna excommunicationis quæ facilè tollitur.

Ratio præcipua est, quia, vt aliquis ad seipsum condemnandum arma ministret, & plus 29. (Argumẽta sententiæ negãtis.) sibi noceat sua confessione, quàm alij nocere queant, & denique vt cùm legitimè conuinci non possit, ipse crimen admittat, & se prodat, est contra naturam, & inhumanum, saltem in causis, in quibus pœna valde grauis imponitur. Sed non est datum ius vlli, quo obligare, aliquem possit ad talia, scilicet inhumana, & contra naturam: Vel si datum est, ostendatur clarè, cùm sit res tanti momenti. Quod cum non fiat, vt patebit ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ, non est existimandum datum esse ius, quo possit Iudex obligare reum ad confitendum crimen suum priusquam conuincatur. Confirmatur, quia, vt constat ex *L. 4. ff. de testibus*. Nemo potest obligari ad testificandum contra eos qui sanguine sibi coniuncti sunt. Nemo quoque obligatur ad ferendum testimonium cum graui suo damno. Vnusquisque autem est multò magis sibimetipsi coniunctus sanguine, quam vlli alteri; quippe qui sibi idem est: & in casu proposito impendet graue damnum ex confessione, quod sine illa vitari potest. Ergo, &c. Confirmatur secundò, quia leges humanæ debent esse accommodatæ humanæ imbecillitati; & secundùm veriorem sententiam, non obligant cum periculo mortis, aut grauis incommodi, nisi negotij magnitudo aliud postulet. Ergo nec præ-

ceptum Iudicis. Quare licet præcipiat iudex; imò quamvis esset expresè constitutum lege aliqua positiua, vt reus crimen fateretur in casibus prædictis, non obligaret talis lex, propter immanitatem quæ esse videtur in eo, quòd aliquis non conuictus, neque conuincibilis, prodat seipsum sua confessione, plusque conferat ad suam perniciem, quam alij omnes conferre valeant. Suppono autem spem esse euadendi negando crimen non plenè conuictum, aut quod speratur conuinci non posse: alioqui cessat ratio celandi.

30. Hæc opinio mihi quoque non improbabilis esse videtur; tum propter multitudinem auctorum, quibus placet; tum ob grauitatem rationum quibus probatur; tum etiam, quia argumentis contrarijs probabiliter satisfieri potest. Ad primum enim & secundum responderi potest, non satis constare, quòd iudex in eo casu legitimè præcipiat, & ius habeat eliciendi veritatem, quantum est ex natura rei, seu veritate naturali, & seclusa opinione probabili, quam iudex sequendo non peccat, vt dicam paulò post. Ad tertium: reus non mentitur in iudicio, neque peierat, quando negat in iudicio externo esse id, quod in illo nihil est, quia ad illud non pertinet. Ad quartum: iudex iustè agit præsumptiuè, secundùm opinionem probabilem: sed reus quoque pro iure suo agit, & secundùm aliam opinionem probabilem, sibique fauorabilem. Ad quintum: si reus non tenetur fateri crimen, sed habet ius tegendi in illo foro, in quo probari non potest; sequitur illud tantummodo, videlicet accusatorem & testem malè agere re ipsa in illo foro, dum intentant crimen, quod probari non potest. Quocirca dum reus, negando crimen, objicit eis tacitè culpam malæ accusationis, aut malæ testificationis; non peccat, sed bene se tuetur: quia in eo casu ille qui accusat, vel qui solus testificatur absque facultate probandi, non bene instituit actionem illam publicam, & iudicialem, quæ aliquid amplius requireret. Ideóque fortè in veteri lege Deuteron. 19. præceptum erat vt non staret testis vnus in iudicio aduersus aliquem. Si verò testis bona fide, & iuxta propriam persuasionem sequeretur opinionem communiorem, ideóque testificaretur: non tamen propterea reus deberet esse eiusdem cum illo opinionis; & vterque iuxta suam conscientiam iure suo vteretur: in quo nulla formaliter esset iniuria. Quamvis vnus materialiter aliquid mali & inordinati ageret. Ad sextum: sicut peccatores planè occulti non tenentur se prodere ob bonum Reipublicæ, ne plurima huiusmodi scelera maneant impunita: ita neque peccatores semiocculti, qui non tenentur ad cooperandum cum aduersarijs in suam perniciem, sed ad agendam pœnitentiam, & recedendum à peccato. Ad septimum: non tenentur Rei fauere iudici in suam certam perniciem: neque plus videtur tribuendum iudici, quàm legibus humanis, quæ non obligant cum graui periculo. Ad octauum: longè alia est ratio Sacramenti pœnitentiæ, in quo peccata deteguntur, vt maneant secreta, & ad veniam impetrandam, cum conuenienti satisfactione, accommodata infirmitati pœnitentium: & fori externi, in quo publicantur ad infamiam, & pœnam grauem subeundam. Alia item est ratio illius Achan, Iosue 7. indicio diuino (mille testibus præferendo) iam planè & palam conuicti; & reorum de quibus loquimur, qui neque sunt conuicti, neque possunt conuinci. D. autem Gregorius promittebat omnem aliam securitatem illi reo, dummodo se proderet: & adhuc intelligendum est, quòd auctor illius libelli famosi, ob nocumentum illatum, teneretur ad reparationem, etiam cum detrimento propriæ famæ, seipsum detegendo, & calumniam fatendo ac refutando. Nam qui iniustè nocuit, debet restituere, etiam cum damno eiusdem ordinis.

Soluuntur arg. sententiæ affirmantis.

Superest notare ex Lessio cap. 31. num. 14. & Salone quæst. 69. contro. 11. art. 2. etiam secundùm opinionem priorem, non teneri reum, neque testem, respondere ad mentem iudicis, quando crimen sine culpa saltem lethali patratum est. Vt si occidisti inuasorem cum moderamine. Aut si ipse non occidisti, nec auctor criminis vel adiutor fuisti, sed pugio tuus est, aut fuisti in tali loco, quod si fatearis, præsuméris occidisse. In his, inquam, casibus non tenentur reus, aut testes hæc fateri, ne iudex malè præsumendi occasionem hinc sumat: cuius etiam mens, & intentio, vt sit recta, & iuridica, debet esse de occisione criminosa, & de circunstantijs prout criminosis; quæ, si tales non sunt, negari possunt cum conuenienti restrictione mentali. 31.

Non tenetur respondere qui non peccauit.

SECTIO VI.

Soluuntur aliæ quæstiones de Reo.

QVæritur secundò, an liceat reo occulta testium, vel accusatoris crimina detegere, ad infirmandum eorum testimonium, vel accusationem? Respondeo affirmatiuè, si valeat detectio ad eum finem, & non possint commodè sine illa infirmari. Ratio est, quia quisque habet ius tuendi se, cum iusto moderamine, eodem genere armorum, quo impetitur. Similiterque possunt aduocati, reorum causâ, idem facere: quippe quibus rei defendendi sui ius tribuunt, & cum illis vnum faciunt. Dixi, si non possint commodè sine detectione infirmari: quia si aliter commodè possint, est saltem contra charitatem occulta crimina detegere sine necessitate, & vltra moderamen inculpatæ tutelæ. An verò etiam sit contra iustitiam, iudicandum est ex dictis alibi de occidente inuasorem vltra moderamen. Videtur vterque tacitè cedere iure suo, eo ipso quòd inuadit; & permittere aduersario vt se defendat omni modo, qui ipsi magis expedire videbitur. Probabile item est, vt alibi diximus, non esse contra iustitiam patefacere peccatum occultum quod in iudicio probari potest. Item, si causa rei esset parui momenti, & crimen detectum esset capitale, ex quo mors testi, vel accusatori immineret: esset contra charitatem illud detegere. At non esset contra iustitiam, 32.

Licet reo occulta testium, vel accus. crimina detegere, itemque Aduocato pro eo patrocinanti.

quia reus, & accusator, id debent sibi imputare, cùm sponte ipsum inuaserint. Quòd si testis non sponte, sed coactus à iudice accederet, adhuc probabiliter non esset contra iustitiam tale peccatum ipsius detegere, quod in iudicio probari potest; sed esset grauius contra charitatem. Porro cùm Rei, vel Aduocati, refellunt accusatorem, vel testimonia criminum quæ sufficienter probari non possunt; non peccant licet eos mentiri dicant, vel calumniari. Quia practicè quodammodo mendax est qui dicit vt publicum, id quod non est tale: & qui accusat de eo quod in iudicio probari nequit, præsumitur esse calumniator: vt habet Glossa cap. 2. *de calumniatorib.* Idemque docent Bannes, 2. 2. quæst. 70. art. 3. Malderus tract. 6. cap. 3. dub. 2. De Lugo disput. 40. num. 21. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 348. Lessius cap. 31. dub. 2. & alij communiter. Similitérque, si quis illicitè secretum aliquod patefecit, ex quo infamia, vel offensio grauis secuta est: potest alter vtendo iure suo negare se dixisse, cum restrictione conuenienti, nempe vt vulgaretur, aut referretur alteri. Quod si delator ex eo mendax vel calumniator habetur, id sibi imputet: vt addit Lessius ibidem, post Petrum Nauar. cap. cit. num. 349.

Possúntne dicere eos mentiri vel calũniari, si probare nequeát?

33. An & quando potest licitè appellare?

Quæritur tertiò, an liceat reo iudicium per appellationem declinare? Respondeo cum D. Thoma quæst. 69. art. 3. reo non esse licitum appellare causâ tantùm afferendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur. Facit enim iniuriam iudici, cuius officium impedit, & aduersario suo; cuius iustitiam quantùm potest perturbat, & impedit tergiuersando. Ideóque, vt dicitur cap. *Omnino, 2. quæst. 6.* Omnino puniendus est cuius appellatio iniusta pronuntiatur. Sed non est illicitum reo, si se grauatum à iudicio inferiore probabiliter existimat, appellare ad superius, in quo sperat mitiùs secum, aut meliùs ex æquitate actum iri. Cùm enim de eadem re iudicia possint esse diuersa, alia alijs benigniora, secundùm varias opiniones, sine culpa cuiusquam; non facit iniuriam Iudici inferiori, neque mali quicquam illi imponit, qui ab illo prouocat ad superiorem; sed quærit sibi meliorem conditionem, si possit, intra latitudinem iudiciorum. Cúmque iudicia superiora sint instituta vt iudicent de inferioribus; non tenentur rei credere, quidquid ab inferiori statuitur, esse rectissimum, nisi ipsi id videant: sed cùm non liquet an æquiùs, & mitius iudicari possit, licitum illis est appellare ad iudices superiores, qui maturiores, & prudentiores esse debent, minúsque obnoxij corruptioni, quàm iudices inferiores, præsertim tenuiores, & opis indigentes, qui facilè à potentioribus opprimuntur. Denique eam ob causam diuersa tribunalia, superiora & inferiora sunt instituta à Republica, in fauorem iustitiæ & æquitatis, ac reorum: multisque prodest appellare, vt experientia docet. Contrarium ex parte sentiunt Dominic. Sotus lib. 5 de Iustitia, quæst. 6. art. 3 in dubitatione circa secundam conclusionem, & Salon ad quæst. 96. art. 3. post conclusionem 2. dub. 1. Sed quæ opponunt, non sunt magni momenti, & ex dictis facilè solui possunt.

Quæritur quartò, an & quomodo reus condemnatus iuridicè, id est, secundùm allegata & probata, seruatoque ordine seu forma iuris, teneatur obedire sententiæ? Respondeo & dico primò, non teneri in conscientia si sententia reipsa est iniusta, fundata scilicet in falsis probationibus, vel præsumptione falsa: neque tamen propterea posse impedire illius executionem per vim ipsi Iudici, vel ministris eius illatam. Prima pars responsi est communis Doctorum: & patet, quia talis sententia non dat verum ius, sed tantummodo præsumptum, siue in opinione. Ergo non obligat in foro conscientiæ, in quo non præsumptio & opinio falsa, sed sola veritas locum habet. Secunda pars eiusdem responsi est ferè communis Theologorum, teste Lessio cap. 31. dub. 4. num. 29. neque illi repugnat D. Thomas quæst. 69. sed potiùs consentit cum moderamine mox adhibendo. Ratio eius præcipua est, quia in hoc casu non potest resisti publicæ potestati sine graui scandalo, & incommodo Reipublicæ: cui cùm ignota sit innocentia rei iuridicè damnati; existimaret illum se iniquè defendere: dareturque improbis occasio liberiùs malè faciendi, spe concepta euadendi pœnam promeritam, resistendo ministris iustitiæ. Si tamen contra formam iuris damnatus esset, idque satis constaret: posset per vim se defendere: vt affirmant D. Thomas quæst. cit. art. 4. Sotus, Syluester, Couarruuias, Sanches, relati à De Lugo disput. 40. Sect. 4. & Lessius capite illo 31. num. 30. Item, licet forma iuris seruata fuerit, si scandalum abesset, & præsertim si innocens morte plectendus esset; posset vti moderata defensione, sed tamen sine læsione iudicis, aut ministrorum: Iudices enim & ministri publici ordinem iuris seruantes, & officio suo fungentes, iustè agunt, & communi bono inseruiunt: quare debent manere sine læsione. Sunt tamen qui plus iuris tribuunt reo præsumpto & iniustè damnato: vt videre est apud De Lugo disput. 40. Sect. 4. num. 39.

34. Teneturne reus parere sententiæ falsò præsumptæ?

Potestne se defendere contra executores?

Dices, quamuis minister iustitiæ ex intentione sua iustè agat & non malè, propter ignorantiam inculpabilem: tamen reipsa cooperatur cum iniquis actoribus, & accusatoribus. Quare innocentes, qui tractantur vt Rei, & iniustam vexationem patiuntur à ministris iustitiæ, possunt se contra illos perinde ac contra actores ipsos defendere: quemadmodum qui iustum bellum gerunt, possunt occidere ipsos etiam innocentes, qui per ignorantiam inculpabilem stant à parte iniusta. 35. Soluitur obiectio.

Respondeo non esse parem rationem ministrorum iustitiæ, & actorum. Nam ministri publici non stant à parte actorum, sed iustitiæ, & Reipublicæ (quamuis aliqui eorum vtantur actorum allegationibus in ferenda sententia) sed habent simpliciter ius ac debitum fungendi suo munere in ferenda exequendaque sententia. Quare licet contra actores iniustos, velut contra iniquos aggressores, possint rei modis licitis decertare: tamen contra ministros publicos, officio suo fungentes, non possunt afferre vim. Quo non obstante, si dubium manifestum sit, an minister publicus iniustè agat, & admonitus

nolit se corrigere; potest reus afferre vim. Tum quia in eo casu, sicut & in cæteris, fauendum est parti miseræ, & afflictæ. Tum etiam quia si manifestè dubium est num minister publicus iniustè agat: & admonitus cum ratione, & fundamento, nolit maturiùs deliberare: agit iniquè, & non vt publicus minister. Nam ad aliquid illicitum nec est, nec esse potest auctoritas. Consentiunt Michaël Salon quæst. 69. art. 4. Controuersia 1. in fine, & in ipsa conclusione 1. Malderus tract. 6. cap. 3. dub. 5. & plures Iurisconsulti quos citat Couar. lib. 1. Variar. cap. 2. num. 13. Sed oporteret prouidere vt id sine scandalo, & sine grauiore malo fieret. Quod quia vix abesse potest: idcirco hæc sententia non est in praxi consulenda. Aduertendum quoque est, non propter quodvis dubium licere afferre vim. Dubium enim particulare vnius non sufficit ad opponendum se sententiæ Ministri publici, nec potest fieri vt vis huiusmodi afferatur in eo casu sine exemplo malo, & sine perturbatione Reipublicæ.

36. Reus potest è carcere fugere licitè. Dico secundò, reum in carcere constitutum posse licitè fugere, siue ante sententiam iudicis, siue post: atque etiam, si sit opus, vincula, & carceres effringere. Possunt etiam alij, nisi ratione officij, aut peculiari de causa prohibeantur, consilium, & instrumenta ad fugiendum illi præbere: sed non vincula, & carcerem cum illo, aut propter illum, effringere. Prima pars probatur, quia licet iudices in quibusdam casibus habeant ius conjiciendi reum in vincula, & carcerem: non tamen habent ius præcipiendi reo vt se in illis contineat sponte, sed continendi ipsum vi, & labore suo. Essétque nimis inhumanum præceptum, & difficile, ac superans quodammodo humanam conditionem, præcipere reo vt expectet in carcere, præsertim si mors, aut mutilatio, vel alia pœna grauis immineat, quæ per fugam vitari possit.

Secunda pars sequitur ex priori. Cui enim licita est fuga, licitum est pariter remouere impedimenta fugæ, & adhibere ad eum finem omnia media necessaria non aliunde illicita. Et contrarium præceptum, obligans ad non fugiendum, esset nimis durum, minimeque accommodatum humanæ fragilitati, quando carcer est grauis, aut graue malum impendet, vt supponimus: putà mors infamis, aut damnatio ad triremes, aut publica verberatio manu carnificis, vel pœna carceris perpetui, præsertim si carcer ipse tristicus, horridus, aut valde incommodus est. Potest quidem præcipi vt aliquis subeat mortis periculum, quando id exigit necessitas boni communis, & conseruatio Reipublicæ. Sed illa non exigit vt reus non euadat, si potest. Sufficit enim quòd ministri iustitiæ possint & debeant illum arctè inclusum diligenter custodire.

Neque objicias, non posse reum inferre vim Iudici aut ministris iustitiæ, sententiam iuridicè latam exequentibus, præsertim in rei veritate bene fundatam, vt paulò ante diximus. Ergo neque effringere carceres, aut rumpere vincula quibus detinetur per ministros in ordine ad executionem sententiæ. Respondeo enim non esse eandem vtriusque rationem. Nam inferre vim Iudici, aut ministris iustitiæ, est inferre vim publicæ potestati, quæ in illis existit, non in carcere, aut vinculis, seu ferro, aut lapidibus.

Dices; reum fugientem è carcere esse causam damni custodi, qui postea punitur; & per effractionem esse causam vt alij euadant, in damnum etiam custodis, & aliorum, quorum interest. Item, violatores carcerum solent grauiter puniri, si iterum comprehendantur: ergo peccant: alioquin iniustè punirentur. 37. Obiectio diluitur.

Ad primum respondeo, puniri custodes pro sua culpa & negligentia, vera vel præsumpta; quia non bene custodierunt. Et hoc illis imputandum est, non reo, qui non erat custodi obligatus ad manendum, sed habebat ius euadendi. Hic tamen reus considerare debet, an tanti sua intersit fugam capessere, vt damnum illud proximi secundùm legem charitatis non sit curandum. Ad secundum respondeo, fugam illam aliorum captiuorum sequi per accidens ex facto rei, qui non tenetur illam impedire, aut propter illam vitandam iure suo non vti. Ad tertium respondeo, posse Iudices vti opinione probabili Doctorum illorum, qui censent non esse reis licitum rumpere carceres & vincula: posse etiam his pœnis materialibus, seu afflictionibus corporis reos deterrere vt nihil tale audeant: atque illarum metu, velut spiritali vinculo, eos constringere, & continere in carcere.

Tertia pars conclusionis, quòd alij quoque possint reis dare consilium & instrumenta vt euadant è carcere, sequitur ex duabus præcedentibus. Licitum enim est consulere alicui id, quod licet illi facere. Licitum est quoque porrigere instrumenta ei, qui licitè illis vsurus est, præsertim verò grauiter aut extremè indigenti; nisi fortè peculiari de causa id alicui prohibitum sit, vt reipsa prohibetur grauiter Ministris iustitiæ, qui cùm ratione sui officij teneantur curare vt reus detineatur; peccant, si fugam illi consulunt, vel si ad eam cooperantur. Potest etiam id prohiberi alijs in conscientia; exceptis tamen consanguineis, vel affinitate, aut propinquitate coniunctis, & alijs quorum tantopere interest conseruatio rei, vt illis quoque prohibitio meritò censeatur esse nimis dura, & difficilis, ac inhumana. Non tamen alij habent ius effringendi carcerem, vt ipse reus: quia alioqui Iudicibus nimis esset difficilis custodia reorum: quod cederet in magnum detrimentum Reipublicæ. Neque par est ratio rei detenti in carcere, & aliorum, vt id æquè vtrisque liceat. Nam multò magis interest rei euadere propriæ vitæ periculum, aut aliud graue malum. 38. Possuntne alij reo cooperari vt fugiat?

Dico tertiò, reum posse quidem obligari per sententiam Iudicis ad pœnas aliquas moderatas, & accommodatas conditioni humanæ, per seipsum exequendas; vt ad pecuniæ solutionem, seu emendam: potest tamen reus expectare vt petatur: quia licet possit Iudex iniungere vt detur, quamvis non petatur; communiter tamen id non facit: vt docet de Salas disp. 15. de legibus Sect. 7. num. 81. similiterque potest reus obligari, ad proficiscendum in exilium (non 39. Quas pœnas debet reus exequi per seipsum?

tamen ad diu manendum, si id nimis acerbum, & difficile est) & ad leuem aliquam & non ignominiosam flagellationem, vt fit in domibus Religiosis, & in officio sanctæ Inquisitionis: at non ad pœnas graues & acerbas, in quibus nimis violentum, & inhumanum foret idem esse agens & patiens: vt est occisio, mutilatio, infamis & publica verberatio & similes: ideoque tale præceptum aut sententia iudicis ad hoc reum obligans, esset iniquum, aut nimis durum, & difficile, humanæque fragilitati minimè proportionatum. Speciatim verò dubitari solet an, dum iudex exequitur sententiam, præsertim mortis, teneatur reus aliquas actiones exercere, vt progredi ad locum supplicij, ascendere patibulum, extendere manum, aut linguam amputandam, vel aptare funi collum, & his similia?

Præsertim circa sententiã mortis. Communis responsio est, neminem obligari ad eas actiones, quæ commodè fieri possunt per ministros iustitiæ: ad alias verò, quæ per alios commodè exerceri nequeunt, & alioqui sunt necessariæ ad sententiam verè iustam exequendam, obligari. Quia alioqui non posset iusta pœna executioni mandari. Ita Suar. lib. 5. de legibus cap. 10. num. 14. Neque propterea reus cooperatur morti suæ: nam huiusmodi actiones per se mortem non afferunt: & alioqui fiunt à reo, vt eatenus ministro iustitiæ: neque sunt nimis inhumanæ, & crudeles, vt præcipi non possint. Secus autem dicendum existimo si iudex præcipiat reo, vt seipsum suspendat, vel iugulet, vel bibat scienter venenum, aut venam sibi scindat: quæ nec iudex præcipere potest, quia nimis inhumana; nec reus licitè exercere per seipsum, quia id esset morti propriæ cooperari, & seipsum interficere, quod est contra præceptum naturale. Neque mirum est quòd ex amore naturali teneamur ab his actionibus abstinere: cum ex amore erga parentes teneamur non inferre illis mortem, licet ad illam essent iustè damnati, & executio sententiæ specialiter nobis committeretur. Quod intelligo etiam in eo casu, quo ad vitandam mortem acerbiorem offerret iudex reo vt venam sibi abscindat, aut simili morte suauiori seipsum interimat, ad vitandam combustionem, aut ossium fractionem; vel aliam mortem acerbissimam. Atqui his magis consentit D. Thomas quæst. 69. art. 4. ad 2. quem sequuntur Caietanus ibidem, & plures alij.

40. Cõtrariæ sẽtẽtiæ. Contrarium verò sentiunt nonnulli: quorum aliqui existimant reum non posse obligari ad exequendam vllam pœnam in seipsum, vi sententiæ iudicis: sed solùm posse ad aliqua obligari metu grauioris mali: aut quia aliunde ad id tenetur, vt ad restituendum, ad satisfaciendum, ad abstinendum à bonis, aut à loco, quo iustè pellitur, & cuius iure priuatur per exilium. Ratio eorum præcipua est, quia reus non tenetur agere, sed pati: neque tenetur esse reus simul, & executor sententiæ in seipsum: sed ministris incumbit illius executio, rei verò solùm est perferre & pati. Contrà verò Gabriel Vasq. 1. 2. disp. 173. num. 25. affirmat posse aliquem eligere pœnam mortis, abscindendo sibi venam, vt emisso sanguine moriatur, si hac ratione vitet acerbiorem pœnam mortis, & supposito quòd hæc optio detur à legitimo iudice, & causa mortis iusta sit, non autem falsò præsumpta. Ibidemque affirmat cap. 3. posse iudicem in aliquo casu obligare reum vt veneni potione se interimat. Eandem sententiam sequuntur, & latiùs extendunt Corduba lib. 1. quæst. 36. ad tertium argumentum secundæ opinionis, vbi affirmat; si quis ad mortem sibi veneno aut iugulatione inferendam condemnetur, posse ac debere sibi eam inferre: & Victoria in relect. de homicidio, Petrus Ledesma tract. 8. de Iustitia commutatiua, cap. 24. post 8. conclus. & Emman. Sa V. *Iudiciales actus*, tit. *De Reo*. Vbi quoad veneni potionem cum Corduba consentiunt: tametsi Victoria neget ibidem posse reum obligari vt à cibis oblatis abstineat ad moriendum fame: in quo parum cohærenter opinatur. Plus enim morti suæ cooperatur qui bibit venenum, quàm qui à cibo tantùm abstinet: & illius, aliorúmque rationes parum vrgent, fuerúntque à nobis alibi refutatæ, disputando de lege pœnali, tomo 2. disp. 30. Sect. 4. Quare videtur probabilius quod diximus, magisque iuxta sensum communem, vt saltem Iudex reum obligare non possit ad exequendam in seipsum pœnam mortiferam. Si tamen reo offerret mutilationem, putà manus abscissionem, vt se morti eriperet: posset reus acceptare: qui cùm alijs de causis possit membrum sibi adimere ad totum conseruandum, seque ipsum mutilare, vt alibi diximus, loco supra cit. sic in casu proposito idem ei liceret ad vitandum extremum supplicium.

SECTIO VII.

De Testibus. Et primò, quæ sit illorum obligatio ad ferendum testimonium?

QVæritur primò, an, & quomodo testis obligetur ad ferendum testimonium. Respondeo & dico primò, quando communis, vel particularis necessitas postulat alicuius testimonium, tenetur ille ex charitate testimonium ferre, etiam sine præcepto iudicis. Accedente autem legitimo eius præcepto, tenetur etiam ex iustitia erga iudicem, & Rempublicam: at non erga partem egentem testimonio, communiter loquendo, & nisi ex aliquo alio capite, quàm ex tali necessitate, oriatur iustitiæ obligatio. Ratio primæ partis est, quia charitas obligat vt in necessitate subueniamus proximo, quando id fieri potest sine graui nostro incommodo. Potest autem hæc necessitas esse vel Reipublicæ, ad cuius bonum expediat reum conuinci, & puniri: vel alterius, qui scandalum, aut iniuriam sit passus, & reparatione, aut satisfactione indigeat: vel etiam ipsiusmet rei, contra quem testimonium ferendum est, vt à grauiori malo liberetur: vel denique accusatoris, qui sit in periculo subeundæ pœnæ talionis, aut infamiæ calumniatoris, nisi testes proferant quòd nouerunt. 41. Tenentur in casu necessitatis. Ex charitate erga indigentem.

Notandum tamen quòd si accusator maliciosè, aut temerè, & imprudenter in hoc pe- Exceptis certis casibus.

riculum se coniecisset, accusando ex odio, & animositate, aut sine vlla necessitate, & non prouidendo de testibus: potest relinqui in periculo, in quod se sponte coniecit: neque tenentur alij suo testimonio illi opitulari, velut in necessitate constituto, quia hæc necessitas est illi planè voluntaria: vt rectè docet S. Thomas quæst. 70. art. 1. in fine corporis; quippe qui in hoc periculum se sponte coniecit. Alia autem est ratio de reo, cui periculum imminet eo nolente; id est, non propinquè ex voluntaria aliqua ipsius rei actione: cuique velut existenti in maiori periculo, & non propinquè ex aliquo actu suo voluntario, possunt alij parcere secundùm humanitatem, quando iam est emendatus, & nulla alia accusandi necessitas incumbit, maioremque eius, quàm malitiosi, aut temerarij accusatoris rationem habere. At verò si accusator licitè, & debitè accusauit: existimo testes ab eo productos debere ex charitate illi opitulari, si periculum subeat: quia maior innocentis; quàm rei habenda est ratio: multóque magis, si accusauit ex officio, vel ex debito conscientiæ, propter necessitatem, & accedat iudicis interrogatio. Notandum prætetea, ad necessitatem testimonij, de qua loquimur, requiri vt sine illo finis obtineri non possit. Nam si v. g. testimonium sit ferendum propter rei emendationem; si reus est iam emendatus, aut secreta admonitione potest emendari; non est necesse contra eum testificari, sed potiùs expedit famam illius conseruare, cùm habeatur finis, aut possit haberi aliâ viâ commodiori.

42. *Et ex iustitia erga Iudicem præcipientem.* Secunda pars, quòd testis, accedente legitimo iudicis præcepto, teneatur ex iustitia testificari, probatur: quia in Iudice est verum ius interrogandi, & præcipiendi legitimè, id est, seruato iuris ordine, & in casibus, in quibus potest interrogare, & præcipere ex officio iudicis. Ergo in alijs est debitum, & obligatio parendi, respondens illi iuri. Quòd tamen hæc obligatio iustitiæ sit tantùm erga iudicem, & Rempublicam, non autem erga partem egentem testimonio, & in cuius fauorem exigitur, patet, quia ius iudicis non est ius partis: neque accusator debet parti, quod debet iudici. Et quidem citra præceptum iudicis certum est testificationem non deberi parti ex iustitia. Præceptum verò iudicis accedens, obligat quidem ad veritatem aperiendam; sed non dat ius parti: sicut præceptum Dei de facienda eleemosyna, non dat ius pauperi: neque præceptum subueniendi proximo in necessitate, dat proximo ius, contra quod fiat iniuriosè, si non iuuetur. Vnde collige eum, qui negat suum testimonium, etiam posito præcepto iudicis, non teneri ad restitutionem parti indigenti: quia non est iniustè causa damni, vt alibi diximus disp. 28. Sect. 8. in fine, & confirmant Nauar. Sanchez, Dominic. Sotus, Syluius, Diana, & alij quos refert & sequitur De Lugo disp. 39. Sect. 1. & Lessius cap. 30. dub. 8. Dixi, *communiter loquendo, &c.* quia si cuipiam vel ex officio, vel ex speciali pacto & obligatione iustitiæ, incumbat alicuius defensio; tenetur ille ex iustitia eum defendere suo testimonio, quando id necessarium est.

Dico secundò: si neque vlla necessitas communis, aut particularis, exigit testificationem, neque Iudex eam præcipit, nemo tenetur exhibere. Posita verò necessitate, aut iudicis præcepto legitimo, tenetur quisque, cuius testificatio necessaria est, aut cui iudex legitimè præcipit, testificari: nisi causa legitima excuset. 43. *Nemo tenetur sine necessitate, aut præcepto Iudicis.* Prima pars per se patet. Secunda de necessitate, vel iudicis præcepto legitimo, probata fuit in præcedenti conclusione. Præcipit autem legitimè, quando infamia præcessit, vel indicia violenta, vel probatio semiplena: vel producuntur testes ab accusatore, & delictum plenè probari potest. Quæ nisi seruentur, & non sit alia testificandi necessitas ob bonum publicum, vel priuatum, nemo tenetur testificari, sed potiùs famæ rei parcendum est. Quin etiam sunt qui dicant, quòd licet iudex iuridicè interroger, aut præcipiat; si tamen necessitas, vel communis, vel priuata, non postulet testimonium, non constare liquidò quòd iudex possit obligare quemquam ad testificandum in eum solummodo finem, vt ille, in quem testimonium exquiritur, possit puniri, cùm pœna per se expetenda non sit; neque Reipublicæ, aut alijs sit necessaria, vt supponitur; & nullum ex non testificando nascatur alicui incommodum. *Sempérne obliget præceptum Iudicis?* Nam quamuis iudex officio suo exteriùs fungatur: tamen alij, qui non tenentur eodem debito, possunt secundùm humanitatem parcere reo, & impedire eius infamiam, aut insuper pœnam corporalem, quæ tunc non est necessaria. Verùm, licet nulla alia ratio suppetat iudici, quàm iustitiæ seruandæ, & officij sui præstandi, atque satisfaciendi debito suo erga Rempublicam, puniendo malefactores; existimo id sufficere ad præcipiendum, & obligandum, in casibus prædictis, in quibus ius famæ non officit testificationi: quia iam sufficienter læsa est. Nisi fortè in aliquo casu magis expediret ad bonum Reipublicæ reum aliquem non puniri; & nullius alterius magis interesset vt puniatur: tunc enim per epijkiam intelligendum esset, non esse mentem Reipublicæ, neque iudicis præcipientis, vt talis prodatur ad finem punitionis: & illam esse vnam de causis excusantibus; aut etiam, si punitio in aliquo casu non esset melior, quàm impunitas, & nullius interesset: quod addo, quia si intersit alicuius, potest illam exigere à Iudice, & non tenetur cedere iure suo propter id quod melius est, & consilij tantùm: debétque iudex illius ius fouere, & iuuare, cogendo testes per præceptum vt ferant testimonium.

44. *Quinam excusantur à ferendo testimonio?* Tertia pars de causis excusantibus, est communis Doctorum, qui docent primò, sacerdotem, qui per confessionem Sacramentalem cognouit auctorem alicuius delicti, non posse licitè prodere suum pœnitentem, vt omnes concedunt, & nos suo loco probauimus disputando de sigillo confessionis. Neque etiam si quis alius non nisi per viam confessionis Sacramentalis nouit peccatum de quo inquiritur. Putà si inseruijt confitenti per interpretem; aut si casu, vel ex curiositate audiuit confitentem; aut confessionem illius scriptam reperit; vel si ab eo, tanquam superiore, petita fuit facultas absoluendi ab illo casu ipsi reseruato. Quæ omnia cadunt

cadunt sub sigillum, propter reuerentiam Sacramenti: vt bene ait De Lugo disp.39 num.12.

Secundò, non possunt quoque licitè reuelare illi omnes, quibus sub secreto naturali implicito vel explicito detectum fuit crimen commissum, pro remedio corporali, vel spirituali, vel consilio obtinendo. Cuiusmodi sunt Aduocati, Consultores, Procuratores, Medici, Chirurgi, Obstetrices, & similes: qui non debent secretum prodere, contra fidem tacitè vel expressè datam, quamvis iubeantur sub pœna excommunicationis: idque etiamsi præcesserit infamia, vel accusatio, vel semiplena probatio. Modò tamen necessitas maior non vrgeat, vt salus Reipublicæ, vel quid aliud, cui magis seruiendum sit, quàm obligationi secreti. Cuiusmodi est necessitas auertendi graue damnum alicuius tertij: nam promissio secreti naturalis, etiam iuramento confirmata, non obligat, quando vergit in damnum iniustum tertij. Verùm non vrgente maiori necessitate, nemo, quamvis à Iudice interrogatus, tenetur detegere id, quod sub secreto accepit, cum tacita, vel expressa promissione non reuelandi. Tum quia non nouit communi, & vulgati modo: tum quia promisit, & expedit Reipublicæ vt fides illa seruetur, ad grauiora mala vitanda. Alioqui enim peccatores à consilio vel auxilio petendo auerterentur: vnde multa mala, & incommoda sequi possent. Tertiò, non est quoque obligatio testificandi, quando id quod factum est, fuit rectè factum, sed non potest probari rectitudo. Vt si sciam aliquem accepisse mille aureos, sed in iustam compensationem: vel accepisse aliquid in extrema necessitate. Ratio est, quia interrogatio, & præceptum Iudicis, procedit ex præsumptione iniustitiæ, exigitque testimonium contra eum qui fecerit iniustè & criminosè. Quartò, idem dicendum est si auctor facti, licet culpabilis & pœna digni, esset ea persona, cuius detectio foret scandalosa, perniciosa, & causa maioris mali. Tunc enim per epijkiam interrogatio iudicis interpretanda esset, vt paulò ante diximus: & recta ratio dictat maiori malo magis est occurrendum. Quintò idem quoque dicendum, si detectio esset futura detegenti in graue incommodum, quod non deberet ille ferre ob fructum detectionis. Non enim tenetur cum graui suo incommodo parère iudici præcipienti; cùm ne quidem omnia mandata Dei positiua seruanda sint cum graui detrimento, sed recipiant interpretationem, iuxta Christi doctrinam Matth. 12. initio. Sextò, idem quoque censendum est si quis factum cognosceret per viam incertissimam, aut per leues personas, & minimi momenti, quæque fide dignæ non sint. Ratio est, quia nemo tenetur id facere, quod inutile fore certò scit: & in hoc casu perinde est, ac si nesciret. Neque expedit reuelare eos à quibus audiuit, si non sunt fide digni: ne fortè Iudex, qui non satis eos nouerit, fidem illis habeat, & reus subeat periculum iniustæ condemnationis, aut infamiæ. Septimò, propinqui non tenentur in propinquos testificari, nisi necessitas communis id postulet. Quia nimis durum est committere eas personas inuicem, inter quas est summa necessitudo, vt coniugem in coniugem, filium in patrem, patrem in filium, &c. Octauò, si cognitio, quam aliquis habet de auctore facti, leuis est, & insufficiens, non est proferenda; quemadmodum neque si ab alio iam tota probata est, & per reliquos perfici vlteriùs non potest: vt quando is, per quem cæteri nouerant, reuelauit ipsemet. Quia in his casibus proferretur inutiliter: nemo autem obligatur ad inutile. Nonò, si solus rem nosti, & non potes probare; non teneris denuntiare iuridicè in ordine ad punitionem, tametsi superior præcipiat; imò neque testari; iuxta probabilem opinionem quòd reus non teneatur fateri crimen suum occultum. Nam etiam in eo casu testimonium foret inutile, & insufficiens ad procedendum iuridicè, iuxta illam opinionem, & potes reo fauere, sequendo opinionem probabilem, magis ei fauorabilem. Idémque dico quando Iudex procedit viâ accusationis, & nemo crimen nouit præter te, & accusatorem. Tunc enim potes quidem, sed non teneris testari: quia nec accusator potest tunc accusare, nec probabiliter sufficit vnius testimonium ad procedendum iuridicè, secundùm opinionem probabilem suprà dictam. Excipe tamen, nisi fortè testificatio tua necessaria foret ad graue malum alterius impediendum, præsertim verò publicum. Addit Lessius cap. 30. dub. 6. num. 47. quòd si Iudex procedat per viam inquisitionis, & auctor criminis non laboret infamia, neque damnum in futurum timeatur (vt si reus certò speretur emendandus priuata correptione) nemo tenetur eum denuntiare, aut contra eum testem agere, etiamsi cum duobus aut tribus alijs fide dignis tem sciat. Nimirum quia Iudex non habet ius inquirendi de tali crimine, neque de illo interrogar iuridicè: iuxta id quod suprà diximus Sect. 3. num. 16. quando autem Iudex non interrogat iuridicè, non tenetur interrogatus, etiam sub iuramento, ad mentem illius respondere: vt cum communi sententia idem auctor affirmat eadem Sect. num. 11. Qua de re plura videri possunt apud Maldetum tract. 6. de Iustitia cap. 2. dub. 8. De Lugo disp. 39. Sect. 2. Nauarr. cap. 18. num. 34. & cap. 25. num. 7. Petrum Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 4. num. 215. & seq. Toletum lib. 5. cap. 59. Summistas V. *Testes*, & V. *Denuntiatio*, Iuristas ad tit. De testibus cogendis, & De testibus simpliciter, & apud Interpretes D. Thomæ, ad quæst. 70. art. 1.

SECTIO VIII.

Quot Testes requirantur ad plenam probationem?

QVæritur secundò, quot testes requirantur ad plenam probationem: & an sufficiat duorum vel trium testimonium? Respondeo non sufficere in iudicio, præsertim criminali, vnius solius testimonium: communiter 45.
verò sufficere, duos aut tres, qui habeant conditiones necessarias ad faciendam fidem, siue, vt vulgò dicitur, qui sint omni exceptione maiores.

Vnicus non sufficit. Prima responsi pars, quòd ad plenè probandum vnus testis non sufficiat, probatur: quia non solùm in veteri lege statutum erat vt testis vnicus non staret contra reum, Deuter. 19. *Non stabit Testis vnus contra aliquem*: Sed etiam in iure Canonico cap. 23. *de Testibus*, sic definitur: *Nulla est causa, quæ vnius testimonio, quamuis legitimo, terminetur: & Testes singulares in suis testimonijs non probant*: cap. 32. de Electione. Idem etiam statuitur iure Ciuili, *L. vbi numerus*, ff. *de Testibus*, alijsque locis: & iure gentium vbique id receptum est. Ratione etiam probatur: quia in iudicio non proceditur ad correptionem, vel admonitionem alicuius; sed ad condemnationem, & punitionem. Ergo non sufficit leuissima probatio, quæ est semiprobatio, nempe testificatio vnius, etiam omni exceptione maioris. Præsertim quia experientiâ constat vnum hominem in rebus citò prætereuntibus facilè hallucinari: quod maximè contingit suspiciosis, & formidolosis, quales sunt etiam nonnulli alioqui non mali, & opinione sancti; quibus apparentiæ falsæ nonnumquam illudunt. Confirmatur quia in actibus humanis benignitas magis, quàm seueritas retinenda est: & periculum iniustitiæ est præcipuè vitandum, magis quàm remissionis alicuius, aut nimiæ mansuetudinis. Quocirca ad vitandum hoc periculum non est in vllo iudicio standum vnius depositioni. Consentiunt D. Thomas quæst. 70. art. 2. Caiet. Aragon. & Salon. ibid. Sot. lib. 5. quæst. 7. art. 2. Valent. quæst. 14. puncto 2. & plures alij.

46. Sufficiũt communiter duo aut tres. Secundò, quòd communiter sufficiant duo aut tres habentes necessarias conditiones ad fidem faciendam, docet etiam D. Thomas art. cit. & communiter Doctores vtriusque iuris, ac Theologi. Colligiturque ex L. *Vbi numerus*, ff. *de Testibus*, & ex cap. *Licet vniuersis*, *de Testibus*, & cap. *Cum esses*, *de testam.* In lege quoque veteri ita statutum erat, Deuteron. 17. *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium.* Et cap. 19. *Non stabit vnus testis contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Quò alludens Christus Matth. 18. v. 16. sic ait: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum*: & Ioan. 8. *In lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est.* Et Paulus 2. Cor. 13. *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Ratio est, quia consentaneum est humanæ conditioni, vt certum moraliter habeatur, quod duorum aut trium testium confirmatione concordi, & consona affirmatur, dummodo sint necessariæ qualitatis, id est, notæ fidei & credibilitatis, & alia adsint, de quibus paulò post.

47. Interdum plures requirũtur. Dixi, communiter duos, aut tres sufficere: quia in quibusdam plures requiruntur. Nam *cap. Præsul, 2. quæst. 5.* ad condemnandos Clericos requiruntur septem: & ad condemnandos Præsules, aut Cardinales, multò plures. Ratio huius constitutionis esse potuit, tum quia ex eorum condemnatione multum detrahitur reuerentiæ, & existimationi, quæ debetur ministris Ecclesiæ: tum etiam quia huiusmodi personæ, cùm ratione officij debeant alios corripere, magis patent odio, & calumniæ. Hic tamen numerus in praxi non seruatur. Iure quoque ciuili in testamentis, & codicillis plures testes requiruntur, quàm duo, aut tres.

Dixi præterea, huiusmodi testes debere habere necessarias conditiones ad fidem faciendam, quæ quatuor omnino sunt. Prima, Vt deponant iurati. Sic enim statuitur *cap. Nuper, de Testibus*, cuius verba hæc sunt: *Nullius testimonio, quamumvis Religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi* Ratio est, quia veritas in iudicijs inuestigari debet quàm certissimo modo fieri potest. Difficiliùs autem mentiuntur iurati homines, quàm non iurati, ob reuerentiam diuini numinis, non rarò huiusmodi periuria hac etiam in vita vlciscentis. Secunda, vt ambo de eodem facto deponant: alioqui enim neuter satis confirmat dictum alterius, nisi conueniant in specie, & in indiuiduo facti, & in circunstantijs loci, & temporis, & alijs omnibus, ex quorum diuersitate sequitur necessariò factum esse diuersum. Vnde non plenè probarent duo, quorum vnus diceret *Vidi talem furantem Parisijs 100 aureos*: & alius, *Vidi eundem furantem Lugduni 100. aureos*: aut si vnus diceret, *Vidi talem proferentem hæresim tali die*: & alius, *Vidi eundem proferentem eandem hæresim alio die.* Nam in tanta diuersitate non potest esse idem factum: Neque enim potuit illud esse vnum & idem diuersis in locis, aut diuersis temporibus. Quamvis si testes in aliqua leui circunstantia, quam non certissimè asserant, differentes sint, & in substantia facti conueniant, non sint singulares. Multi quoque consentientes in specie facti, faciunt coniecturam violentam & indicium graue, propter quod possit inquiri, imò apponi cautela aliqua, vt qui iure suspectus est, non noceat: licet non efficiat plenam probationem. Dissentiunt Gomez, & Aragonius: sed nihil opponunt magni momenti. Consentiunt verò Malderus tract. 6. cap. 2. dub. 7. Laiman lib. 3. de Iustitia, tract. 6. cap. 4. & Lessius cap. 30. dub. 4. num. 33. nisi quod existimat identitatem hæresis sufficere ad plenam probationem.

48. Debent esse iurati. Et deponere de eodem facto.

Tertia conditio est, vt testes sensu aliquo externo perceperint immediatè factum de quo deponunt. Sic enim statuit ius Ciuile *Lege Solam, Cod. de Testib.* & meritò: quia non potest illis plenè, & certissimè constare de facto externo, nisi per aliquem sensum externum ipsummet immediatè perceperint; viderint scilicet, illum occidentem: audiuerint istum blasphemantem, aut hæresim pronuntiantem, &c. Quòd si dicant ab alijs tantùm se accepisse, non probant plenè, sed dant indicium, ex quo potest ab illis alijs inquiri.

Quarta conditio est, vt sint omni exceptione maiores, seu idonei testes; contra quos scilicet nihil possit iure opponi, vel ex natura rei, vel ex iuris dispositione, cur ad testandum admittendi non sint, & fides illis haberi non debeat. Ratio est, quia testimonium est confirmatio Et esse omni exceptione maiores.

dicti alicuius per interpositionem fidei. Etenim testimonium ad probationes pertinet, quæ inducuntur ad persuadendum, & ad fidem credulitatis faciendam. Ad quod vim non habet nuda affirmatio alicuius, nisi ipse habeat aliquid acceptabilitatis, seu dignitatis, quâ credendum ei sit; & illam voco credibilitatem, vel auctoritatem, vel fidem testis: quâ nimirum ad persuadendum valet, & ad generandam credulitatem, quæque omnino necessaria est, vt testimonium vim aliquam habeat. Talem verò credibilitatem non habet quivis hominum, cùm sint multi fallaces: sed propria est eorum, quorum æquitas, & virtus probata est, & aliunde nota. Hinc est quòd aliqui partim ex natura rei, partim iuris positiui dispositione repelluntur, tanquam ad testandum inidonei: vt periuri, infames, inimici, socij criminis, consanguinei, & affines, domestici, mulieres, & iuuenes minores 20. annis, ob inconstantiam scilicet & fragilitatem personæ. Item viles, & inopes, quia pecuniâ corrumpi facilè possunt. Hi omnes, inquam, sunt inidonei ad testandum in causis criminalibus, vt fusiùs docent & probant ex varijs iuribus Lessius cap. 30. dub. 5. Malder. tract. 6. de Iust. cap. 2. dub. 6. & Dicastil. lib. 2. tract. 1. disput. 8. dub. 3.

49. Ex natura rei plures testes requiruntur.

Quæritur tertiò, an sit iuris naturalis vt vnius testimonium non sufficiat ad condemnandum in iudicio, & vt sufficiat duorum vel trium? Respondeo primò, considerata hominum infirmitate, & malitia, naturale esse vt vnius tantùm depositioni non stetur: quia naturale est ad vitandum iniuriæ periculum (quod vehementer vitandum est) vt non inferatur alicui pœna, præsertim grauis, nisi cum aliqua culpæ certitudine, quæ vnius testimonio non consistit: præsertim quando est de re, circa quam facilis est deceptio: vt de re citò transeunte, & momentanea: aut de re non facilè perceptibili: aut de verbis, quæ celeriter proferuntur, & sæpe vix integrè percipiuntur. Circa quæ multæ contingunt deceptiones, etiam hominibus non admodum tardis, vt experientiâ notum est. Præterea, cùm iudicium sit actio publica, requiri videtur ex natura rei vt non feratur ex scientia priuatâ, sed publicâ, quæ non est scientia ab vno habita, sed à multis. Non est tamen naturale vt præter accusatorem duo alij testes requirantur, sicut iure Ciuili, & Canonico statutum est. Quia accusator requiritur tantùm ad iudicem excitandum: potest autem ex natura rei excitari ab ipsis testibus: & interdum excitatur ab euidentia criminis, quæ est loco accusatoris. Adde quòd Deus Deuteron. 17. & 18. non requirit accusatorem à testibus distinctum: & Matth. 18. Christus apertè supponit denuntiatorem (idem est de accusatore) posse habere locum testis ad damnandum contumacem contra Ecclesiam; cùm ait, *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum* (id est, tuo, & illius vnius) *vel trium testium* (tuo videlicet, & illorum duorum tecum adhibitorum) *stet omne verbum.*

Accusator non requiritur vltra testes, ex natura rei.

50. Naturale est vt duo

Respondeo secundò, naturale esse vt consistente certitudine quadam morali, habeatur pro vero id quod ita certum est. Certitudo autem illa haberi potest testimonio duorum omni exceptione maiorum, quorum fides, & perspicacitas, probitasque sit perspicua. Attamen ius hoc posterius, vt scilicet duorum id genus hominum testimonium sufficiat, non est necessarium, sicut prius: quoniam ad maiorem certitudinem, & ad maiorem humanitatem, quâ nihil fere in hominibus laudabilius est, sicut nec in Deo, potest rectè statui vt in quibusdam causis numerus testium sit maior. Quo modo causâ 2. quæst. 4. c. Præsul, constitutum est vt Præsules, & Cardinales Episcopi condemnari non possint sine testibus 72. Cardinales Presbyteri sine 44. vel 64. Cardinales Diaconi sine 27. aut 36. Reliqui Clerici sine 7. Qui tamen numerus in praxi non seruatur: & quandò nimius esset, atque ob difficultatem nimiam, probandi manerent crimina impunita, in malum commune, aut particulare alicuius; non esset iustus talis numerus, neque lex per quam exigeretur. Sanè Paulus 1. Timoth. 5. ad accusationem Presbyterorum non requirebat necessariò nisi duos, aut tres testes. Sed maior erat illius Ecclesiæ primitiuæ innocentia, quàm nunc sit. Neque repugnat Dei præcepto Deuteron. 17. & 19. à Christo repetito Matth. 18. & Ioan. 8. & à Paulo 2. Cor. 13. quòd in quibusdam causis plures testes, quàm duo, vel tres requirantur. Neque enim præcipit vt non plures quàm duo exigi possint in quibusdam casibus; sed tantùm vt nunquam propter pauciores, quàm duos, quisquam damnetur.

testes idonei sufficiût.

Contra id quod diximus, duos aut tres communiter sufficere, objici potest quòd ille numerus sit valde exiguus, præsertim cùm tanta sit hominum malitia, & duo vel tres possint facilè in malum consentire, quod præcipuè eis gratum, & iucundum aut vtile esse queat. Ergo malè consultum est rebus humanis, si duo vel tres testes sufficiant, idque rerum naturæ parum consentaneum esse videtur. Respondeo cum D. Thoma, quæst. 70. art. 2. c. actiones humanas non esse capaces summæ perfectionis, neque summæ certitudinis; & ex pluribus malis minus eligendum esse. Sicut autem potest contingere vt duo, vel tres testes in perniciem iniustam alicuius conspirent; vt duo senes olim contra Susannam: ita, si plures testes essent necessarij, multa sæpe incommoda nascerentur. Contra improbitatem verò hominum, & infidelitatem, adhibenda est diligens, & attenta consideratio circa testes, sicut à Daniele factum est. Vt enim conformiter loquantur in omnibus, neque falsitas se prodat, difficile est. Item, cautela est adhibenda, vt iuramenti Religione obstringantur antequam testimonium ferant: quam Religionem violare qui ausi sunt testificando falsum, rarò id impunè tulerunt, etiam hac in vita. Si nihilominus pro humanarum rerum conditione aliquando testimonia fallant; non sequitur numerum testium duorum, vel trium, esse vniuersaliter nimis exiguum, dummodo vt plurimùm eueniat oppositum.

51. Soluitur obiectio.

Secundò, contra id quod diximus non sufficere in iudicio vnum solum, idque iuris esse naturalis; sentiunt Michaël Salonius ad quæst. 70. art. 2. controuersia 1. conclusione 1. §. *Tertia*

52. Sufficiat ne interdû vnus solus?

hac conclusio, & conclus. 2. & vlt. & Lessius cap. 30. dub. 4. num. 25. & cap. 29. dub. 11. quorum hic censet posse Rempublicam Principi sapienti, & iusto dare potestatem condemnandi ex propria scientia cum vno teste, vel etiam sine illo: Imò in quibusdam casibus habere probabiliter hanc potestatem. Ille verò affirmat in pluribus casibus sufficere vnum testem. Primò, quando non agitur de condemnatione alicuius, nec agitur in præiudicium tertij, vt si vnus de puero testetur esse baptizatum. Secundò, in causis leuibus; vt si quis ex aliena sylua cæciderit, damnatur custodis testimonio. Tertiò, in grauioribus etiam, dummodo non agatur de vltimo supplicio sufficit vnius eximiæ personæ testimonium, vt Imperatoris, Pontificis, Cardinalis. Quartò, in Religionibus sufficit vnus testis, dummodo non agatur de peccato, quod afferat infamiam, aut grauem punitionem. Hæc ille

Probatur non sufficere. Ad quæ respondeo, minùs hæc conuenire cum ijs, quæ supra retulimus ex cap. 23. *de Testibus*, vbi generaliter sic asseritur, *Nulla est causa, quæ vnius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Et cap. 32. *de Elect. Testes singulares in suo testimonio non probant.* Et causa 2. quæst. 1. cap. 1. & 2. *Nullus damnari debet, qui vel confessus non sit, vel per testes conuictus.* Minùs etiam conuenire cum Dei præcepto, Deuteron. 17. & 19. à Christo sæpius commendato in nouo Testamento. Itémque cum generali principio ab aduersarijs admisso, quòd iudicium ex natura sua sit actio publica, requirens scientiam publicam sibi proportionatam, qualis non est scientia Regis priuata, vel vnius testis, etiam cum Rege, qui simul iudex, & testis esse non potest. Quare quod ait Lessius de Rege, quamvis iusto, & sapiente, videtur minùs probabile. Quod autem asserit Salonius de infante baptizato, non pertinet ad tribunal, sed ad commune regimen & vulgare. Idémque dico de infantibus, qui in scholis leuiter castigantur ad vnius interdum testimonium. Cædentes vero ligna in aliena sylua, non iustè puniuntur ex sola custodis relatione: sed quia ex eius delatione, adhibitâ diligentiâ, deprehenduntur aliunde esse in culpa. Quod autem attinet ad Imperatorem, Pontificem, & alios, probat intentum suum Salonius per legem 19. *Cod. de Testamentis.* Sed ibi planum non est quòd solus Imperator sufficiat. Et quamvis Imperator aliquis id sibi arrogasset, non esset propterea legitimum, cùm sit contrarium iuri olim diuinitùs probato, & sæpius commendato in posteriori Testamento. Neque valet argumentum Salonij sumptum ab auctoritate huiusmodi personatum. Nam personæ illæ in tali gradu per potestatem constituuntur, non per probitatem, aut innocentiam. Et nullus ideo melior est, quia potentior; sed multi occasione potentiæ deteriores fiunt, suntque homines proni ad arrogandum sibi multa, eòque plura sæpe, quò sunt maiores. Nec vnquam est magnatibus adulandum, sed magis contra pondus dignitatis aliud pondus oppositum adjiciendum, vt in recto statu contineantur. Quod denique ait de Religiosis, non est verum: plúsque nocerent condemnationes tam faciles, quàm prodessent Religionibus: & inter Religiosos possunt esse falsa testimonia, vel formalia, vel materialia: Ac quisque ius habet vt vno tantùm stante contra se, non condemnetur: cùm non sit sufficiens probatio. Non est etiam cuiusque condere noua iura onerosa, & odiosa, siue in Religiosos, siue in alios: sed potiùs odia restringenda sunt, & fauores ampliandi: atque in humaniorem partem semper declinandum est, iuxta Regulam 15. & 49. *de Regulis iuris in 6. & cap. vlt. de transact.* Contra quæ, & similia peccare, est peccare in illud à Christo commendatum Matth. 12. *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Ne quidem si Pontifex, aut Imperator sit?

SECTIO IX.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones de Testibus.

Qværitur quartò, an Testes singulares sufficiant ad subjiciendum aliquem torturæ? Caiet. ad quæst. 70. art. 2. Salonius ibid. controu. 1. conclus. vlt. & Sotus lib. 5. quæst. 7. art. 2. ad 1. affirmant sufficere in Religionibus ad subjiciendum torturæ Religiosæ. Lessius verò cap. 29. dub. 17. num. 151. & 153. alijque multi, affirmant vniuersaliter ad torturam sufficere semiplenam probationem, per vnius depositionem, aut indicia grauia, & violenta. Quam opinionem sequuntur in praxi tribunalia sæcularia, eamque rationi naturali consentaneam esse probat Lessius, quia alioquin improbi audacter, & impunè peccarent, damnáque & iniurias alijs inferrent, quando putarent se testibus, vel externis indicijs non conuincendos. Cùm autem vident ex indicijs, vel vno teste, se tormentis subjiciendos, à scelere abstinent. Item, pleraque maleficia grauissima non possent puniri, quia paucis vel nullis conscijs, admittuntur: cùm tamen id ad bonum Reipublicæ sit necessarium: alioquin omnia sceleribus, & sceleratis essent plena. Nec obstat, interdum fieri, vt innocens torqueatur: quia in rebus humanis non omnia incommoda vitari possunt. Etiámque interdum fit vt innocens damnetur; neque ideo omnia iudicia tollenda. Sufficit ea media, eásque cautiones adhiberi, quibus maiora vitentur, etsi ijsdem minora interdum præter intentionem eueniunt. Hæc Lessius: quæ probabilia sunt, & propter iudicum auctoritatem non damnanda.

53. Sufficitne vnus testis ad subjiciendum torturæ?

Probatur sententia affirmans.

Contraria tamen sententia, si ratione agatur, videtur nonnullis probabilior. Quia tortura, licet non sit introducta in pœnam criminis commissi (hoc enim cùm nondum sit plenè probatum, non potest puniri, vt fatentur Less. & alij) sed in subsidium probationis, vt reus suppleat quod deest; vel ad extorquendam confessionem rei, cùm expedit illam habere, crimine licet plenè probato: nihilominus verè tormentum, & afflictio grauis est. Atqui tormenta, & afflictiones requirunt causam & fundamentum, vt ad illas inferendas sit ius. Et huiusmodi causa debet esse peccatum, & illud probatum: si enim probatum non est, non

54. Præfertur opinio negans.

dicitur esse iuridicè. Et quemadmodum non potest condemnari, nisi conuictus, aut confessus: ita cùm tormenta sint eiusdem generis cum illis, ad quæ fit condemnatio, non potest quispiam subjici tormentis, nisi certum sit illum esse in culpa. Possunt quidem torqueri etiam testes, quando constat eos factum nouisse, & nolle dicere: quia certum est eos esse in culpa, nolentes iudici legitimè præcipienti obedire. Potest etiam torqueri reus conuictus, vt confiteatur quando interest: vt quando reus malitiosè appellat ad superius tribunal, vt impediat executionem iustæ sententiæ quam tunc fieri expedit: & tamen non potest puniri ab inferiori, nisi crimen confiteatur; sicut in Italia fit, & alijs quibusdam locis, vt testatur Nauarr. apud Lessium supra num. 152. Verùm vt subjiciatur tormentis ille qui legitimè non probatur deliquisse, videtur esse iniustæ præoccupationis & inhumanitatis. Confirmatur, quia nemo potest condemnari nisi conuictus aut confessus, *Causâ secundâ, quæst. 1. cap. 1. & 2.* Atqui torturæ possunt esse grauiores eâ ipsâ pœnâ, quæ propter peccatum omnino probatum imponeretur: multique malunt hanc pœnam subire, fatendo crimen quod non commiserunt, quàm torturam adeo grauem perpeti. Quomodo ergo ad illam imponendam est ius, cùm ad pœnam imponendam non sit ius ante probationem?

55. Obiectio diluitur. Dices: Quando est semiplena probatio, aut aliquid æquiualens, iudex habet ius, saltem probabile, vt reus confiteatur. Quocirca reo non confitente in eo casu, iudex potest illum cogere tormentis ad confitendum. Respondeo primò, incertum esse an iudex habeat tale ius, & spectatâ ratione probabilius esse oppositum, vt alibi ostendimus. Secundò, esto: habeat ius: non tamen omne ius est sufficiens ad omnia. Et sicut semiplena probatio non sufficit ad condemnandum, quamvis sufficiat ad aliquid aliud: ita ius illud ex se non videtur sufficere ad torquendum, quod est pœna quædam & afflictio. Præterea, licet semiplena probatio obligaret reum ad confitendum crimen verum: non obligaret tamen ad confitendum crimen falsum. Semiplena autem probatio est incerta, non solùm ex parte rei, quia potest esse falsa: sed etiam formaliter, quia est imperfecta. Estque probabile reum propter eam non teneri ad confitendum, etiam verum crimen: quia hoc simpliciter est prodere se, ad quod nemo tenetur. Atqui res incerta omnino, non debet (per se loquendo) operari certum, & determinatum malum: cuiusmodi est tortura actu irrogata. Ergo propter testimonia singularia non debet aliquis torqueri. Ergo multò minùs Religiosi, quibus ob assiduos labores, & viuendi genus durissimum, multò magis parcendum est, quàm alijs multis. Quòd si expedit vt in Religionibus vitia, & peccata cognoscantur: expedit etiam multò magis vt nihil in eis nisi æquissimè fiat. Sunt autem alia media, præter torturas, vt veritas non probata, sed indicijs quibusdam significata, si verè subsistit, tandem pateat.

Scio in cap. 24. *de accusationibus*, decretum esse, quòd inter Religiosos non sit necessarius idem ordo legitimus, vt amoueatur aliquis à sua administratione, qui necessarius esset ad amouendum Prælatum alterius generis. Sed hoc non est extendendum ad alia. Nam ratio manifesta est cur Religiosi à suis administrationibus faciliùs amoueantur, quàm Prælati sæculares deponantur. Quia Religiosi non adeo debent esse perpetui in suis administrationibus, sicut Prælati sæculares in suis Prælationibus. Nec amotio ab administratione est similiter pœna Religiosis, sicut depositio Prælatis Ecclesiasticis. Attamen æquitas inter Religiosos non minor seruari debet. Quam ob causam non recipio quod prædicti auctores, & Valentia quæst. 14. p. 2. §. vlt. asserunt, probationes singulares conuenientes in specie facti, non in indiuiduo, facere fidem in Religionibus. Etenim, cùm forma procedendi in iudicijs visa sit æqua, & necessaria, propterea quòd, si fieri posset, quando proceditur ad pœnam, & ad sententiam ferendam, habenda esset certitudo maior, quàm communiter humanitus haberi potest: non est consilij, sed est contra rationem, vt Religiosi liberiùs, & solutiùs procedant. Quasi falli non possint: & non etiam inter ipsos calumniæ, siue formales, siue materiales locum habere possint, & deceptiones non parum graues. Ad rationes verò Lessij facile est respondere, melius esse vt aliqua crimina maneant impunita, quàm vt quisquam puniatur sine iure sufficienti, & sine causa legitima. Alioqui propter vnius solius depositionem, rei quoque damnari deberent; quia plures sæpe testes haberi non possunt. Non sufficit etiā inter Religiosos.

Quæritur quintò, Vtrum omne falsum testimonium sit peccatum mortale, & obliget ad restitutionem? Respondeo primò, neminem debere, præsertim contra alium, testificari tanquam certum, id quod certum non est: Sed debet patefacere dubium, si quod habet: & certa pro certis, dubia pro dubijs pronuntiare. Ita D. Thomas quæst. 70. art. 4. ad 1. Vbi addit, interdum contingere quòd aliquis putet se esse certum de eo, quod falsum est. Ac si quis postquam sollicitè recogitauit, existimet se certum esse; non peccare mortaliter, pronuntiando id, de quo certum se esse existimat, licet reuera sit falsum. Sed aduertendum est illam vocem, *existimet*, accipiendam esse pro, *certissime iudicet*: Non autem pro, *opinetur se certum esse*: tunc enim non esset simpliciter certus. Deinde id intelligendum est de eo, qui bona fide procedit, & non affectat certitudinem ex aliquo prauo affectu, aut animi dispositione. Nam certitudo affectata non excusat, sed magis accusat; neque sufficit ad certò testificandum. Et quilibet nosse debet suum ingenium, vt sibi caueat à falsa certitudine & euidentia. 56. Certa vt certa, & dubia vt dubia testanda.

Respondeo secundò, omne mendacium in iudicio, quatenus est periurium, & fit contra iuramentum, esse peccatum mortale: quatenus verò est mendacium contra ius iudicis, aut etiam partis, est quidem mortale ex suo genere; sed ob materiæ leuitatem potest interdum esse veniale. Si autem est proximo efficax causa damni, obligat ad restitutionem. Prima pars 57. Mendacium in iudicio estne semper P. M.

est D. Thomæ quæst. 70. art. 4. c. Et patet, quia mendacium cum iuramento est grauis irreuerentia, & offensa contra Deum, tantò maior, quantò per interpositionem diuini numinis res deterior confirmatur. Secunda pars est D. Thomæ ibidem, & patet, quia tale mendacium est contra iustitiam. Peccatum autem contra iustitiam est mortale ex suo genere. Licet autem res, quæ deferuntur ad tribunalia, soleant ac debeant esse graues: quia de rebus leuibus non debent, neque solent agitari iudicia, nisi inter studiosos maioris perfectionis: Interdum tamen potest quis in re leui mentiri, aut in leui aliqua circunstantia, quæ non sufficiat ad peccatum mortale.

Quando nã obliget ad restitutionem? Tertia pars probatur, quia talis suo mendacio est iniustè causa efficax damni. Ergo tenetur ad restitutionem. Dico, *efficax*: quia si absque illius testimonio reus erat plenè conuictus, neque propter ipsius testimonium magis damnatus est, vel ad maiorem pœnam; non tenetur: quia non concurrit ad damnum efficaciter. Dixi etiam, *iniustè*, formaliter scilicet, id est, scienter, & liberè. Quia qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, inaduertentia, vel obliuione inculpabili; non tenetur ad restitutionem damni, quod inde censetur quasi fortuitò sequutum. Neque enim tenetur ratione rei acceptæ: cùm nihil inde acceperit, aut accepturus sit, vt supponimus: neque ratione pacti, quod nullum est: neque ratione culpæ, quæ nulla etiam est. Addunt Caiet. & Petr. Nauarra, quos refert & sequitur Less. cap. 30. dubit. 7. ne quidem teneri ex culpa leuissima. Quia non obligatur quisquam ad restitutionem damni, cuius ex culpa tantùm veniali causam dedit. Ex quo sequitur talem non teneri cum periculo vitæ testimonium suum retractare detecta falsitate: licet alteri mors immineat. Sed difficile est credere, aut potiùs est impossibile moraliter, leuem tantùm culpam fuisse commissam ab illo, qui falso suo testimonio fuit causa efficax mortis alterius. Quisquis autem scienter & liberè, adeóque cum peccato mortali, tulit falsum testimonium ex quo mors impendet alteri, tenetur illud retractare, etiam cum vita suæ periculo, si retractatio potest prodesse, & malum impendens nequit aliter auerti. Tenetur enim cum pari suo damno amoliri malum alterius, cuius iniustè fuit causa efficax. Idémque dicendum de cooperantibus ad falsum testimonium iubendo, consulendo, suadendo, aut alijs modis efficaciter inducendo. Tenentur enim similiter vel efficere vt falsus testis retractet, vel ipsimet retractare, & suam fraudem detegere, nonobstante paris damni sui periculo, si non possunt aliter malum impendens auertere, cui efficaciter causam dederunt.

58. Refellitur contraria sententia. Contra secundam partem responsi opinantur Caiet. ad quæst. 69. art. 1. & 2. *circa finem commentarij*, & Syluest. verbo *Mendacium*, num. 3. affirmantes omne mendacium, dictum in iudicio, esse peccatum mortale. Quia tale mendacium est contra veritatem iudicij, & reddit illud falsum: Iudicium enim fundatum in falso, est falsum. Atqui illud omne quod est contra veritatem iudicij, est peccatum mortale: quia vis iudicij requirit veritatem iudicandorum, sicut vis iuramenti requirit veritatem iurandorum.

Respondeo minorem esse falsam: & differentiam esse inter iudicium, & iuramentum: quoniam ille qui iurat, assumit Deum in testem eius, quod iurat. Assumere autem Deum in testem falsitatis, est grauis irreuerentia, & iniuria contra veritatem, sanctitatem, & perfectionem Dei. Quare iurate falsum, est semper peccatum mortale. At iudicium non est res adeo grauis, neque iudex habet par ius circa vnumquodque, sicut habet Deus circa falsum vt non assumatur in testem illius. Quare nisi res alioqui grauis sit, non sit grauis iniuria Iudici; neque grauiter peccatur contra sanctitatem, aut perfectionem iudicij. Adde quòd non semper sequitur iudicium super mendacio dicto Iudici Et quamvis sequeretur, non est quodvis iudicium res tanta, & tantæ præstantiæ, vt si reddatur vanum, aut falsum, sit culpa mortalis in eo qui reddit quomodocunque: præsertim verò si iudex non habeat ius obligandi ad fatendum verum. Addo ne quidem omne mendacium dictum in foro Sacramentali, esse peccatum mortale: quamvis illud iudicium sit infinitè augustius, tanquam diuinum, & sacrum, institutum ad animæ sanctificationem. Cùm autem aliquis mentitur iudici, siue spirituali, siue ciuili, de rebus ad iudicium non pertinentibus, perinde est, ac si iudici non mentiretur. Sed nos loquimur in conclusione de mentiente iudici interroganti de ijs, quæ ad iudicium pertinent.

SECTIO X.

De Aduocato.

IN Aduocato tria consideranda sunt: Obligatio, causa, & modus patrocinandi. De quibus dico primò, Aduocatum non teneri ex iustitia cuiquam patrocinari, eo solo, quòd Aduocatus est. Tenetur tamen ex charitate patrocinari ijs, qui eius operâ, vt necessariâ indigent: atque etiam gratis pauperibus existentibus in necessitate, quia nemo alius vult, aut potest patrocinari. Ratio primæ partis est, quia Aduocatus habet quidem ratione sui gradus, ius, & potestatem patrocinandi, si velit: at non officium, & debitum patrocinandi, si nihil aliud sit, id est, nisi à Rege, vel à Republica, vel ab aliquo priuato, stipendia ad patrocinandum accipiat: vel aliter munus, & obligationem patrocinandi contrahat, ex pacto, vel ex speciali alia ratione, propter quam ex iustitia obligetur clienti opitulari. 59. Aduocatus non tenetur ex iustitia suscipere patrocinium.

Secunda pars probatur, quia tenetur quisque in necessitate subuenire proximo indigenti, si habet id quo ille indiget, nisi ipse similiter indigeat, aut non desit alius qui possit & velit subuenire. Sicut igitur ille qui cibos habet, tenetur dare pauperi cibo egenti: qui pecunias, egenti pecuniâ: qui medicamenta, egenti medicamentis: & illi quidem primò, Sed, ex charitate erga indigentes.

& per se : alij verò, nonnisi in defectum istorum, quando isti dare nolunt, aut non possunt: similiter Aduocatus tenetur operam suam præstare egenti suo patrocinio, etiam gratis, si necesse sit, nimirum pauperibus : de cuius obligationis grauitate iudicandum est ex grauitate necessitatis ; & rei de qua agitur. Peccant enim mortaliter Aduocati negantes pauperi patrocinium necessarium, non tantùm in extrema, sed & in graui necessitate : & non tantùm quando agitur de vita, aut mutilatione : sed etiam de duro carcere, exilio, bonorum omnium amissione, & similibus. Excusantur tamen si sint alij qui velint, & possint : Quia tunc eorum opera non est præcisè necessariâ. Itemque si ipsi sine graui suo incommodo non possint eam præstare : si præter operam suo statui sustentando necessariam, nihil temporis, & industriæ reliquum habeant. Sicut enim nemo tenetur communiter facere eleemosynam proximo existenti in necessitate, nisi de ijs quæ superflua sunt infimo eius statui : sic etiam dicendum est de patrocinio, quod est species quædam eleemosynæ. Qua de re plura vide superiùs, disp. 21. de Charitate, Sectione 5.

60. *Iniuste agit si tuetur causam apertè iniustam.* Dico secundò, Aduocatum, qui causam apertè iniustam tuetur, facere iniuriam aduersæ parti, & iudici, & interdum clienti : præsertim si calliditatibus, & artificijs suis confundat ius, & obscuret. Voco causam apertè iniustam, quam Aduocatus ipse certò credit esse talem : de dubia enim dicemus paulò post. Quòd ergo talem causam defendens faciat iniuriam parti aduersæ, clarum est ; quia ipsius iuri aduersatur. Quòd etiam iudici iniuriosus sit, probatur, quia insidiatur eius famæ, & virtuti, dum quodammodo procurat illum pertrahere ad iniustè iudicandum. Eò verò magis iniuriatur parti aduersæ, & iudici, quò varijs artibus magis conatur ius dissimulare, & tegere, imò persuadere id quod non est. Tantò enim grauior iniuria est, cæteris paribus, quantò studiosiori & impensiori curâ irrogatur. Clienti quoque iniuriosus est, si ei non liberè volenti persuadet vt causam iniustam prosequatur ; si eum decipit, eique malè consulit, & auctor est agendi iniustè. Quòd si cliens scienter, & liberè, ac sponte propria causam iniquam prosequitur, & Aduocati operam sibi adiungit : non patitur tunc ab Aduocato iniuriam, quia volenti non fit iniuria : sed ambo sunt iniuriosi erga iudicem, & erga partem aduersam.

61. *Quomodo potest tueri causam dubiam.* Dico tertiò, Aduocatum suscipientem causam dubiam, de qua nimirum sunt variæ sententiæ probabiles, & cuius iustitia vel iniustitia est obscura, & non satis certa ; non peccare contra iustitiam, quamvis opinionem minùs probabilem tueatur : imò quamvis ipse habeat opinionem quòd causa sit iniusta : modò tamen de periculo clientem moneat, & sincerè ea tantùm afferat, quæ valent ad ius illius probandum. Ratio est, quia non obstante priuata opinione, potest Aduocatus intelligere se non esse iudicem, nec debere propriæ opinioni stare : & quamvis ipse ita sentiat, tamen rem esse incertam, & fortè iudices aliter iudicaturos : ideóque causam dignam esse maiori discussione. Quare si Aduocatus causam illam suscipiat, non prout opinatur illam esse iniustam, sed prout dubiam, & à iudicibus decidendam ; non agit iniquè : dummodo non ad veritatem obscurandam, sed ad probabilitatem patefaciendam suam impendat industriam. Patet, quoniam in dubio potest quisque sibi fauere. Ergo & suo clienti. Quare si Aduocatus illi tanquam ius proprium tuenti operam præstet, non agit iniustè ex ea parte. Quod non modò verum est de causa æquè probabili, sed etiam minùs : Imò & tam parum probabili, vt non sit expectanda fauorabilis sententia iudicis, quia constat latum iri pro opposito. Nam & etiam in eo casu, dummodo Aduocatus infirmitatem causæ ostendat parti suæ quantum potest (vt semper in causis dubijs faciendum est) & proponat manifestum periculum damni ; & nihilominus nolit pars illa acquiescere, sed velit omnino experiri, & elicere sententiam iudicis ; quia adhuc pars huiusmodi habet apparens quoddam ius, & cum periculo expensarum vult illud sententiâ iudicis explicari : Certè Aduocatus, dummodo idem præ se ferat, & nullis artibus malis veritatem oppugnet, sed paruam illam probabilitatem, ad meliùs terminandam litem, Iudici proponat, non facit iniuriam alicui. Nam pars aduersa nihil feret incommodi ob minimam illam probabilitatem : & Aduocatus, prædicto modo agens, non præbebit exemplum malum ; quia finem habebit bonum & rationi consentaneum, eúmque præ se feret, & medijs tantùm conuenientibus ad illum vtetur, vt supponimus, postquam pars ipsius non potest priuato iudicio esse contenta, mauultque subire damnum expensarum faciendarum in lite prosequenda, ad quas damnandus est. *Etiamsi iudicet esse minùs probabilem, & perdendam.*

Contrarium sentiunt Michaël Salon ad quæst. 71. art. 3. Valent. quæst. 15. p. 4. & quidam alij. 62. *Cõtraria sententia.* Primò, quia agere contra propriam opinionem, est agere contra conscientiam, quod est illicitum & peccatum. Sed Aduocatus defendens causam, quam iudicat esse iniustam, agit contra propriam opinionem : ergo & contra conscientiam. Secundò, Aduocati officium est non tantùm ostendere probabilitatem causæ, sed etiam ostendere quòd ipse ita sentiat. Ergo non potest in conscientia defendere causam, quam iudicat esse iniustam. Tertiò, illa pars est iure potior, cuius causa est probabilior. Sed iniquum est agere contra eum, qui ius maius habet. Ergo Aduocatus non potest agere contra causam probabiliorem. Quartò, ille, cuius causa est minùs probabilis, non potest alteri bellum inferre. Ergo nec litem intentare. Quintò denique, pars probabilior est habenda pro vera. Sed non est licitum stare contra veritatem : ergo nec contra partem probabiliorem.

Ad primum respondeo, conscientiam non esse quamcumque opinionem ; sed esse iudicium practicum de agendo vel non agendo, licito vel illicito. Aduocatus autem, licet in eo casu habeat opinionem speculatiuam de iniustitia causæ ; habet nihilominus iudicium 63. *Satisfit eius argumẽtis.*

practicum quòd causa, quæ adhuc dubia est, possit ratione probabilitatis defendi in vtramque partem, vt à iudice determinetur. Ad secundum, nego antecedens. Aduocati enim officium tantùm est ius suæ partis ostendere, & tueri. Sicut autem dubius, potest exponere probabilitatem vnius partis, manens dubius: Ita qui habet opinionem, aut etiam certum ferè assensum partis vnius, potest explicare probabilitatem partis oppositæ; & hoc ipsum præcisè suscipere faciendum vt veritas meliùs explicetur. Aduocatus enim non est iudex: neque suscipit causam quocunque modo; sed eo modo, quo habet apparentiam. Et quidem non est per se malum ostendere probabilitatem, etiam longè minorem, vnius partis. Si ergo litigans illud non possit per se, & velit vti operâ Aduocati, ad id simpliciter sine vllo malo artificio faciendum: alia iniustitia ostendenda est vt Aduocatus à susceptione prædictæ causæ excludatur.

Ad tertium respondeo causam, quæ videtur Aduocato probabilior, non semper videri iudicibus talem: ideóque posse Aduocatum, non obstante sua opinione priuata, rem determinandam iudicibus proponere. Et quamvis teneretur iudices, vt multi putant, ferre sententiam secundùm maiorem probabilitatem, sicut tenentur fauere magis reo, quam actori, cùm iura partium sunt obscura, vt dicitur in cap. *Cum sunt*, de Regulis iuris in 6. possunt tamen Aduocati iudicium de maiori probabilitate, vel de obscuritate iuris, relinquere iudicibus, quorum est determinare, attentis ijs quæ in vtramque partem afferuntur. Sed neque illa obligatio iudicum sequendi maiorem probabilitatem orta est, vt ostendimus tom. 2. disp. 14. Sect. 4. num. 56.

Ad quartum, nego paritatem. Quia illatio belli est executio sententiæ, quæ supponit sententiam latam, vel ius manifestum. At litis intentatio est tantùm inquisitio veritatis dubiæ, cuius decisio iudicibus relinquitur. Potest quidem Rex, aut Princeps supremus curare vt ius dubium explicetur, sicut & litigator procurat: sed quandiu ius manet dubium, & æquitas belli nondum satis apparet; suspendenda est sententia, & executio per bellum. Ad quintum respondeo non esse necesse vt pars probabilior sit vera; vel vt habeatur pro vera, quando est adhuc via ad magis declarandam veritatem: quia probabilitas est fallax, atque interdum quod magis apparet, est minùs verum.

Cauendũ ne agat contra charitatem. Notandum tamen litigantem, & Aduocatum, in huiusmodi causis prosequendis, posse interdum agere contra charitatem, ædificationem, prudentiam, docilitatem, ac nimiam pertinaciam, vel contendendi studium præ se ferre, molestiamque proximo sine causa sufficienti facessere; præsertim si de vitæ, vel famæ, vel grauis necessitatis proximi periculo agatur: sed nos loquimur de casibus à quibus absunt huiusmodi accidentia.

64. Si in progressu aduertit esse apertè iniustam, debet desistere.

Dico quartò, Aduocatum qui bona fide suscepit causam dubiam & probabilem defendendam, sed progressu temporis aduertit esse apertè iniustam, debere desistere ab ea defendenda. Ita D. Thomas quæst. 71. artic. 3. ad 2. vbi docet causam iniustam esse deserendam, id est, non propugnandam. Ratio est, quia sicut ab initio non potest talis causa suscipi scienter & liberè: ita neque promoueri postquam talis cognita est. Hoc enim est scienter & liberè iustitiæ aduersari, & ius alterius oppugnare, & iudicibus insidiari. Addit autem D. Thomas causam huiusmodi non esse prodendam ab Aduocato, neque partem aduersam iuuandam esse; sed debere moneri eum, cuius est causa, vt cedat, aut componat iustè cum aduersario, ad vitandas grauiores expensas. Idque sanè æquissimum est. Non quòd malum sit simpliciter fauere iustitiæ: sed quia non potest Aduocatus aduersam partem armare ad plus nocendum clienti suo, quàm necesse sit. Sufficit autem ad seruandam iustitiam, quòd pars vna alteri iustam causam habenti præstet quod æquum est, sine proprio dispendio. Et Aduocatus, qui secreta nouit partis suæ, non potest alteri ea prodere saluâ fide. Posset tamen ac deberet aperire Iudici, si necessarium id esse, ad graue aliquod damnum proximi impediendum, cui posset Iudex occurrere. Debet enim quisque lege charitatis damnum proximi impedire, quantùm potest sine proprio suo damno, vel graui incommodo. Peccant autem siue Aduocati, siue Iudices, aut Consiliarij, qui cùm aduertunt causam vnius partis esse iniustam, inducunt alteram ad transactionem aut compositionem iniquam.

Dixi in conclusione, debere Aduocatum desistere cùm primùm aduertit causam à se susceptam esse apertè iniustam. Quia si tantùm deprehendatur minùs probabilis, aut magis dubia; non est idcirco deserenda. Sed sicut à principio potuisset suscipi eo modo, quo dictum est, licet fuisset dubia, aut minùs probabilis: ita pari ratione propugnari potest, postquam in progressu deprehensa est talis. Verùm, sicut à principio debuisset Aduocatus qualitatem causæ patefacere parti suæ, & ei bene consulere: ita similiter in progressu idem deberet. Et nihilominus quandiu superesset aliquid dubietatis, ad quam tollendam pars expeteret sententiam iudicis, cum periculo expensarum; posset Aduocatus pro illa parte ad eundem finem prouehere causæ susceptæ probabilitatem qualemcumque, semotis periculis suprà commemoratis. 65. Secus, si tantùm magis dubiam.

Dico quintò, Aduocatum qui per ignorantiam culpabilem, aut per negligentiam, malè consulit parti suæ, aut causam eius non bene agit, facere illi iniuriam, & teneri ad restitutionem damni inde secuti. Qui verò tuetur causam iniquam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ obueniunt parti aduersæ, ratione illius patrocinij: vt expensarum factarum, & eorum omnium, quæ per litem amisit. Tenetur etiam suo clienti, si eum bona fide agentem, non monuit de causæ iniustitia. Ita Lessius cap. 31. dub. 8. & alij communiter. Probatur, quia in his omnibus est iniustè causa damni, peccans omissione vel commissione, contra debitum à se susceptum ratione officij patrocinandi. Tenetur enim, cùm pro perito Aduocato se gerat, scire quæ necessaria sunt, & pro causæ qualitate diligentiam sufficientem præstare, ac clienti bene consulere cuius patrocinium ex officio suscipit: maximè verò si pretio 66. Quando & quomodo tenetur Aduocatus ad restitutionem?

& mercede operam illi suam conducat: & denique causam illius benè agere, caueréque ne parti aduersæ damnum iniustè afferat. Quanta verò debeat esse scientia, vel diligentia, vt moraliter sufficiat, & inculpabilis sit, iudicandum est ex ijs quæ diximus disp. 25. Sect. 3. de culpa lata, leui, vel leuissima, ratione officij, &c.

67. Dixi autem, *cum pro perito Aduocato se gerat:* ita vt pars in eo requiescat, siue soluat ei stipendium, siue ab illo iussa sit fidere illi: quia si quis professus suam insufficientiam clienti, conferat nihilominus quod potest: non facit iniuriam si in aliquo deficiat. Verùm præter scientiam, opus est curâ, attentione, & vigilantia, ac fide, sine quibus nec bene consulitur, nec causa rectè agitur. Dixi præterea, *maxime verò si Aduocatus pretium, siue stipendium accipiat:* Quia tunc strictiorem obligationem suscipit. Quodnam autem sit iustum pretium operæ Aduocatorum, iudicandum est ex ijs quæ diximus de iusto pretio in emptionibus, venditionibus, & alijs commutationibus: & aduertendum quod alibi diximus, posse artifices nobiliores, seu præstantiores, aliquid amplius quasi in honorem præstantiæ accipere: quod speciatim de Aduocato docet Toletus lib. 5. cap. 60. in fine.

SECTIO XI.

De Procuratore.

68. QVia Procuratoris etiam, & Tabellionis seu Notarij opera interuenit in causis forensibus, Notarij quidem, in instrumentis publicis conficiendis, conseruandis, & quando est opus, exhibendis; Procuratoris verò, in lite instruenda, & promouenda: idcirco de illis quædam addenda sunt, scitu magis necessaria.

Procurator potest peccare defectu scientiæ.

Primò igitur, quod ad Procuratorem attinet, tria illi necessaria sunt: Scientia sufficiens, diligentia, & iustitia. Quorum defectu potest grauiter peccare, & obligari ad restitutionem. Defectu scientiæ peccat, si ex ignoratione rerum ad suum munus pertinentium, quæque homines eiusdem professionis scire tenentur, aliquid facit aut omittit, ex quo damnum clienti sequatur. Obligatúrque ad reparationem damni, quod ex officio tenebatur auertere, & cuius iniustè, & culpabiliter causa fuit; iuxta ea quæ diximus disp. 28. Sect. 9. & 10.

Et defectu diligentiæ.

Defectu autem diligentiæ peccat, si litem longiùs protrahit, quam posset breuiùs expedire: si aliquid omittit eorum, quæ ad illam promouendam, & expediendam necessaria sunt, vrgente cliente, & damnum patiente ex mora: si terminos petit impertinentes, qui ad causæ iustitiam non faciunt, sed ad dilationem, aut fugam: vt fatigent patientiam aduersæ partis, eámque cogant desistere tandem à lite prosequenda, vel iniustè cum altera parte componere: vel si è contrario non petit necessarios terminos in iudicio: si non profert, aut non probat quod proferendum, aut probandum est: si non respondet, quando est respondendum: aut non appellat, quando id est necessarium: aut denique si ex negligentia culpabili prætermittit aliquid aliud necessarium ad bene gerendum negotium clientis: cui tenetur de damno, ex sua culpabili negligentia incurso.

Et defectu iustitiæ.

69. Defectu denique iustitiæ peccat multipliciter. Primò, si causam iniustam, & improbabilem suscipit: iuxta ea quæ diximus de Aduocato, Sect. præcedenti. Secundò, si ad causam obtinendam falsa pro veris, aut incerta pro certis affert: aut iuridicè interrogatus non respondet quod verum est, quia causæ clientis præiudicat, vel illum inducit ad negandum, etiam cum iuramento. In quo grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem de damno inde sequuto parti aduersæ iustam litem prosequenti. Tertiò, si plurium causas suscipiat, quàm possit sine ipsorum incommodo, & damno prosequi. Vt multi faciunt, qui lucri gratiâ nullam causam ad se delatam recusant: & vel leuiter eas expediunt: Vel, dum paucas sollicitè prosequuntur, longam moram alijs, cum clientum detrimento afferunt. In quo illis culpabiliter nocent; præsertim verò si causas primò susceptas in posterius tempus rejiciunt. Debent enim non plures suscipere, quàm possint commodè prosequi: vel clientes de futura dilatione admonere, vt, si velint, alium procuratorem adeant: & primò susceptas priùs expedire, nisi posterior notabile damnum incurrat ex mora, altero non incurrente. Quartò, peccant etiam contra iustitiam exigendo plus mercedis, quàm illorum opera mereatur, aut quàm lege taxatum sit: aut si mercedem alijs debitam sibi retineant.

Potéstne accipere stipendiũ dari solitum Notario?

Circa quod dubitari potest an Procurator, qui gratis, aut vili, pretio accipit instrumenta à Notario, possit à cliente accipere aut sibi retinere stipendium Notario dari consuetum. Respondeo distinguendo, cum Bonac. disp. 10. circa octauum præceptum Decalogi, quæst. 3. p. 4. num. 13. & sequentibus. Si enim Notarius significauit se id facere in gratiam Procuratoris, vel illi aliunde sufficienter id constat: Potest Procurator illud retinere tanquam sibi à Notario donatum, pro quo etiam illi debitor est ex gratitudine. Sin autem è contrario significauit Notarius se id facere in gratiam clientis, vel aliunde id satis constat; non potest Procurator illud sibi accipere, aut retinere, inuito cliente: quia iniuriam facit clienti, cui donauit Notarius. Si denique Notarius neutrum significauit, neque potest aliunde colligi; non est præsumendum, donasse in gratiam Procuratoris: quia melior est conditio clientis pecuniam suam possidentis.

Vel dari solitum Aduocato?

70. Dubitatur secundò, an Procurator fungens officio Aduocati, & Notarij, possit accipere stipendium, quod pro eorum labore illis deberetur? Negant Toletus lib. 5. cap. 62. & Reginaldus lib. 25. num. 680. qui damnant peccati, & obligant ad restitutionem Procuratores, qui faciunt instrumenta, quæ ad Notarios pertinent; vel dicta, vt vocant, seu defensiones Aduocatorum: rogántque Notarios, vel Aduocatos vt subscribant, modicumque illis pro subscriptione dant: quod isti acceptant, quia malunt exiguum aliquid potiùs, quàm nihil lucrari; & verentur ne Procuratores causas ad ipsos non deferant. Sed probabiliùs censeo quod ait Bonac. puncto supra cit. num. 15. Posse huiusmodi Procuratores excusari à peccato, dummodo instrumenta, vel dicta æquè bona conficiant, sintque tantæ eruditionis, & industriæ, vt tantum stipendium

mereantur. Ratio est, quia nullum damnum clienti afferunt; neque iniuriam faciunt Aduocatis, aut Notarijs, quorum subscriptio sola non est digna tanto stipendio, & quorum operâ in conficiendis instrumentis, aut scriptis, vti non renentur: sed si ipsi æquè idonei sunt, possunt suæ industriæ, & eruditionis, atque laboris fructum percipere.

Dixi autem, si æquè idonei sunt, & si instrumenta æquè bona conficiunt: nam alioqui peccant, & tenentur ad restitutionem, si inuitis clientibus sint causa damni, suâ ignorantiâ, & præsumptione.

71. Potéstne stipendiū retinere, si non spopondit? Tertiò, dubitatur an procurator, qui causam aliquam sponte suscepit non conductus, possit, eâ peractâ, & ad fœlicem exitum perductâ, retinere stipendium, quod cliens iustè soluisset Procuratori conducto? Respondeo posse, nisi gratis susceperit, & iure suo cesserit. Est enim dignus mercede sui laboris, & industriæ: neque iure præsumitur donasse cùm suscepit laborem clienti necessarium, ad quem aliunde ipse non obligabatur. Eadémque de causa diximus alibi posse famulos compensare laborem non debitum pro officijs hero exhibitis, pro quibus ipse tanquam sibi necessarijs, aliquid in externos conductos impendisset. Et hactenus de Procuratore.

SECTIO XII.

De Notario, seu Tabellione.

72. Requisita in Notario. IN Notario seu Tabellione tria similiter requiruntur, vt bene docet Tolet. lib. 5. cap 61. Scientia, fidelitas, & iustitia. Tenetur enim primò habere scientiam eorum, quæ ad ipsius officium pertinent. Secundò tenetur fideliter, & diligenter ea præstare. Tertiò, tenetur nullum iniustum, aut falsum instrumentum facere: nam aliter est causa damni iniusta, malè gesto officio. Contra primum peccat, si ignorat formulas, clausulas, & solemnitates, quæ in contractibus, in testamentis, & alijs instrumentis authenticis adhiberi debent: tenetúrque de damno, quod incurritur ex aliqua istorum omissione culpabili. Vt si omisit designare diem, vel annum; vel numerum testium sufficientem adhibere. Contra secundum, id est, contra fidelitatem, & diligentiam debitam peccat, si non fideliter refert in scripta voluntatem contrahentium: si registrum non seruat: si in eo non extendit instrumenta, provt necessarium est vt vim habere possint in foro externo: si non seruat secretum sibi commissum: si non denuntiat legata pia ijs, quibus facta sunt, post mortem testatoris: primùm quidem illis, quibus incumbit soluere: deinde verò illis, in quorum gratiam facta sunt, si isti non soluant. Contra tertium verò, id est, contra iustitiam, peccant Notarij, si renuunt conficere instrumenta indigentibus eorum operâ: ad hoc enim tenentur ex officio: vel si confecta occultant, & non exhibent petentibus, quando id necessarium est: vel non seruant originale extensum in registro, & authenticum: ad quod similiter obligantur ex iustitia, ratione officij publici. Item, si falsa instrumenta conficiunt, fingendo aliquid quod non fuit verè contractum; vel si de re iniusta, putà de

Quomodo peccat contra scientiā?

Et contra fidelitatem?

73. Et contra iustitiam?

vsura. In quo vtroque casu tenentur ad restitutionem, nisi instrumentum vsurarium inutiliter fiat, aut purè in fauorem egentis mutuo, & petentis vt fiat tale instrumentum, eò quòd aliter non potest mutuum obtinere: & idem de alijs similibus sentiendum est; iuxta ea quæ diximus alibi disputando de restitutione. Item, si testamentum excipiat, vel alium contractum, amentis, aut destituti sufficienti vsu rationis. In quo etiam casu tenetur Notarius ad restitutionem ijs, quibus nocet, & ad quos alioqui bona testatoris vel contrahentis iure pertinuissent. Est enim illis causa efficax damni. Item, si aliquid vltra iustum stipendium extorquet, siue vt conficiat instrumenta, siue vt confecta exhibeat quando est opus. Tenetúrque ad restitutionem eius totius, quod supra iustum stipendium exigit à non vltro donantibus. Quando autem stipendium lege taxatum est, non potest amplius accipere, nisi taxatio sit manifestè iniusta: vel nisi labor, & industria fuerint extraordinaria. Non potest quoque accipere quicquam pro ijs quæ lex statuit gratis fieri. Quo pacto Concilium Trident. Sess. 21. cap. 1. de Reformat. constituit vt Notarij nihil accipiant pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, ad tonsuram, vel ad ordines accipiendos, si salarium habent pro officio exercendo constitutum: sin minùs, decimam tantùm vnius aurei partem accipere possint. Nota præterea, quando lex statuit vt Notarius, aut Procurator, vel quis alius, nihil accipiat vltra pretium iustè taxatum, etiamsi sponte offeratur: peccare quidem eos qui accipiunt: quia lex iusta obligat: sed non teneri ad restitutionem: quia lex non præcipit vt restituant in eo casu: neque reddit illos inhabiles ad dominium rei sibi donatæ acquirendum. Non enim irritat donationem, quam solùm prohibet. Ita Rodrigues, Petr. Nauar. Reginald. & alij quos citat & sequitur Bonac. quæst. cit. puncto vlt. num. 7. contra Medinam, Salon. & quosdam alios.

74. Alia peccata Notariorum.

Plura de officio Notarij videri possunt apud Nauar. cap. 25. Manual. num. 52. Reginald. lib. 25. cap. 57. num. 684. & sequent. Tolet. lib. 5. cap. 61. Bonac. loco proximè citato, & De Lugo disp. 41. Sect. 2. vbi addit peccare grauiter Notarium, qui non seruat apud se originale instrumentorum à se factorum, alijsque illud tradit; si periculum est ne vel amittatur, vel falsificetur, aut aliquo modo mutetur. Peccare item grauiter si non extendit in suo registro instrumenta, quorum summam, seu protocollum retinuit, & quorum exempla extensa partibus dedit; si summa talis est, vt non contineat totam rei substantiam cum subscriptione necessaria ad faciendam fidem in iudicio; & periculum sit ne ijs non extensis moriatur Notarius. Qua de causa vrgendus est à Confessario vt quamprimum extendat. Sicut etiam, si confecit instrumentum falsum, ex quo damnum alteri imminet, aut secutum est, cogendus est ad damnum illud impediendum, si imminet; aut resarciendum, altero non restituente, si iam incursum est: etiam cum præiudicio famæ suæ, quotiescunque illa non est tanti momenti, neque adeo considerabilis iuxta prudentem æstimationem, atque damnum, cuius iniustè causa est, aut fuit. Et hactenus de iniurijs ad Iudicia, & ad Forum spectantibus. 75.

DISPVTATIO TERTIADECIMA.

De Iure, & Iniurijs in distributionibus Officiorum, Beneficiorum, & bonorum vel onerum Communium.

DE materia huius disputationis breuiter agit S. Thomas quæst. 63. cuius doctrinam referemus simul, & exponemus Sectione sequenti. Deinde addemus quæ ad iustam distributionem bonorum, & onerum communium pertinent; præcipuéque officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum consideratio magis ad Theologum spe-

ctat: & circa quam difficultates in praxi sæpius occurrunt. Simúlque dicemus de qualitatibus, oneribus, & obligationibus ipsorum beneficiariorum: déque peccatis circa illa omnia contingentibus.

SECTIO I.

De Acceptione personarum, quid & quotuplex sit?

1. Quid sit Acceptio personarum?

Ac de re D. Thomas totâ quæst. 63. vbi docet primò, acceptionem personarum esse vitium seu peccatum iustitiæ distributiuæ oppositum, adeóque graue ex suo genere, atque etiam in specie & indiuiduo, quando materiæ leuitas, vel inaduertentia, aut indeliberatio non excusat: in eo consistens, quòd in distributione bonorum communium non attenditur causa, vel conditio personæ quæ faciat eam dignam tali bono; sed persona ipsa, vel alia conditio ad talem distributionem impertinens: Vt si quis aliquem promoueat ad Prælaturam, vel ad Doctoratum, quia est diues, aut consanguineus. Fieri autem potest, vt aliqua conditio sit impertinens ad vnum, & non ad aliud: Vt consanguinitas est quidem impertinens ad hoc vt aliquis constituatur dignus Prælatione Ecclesiastica: sed non vt dignus constituatur hæreditate patrimonij.

2. Locum habet in distributione bonorum temporalium & spiritalium.

Secundò docet acceptionem personarum habere locum in distributione, & dispensatione non modò bonorum temporalium, sed etiam spiritalium: putà officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum: quando præter dignitatem personarum tribuuntur: ita vt indignis, vel minùs dignis simpliciter, & omnibus pensatis, conferantur. Et quia spiritalia sunt potiora temporalibus: idcirco acceptionem personarum, quæ in illis distribuendis committitur, grauius peccatum esse, quàm quæ fit in temporalibus. Item, quia acceptio personarum est quando aliquid personæ tribuitur præter proportionem dignitatis ipsius, considerandum esse dicit dignitatem alicuius personæ dupliciter attendi posse. Vel simpliciter & secundùm se: & sic maioris est dignitatis ille, qui magis abundat spiritualibus gratiæ donis. Vel per comparationem ad bonum commune. Aliquando enim ille qui minùs sanctus, & doctus est, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid huiusmodi. Et quia dispensationes spiritualium præcipuè ordinantur ad vtilitatem communem, ideo quandoque sine acceptione personarum in dispensatione spiritalium illi qui sunt simpliciter minùs boni melioribus præferuntur. Nimirum quia potiùs illi præferendi sunt, qui omnibus pensatis vtiliores fore videbuntur ad procurandum commune bonum, propter quod eiusmodi officia, & beneficia instituta fuerunt, & cuius præcipuè debet haberi ratio.

3. Et in exhibitione honoris.

Tertiò docet acceptionem personarum habere quoque locum in exhibitione honoris, & reuerentiæ: iuxta illud Iacobi 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem, &c.* Quando scilicet aliquis honoratur, & alijs præfertur, non propter aliquam causam, ob quam sit verè magis dignus honore: sed propter diuitias, aut aliud impertinens. Sola autem vera causa honoris est excellentia naturæ rationalis, vt talis: quæ consistit in virtutibus potentiæ rationalis, intellectus scilicet, aut voluntatis. Est enim honor testimonium excellentiæ: & nullæ aliæ perfectiones reddunt naturam rationalem, vt talem, excellentem, & honore dignam. Potest tamen aliquis honorari non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius. Sicut Principes, & Prælati, licet mali, honorandi sunt inquantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur. Et parentes, & Domini sunt honorandi propter participationem dignitatis ipsius Dei, qui est omnium pater, & dominus. Et senes sunt honorandi propter signum virtutis, quod est senectus: licet hoc signum quandoque deficiat. Diuites autem honorari quidem possunt in ordine ad virtutem: quatenus diuitiæ sunt illius instrumentum, ad multáque bona opera præstanda facultatem suppeditant: at non præcisè propter diuitias, quæ per se nullam excellentiam conferunt naturæ rationali, vt tali. Vnde qui diuitem propter illas honorat, aut præfert alijs sapientiâ & sanctitate præstantibus; personam accipit cum iniuria sanctitatis, & sapientiæ. Possunt tamen diuites honorari quia priorem locum in Republica obtinent, vt sæpe fit: & maiestatem externam, & robur atque subsidia temporalia maiora illi conferunt. Ac denique in externo cultu illis reddendo seruari potest communis consuetudo, dummodo interiùs diuitiæ non honorentur propter se, nec præferantur alijs veris & maioribus titulis, seu causis excellentiæ & honoris.

Quartò, docet acceptionem personarum habere quoque locum in Iudicijs, iuxta illud Prouerb. 18. *Accipere personam in iudicio, non est bonum*: & Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè indica proximo tuo.* Nimirum quando iudex in distribuendo iure inter partes contendentes, respicit aliquid præter & contra causarum merita: vel quando sine iusta ratione fauet vni magis, quàm alteri, nec seruat debitam proportionem. Hæc D. Thomas. 4. Et in iudicijs.

Circa quæ primò considerandum est, acceptionem personarum habere locum, non modò in iniusta distributione bonorum, de qua sola D. Thomas hîc loquitur: sed etiam in iniusta distributione onerum communium, quando non debita proportione imponuntur: vt si pauperes magis grauentur, quàm diuites. Nam sicut in humana societate, præter bona cuiusque propria, sunt quædam bona communia: sic præter onera & incommoda singulorum 5. Et in distributione onerũ communium.

propria, sunt onera quædam communia, & quædam incommoda toti corpori incumbentia. Ex quibus, sicut propria bona singulis relinqui, & onera propria singulis permitti debent: ita communia siue onera, siue commoda, debent distribui secundùm rectam rationem, quantùm illorum natura patitur. Circa vtraque ius & debitum est in membris humanæ societatis. Ius enim est in singulis ad communium bonorum participationem, iuxta meritum suum & dignitatem: & vt non plus oneris ipsis imponatur, quàm par sit, & quàm ferat iusta proportio. Est quoque debitum in singulis ad onera, & incommoda communia, pro sua facultate, & gradu ferenda. Et in illis, quibus distributio onerum, bonorúmque communium competit, est ius & pariter debitum distribuendi vtralibet iuxta proportionem aut meritorum, aut facultatum. Atque in his duobus consistit perfectio iustitiæ distributiuæ, & bona dispositio communitatis erga particulares. Sicut valetudo, & bonus status animalis consistit in conuenienti officiorum distributione, & vitalis humoris diffusione ad omnes eius partes, prout vnicuique conuenit.

6. Quomodo fit cõtra iustitiam distributiuam?

Secundò considerandum est, ad acceptionem personarum, oppositam iustitiæ distributiuæ, duo requiri. Primum est, debitum ex iustitia, respectu eius quod distribuitur. Secundum est, vt debitum illud sit fundatum in iure communitatis. Primum asseritur à D.Thoma quæst. 63. art. 1. ad 3. Secundum verò patet ex dictis de natura iustitiæ distributiuæ, disputatione 26. Sect. 2. & 3. Nam iustitia & iniustitia idem habent obiectum, circa quod opposito modo versantur. Vnde collige non omnem bonorum distributionem, factam contra proportionem, aut sine illa, esse acceptionem personarum oppositam iustitiæ distributiuæ: sed illam tantùm quæ fit de bonis debitis titulo communitatis, aut de oneribus communibus quæ titulo communitatis ferri debent ex iustitia, ab ijs quibus imponuntur. Quæ autem sint huiusmodi bona, vel onera, patebit ex sequentibus. At verò distributio bonorum gratuitorum, aut debitorum alio titulo, quam iustitiæ, aut etiam iustitiæ commutatiuæ tantùm, vel legalis; licet fiat sine proportione causæ, & cum vitiosa prælatione: non est propterea acceptio personarum opposita iustitiæ distributiuæ, sed alijs virtutibus: quamvis cum illa similitudinem habeat: Neque existimandum est quamcunque personarum acceptionem, cuius mentio fit in Scriptura, pertinere propriè ad iustitiam distributiuam: quod neque ipsa Scriptura significat, neque rationi consentaneum est: cùm extra distributionem eorum quæ debentur ex iustitia distributiua, peccari quoque possit vitiosa prælatione aliorum præ alijs, in ijs quæ debentur ex gratitudine, vel obseruantia, vel ex iustitia commutatiua, & alijs virtutibus.

7. Non semper est contra illam.

Vnde collige secundò, Principem liberaliter, & merè gratuitò sua distribuentem, non peccare contra iustitiam distributiuam, licet æqualibus inæqualiter distribuat. Imò neque omnino peccat contra vllam virtutem, si nihil vni præ alio debet ex vllo titulo. Quo pacto Deus, gratias suas præuenientes inæqualiter distribuens æquè indignis, non peccat vitio acceptionis personarum, quia nulli debitor est. Gratiam verò iustificantem, & gloriam, quam debet ex promissione, tribuit vnicuique secundùm proportionem dispositionum, & meritorum, & reddit vnicuique secundùm opera eius, siue præmium, siue supplicium: adeóque non ad personas, sed ad causas attendit: vt dicitur Actorum 10. ver. 34. & Rom. 2. ver. 11.

Collige tertiò, vitiosam prælationem in exhibitione honoris debiti tantùm ex virtute obseruantiæ, vel alia quàm iustitiæ distributiuæ, vt honoris particularis debiti superioribus à quolibet inferiori, non esse acceptionem personarum iustitiæ distributiuæ oppositam: sed eam tantùm quæ fit de communibus honoribus, & dignitatibus distribuendis ex iustitia particularibus, quibus debentur titulo communitatis, secundùm cuiusque proportionem. Etenim iustitia distributiua non distribuit bona particularia; sed accipit de bono communitatis quod distribuat particularibus, vt debitum iure communitatis. 8.

9. Peccetne Iudex cõtra iustitiam distributiuam?

Collige quartò peccatum iudicis non tribuentis cuique suum secundùm ius, sed causam fauori & acceptioni personarum postponentis, non esse peccatum contra iustitiam distributiuam propriè, nisi quatenus robur legum, & publicæ auctoritatis, quod est quoddam bonum commune, distribuendum & applicandum sicut oportet, non applicat cui opus est. Quatenus verò est iniustè causa vt suum ipsi non tribuatur peccat contra iustitiam commutatiuam erga partem, quam lædit. Et quatenus deest officio rectè iudicandi, peccat similiter contra iustitiam commutatiuam erga Rempublicam, cui obligatur ratione officij, & conuentionis, ad rectè iudicandum. Per hæc, doctrina suprà tradita D.Thomæ prudenter limitanda, & explicanda est.

SECTIO II.

De Officijs, & dignitatibus sæcularibus, eorumque iusta distributione.

10. Duæ societates humanæ: Ciuilis, & Ecclesiastica.

Dvæ sunt in humano genere societates, inter Christianos ratione sola distinctæ: Ciuilis nimirum, & Ecclesiastica. Quarum illa tendit ad bonum statum & finem naturalem: hæc ad supernaturalem. Finis naturalis consistit in optimo statu eiusdem ordinis, iuxta modum & capacitatem humanæ vitæ: in quo scilicet, quantum fieri potest, insit plurimum boni, & minimum mali. Nam vt omnia vitentur mala & incommoda in humana vita, est naturaliter impossibile. Sufficit autem si procurentur, quoad fieri potest, bona ordinis naturalis, honesta & honorabilia, itémque bona licitè delectabilia, & bona vtilia atque commoda, cum exclusione contrariorum malorum. Finis autem supernaturalis est sanctitas, & æterna gloria. Ad hos duos fines referuntur officia, & alia omnia media, quæ in vtraque societate fuerunt insti-

Vtriusque finis.

tuta, atque inde determinationem & mensuram accipiunt. Quemadmodum autem finis naturalis & humanus subijcitur fini supernaturali, & ad eum debet referri, velut ad finem simpliciter vltimum, atque ad eum accommodari vt non ei repugnet, sed ei potiùs deseruiat: sic media ad finem naturalem instituta, subordinari debent medijs supernaturalibus; & ciuilis societas, societati Ecclesiasticæ; mediatè saltem, & indirectè, quatenus finis naturalis refertur ad finem supernaturalem, & ab eo accipit legem.

11. Ciuilis est multiplex. Societas ciuilis non est vna totius hominum generis, sed tot existunt absolutæ societates, quot supremi principatus: quamvis omnes Christiani, toto orbe diffusi, comprehendantur vnâ Ecclesiâ Catholicâ, constituántque vnam perfectam societatem Ecclesiasticam, à Christo institutam, & vnico Principi, & capiti visibili, & Pastori supremo, Rom. Pontifici, Vicario suo subiectam. A quo instituta, & quomodo? Licet autem Deus, cuius sunt omnes Nationes & Populi, potuerit immediatè, & per se societates illas ciuiles instituere, sicut Ecclesiasticam & Christianam per seipsum fundauit & constituit: non apparet tamen quòd iure illo sit vsus erga vllam societatem ciuilem, præter Israëliticam, cui Duces & Principes, & totam pene formam ciuilis & humani regiminis, per Moïsen & alios Prophetas dedit. Reliquas verò gentes reliquit Deus iuri naturali, quod habebant, constituendi sibi libera voluntate certam aliquam formam societatis, & regiminis ciuilis, ad naturalem finem & statum optimum assequendum accommodati. Et quamvis non omnes eandem formam elegerint: pleræque tamen in eo conuenerunt vt elegerint societatem corpori humano similem, in qua essent caput, & membra; & functiones distinctæ, diuersis membris destinatæ & attributæ. Idque valde conuenienter. Nam idem membrum ad omnes functiones ciuiles aptum esse vix potest: sicut in corpore humano non omnia membra sunt apta ad omnes functiones; cùm ipsa organa diuersa, dispositiones, ac qualitates diuersas exigant. Et sicut in humano corpore, bonum ipsius perfectum, & singularum partium in eo consistit, quòd variæ varijs fungantur officijs, & vna alteri seruiat, & singulis aliquid conferentibus, habeat corpus, & quælibet pars corporis, per participationem, quidquid ad bonum statum necessarium est: sic in societate ciuili, &c. Quibusdam ergo, qui constituti sunt veluti capita societatis ciuilis, datum est munus regendi alios, qui se illis sponte tunc subiecerunt: ac sicut illis ex mutuo consensu imposuerunt debitum rectè gubernandi: sic in seipsis susceperunt debitum parendi & obsequendi: cui debito respondet in superioribus ius præcipiendi, & regendi: sicut debito superiorum bene regendi subditos, respondet in subditis ius exigendi vt bene regantur.

12. Non eadem est apud omnes. Prædictum ius regendi, & præsidendi ciuiliter, non debet necessariò esse idem apud omnes: sed potest esse diuersum, & maius aut minus, ad plura vel ad pauciora extensum, pro institutoris voluntate, & pro consensu contrahentium. Qualecunque verò sit, debet habere pro fine perfectum bonum societatis ciuilis: & pro vlteriori materia debet habere quæcunque sunt necessaria, aut apprimè conducibilia ad statum ciuilem optimum. Sed nihilominus potest ius illud intra quosdam limites consensu contrahentium, institutoris voluntate coërceri, ac minùs liberum, minúsque indeterminatum relinqui, vt liberioribus interpretationibus non sit locus. Et quacunque auctoritate, vel quacunque via præficiatur aliquis regimini societatis ciuilis; non habet, neque potest habere ius ad aliquid turpe, aut indecens, neque ad aliquid repugnans communi bono. Alioqui non præficeretur ciuili regimini, sed dominatui quasi hostili, excludenti bonum regimen ciuile, quod pro fine sibi proposito debet habere statum optimum totius societatis, quem non cuiusvis sensus aut opinio metitur, sed vera sententia, & recta ratio. Ad illúmque finem potestas regendi, sicut & ipsum regimen vniuersum, debet accommodari. Non potest quoque is, qui præest ciuili regimini, habere ius ipsi merè voluntarium, & vsurpatum: quia ius huiusmodi nullum est verum. Oportet enim verum ius esse bene fundatum, & à Deo, mediatè saltem per rectam rationem, aut aliter ordinatum, iuxta illud Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt*, nimirum potestates, *à Deo ordinatæ sunt.* Eius finis, & materia, & ius Superioris, seu Principis.

Quia verò ad procurandum statum illum optimum societatis ciuilis, qui est finis ciuilis regiminis, eundémque conseruandum, & defendendum per leges, iudicia, arma, & per continuas actiones generum plurimorum; vltra prudentiam bonasque artes & virtutes, requiruntur opes & adiumenta plurima: Ideo cum iure ciuiliter regendi coniunctum fuit ius & potestas accipiendi subsidia, & auxilia necessaria ad prædictum finem, scilicet ad commune bonum, & ad fœlicem statum societàtis ciuilis. Hæc enim sunt non modò veluti stipendia quædam operæ; sed & quasi auxilia debita prosecutioni finis prædicti. In quibusdam tamen regnis attributa fuerunt ab initio dominia quædam & bona Regibus, quæ illorum sustentationi, & oneribus communibus & ordinarijs sufficerent: ita vt non possent, nisi in casibus extraordinarijs aliud exigere, quantum eorum subuentioni opus esset: idque non proprio ipsorum iudicio solo, sed accedente quorundam (puta Consiliatiorum, & supremarum curiarum) consensu & determinatione. Cùm enim varij sint sensus, variæque opiniones de rebus; potest ius Principum, tam in subsidijs exigendis, quàm in alijs rebus alligari, & subjici opinionibus quibusdam melioribus: vt non eis sit liberum suo proprio sensu, bona vel mala, iusta vel iniusta, vtilia aut non vtilia quæcunque definire. Ac certè nullus est in hominibus tam sapiens, aut tam bonus; cuius non debeat, aut possit conuenienter libertas, propter commune bonum, certis limitibus contineri. Quacunque autem via præficiatur quispiam regimini ciuili, non plus habet iuris, quàm ab auctore suo acceperit. Quantum verò acceperit, iudicandum est non ex ijs, quæ post longum temporis progressum fiunt; sed ex antiquis moribus recenter post institutionem: quia superio- 13. Ius exigendi subsidia necessaria.

res potestates multa sensim vsurpare solent.

14. Ius Regis verum, aut præsumptũ. Apertè verò falluntur qui Principum libidini conantur omnia subjicere, abvtentes ijs quæ scripta sunt 1. Reg. 8. ver. 11. *Hoc erit ius Regis, &c.* Quasi Deus ius verum Regis ibi constituerit, aut declarauerit: & non potiùs prædixerit quid Reges Israël, more aliorum Regum infidelium, acturi essent ex iure præsumpto, & tyrannicè vsurpato; vt Israëlitas, metu tam duræ seruitutis sibi imminentis, à voluntate Regem habendi reuocaret. Vt vel ex eo clarissimè patet, quòd Deuteron. 17. ver. 15. Deus contrarium omnino statuerat verbis illis: *Eum constitues* (scilicet Regem) *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, &c. Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, &c. Non habebit vxores plurimas quæ alliciant animum eius: neque argenti & auri immensa pondera, &c. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos: neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israël.* Dauid quoque iuris Regij peritus 2. Reg. 24. noluit aream Areunæ Iebusæi, & boues quibus ad altare extruendum, & ad sacrificandum indigebat, accipere nisi de possessoris voluntate, & dato iusto pretio. Et 3. Reg. 12. ver. 15. Roboam reprehenditur quòd nihil de tributis, & alijs oneribus remittere voluerit: ob eandemque causam multò maiori parte regni, Dei voluntate, priuatus fuit. Et 3. Reg. 21. Achab, licet alioqui impius, & nefarius, non est ausus vineam Naboth Iesraëlitæ inuiti vsurpare; cúmque per fraudem vxoris Iesabel eam tandem occupasset; grauiter à Deo per Heliam reprehensus fuit, & flagitium illud graui pœna mulctatum. Denique per se notum est non plus esse veri iuris in Regibus, quàm vel à Deo, si ab ipso immediatè sunt constituti, vel ab alijs acceperint in ordine ad bonam ipsorum gubernationem: ineptúmque est existimare homines, societatem ciuilem instituentes, consensisse in aliud. Cùm huiusmodi potestates, & communitates non sint ad aliud institutæ, quàm ad bonum commune; scilicet vt communitas meliùs haberet sub vnius aut paucorum regimine, quibus álij, licet naturæ conditione pares, se sponte subiecerunt, vel à Deo constitutos acceperunt, non in destructionem, sed in ædificationem, vt loquitur Apostolus 2. Cor. 10. id est ad promouendam vtilitatem publicam.

Loquimur autem de iure gubernandi mere ciuili & politico, ad regendum ciuiliter: non autem de iure despotico, per iustum bellum parto, vel aliter, inter Dominos & seruos, seu mancipia, in quos plus iuris habent Domini, ipsisque tanquam rebus vilioribus cum ipsorum dispendio possunt in suam commoditatem vti, duráque ipsis & molesta imponere, ac bonis proprijs spoliare.

15. Principũ successio. Ad societatem ciuilem conseruandam & propagandam in perpetuum, instituta fuit Principum seu Gubernatorum successio, à quibusdam per naturalem & legitimam generationem, ac velut hæreditariam successionem: ab alijs verò, per nouam electionem toties iterandam, quoties nouus Princeps instituendus esset. Ius quoque eligendi tam actiuum, quàm passiuum, non idem apud omnes est, sed apud aliquos magis restrictum & limitatum: ita vt aliquæ tantùm personæ possint eligere, non omnes; & aliquæ tantùm possint eligi. Vlteriùs, quia non vnus tam multis regendis solus sufficit: vltra Principem totius societatis ciuilis instituti sunt alij Magistratus, Duces, Præsides, Gubernatores, Consules, Senatores, &c. eisque variæ partes regiminis, & officia fuerunt distributa, non sine subordinatione ad Principem supremum, atque etiam frequenter inter se. Et horum aliqui ab ipso Principe supremo immediatè constituuntur: alij ab inferioribus Magistratibus, nonnulli etiam ab ipsis communitatibus particularibus, vel integris, vel, quod commodius est, per aliquos selectos, & prudentes, in quos ius suum transtulit communitas: seruato interdum supremo Principi iure confirmandi, aut infirmandi huiusmodi electiones factas ab inferioribus, seu Magistratibus, seu communitatibus. Aliorum Superiorum adiunctio.

De huiusmodi officiorum distributione quæritur primò, quomodo iustè fieri debeat? Respondeo debere conferri dignioribus: idque iustitiam distributiuam exigere, quando partibus eiusdem communitatis debent conferri. Ratio primæ partis est, quia finis societatis ciuilis, qui est optimus illius status, exigit vt ijs conferantur, à quibus status ille meliùs procurabitur. Idque eò magis, quòd licet digniores eligantur, quoad fieri potest; vix vllus est qui non peccet in aliquo. Secunda verò pars probatur, quia huiusmodi officia, cum potestate, honore, & subsidijs annexis, sunt bona quædam communitatis, quæ secundùm rectam proportionem dignitatis cuiusque, debent membris communitatis distribui; nisi fortè statutum sit vt externi possint ad illa assumi. Quod addo, quia cùm tribuuntur externis, non exercetur tunc iustitia distributiua. Cùm enim illi non sint partes communitatis; non debentur illis huiusmodi officia tanquam bona communia, titulo communitatis, cuius membra non sunt. 16. Officia ciuilia debent conferri dignioribus.

Quæritur secundò, Quinam digniores censendi sint? Respondeo illos, qui omnibus pensatis plus conferre possunt in eo officio exercendo ad bonum commune, qui est finis totius ciuilis regiminis. Tria verò requiruntur ad officium rectè exercendum, & ad bonum commune procurandum: nempe cognitio, affectio, & effectio, seu vis efficiendi. Ad cognitionem pertinet prudentia, & notitia finis, mediorúmque conuenientium, sine qua nihil rectè fieri potest; cùm notitia sit dux & Regula actionum humanarum. Ad affectionem, voluntas pondere virtutum inclinata, vt constanter & efficaciter velit finem per media idonea prosequi. Ad effectionem, vis Physica exequendi quod opus est. Quanquam non est necesse vt per seipsum omnia exequatur: potest enim alios in subsidium assumere, & per illos efficere. Non est etiam necessarium vt qui eligitur, habeat re ipsa hæc omnia meliora; sed eligi potest is, qui prudenter speratur habiturus, nisi status Reipublicæ, & necessitas præsens exigat virum magnæ iam prudentiæ, vir- 17. Quinam censendi digniores?

Aa 2

tutis, & potentiæ, qui opem ei ferat.

18. Qui eligunt indignos teneantúrne ad restitutionem?

Quæritur tertiò, an qui eligunt indignos, vel minùs dignos ad eiusmodi officia, teneantur ad restitutionem, vel Reipublicæ, vel etiam dignioribus quos prætermittunt? Respondeo primò, si tota societas ciuilis indignum eligat, aut minùs dignum, non tenetur sibi ipsi ad restitutionem; quia volenti non fit iniuria: neque etiam dignis, aut dignioribus prætermissis, si ipsi quoque in talem electionem consenserunt.

Respondeo secundò, si Princeps, aut alij quibus communitas ius eligendi contulit, eligant indignum, tenentur Reipublicæ de stipendijs malè collatis, & de damnis ex tali electione secutis. Probatur, quia tenentur Reipublicæ ex iustitia commutatiua, ratione officij, aut commissionis datæ, eligere dignos, & impedire damna Reipublicæ. Ergo sunt illi causa iniusta mali, ac proinde tenentur restituere ratione culpæ. Si autem dignum quidem eligant prætermisso digniore, peccant contra fidelitatem, imò & contra iustitiam erga Rempublicam: sed non tenentur illi restituere si nullum inde damnum re ipsa patiatur, & electus rite fungatur officio. Si verò damnum patiatur, probabile est debere ab electoribus resarciri, ob rationem antè allatam: licet Valentia quæst. 7. p. 2. quæstiunc. 6. Rebellus 1. parte de Iustitia, lib. 3. quæst. 4. num. 14. Lessius cap. 32. dub. 3. alijque multi contrarium sentiant, affirmántque electorem, si quidem eligat indignum, teneri Reipublicæ ad restitutionem, ratione iustitiæ commutatiuæ violatæ ex qua tenetur dignum eligere, & damna è contrario secuta reparare.

Quid si eligant dignum omisso digniori?

Si autem dignum eligat prætermissis dignioribus, peccare quidem contra fidelitatem erga Rempublicam; sed non contra iustitiam: ideóque non teneri quicquam illi restituere. Quia electores obligant se quidem ex iustitia ad eligendum dignum: ad digniorem verò tenentur solùm ex fidelitate, vt eius bonum quàm fieri potest optimè procurent. Simili modo quo illi, qui alterius negotia suscipiunt, obligant se quidem ex iustitia ad communem diligentiam præstandam in officio, vt suâ negligentiâ nihil sequatur damni: ad optimum verò modum negotia gerendi quoad commodè fieri potest, obligant se tantùm ex quadam fidelitate, absque obligatione restitutionis. Verùm hæc ratio probat solùm non teneri ex iustitia electorem ad summam diligentiam præstandam in quærendo digniori, quod verum esse fateor: sed non probat non esse causam damni iniustam, si communem diligentiam omittat: multóque minùs si de industria prætermittat digniorem, vt alteri faueat.

19. Ad quid teneantur erga non-electum?

Respondeo tertiò, probabilius esse electores siue dignum obligant, siue indignum, prætermissis dignioribus, non teneri illis restituere officium, vel lucrum quod ex illo percepissent: sed teneri solùm ad aliquam satisfactionem, habendo illorum rationem in aliqua alia distributione: nisi illi habuerint ius ad rem per præsentationem, vel oppositionem, &c. Vt patet ex communi praxi vtriusque fori. Neque enim illi obligantur à iudicibus sæcularibus, vel à confessarijs, ad talem restitutionem. Contrarium tamen sentiunt D. Thomas quæst. 62. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 4. Caiet. ad eundem art. 2. Paludan. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Syluester V *Restitutio 3 quæst 12.* Quia dignior, qui fuit prætermissus, passus est aliquam iniuriam, quando quidem debebat eligi ex iustitia distributiua: & minus habet, quàm habere debuit. Ergo debet illi hæc iniuria aliquâ compensatione resarciri. Item, quia eiusmodi munera, & officia publica, non solùm sunt instituta propter publicam Reipublicæ vtilitatem: sed etiam tanquam præmia meritorum. Ergo nisi pro meritis distribuantur, infertur damnum ijs, qui magis ea merentur: atque adeo restitutio eis fieri debet.

Sed ad primum respondeo, iniuriam illam non esse tantam, & talem, vt obliget ad restitutionem; propter imperfectionem iuris quod illi habent ad eiusmodi officia: sed solùm ad aliquam aliam satisfactionem. Et digniorem habere quidem aliquod ius ad huiusmodi officium: non tamen perfectum, & per modum veri meriti de condigno, cui tale officium debeatur vt merces. Et denique munera illa, & officia non fuisse instituta præcipuè in gratiam particularium, tanquam bona communia cum tanto rigore illis distribuenda secundùm proportionem dignitatis: sed in vtilitatem & commodum Reipublicæ, vt eius bonum conuenienter procuretur. Soluuntur arg. contraria.

Quæritur quartò, an huiusmodi officia vendi licitè possint? Ratio dubitandi est praxis aliquorum Principum Christianorum, quæ non debet facilè damnari, vel improbari. In contrarium verò est, quia si hæc officia debentur dignioribus ex iustitia distributiua, ergo subditi per solam dignitatem suam, & meritum, habent ius ad illa: & proinde iniustum est ab illis pretium vlteriùs exigere. Respondeo venditionem huiusmodi officiorum esse illicitam, nisi quando communis necessitas exigit vt ab illis, quibus conferuntur, exigatur aliquid per modum tributi, quo necessitati communi subueniatur, cùm non possit aliunde commodiùs: vtpote quibus, propter lucrum annexum huiusmodi officijs, non est adeo difficile aliquid pendere per modum tributi. Tunc autem sicut propter communem necessitatem potest Princeps, aut Respublica, minuere partem stipendiorum, sibique applicare: sic potest totum; & officium integrum veluti separare à cumulo bonorum communium distribuendorum ex iustitiâ, eaque tanquam sibi propria facere, ita vt possit tunc ea, tanquam propria, in totum vel in partem pro pretio tribuere. Neque tunc fit contra iustitiam distributiuam: quia talia officia non sunt ampliùs bona communia, pro sola personarum dignitate distribuenda; sed quasi priuata Principis, aut Reipublicæ, quæ idcirco vendi possunt ex toto, vel ex parte, prout necessitas boni communis exigit. 20. Possíntne vendi officia publica?

Notandum tamen est primò, licet venditio officiorum non sit illicita ex natura rei, & in casu proposito licitè fieri possit, cùm sint bona temporalia, pretio æstimabilia, quæ possunt extrahi modo prædicto ex bonis communibus, posteáque vendi tanquam bona priuata, vt 21. Venditio illa est communiter illicita.

etiam docet S. Thom. opusc. 21. *ad Ducissam Brabantiæ*, & alij communiter: nihilominus propter incommoda quæ sequuntur, esse communiter illicitam, & valde perniciosam, præsertim in officijs, quibus incumbit iustitiæ administratio. Nam plerumque solent vendi indignis: & accenduntur homines ad studium pecuniarum, in detrimentum virtutis & scientiæ; & qui illa emerunt, multa iniustè faciunt vt recuperent quod dederunt.

22. Quæ requirantur vt licitè fiat? Nota secundò, vt hæc venditio sit licita quatuor requiri. Primò, vt id necessarium sit, vel vtilius bono communi. Nisi enim necessitas, vel vtilitas boni communis excuset, hæc venditio est contra naturalem institutionem talium officiorum. Secundò, vt vendens habeat auctoritatem vendendi: quæ per se non conuenit nisi Principi supremo, vel Reipublicæ liberæ, cuius hæc bona sunt: reliquis verò ex Principis tantùm concessione, aut præscriptione legitima. Tertiò, vt vendantur digniori, quoad fieri potest. Quartò, vt pretium sit moderatum, ne emptori detur occasio cariùs vendendi, quod cariùs emit, officioque suo abvtendi vt pretium solutum compenset. Plura de his vide apud Michaël. Salon. quæst. 63. art. 2. controuer. 8. Lessium cap. 32. dub. 4. De Lugo disp. 34. de Iustitia, Sect. 3. Malderum tractatu 9. cap. 1. dub. 5.

SECTIO III.

De vectigalibus, & oneribus communibus, eorúmque iusta impositione.

23. Vt iustè imponantur requiritur potestas legitima. VEctigalium nomine generatim intelligo quidquid Principi, vel Reipublicæ, solui à priuatis solet, ad sustentanda onera communia: siue sit tributum, siue pedagium, quidagium, portorium, gabella, angaria, &c. de quibus Dico primò, ad iustam impositionem vectigalium multa requiri. Nam ex parte agentis requiritur vt imponantur ab habente legitimam auctoritatem: cuiusmodi sunt Principes supremi, & Respublicæ in suis ditionibus, quando ad commune bonum temporale id necessarium est: & aliæ Respublicæ, vel Domini locorum inferiores, qui tale ius præscripserunt legitimè. Alioqui verò, quicunque subsunt supremo alicui, debent ab ipso petere subsidia necessaria, non autem à populo illa exigere. Possunt tamen ciuitates subiectæ, de consensu aliorum quibus suffragia ciuitatis commissa sunt, imponere collectas ad necessarias reparationes publicorum ædificiorum, viarum, pontium, & alias necessitates temporales id omnino exigentes. Similitérque Episcopi, de consensu Capitali, possunt imponere collectam Ecclesijs pleno iure sibi subiectis, ad reparationem Ecclesiarum, aut aliam vrgentem necessitatem spiritalem, cui aliter prouideri nequit. Quâ de re vide caput *Super quibusdam*, §. *Præterea, de Verbor. significat.* Syluestrum V. *Gabella* 3. Caietan. V. *Vectigalia*, Medinam Cod. *de Restitutione*, quæst. 13. Lessium cap. 33. dub. 2. Tolet. lib. 1. cap. 21. num. 8. & De Lugo disp. 36. de Iustitia, Sect. 1.

Secundò, ex parte finis requiritur vt iusta de causa imponantur. Quæ triplex est. Vna est, decens Principis sustentatio. Sicut enim tenetur Princeps populum regere, iustitiam, & pacem, & tranquillitatem publicam procurare: ita vicissim tenetur populus eum alere, & necessaria subsidia ei præbere. Altera est, necessitas publica, cui aliter commodè, prouideri nequit. Tertia est, compensatio sumptuum, & damnorum iniustè acceptorum, & iusta vindicta. Vt quando subditis rebellibus, aut hostibus deuictis imponitur tributum in pœnam & compensationem sumptuum, in illis subiugandis factorum. Sed nota primò, causæ iustitiam & æquitatem certam esse debere: vel saltem probabilem; nam in dubio præualet ius superioris. Æquius enim est vt inferior cedat, quando vtrinque probabilitas est: & in dubio melior est conditio superioris, qui ius imperandi possidet: debetque inferior in eo casu iudicium suum submittere legitimo superiori, & obsequium debitum non subtrahere. Nota secundò, vectigal non debere esse maius, quàm necessitas causæ postulet: nam quod illam excedit, est iniustum. Tertiò, non debere prorogari diutius, quàm causa exigat: quia similiter quâ parte diutius exigitur, iniustum est. Nisi tamen causa noua superuenerit, ob quam simile imponi possit. Vel nisi semper maneat ratio, propter quam impositum fuit, quamvis non semper æquè vrgeat: vt si impositum sit ad mare purgandum piratis, qui licet non semper æquè infestent, semper tamen habendi sunt parati milites, & triremes, vt arceantur. Addit Medina suprà, vel nisi Princeps legitimè præscripserit, quamvis cessarit causa. Sed tunc præsumendum est causam aliam successisse, ob quam populus consenserit, si populus tanto tempore consensit sine murmure. Alioquin iniustè continuantur. Nota quartò, non debere impendi in vsus alienos: vt ad luxum Principum, profusiones & largitiones prodigas, & similia, quibus populus non tenetur contribuere: vt post Caietanum, & Petrum Nauarram docet Lessius cap. 33. dub. 6. Quod si Princeps in eiusmodi vana ærarium exhauserit, & necessitas instet: potest quidem imponere vectigalia necessaria; sed rebus meliùs compositis, tenetur populo restituere, & compensare damnum cuius iniustè fuit causa, & subtrahere quæcunque statui suo superflua sunt, vt possit compensare. 24. Et iusta causa.

Tertiò, ex parte formæ requiritur vt non sint nimis grauia; nec nisi iuxta proportionem facultatis cuiusque imponantur subditis; ne violetur ordo iustitiæ distributiuæ. Iniquum enim est pauperes præ diuitibus, aut alios præ alijs immodicè grauari, & plus exigi ab illis qui minùs possunt conferre, pro sustentatione Principis, aut impensis communibus. Iniquum etiam est tantum v. g. imponi mercibus vectigal, vt artifices, aut mercatores, non possint de reliquo lucrari quod ad vitam necessarium est. 25. Et vt non sint nimis grauia.

Quartò, ex parte materiæ requiritur vt ijs tantùm in rebus imponantur, & illis tantùm 26.

Neque rebus quibuslibet, aut personis imponantur.

personis, quibus licet. Vbi nota primò vectigalia non posse imponi secundùm Caiet. V. *Vectigal*, §. *Ex forma*, Tolet. lib. 5. cap. 73. & plures alios, rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur: sed tantùm illis, quæ causa negotiationis emuntur, aut distrahuntur: iuxta legem *Omnium*, & legem *Vniuersi*, *Codice de vectigalibus*. Quod ordinariè verum esse censet Lessius cap. 33. num. 51. Quia in illis non potest bene seruari iusta proportio; sed pauperes, quibus omnia sunt emenda, grauantur magis, quàm diuites, qui ex prædijs suis omnia fere habent. Possunt tamen imponi in huiusmodi rebus, si vectigalia aliunde non sufficiant, & boni publici necessitas planè id exigat: vel si populus sponte consentiat, aut consuetudo immemorabilis excuset, ob præsumptionem consensus, vel causæ legitimæ. Nota secundò, vectigalia non posse imponi per Principes sæculares Ecclesijs, neque personis Ecclesiasticis: quippe exemptis iure Canonico, & ciuili. Vt de Iure Canonico videre est capite *Quanquam, de Censibus, in 6.* & in Concilio Magno Lateranensi sub Innocentio III. relato cap. *Aduersus*, & cap. *Non minus, de immunitatibus Ecclesiarum*, & in Concilio Viennen. sub Clemente V. vt habetur in Clement. *Præsenti, de censibus.* De iure autem ciuili patet ex lege *Sancimus, Codice de Sacrosanctis Ecclesijs*, & Nouella Friderici Imperatoris, quæ incipit *Item nulla, de Episcopis, & Clericis*, pluribúsque alijs Regum, & Principum Christianorum constitutionibus, de quibus plura vide apud Bellarm. lib. de Clericis, cap. 28. & Barrault. tom. 2. Clypei cap. 31.

Vt Ecclesijs, aut Ecclesiasticis.

Quæ personæ Eccles. eximantur?

Per Ecclesiasticas verò personas intellige Clericos sacrorum Ordinum, & Religiosos, ac Moniales, & Clericos minorum Ordinum, aut primæ tonsuræ, si beneficium habent, vel alicui Ecclesiæ deseruiunt. Hi enim omnes gaudent beneficio exemptionis Clericorum. Alijs verò derogatum est per contrariam consuetudinem, accedente consensu summi Pontificis. Nota tertiò, non posse quoque imponi noua vectigalia rebus huiusmodi Clericorum: quia eximuntur etiam eorum res, cap. *Quanquam*, citato, alijsque iuribus. Si tamen aliquid acquirant tributo antea subiectum, debent illud pendere: quia res qualiber transit cum suo onere Item, si Clerici exercent negotiationem, potest ab illis exigi vectigal quoad ea, quæ deferunt causâ negotiationis: Ecclesia id permittente & volente, vt Clericos auertat à negotiatione, cap. *Quanquam*, citato. Item, si Laïci non sufficiunt ad subueniendum necessitati publicæ, potest aliquid imponi Ecclesiasticis, qui vt sunt etiam membra communitatis ciuilis, debent illi succurrere quando necessitas exigit. Verùm ad hoc requiritur consensus Summi Pontificis, vt patet ex Lateran. cap. *Aduersus*, suprà cit. & ex Bulla Cœnæ: Nisi periculum esset in mora: tunc enim sufficeret consensus Episcopi cum Clero, qui tamen non posset obligare exemptos à Iurisdictione Episcopali, sine ipsorum consensu.

Sunt etiam qui putent posse illis imponi vectigalia necessaria ad communes reparationes viarum, pontium, &c. propter legem. *Ad instructiones*, Codice *de Sacrosanctis Ecclesijs*. Verùm lex illa non potest sine consensu Summi Pontificis derogare exemptioni, antea concessæ in perpetuum. Quia omnis donatio, vel exemptio, facta communitati in perpetuum, est irreuocabilis. Et vt rectè addit Lessius cap. 33. dub. 4. num. 35. exemptio Clericorum fuit facta tum ad remuneranda beneficia spiritalia, quæ regna percipiunt ab Ecclesia: tum & principaliter ad Dei honorem, sicut donatio agrorum, aut villarum quæ offeruntur Ecclesiæ, eiusque ministris. Vnde sicut sacrilegium esset repetere agros Ecclesiæ donatos: ita & Clericorum immunitatem infringere. Item orbis Christianus consensit in hanc exemptionem, illámque Summi Pontifices, & tota Ecclesia in Concilijs generalibus confirmarunt. Quare non est in arbitrio Principis eam reuocare. Sicut quod semel consensu regni est alienatum, non potest repeti.

Eximuntúrne à communibus reparationibus?

Distinguendum tamen est inter communes reparationes. Quædam enim sunt quæ ad communitatem spectant primariò & principaliter: & Clericos non tangunt, nisi secundariò, vt sunt membra communitatis: cuiusmodi est reparatio murorum, viarum, pontium: & ad has non obligantur Clerici: alioquin eorum immunitas ab oneribus publicis esset nimis angusta: Aliæ sunt, quæ æquè primo pertinent ad Clericos, atque ad Laïcos, speciali de causa: vt si agri tam Clericorum, quàm Laïcorum, sint eluuione perituri, nisi struantur aggeres fluminis vicini: & ad huiusmodi tenentur Clerici contribuere: licet non à ciuili Magistratu, sed à suis superioribus cogendi sint contribuere, si recusent.

27. Pœnæ contra imponentes, aut exigentes iniustè.

Dico secundò, eos qui sine legitima auctoritate imponunt vectigalia, vel augent, aut ea quæ non potuerunt legitimè imponi, vel augeri, exigunt, teneri ad restitutionem: quia rapinam exercent, & alienum extorquent sine legitima potestate: atque insuper excommunicari in Bulla Cœnæ. Speciatim verò qui tributa exigunt ab Ecclesiasticis, excommunicantur ipso facto, cap. *Quanquam, de censibus, in 6.* & communitates quæ id faciunt, subijciuntur interdicto: à quibus pœnis absolui non possunt, nisi facta restitutione. Quod idem statuit Innocentius III. in Concilio Lateran. & Clemens V. in Viennensi, *Clement. Præsenti, de censibus.* Item si vectigalia sunt iniusta, tenetur Princeps ad restitutionem; & ipso non restituente, tenetur exactor: quia fraudem & rapinam committunt. Excipitur tamen exactor qui est subditus Principis, & obedientiâ compulsus exigit vectigal de quo dubium est sitne iustum an iniustum: modò ea seruet quæ de milite respectu Principis ad bellum vocantis diximus suprà, disp. 20. Sect. 4. & 5. Par enim est militis dubitantis, & exactoris ratio.

28. Iustè imposita obligant in conscientia.

Dico tertiò, vectigalia iuste imposita debere solui in conscientia, ita vt peccent qui non soluunt, saltem si exigantur, quando constat esse iustè imposita ex quatuor capitibus superiùs explicatis. Ita Doctores communiter: &

probatur primò ex Scriptura, Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo:* vbi sermo erat de numismate census. Et Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:* quod præceptum infert Apostolus ex eo quòd antea iussit Christianos, quos alloquitur, subditos esse Principibus, *Non solùm*, inquit, *propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, &c.* Probatur secundò ratione, quam Paulus ibidem insinuat: quia scilicet Respublica, atque adeo subditi, tenentur ex iustitia soluere Principi, veluti iustum stipendium, quæ necessaria sunt ad ipsius sustentationem, atque vlteriùs subsidia necessaria ad Reipublicæ conseruationem, & rectam administrationem. Talia sunt autem vectigalia de quibus loquimur. Ergo, &c.

29. Quid si non exigantur? Dixi autem, *saltem si exigantur*: quia licet leges tributorum possint obligare in conscientia ad eorum solutionem, etsi non exigantur: probabile tamen est quod multi & graues Doctores relati à Suare lib. 5. de legibus cap 18. affirmant generaliter, leges tributorum non obligare in conscientia ad illa soluenda, nisi exigantur: quia sic leges illæ, quæ alioqui solent esse valde graues, fiunt magis tolerabiles; & id sufficit, ad subsidia Principi, aut Reipublicæ necessaria. Docent etiam communiter alij, eos, qui res de loco in locum transuehunt, non teneri in conscientia quærere exactores, vt vectigal pro illis soluant; sed sufficere si dolo non euadant: quanquam & hos excusant multi apud Suarem cap. cit. Item, si qui emunt, aut transuehunt, sint pauperes, & rebus illis egeant ad leuamen grauis aut extremæ necessitatis; nec tenentur in conscientia soluere: quia vectigal tunc peccat in forma, & nimis onerosum est. Nisi Respublica eo grauiter aut extremè indigeat: tunc enim bonum commune priuato præferendum est. Quare eiusmodi saltem non peccant, si dolo euadant, semota illa necessitate Reipublicæ. Vlteriùs, si iustitia vectigalis non constat, sed probabiliter iniustum est ex aliquo capite, aut dubium moraliter; censent aliqui non esse adeo præsumendum pro sententia superioris, vt subditi teneantur soluere in conscientia, si euadere possint; ob damnum quod in soluendo patiuntur. Potest tamen Princeps iustè exigere; & sequi probabilem opinionem quòd sit iustum, sibi magis fauorabilem: illoque exigente, tenentur alij soluere. Denique, si ex modo tributum imponendi, aut ex vsu legem interpretante, constaret legem purè pœnalem esse (vt fortè sunt leges & statuta, quibus vetatur aurum, argentum, vel similem speciem è regno efferri sub pœna Commissi, id est, sub pœna amissionis rei) non obligaret lex illa sub peccato, sed tantùm tribueret Principi ius rei sibi vendicandæ.

Nota præterea, valde probabile esse eos, qui tributa non soluunt nisi exigantur, non obligari ad restitutionem; vt patet ex communi sensu & praxi fidelium. Nam vt testatur Nauarrus apud de Salas disp. 15. de Legibus Sect. 10. communis consuetudo, seruata ab omnibus confessarijs doctis, & timoratis, est vt non obligent ad restitutionem pœnitentes, qui tributa non exacta, minimè soluerint. Nimirum quia leges tributorum non obligant cum tanto rigore: cùm aliunde per ea quæ exiguntur, & per pœnas fraudantibus impositas, satis prospiciatur sustentationi, & subsidijs Principis: tametsi ea, quæ illi debentur per modum stipendij, aut subsidij planè necessarij, debeantur ex iustitia non solùm distributiua, sed etiam commutatiua, à tota communitate, ratione conuentionis & pacti cum Principe initi.

SECTIO IV.

De Officijs, & beneficijs Ecclesiasticis, eorúmque iusta distributione.

COmmunitas Ecclesiastica non ab hominibus, vt ciuilis, sed à Christo ipso immediatè instituta fuit: neque in plures absolutas diuisa, sed vnica toto orbe diffusa, & vni Summo Principi spiritali, Christi Vicario subiecta: cuius potestas, vt talis, amplissima quidem est in omnes Christianos, sed merè spiritalis, neque ad temporalia sese extendens, nisi indirectè, quatenus necessarium est ad finem spiritalem & supernaturalem. Licet enim Christus, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra, quique Rex regum est, & Dominus dominantium, cuius denique sunt omnia regna, potuerit Vicarium suum Principem supremum instituere, tam in temporalibus, quàm in spiritalibus; & vtramque potestatem, aut vnam eminenter ad vtrumque valentem, ei communicare circa totam suam Ecclesiam, vt Deus olim Moïsi dedit circa Ecclesiam Mosaïcam: Maluit tamen vtramque potestatem distinguere, & potestatem spiritalem non immiscere se negotijs ciuilibus, nisi quantùm finis illius postulat, cui fini status ciuilis subjicitur. Vt nimirum Præpositi Ecclesiastici, ab hoc onere & impedimento liberati, meliùs possent & perfectiùs incumbere in ea quæ sunt spiritalis & superioris regiminis: iuxta illud Pauli 2. Timoth. 2. ver. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus; vt ei placeat, cui se probauit.* Et 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, &c. In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* 30. Potestas Eccles. est spiritalis.

At neque etiam supremam potestatem spiritalem adiecit Christus, aut subiecit potestati ciuili. Non enim illam contulit Regibus, aut Principibus sæcularibus; sed Petro, *Ioan. 21.* eiusque successoribus legitimis in Ecclesiæ regimine: quales certè non sunt qui ciuilis regiminis obtinent potestatem: sed potiùs, sicut Apostolus suprà vetuit ne qui Deo militat, implicet se negotijs sæcularibus: ita Christus non negotiorum sæcularium ministros constituit operis sui Vicarios; sed alios, nempe Sacerdotes: præsertim cùm ipse à negotijs sæcularibus abstinuerit, quamvis excellenter esset dominus vniuersorum. Cùm ergo Christus per se, & per Apostolum Paulum ministeria Ecclesiastica seiunxerit à negotijs sæcularibus: quonam 31. Non subjicitur ciuili potestati. Ioan. 21. v. 15. 16. & 17. Neque Principibus ciuilibus data fuit.

modo verisimile est ipsum demandasse summam præsidendi Ecclesiastico regimini potestatem Rectoribus ciuilibus, & per se gestoribus negotiorum sæcularium? Deinde, cùm finis supernaturalis, ad quem refertur communitas Ecclesiastica per media supernaturalia à Christo instituta, sit nobilior fine naturali, ad quem tendit communitas ciuilis per media naturalia: finis naturalis debet ad finem supernaturalem referri, à quo perficitur, eique inseruire. Quare si Deus voluisset fines illos ad alteram illarum potestatum adunare; subiecisset potiùs finem naturalem potestati supernaturali; quàm finem supernaturalem, potestati naturali. Imò re ipsa finem naturalem, cum adiunctis, subiecit aliquatenus potestati supernaturali: non per se directè, & immediatè; sed quatenus finis naturalis refertur ad finem supernaturalem, & ab eo accipit legem; & quatenus ciuile regimen, tanquam subiectum fini supernaturali, subest vtcunque potestati Ecclesiasticæ, non immediatè propter se, sed propter aliud, atque vt fini supernaturali non repugnet. Paulus quidem 2. Cor. 10. ver. 6. affirmat se per potestatem sibi datam, cæterisque Apostolis, in Ecclesiam vniuersam, habere in promptu vlcisci omnem inobedientiam: cùmque omnem dicit, neminem excipit, sed omnes vltioni inobedientiæ subjicit. Christus etiam Ioannis 21. ver. 17. Petro committens totum ouile suum pascendum & regendum, neminem excepit: quare quicunque ad Christi gregem pertinet, illi subiectus est. Pastoris autem est non tantùm oues nutrire; sed & regere & coërcere cùm opus est.

32. Potestas spiritalis Ecclesiæ est suprema, & vniuersalis in omnes fideles.

Eandem potestatem supremam spiritalem agnoscunt & prædicant Sancti Patres, Ignatius martyr, Nazianz. Chrysost. Hieronym. Augustin. Gregor. & alij, locis relatis à Bellarmino lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 7. Eandémque confirmant exempla Christianorum Imperatorum. Philippus enim, primus Imperator Christianus, à Fabiano Papa exclusus fuit à communione in die Paschatis, propter quædam peccata publica: nec antea admissus, quàm illa pœnitentiâ & confessione purgasset, vt refert Euseb. lib. 6. histor. cap. 25. Constantinus Magnus, in Concilio Nicæno, humiliori loco sedit, & non priùs, quàm ab Episcopis potestatem accepisset: noluitque esse iudex Episcoporum: affirmans se de illis iudicare non posse, sed potiùs se stare subiectum eorum iudicio: vt scribunt Ruffin. lib. 1. historiæ cap. 2. & Nicephor. lib. 8. cap. 16. Theodosius senior, potentissimus Princeps, & sapientissimus, non cœtui tantùm Episcoporum, aut supremo Pontifici, sed vni Ambrosio Episcopo Mediolanensi se subiecit, à quo Ecclesiæ limine expulsus, & pœnitentiam publicam subire coactus fuit, vt scribit Theodoret. lib. 5. historiæ cap. 17. Et vt alios prætercam, Carolus verè Magnus, in præfatione Capitulorum, humiliter rogat Episcopos: &, vt tradunt historici, subjiciebat illa omnia iudicio Summi Pontificis. Ad quæ exempla deberent attendere hodierni Schismatici, tantis Principibus longè inferiores. Denique Reges omnes, & Imperatores Christiani, more antiquo ab Episcopis inunguntur, ab ijsdémque docentur, ligantur, soluuntur, benedicuntur. *Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur*: vt ait Apostolus Hebræorum 7. ver. 7.

Argumenta Hæreticorum in contrarium soluta vide apud Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 7. & fusiùs in Apologia contra Barclaium. Tantùm aduerto primò, distinctionem ciuilis potestatis, etiam Regiæ, & potestatis Ecclesiasticæ, manifestam esse in Scriptura, 2. Paralip. 19. ver. 11. & cap. 26. ver. 18. licet Deus nonnullis vtramque communicauerit, vt Moïsi, & Samuëli, qui simul fuerunt Sacerdotes, & Principes temporales populi Iudaïci. Secundò, si qui alij Principes sæculares Religionis negotia tractarunt, vt Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, quorum acta in Scriptura approbantur: & inter Christianos Carolus Magnus alijque apprimè Catholici: Respondeo Dauidem, & alios prædictos, in Scriptura commemoratos, & laudatos, id fecisse per potestatem extraordinariam vel commissionem sibi à Deo factam, non vt Regibus sæcularibus, sed vt Prophetis, vel ministris, vel internuntijs diuinæ voluntatis. Carolum verò Magnum, & similes, attigisse negotia Ecclesiastica, non præcipiendo, aut propria auctoritate tractando; sed monendo, suggerendo, fauendo, defendendo, & opem suam ac robur adiungendo Ecclesiastico regimini. Eorum verò, qui plus sibi vsurparunt per malè præsumptam auctoritatem, nulla habenda est ratio. Quòd si Iosaphat lib. 2. Paralipomenon cap. 19. versu 9. dicitur præcepisse Leuitis, & Sacerdotibus ea quæ ad ipsorum functiones pertinebant; intelligi id potest de præcepto non propriè dicto, quod esset actus Iurisdictionis circa officia Sacerdotalia: sed de præcepto quod esset actus suggestoris & monitoris: quo sensu dicuntur præcipere, qui artes tradunt & scientias practicas, cùm ostendunt quid sit agendum: eorumque Regulæ vocantur præcepta artis, iuxta communem loquendi modum. Vel id egit ex speciali & extraordinaria commissione Dei, vt supra dictum est. Tertiò denique, quod præcipitur Roman. 13. & 1. Per. 2. vt omnes sint potestatibus sublimioribus subiecti, & Principibus, & Regibus, & Ducibus: intelligendum est de ijs qui habent sublimiorem potestatem, & superiorem, cui subiecti esse debeant. Sicut præceptum honorandi parentes, intelligitur de ijs qui habent. At potestas ciuilis non est superior Ecclesiasticâ, sed inferior eique subiecta, non simpliciter quoad ciuile regimen, sed quatenus finis societatis ciuilis subjicitur fini societatis Ecclesiasticæ, & quatenus debet regimen ciuile accommodari ad finem societatis Ecclesiasticæ, vt paulò ante diximus.

33. Occurritur contrarijs argumentis.

Illam ergo supremam potestatem spiritalem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam, doctrinâ, exemplo, mandato, coërcitione, & alijs modis, instituit Christus Ioan. 21. ver. 15. 16. & 17. quando iniunxit Petro officium pascendi agnos, & oues; id est, minores, & maiores. Quod officium Petrus exercuit quando in locum Iudæ proditoris curauit alium eligi, Act. 1. & Concilio Hierosolimitano præfuit,

34. Suprema illa potestas Petro data fuit.

Act. 15. atque, vt testantur antiquissimæ historiæ, successorem sibi constituit, & varios Episcopos ad diuersa loca misit. Potestas verò spiritalis, & officium regendi non soli Petro & successoribus data fuerunt à Christo, sed & reliquis Apostolis, & varijs Ecclesiæ ministris à Christo immediatè vel mediatè institutis: iuxta illud Ioan. 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c.* Et Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes, &c.* Et Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quam potestatem Apostoli exercuerunt prædicantes toto orbe Euangelium, varijsque locis instituentes Ecclesias, & constituentes Presbyteros, & Episcopos per ciuitates; & istis etiam contulerunt potestatem vt alios constituerent & ordinarent: vt videre est Tit. 1. ver. 5. & 1. Timoth. 5. ver. 22. alijsque locis. Nimirum quia Christus potestatem illam perpetuam esse voluit, tum Pontificis Summi, tum Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ ministrorum, quemadmodum etiam Paulus significat verbis relatis ex Ephes. 4. vt seruaretur forma Ecclesiæ à Christo instituta, quæ est optima; & prouideretur necessitati Ecclesiæ, quæ non minùs, imò magis deinceps eguit capite visibili, alijsque ministris.

35. Ministri Ecclesiæ habent potestatem accipiendi subsidia.

Vltra regendi potestatem, dedit etiam Christus Ecclesiæ ministris potestatem percipiendi emolumenta, & subsidia necessaria vitæ humanæ, officióque suo rite fungendo. Luc 10. ver. 7. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Et 1. Timoth. 5. ver. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore*, id est, stipendio, *digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede sua.* Et 1. Cor. 9. ver. 14. *Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Non fuit autem vnicum Apostolorum ministerium Euangelium annuntiare, sed alia plura; & inter ea, instare orationi, vt dicitur Act. 6. ver. 4. quod officium Ecclesia ab initio, constantissimè retinet. Omnino autem ministerium Ecclesiasticum ad duo capita pertinet. Nimirum vel ad Dei cultum, per orationes, sacrificia, &c. vel ad populi culturam, & regimen, & curam, per prædicationem, Sacramentorum administrationem, directionem, præceptionem, prohibitionem, coërcitionem, & alia quæ ad spiritale regimen attinent. Ad obeunda verò decenter & congruè huiusmodi ministeria, necessariò requiruntur multa subsidia & adiumenta, etiam temporalia, quæ suppeditant prouentus Ecclesiastici à fidelibus collati, & in plures personas iustè distributi, ex antiquo vsu, multorum iam sæculorum continua successione confirmato.

36. Officium Ecclesiasticum, & Beneficium, quid sint.

Ex his duobus primum, nempe ministerium Ecclesiasticum, vocatur Officium, & duo complectitur: nempe debitum aliquid agendi, Dei scilicet colendi specialiter, vel populi excolendi: & moralem potestatem illud licitè aut validè faciendi. Secundum verò, nempe ius percipiendi prouentus & subsidia necessaria, vocatur Beneficium: modò tamen sit ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spiritale, auctoritate Ecclesiæ constitutum, vt fusiùs exponit Lessius cap. 34. dub. 1. Licet enim quodcunque ius percipiendi prouentus, & subsidia, propter officium spiritale, posset latè Beneficium appellari: hoc tamen nomen restrictum est ad ius perpetuum, quale non est ius Vicariæ temporalis; & ad ius auctoritate Ecclesiæ constitutum, id est, erectum vel confirmatum: cuiusmodi non est Capellania, licet perpetua, vel Canonicatus à Laicis institutus, donec accedat auctoritas Prælati, cuius est officia Ecclesiastica instituere, & prouentus Ecclesiasticos illis annectere, vt colligitur ex cap. *Nemo*, & cap. *Nullus, de consecrat. dist. 1.*

37. Beneficiũ annectitur officio.

Beneficium est propter officium, & propter illud datur, vt dicitur cap. 15. *de Rescriptis in 6.* eique annectitur, tanquam principali, propter quod datur, & in quo fundatur. Ius enim percipiendi prouentus, vt decimas & similia, fundatur in officio exhibendi Deo cultum, vel populo curam & culturam. At sicut in Ecclesiæ ministris est debitum colendi Deum, vel excolendi populum, & ius percipiendi prouentus: sic in populo ius est vt à ministris Ecclesiæ excolatur, ac pro ipso oretur Deus & colatur: estque debitum exhibendi prouentus in sustentationem & subsidium ministrorum Ecclesiæ. Iuri enim quod est in vno, respondet debitum in altero. Potest tamen Ecclesia in aliquam partem prouentuum tribuere ius alicui, in modum dominij vtilis, retento sibi principali iure, tanquam directo dominio, fundato in officio, cui ius illud per se primò annexum & adiunctum est. Idque facit, dum partem aliquam decimarum tribuit alicui in feudum, ratione cuius ille qui accipit, dependet ab Ecclesia, eique subjicitur velut habenti dominium principale in personas, & res earum, ex quibus percipi potest prouentus. Ideóque pereunte penitus feudatario qui habet decimas in feudum, redit ius illud percipiendi decimas, ad dominum principalem & directum: non secus ac intereunte vsufructuario, redit vsusfructus ad eum, qui habet ius directum in fundum, quique habet proprietatem: iuxta ciuiles Institut. lib. 2. tit. 4. §. *Ne tamen*, iuncto §. *Finitur*, & sequentibus. Hoc ius feudatarij non est beneficium, quia non datur propter officium Ecclesiasticum, sed propter aliquid aliud: vt propter obsequium Ecclesiæ præstitum, & impensas olim factas pro recuperatione terræ sanctæ.

38. Beneficiũ aliud est Sæculare, aliud Regul.

Multiplex autem est beneficiorum Ecclesiasticorum diuisio. Primò enim diuiduntur in Sæcularia, & Regularia. Quæ diuisio traditur cap. *Cum singula, de Præbendis, in 6.* Sæcularia dicuntur ea quæ Clericis sæcularibus, id est, non-Religiosis, sed in sæculo Deo seruientibus addicta sunt. Regularia verò, quæ pro Regularibus sunt instituta, vel illis sic adstricta, vt per ipsos administrari debeant. Censetur

autem quodcunque beneficium esse sæculare, nisi constet aut probetur esse regulare. Probatur autem vel ex literis fundationis, vel ex continua possessione pacifica quadraginta annorum. Nam præscriptio tanti temporis facit beneficium regulare de sæculari, & similiter sæculare de regulari: vt colligitur ex cap. *De quarta, de prescript.* & cap. *Cum de beneficio, de prebendis, in 6.* Porro sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferenda sunt, neque aliter valet collatio sine dispensatione: exceptis certis casibus, de quibus vide Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 4. num. 1. 2. & 3.

39. Itemque aliud simplex, aliud duplex. Diuiduntur secundò beneficia in simplicia, & duplicia. Simplicia dicuntur illa, quæ neque habent administrationem Ecclesiæ sibi adiunctam neque specialem eminentiam; sed tantùm debitum orandi Deum recitando preces Canonicas, sacrificando, canendo in choro, &c. Vt Canonicatus siue sæculares siue regulares, & Capellaniæ, siue altaria Episcopi auctoritate constituta, & præstimonia, id est, quædam beneficia instituta pro Scholasticis vt possint studia prosequi, cum onere breues aliquas preces recitandi; vel in subsidium terræ sanctæ: vt ait Rebuffus in Praxi benefic. & post eum Lessius cap. 34. dub. 2. Duplicia verò dicuntur ea omnia quæ vel aliquam eminentiam specialem, vel Iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiæ adiunctam habent: vt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, beneficia Parochialia, seu Curata. Inter quæ, illa quæ cum aliqua eminentia speciali adiunctam habent Iurisdictionem in foro externo, vocantur Dignitates: vt Decanatus, Præpositura, Archidiaconatus, &c. Sin autem habent tantùm simplicem præeminentiam in choro, in Capitulo, in processionibus, & similibus, sine Iurisdictione, dicuntur Personatus: cuiusmodi sunt beneficia Cantoris, Thesaurarij, Custodis, Primicerij, Archipresbyteri. Quanquam, vt bene aduertit Laiman cap. cit. num. 4. hæc vocabulorum differentia non semper obseruatur, sed interdum Dignitas & Personatus pro eodem sumuntur: vt videre est in cap. *Cum accessissent, de Constitut.* Notandum etiam, quòd licet Papatus, & Episcopatus, & alia omnia quæ habent præeminentiam cum Iurisdictione, possint latè vocari Dignitates, veréque notio huius nominis illis conueniat, iuxta eius definitionem suprà datam: solet tamen pressiùs illud accipi pro beneficijs inferioribus Episcopatu, cuiusmodi sunt ea quæ in exemplum adduximus. Item, licet Papatus, & Episcopatus sint verè ac propriè beneficia Ecclesiastica, vt paulò antè diximus, atque interdum sic nominentur in iure Canonico, Papatus quidem cap. 1. *De Maledicus*, Episcopatus verò cap. *Fœlicis*, §. *Quod si quis, de pœnis, in sexto.* Communi tamen appellatione beneficiorum, præsertim in pœnalibus, alijsque strictæ interpretationis Canonibus comprehendi non solent: cùm sint culmina beneficiorum, ac Dignitatum: vt dicitur cap. vlt. de Præbendis, & notauit Laiman loco proximè citato, post Seluam, & alios ibidem relatos. Omitto alias quorumdam diuisiones in Titulare & Manuale: propriè dictum, & impropriè. Hic enim agimus de beneficijs verè & propriè dictis, id est, ius perpetuum habentibus, &c. iuxta definitionem datam num. 36. cuiusmodi non sunt beneficia Manualia, vel impropriè dicta.

SECTIO V.

Quibus modis legitimè acquiruntur Beneficia?

Prima conclusio: Ad officia & beneficia Ecclesiastica non potest quisquam peruenire legitimè, nisi per media à Christo instituta, vel à Principibus Ecclesiæ, per potestatem ipsis à Christo traditam; quæ media sacris Canonibus continentur, aut statutis Pontificum. Ratio est, quia officia, & beneficia Ecclesiastica, sunt bona Ecclesiæ, cuius est ea distribuere prout Christus instituit, aut constituendi potestatem dedit. Et quemadmodum Christus ipse, vt ait Paulus Hebr. 5. non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed à Patre id accepit: *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* ita non potest quisquam sibi assumere potestatem, aut officium, vel summi Sacerdotis, vel aliud quodvis, sed debet vnusquisque submittere se formæ, & modo agendi, quem Christus instituit, aut illi qui ab ipso ius acceperunt. Et quia iura percipiendi prouentus non dantur nisi propter officia, in quibus fundantur: idcirco necessarium est vniuersa huiusmodi iura esse officijs alligata, nec alijs primò posse competere, quàm illis qui validè fuerint officia adepti. 40. Debent acquiri per media instituta à Christo, vel ab Ecclesia.

Secunda conclusio: Media partim à Christo, partim ab Ecclesia instituta hæc sunt: Electio cum confirmatione, si necessaria sit, Collatio libera, Postulatio cum confirmatione, Præsentatio Patroni cum institutione, Permutatio, & Resignatio in fauorem. Electio dicitur, cùm quis à pluribus idoneis eligitur ad Beneficium. Cuius electionis exemplum habetur in Scriptura Act. 1. quando ex tota multitudine Matthias & Barsabas iustus statuti sunt, vt ex illis vnus in locum Iudæ proditoris succederet: & Act. 7. in electione septem Diaconorum. Idémque mos diu viguit in tota Ecclesia, vt Episcopi, & alij ministri vel à Clero solo, vel à Clero simul cum populo eligerentur, vt videre est in historijs antiquis, & apud Gratianum dist. 60. & tribus sequentibus, & in decretalibus tit. de elect. Et nunc etiam in Ecclesia Romana Summus Pontifex ab eius Clero eligitur: & quibusdam alijs in locis Episcopi, & alij quidam Ecclesiæ ministri similiter a Clero vel à Capitulo eliguntur. Alibi loco Electionis antiquæ successerunt Nominationes Regibus & Principibus concessæ multis in regionibus, quæ sunt species Præsentationis. 41. Media illa quæ sint?

Collationis verò liberæ (quando scilicet officium aut beneficium confertur solo iure Prælati, sine aliorum electione, postulatione, præsentatione, vel institutione, cui non subest) exemplum habetur Act. 14 ver. 22. vbi Paulus & Barnabas constituunt Presbyteros per singulas Ecclesias: & Titi 5. ver. 5. vbi significatur 42. Collatio.

Titus fuisse constitutus à Paulo Cretæ Episcopus, neque fit mentio electionis aliorum, aut postulationis, quæ certè etiam non fuit necessaria. Nam sicut Christus sola sua auctoritate elegit Apostolos: sic & ipsi, quos Christus misit sicut a patre missus fuerat, sola potestate sibi ab ipso concessa poterant alios constituere. Vt etiam fecisse, & præcipuè Petrum, varios ad diuersa loca infidelium cum Episcopali auctoritate mittentem, constat ex antiquis historijs, & traditionibus Ecclesiasticis.

43. Postulatio. Postulatio dicitur, cùm quis eligitur ad Prælaturam, qui ordinariè non poterat eligi: putà, quia non est de Capitulo, de quo Prælatus eligi debet, vel quia aliter iure communi non est capax. Præsentatio. Præsentatio verò est exhibitio personæ per Patronum, aut alios habentes ius nominationis, debitè facta Episcopo, vel alteri, ad quem pertinet institutio, id est, beneficij & iuris in re collatio & attributio. Differunt autem Præsentatio, & Electio, in eo quòd præsentatio ab vno solo fieri potest: electio verò non nisi à pluribus ius suffragij habentibus. Item Electio, licet olim fieret adhibitis etiam Laicorum suffragijs vt paulo ante dixi: nunc tamen ad solos Clericos pertinet. At verò præsentatio pertinet etiam ad Laïcos. Permutatio. Permutatio est vnius beneficij cum alio mutatio. Resignatio in fauorem. Resignatio verò in fauorem, est dimissio beneficij in manibus Episcopi, vel Summi Pontificis, in fauorem alterius qui ei designatur. De quibus modis plura dicemus inferiùs.

44. Ius Electionis quibusnam competit? Ius Electionis Actiuæ competit illis qui legitimè possunt eligere. Passiuæ, illis qui legitimè possunt eligi. Quod vtrumque ius interdum ad paucos restringitur. Nam verbi gratiâ ius electionis actiuæ ad Summum Pontificatum, competit solis Cardinalibus: vt patet ex longo vsu & consensu Ecclesiæ, quæ suum ius in eos transtulit. Ius quoque passiuæ electionis ijsdem solis conuenit, si inter eos non desit idoneus. Capite *Oportebat*, & cap. *Nullus*, *dist. 79.* ex Concilio sub Stephano Papa III. licet Dominicus Sotus, & alij quidam contrarium existiment. In quibusdam etiam Ecclesijs ius electionis actiuæ & passiuæ ad Episcopatum, competit solis Canonicis Capituli Cathedralis, aut Metropolitani: quod olim multo frequentius erat. Nam ex capite *Nullus*, & cap. *Obitum*, *dist. 61* & cap. *Metropolitano*, *dist. 63.* constat olim Ministros eligi debuisse ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, si aliquis erat idoneus. Item, nunc omne ius electionis actiuæ est penes Ecclesiasticos, vt paulò ante diximus, & satis patet ex vsu Ecclesiæ: olim erat etiam apud Laïcos. Nam interdum Episcopi à populo simul cum Clero eligebantur, vt constat ex Ambrosij, & aliorum multorum electione.

45. Et ius collationis. Ius Collationis conuenit Summo Pontifici respectu totius Ecclesiæ in omnia beneficia: vt habetur cap. 2. de Præbendis in 6. & in Clement. I. *Vt lite pendente*. Quia est supremus & vniuersalis Pastor Ecclesiæ, Episcopus Episcoporum, & supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum. Quam potestatem exercet per præuentionem, per concursum, per deuolutum, & per reseruationem. Dicitur *Præuentio*, quando Papa dat alicui Expectatiuam beneficij nondum vacantis: id est, promittit certæ personæ beneficium nondum vacans, atque ad illud dat ius. Quod priuilegium soli Papæ conuenit: vt dicitur cap. *Relatum*. de concessione præbend. Dicitur *Concursus*, quando Papa concurrit cum ordinario Collatore: ita vt vterque seorsim conferat idem beneficium. Quo in casu collatio Papæ, si prior est tempore, derogat alteri: atque etiam si est simul tempore: nam tunc etiam præualet, ob dignitatem personæ: & Papa qui dedit Ordinarijs potestatem conferendi, maiorem sibi & potiorem reseruauit. Solet etiam eandem potestatem concedere Legatis à latere. Sin autem Collatio Ordinarij est prior tempore, valida est: nisi Papa beneficium illud sibi reseruauerit. Deuolutio dicitur, quando propter crimen aliquod, aut propter negligentiam Ordinarij, ius collationis deuoluitur ad Summum Pontificem, eo modo, quo dicemus paulò post. Reseruatio denique dicitur, quando Papa sibi adstringit collationem alicuius beneficij, ita vt à nemine alio conferri possit. De quibus omnibus plura vide apud Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 10. & 11. Episcopis quoque in propria cuiusque Diœcesi competit ius collationis tanquam proprio collatori, respectu omnium beneficiorum eiusdem Diœcesis: nisi vel fundatio alicuius beneficij, vel legitima præscriptio hoc ius alteri tribuat. Quando autem ius eligendi vel conferendi conuenit inferioribus; si isti non conferunt, aut non eligunt tempore præscripto, ius illud deuoluitur ad superiorem, à quo beneficium impetrari potest per deuolutum, vt loquuntur. Pro quo nota, ad Episcopatus, & Abbatias debere intra tres menses eligi: quod nisi fiat, & si legitimum impedimentum absit, ius eligendi deuoluitur ad proximum superiorem. Qui nisi intra totidem menses prouiderit, Summus Pontifex prouidebit: cap. *Ne pro defectu, de electione*. Alia verò beneficia, Episcopatu & Abbatiâ inferiora, debent conferri intra sex menses: alioqui ius electionis deuoluitur ad superiorem eo modo quo antea diximus, capite *Licet*, & cap. *Nulla*, *de concess. Præbend.* & cap. *Licet*, cap. vlt. *de supplenda negligentia Prælatorum*. Item, si collatio huiusmodi beneficiorum inferiorum spectet ad Episcopum, vel ad Capitulum, coniunctim, vel diuisim: Episcopo negligente conferre intra sex menses, ius deuoluitur ad Capitulum: & vice versâ: vtroque autem vltra sex alios menses negligente, deuoluitur ad Metropolitanum; & ab isto ad Papam: vt fusius docent Laiman citato cap. 11. num. 4. & 5. & Lessius cap. 34. num. 10.

De iure Postulationis philosophandum est vt de iure Electionis, cuius species quædam est, 46.
in eo tantùm differens, quòd eligatur aliquis, qui non poterat iure ordinario eligi; & solùm habet locum in Prælaturis. Ius prætendandi, seu ius patronatus. Ius verò Præsentandi, siue Ius patronatus, duplex est: vt dicitur cap. vnico de iure patronatus in 6. Vnum patronatus Laïci, competens alicui, quia de bonis patrimonialibus, aut sæcularibus Ecclesiam fundauit, id est, fundum emit, aut dedit, in quo ædificata est, aut illam extruxit,

aut dotauit, aut beneficium aliquod erexit; aut quia ab aliquo istorum ortus est. Alterum est Patronatus Ecclesiastici, quod scilicet conuenit alicui, quia de bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel beneficium erexit: vel inde ortum habuit: aut quod competit ratione Rectoratus, aut Dignitatis Ecclesiasticæ: vel denique quod licet ex bonis sæcularibus ortum sit, fuit tamen donatum vel translatum ad Ecclesiam, Capitulum, Monasterium, &c. Ita ius vtrumque definit Lessius cap. 34. dub. 4. Ex quo sequitur posse eiusdem Ecclesiæ plures esse Patronos, si plures eam fundarunt, & dotarunt, &c. posseque patronatum illum esse partim Laïcum, partim Ecclesiasticum, si vnus ex bonis Ecclesiasticis, alter ex bonis sæcularibus seu patrimonialibus eam construxit aut dotauit, &c. Sequitur præterea Ius Patronatus Laïci, vel Ecclesiastici, non esse ratione subiecti cui conuenit, sed ratione modi. Nam Ius tale patronatus Laïci potest conuenire personis Ecclesiasticis, & contrà. Acquiritur autem Ius patronatus, non solùm fundatione Ecclesiæ, id est, fundi concessione, aut extructione cum consensu Episcopi, vel ex dotatione, vel beneficij erectione, cap. *Quicunque*, & cap. *Decernimus*, 16. *q.* 7. & Trident. Sess. 25. cap. 9. *de Reformat.* verùm etiam præscriptione per iteratas præsentationes tempore immemorabili, ex Trident. ibidem; atque etiam Pontificis concessione; quo pacto Reges & Principes acceperunt nominationes in Ecclesias multas antea liberas: & nominatim Galliæ Reges in Concordat. inter Leonem X. & Franciscum I.

47. Differentia inter patronatum Laïcum & Ecclesiasticum. Est autem differentia inter Patronatum Laïcum, & Ecclesiasticum in eo quod, si patronatus Laïcus sit; tenetur patronus præsentare intra quatuor menses à die vacationis beneficij sibi notæ: alioquin amittit pro ea vice ius præsentandi, & collatio fit libera: vt statuitur cap. *Quoniam*, & cap. *Cum propter, de iure patronatus*. Si autem est Ecclesiasticus, tenetur præsentare intra sex menses, *cap. vnico de iure patron. in sexto*. Alioqui potest Episcopus conferre cui voluerit, cap. *Quoniam, eodem tit.* Idemque dico si eiusdem beneficij duo sint patroni, vnus Laïcus, alter Ecclesiasticus: tunc enim Laïcus, propter coniunctionem, gaudet priuilegio Clerici. Hoc tamen tempus non currit quandiu patronus nesciuit vacare beneficium, sed incipit à tempore scientiæ. Patronus non potest seipsum præsentare. Potest tamen Episcopus ipsi consentienti conferre, si velit motu proprio: vt dicitur in cap. *Per nostras, de iure Patronatus*. Potest verò ille præsentare filium, & quemcunque alium, modò dignum & idoneum. At si indignum præsentat & inidoneum, monendus est præsentare alium, si patronus Laïcus est. Si Ecclesiasticus, priuatur pro ea vice iure præsentandi, & Collatori liberum fit conferre beneficium independenter à præsentatione, cuicunque digno & idoneo voluerit. Sed si talis præsentetur à Patrono siue Laïco, siue Ecclesiastico, tenetur Episcopus conferre illi beneficium, potestque compelli: cap. *Pastoralis, de iure patronatus*. Potest tamen Summus Pontifex huic iuri derogare: vt habetur cap. *Cum dilectus, eodem tit.* Nimirum quia, vt rectè ait Lessius cap. 34. dub. 9. ius istud à Summo Pontifice concessum est propter bonum Ecclesiæ primò & principaliter, secundò verò in honorem Patronorum. Quare si bonum Ecclesiæ id exigat, potest Summus Pontifex habere potiùs rationem primi, quàm secundi & accessorij. Neque censendus est tam absolutè concessisse ius præsentandi, vt seipsum in omni euentu priuare voluerit potestare conferendi. Derogat autem sufficienter patronatui Ecclesiastico, eo ipso quod confert beneficium, licet in literis prouisorijs nullam faciat mentionem derogationis. Sed non derogat patronatui Laïco nisi id exprimat in collatione beneficij, & deroget expressè ac speciatim patronatui Laïco. Qui si ad Regem, Ducem, aut Marchionem pertinet, debet etiam hoc ipsum exprimi: alioqui non censetur eis derogare: vt dicitur Regula 43. Cancellariæ. Potest etiam iuri præsentandi derogare Legatus à latere: & Nuntius habens eiusdem Legati potestatem, respectu patronatus Ecclesiastici. At non respectu Laïci: cap. *Cum dilectus, de officio delegati, & de iure patronatus*. Neutrum verò possunt Episcopi, neque alij inferiores: qui si conferant, collatio poterit irritari à patrono offerente intra tempus præscriptum: alioqui tenebit. Sed de his & similibus ad forum externum pertinentibus, plura videri poterunt apud Lessium cap. 34. dub. 6. & quinque sequentibus, Couar. cap. 36. quæstion. practic. & Rebuff. in praxi beneficiorum.

SECTIO VI.

Quibusnam possint, aut debeant conferri beneficia Ecclesiastica?

PRima conclusio: Beneficia Ecclesiastica non possunt licitè conferri indignis, neque inidoneis, siue ineptis ad exequendum officium, cui beneficium annexum est. Probatur, quia est contra æquitatem & rationem manifestam prouidere Ecclesiæ de talibus ministris. Est etiam contra voluntatem & prohibitionem grauem Ecclesiæ: vt patet ex cap. *Cum in cunctis, de elect.* & cap. *Graue nimis, de præbendis*, vbi præcipitur vt beneficia non conferantur indignis, & iubentur suspendi qui secus fecerint. Hoc autem intellige, quandiu digni & idonei reperiuntur, qui possint, & velint ad beneficia promoueri. Quia si non possunt reperiri, melius est vt per indignum exerceatur officium Ecclesiasticum, quàm vt penitùs omittatur, & Ecclesia planè ministris careat: vel etiam, quod peius est, beneficia occupentur ab Hæreticis. Ex duobus autem malis minus eligendum est. Sed qui sic electus fuit, tenetur quoad potest se idoneum reddere, & officium per se, vel per alios, quàm optimè potest exercere. Porro dignitas & idoneitas, non solùm ex præsenti statu eius qui eligitur, sed etiam ex futuro, licitè interdum attenditur. Potest enim eligi qui prudenter speratur talis euasurus, licet adhuc non

48. Non possunt conferri indignis.

Quandiu digni reperiuntur.

non sit: nisi necessitas Ecclesiæ virum iam dignum, & præsentem opem postulet: vel nisi electio cedat in detrimentum tertij, cui beneficium potiùs debeatur.

49. Debent dari dignioribus. Secunda conclusio: Beneficia Ecclesiastica debent non modò conferri dignis, sed etiam dignioribus, quoad fieri potest: quamvis sufficiat conferre dignis vt collatio in foro externo non possit irritari, modò aliunde valida sit. Hæc conclusio est D. Thomæ quæst. 63. art. 2. ad 3. & communis Doctorum. Prima illius pars probatur ex Scriptura Ioannis 21. vbi Christus Petrum eligens in ouium suarum Pastorem, per illum priùs interrogauit an diligeret plus alijs; vt ostenderet se digniorem eligere, ad exemplum nostrum. Probatur 2. efficaciùs ex cap. vnico, *extra*, *Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, vbi Innocentius III. statuit officia & beneficia Ecclesiastica non ex carnis affectu, sed ex discreto iudicio, in personam magis idoneam debere dispensari. Et in Concilio Basileensi Sess. 12. præscribitur vt electores iurent se digniorem eligere. Vbi tamen sermo tantùm est de præbendis, seu Canonicatibus, non habentibus curam animarum: de alijs verò, quibus hæc cura incumbit, multò maior est ratio. Tridentinum quoque Sess. 24. in Decreto *de Reformat. cap. 1.* paulo post initium, affirmat electores Episcoporum peccare mortaliter, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, eorum exigentibus meritis, præfici curauerint. Quod Doctores communiter extendunt ad alia omnia beneficia curam animarum habentia: quia par est ratio. Dignior enim multos saluabit, quos minùs dignus fortè perire sineret. Quare nisi aliquid aliud obstet, debet necessariò eligi. Adde quòd nisi ad eiusmodi beneficia quærantur sollicitè digniores, repletur sensim Ecclesia Pastoribus animarum indignis, vnde multa & grauia sequuntur incommoda: cùm etiam eligendo digniores, nonnulli subrepant indigni, qui non sunt quales apparebant. Probatur tertiò ratione, quia beneficia sunt instituta primò propter cultum Dei, & vtilitatem Ecclesiæ: secundò verò, in præmium virtutis, vt qui sunt digniores in Ecclesia, illis iuuentur & honorentur. Adeóque Ecclesia vult vt conferantur dignioribus. Idque natura iustitiæ distributiuæ postulat, cùm sint bona communia particularibus diuidenda secundùm proportionem dignitatis cuiusque. Secunda verò pars eiusdem conclusionis, quòd videlicet collatio facta digno, prætermisso digniore, non possit irritari in foro externo, est D. Thom. suprà, & communis omnium Doctorum, teste Valent. quæst. 7. p. 2. §. 2. patétque ex cap. *Cum dilectus*, *Extra*, *de electione*. Ratio est, quia alioquin omnis electio posset pati calumniam, & magnæ in Ecclesia sequerentur perturbationes.

Præsertim beneficia curam animarum habentia.

50. Licet interdum conferre minùs digno. Dixi beneficia esse conferenda dignioribus quoad fieri potest: quia notandum est aliquos esse casus, in quibus licet conferre minùs digno. Primus est, si digniores nolint, aut alijs beneficijs sint adstricti: quia non expedit beneficiorum permutatio, præcipuè curatorum. Aut si digniores sint reseruandi pro alijs beneficijs minoribus quidem quoad prouentus, sed maioris operæ & momenti propter necessitatem, & requirentibus plus industriæ. Secundus est, si beneficium subest iuri patronatus: id est, potestati præsentandi instituendum ad beneficium vacans. Tunc enim dignus à patrono præsentatus, debet admitti, licet non desint digniores, cap. *Decernimus*, *16. q. 7.* Tridentinum tamen Sess. 24. Decreti de Reformat. cap. 18. statuit vt si patronus sit Ecclesiasticus, & beneficium habeat curam animarum, detur dignissimo: in eóque iuri antiquo patronatus Ecclesiastici derogauit: multáque alia valde vtilia circa beneficia Parochialia ibidem constituit: quæ tamen vbi Trident. non est receptum, in vsu non sunt, neque obligant. Tertius est, si beneficium ex vi suæ institutionis debet conferri necessariò cuipiam ex certa familia, vel oppido, modò dignus reperiatur: vel si ex Decreto Canonum dandum est Clericis eiusdem Ecclesiæ, vt olim frequens erat, & adhuc alicubi fit. Tunc enim dandum est aptissimo inter illos, omissis alijs, licet dignioribus. Ratio secundi & tertij casus est, quia tunc illa beneficia non sunt omnino in commune exposita, vt dignioribus quibusvis distribui debeant: sed subiecta alicui iuri peculiari, auctoritate Ecclesiæ, quæ propter maius aliquod bonum, potuit ex cumulo bonorum communium eatenus illa secernere, & aliquorum veluti propria, aut magis peculiaria facere. Idémque Caiet. V. *Beneficium*, & alij docent de resignante in fauorem alterius, propter iampridem receptam consuetudinem, quâ tales resignationes admittuntur & approbantur, quamvis non resignentur digniori. Nimirum quia beneficium illud, cùm sit proprium resignantis, non est bonum commune, quod proinde ex iustitia distributiua digniori conferri debeat. Quare si resignans de proprio suo bono disponat in fauorem digni, non facit iniuriam digniori, qui nullum ius habet ad tale beneficium. Quartus est, si electores non conueniant de digniori, & plura suffragia vergant ad aliquem indignum, nisi quis suffragium suum det minùs digno. Tunc enim potest illum eligere, omisso digniore cui non prodesset; ac debet, quia sic impedit maius damnum Ecclesiæ, & eligit digniorem quoad potest.

Licétne se offerre ad beneficium? Dices: si ita est, nemo licitè poterit se offerre ad beneficium vacans, nisi se bona fide existimet esse omnium competitorum dignissimum. Respondeo negatiuè. Sufficit enim si dubitet num alius dignior sit competiturus, & iudicium electori relinquat. Potest enim, ac debet, si res dubia est, superiorum iudicio stare: & pusillanimitatem cauere, sicut & præsumptionem, & turpe desiderium honorum, aut prouentuum Ecclesiasticorum, non ortum ex vero affectu seruiendi Deo, & Ecclesiæ; & ex Spiritus sancti inspiratione: sed ex vanitate, ambitione, auaritia, aut alio affectu prauo.

Nota secundò, digniorem illum censendum esse, qui vtilior erit Ecclesiæ in gerendo officio, propter quod datur beneficium: id est, qui meliùs sciet, volet, & poterit illud exercere. Hæc enim tria ad omne officium rationale sunt pror- 51. Quis dignior cēsendus?

sus necessaria, scire, velle, & posse. Nam qui ignorat quid agere debeat, quomodo volet? Et qui non vult, non faciet. Vt autem velit constanter, opus est inclinatione & determinatione virtutum: & vt possit, multa interdum subsidia externa necessaria sunt, præter corporis habilitatem. Porro executio & effectio est vltima, & finis reliquorum. Hæc igitur tria expendi debent quando iudicatur de maiori dignitate, & aptitudine. Neque est necesse vt hæc omnia sint maiora in quovis digniori: sed spectandum est quid prævaleat, & magis conducat ad vtilitatem Ecclesiæ. Hinc excusantur multæ electiones, quæ alioqui vitiosæ videri possent, & non carere iniusta personarum acceptione. V.g. quòd ad Episcopatus eligantur nobiles, & potentes, omissis doctioribus, & maiori virtute prædictis: quia illi, ratione potentiæ, & auctoritatis, vtiliores erunt Ecclesiæ ad rebelles compescendos, & ad iura eius tuenda, &c. Quòd ex solo numero Cardinalium eligantur Summi Pontifices: quia illi, cùm sint Pontificis Consiliarij, & negotia communia Ecclesiæ nota iam habeant, erunt vtiliores. Quòd in quibusdam Ecclesijs non eligantur in Episcopos, & Ministros, nisi qui sunt de Clero earundem: quia pro suo erga Ecclesiam propriam affectu & propensione maiori, aut etiam notitiâ, meliùs illi seruient. Quòd nationes quædam excludantur in praxi ab electione passiua Summi Pontificatus, ad vitanda Schismata, & graues discordias inter Principes Christianos. Quòd Prælati præferant alijs consanguineos: quia meliùs secum consentient ad bonum commune procurandum, & magis vnanimiter negotia tractabunt. Possunt enim propter hoc, cæteris paribus, aut non ita imparibus vt alia præponderent, illos præferre, modò scandalum absit, & alij non inde sumant occasionem diuidendi beneficia consanguineis ex carnis affectu: vt rectè docet S.Thom. quæst. 63. art. 2. ad 1. Denique vndecunque censeri possunt vtiliores bono communi Ecclesiæ, inde sunt digniores, & alijs præferri debent.

52. Quomodo peccent, & ad quid obligentur qui conferūt indignis? Quæres, an peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem, qui conferunt indignis, vel minùs dignis, quando possunt & debent conferre dignioribus? Respondeo de restitutione philosophandum esse iuxta ea quæ diximus de officijs sæcularibus Sect. 2. par enim est ratio. Quoad peccatum verò, consentiunt Doctores esse peccatum mortale generaliter, conferre indignis beneficia quæ curam animarum habent annexam, vel aliam functionem magni momenti, nisi defectus dignitatis leuis sit. De alijs, quando electio non est ad munus magni momenti, existimant aliqui non esse regulariter peccatum mortale eligere dignum omisso digniore. Imò nec quando excessus dignitatis est paruus, licet munus sit magni momenti: quia materia leuis est. Ita Valentia quæst. 7. p. 2. §. *Sed quæris*, post Dominic. Sot. lib. 3. de Iust. q. vlt. art. 2. Alij, vt Lessius cap. 34. dub. 14. Nauarr. de oratione Miscellanea 38. Salon 2. 2. quæst. 63. art. 2. censent esse quidem mortale generatim omittere digniorem in beneficijs habentibus curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia: In cæteris verò nequaquam, nisi quis passim id faciat. Ratio est, quia in priori casu fit grauis iniuria Ecclesiæ: secus in posteriori. Alij denique, vt D. Antonin. 2. parte, titulo 1. cap. 10. §. 1. Albertus, & alij à Lessio citati docent in omnibus esse peccatum mortale, præsertim si dignior se offerat: quia fit digniori iniuria in re graui, & violatur iustitia distributiua, secundùm quam beneficia debent dari dignioribus. Et hæc sententia probabilis est. Existimo tamen non tantum esse ius particularium ad eiusmodi beneficia, ratione suæ dignitatis, neque tantam obligationem eorum quibus incumbit distribuere, vt peccent grauiter, modo conferant dignis, & non inde sequatur graue damnum Ecclesiæ. Sufficit etiam si dispensatores beneficiorum Ecclesiasticorum diligentiam moralem & rationabilem adhibeant in dignioribus eligendis, neque debent esse nimis anxij & scrupulosè solliciti: at neque etiam leui, & parum seria inquisitione contenti. Qua de re plura notatu digna videri possunt apud De Lugo disp. 35. Sect. 1.

Quæres secundò, an qui beneficium iam accepit, quo dignus est, teneatur deponere, & cedere digniori se offerenti? Respondeo negatiuè, sed tantùm tenetur quàm optimè potest officium suum gerere. Imò licet impotens fiat per morbum, vel aliter, non tenetur dimittere: sed si beneficium habet curam animarum, vel aliquam functionem aliam erga proximum, sufficit illam per alium exercere. Ratio est, quia contrarium esset nimis durum, & inde sequerentur perturbationes, & incommoda multa. Et beneficia non debent conferri dignioribus qui se offerent post collationem: sed digniori inter eos qui se offerunt ante collationem. Imò licet aliquis beneficium acceperit cum aliqua iniuria dignioris se offerentis; non tenetur illud deponere, & cedere digniori: quia res ipsa non est reddenda, quando alius non habebat ius in re: & quamvis iste peccauerit accipiendo; collatio tamen valida est: quia ius dignitatis ad rem, non impedit collationem alteri factam. Vt neque promissio vni facta, obstat quo minùs res donetur alteri validè; licet ius promissionis acceptatæ sit strictius, quàm ius dignitatis: Et ius emptionis sine traditione rei, non impedit quin secundus emptor, cui res traditur, non eam validè possideat, licitéque retinere possit. 53. Tenetúrne indignus dimittere beneficiū iam acceptum?

SECTIO VII.

Quænam requirantur vt quis censeatur idoneus ad Beneficium? Quibúsve in casibus Collatio sit irrita, vel irritanda?

Diximus suprà generatim tria requiri ex natura rei: scire, velle, & posse. Ex constitutione verò Ecclesiæ quædam alia requiruntur. Et omnia simul sumpta, id est, tam quæ ex rei natura, quàm quæ iure Ecclesiastico requiruntur, decem omnino sunt: videlicet scientia debita, probitas morum, habilitas ex parte 54. Aliqua requirūtur ex natura rei, & alia ex constitutione Ecclesiæ.

corporis, intentio status Ecclesiastici, thorus legitimus, ætas conueniens, Cælibatus, Clericatus vel ordo, non esse irretitum censura vel irregularitate, & non habere aliud beneficium incompatibile: de quibus singulis pauca dicenda sunt.

Requiritur 1. Scientia debita. Per Scientiam debitam, intelligitur ea quæ necessaria est ad rite obeundum officium cui beneficium annexum est, cap. *Cum in cunctis*, de elect. quæ si omnino deest, collatio est irrita, vt docent plerique cum Innocent. in cap. cit & Nauar. in cap. Si quando, exceptione 16 fauetque Trident. Sess. 22. in Decreto de Reformat. cap. 4. Si autem aliqua scientia non deest, quâ possit aliquo modo satisfieri officio; collatio non est irrita, sed debet irritari, nisi speretur breui fore quanta opus est: vt colligitur ex cap. *Nisi, de renuntiat.* & docet Innocent. supra cit. cui cæteri assentiuntur. Sunt etiam quædam beneficia, ad quæ vltra notitiam Theologiæ, requiritur peritia iuris Canonici: vt ad Episcopatus, & alia quæ habent iurisdictionem in foro externo.

55. 2. Probitas morum. Per morum Probitatem, intellige voluntatem & virtutes necessarias vt bene fungatur suo officio: & vt non sit criminosus, neque infamis. Collatio tamen facta criminoso non est irrita ipso iure, sed irritanda, vt patet ex cap. *Inter dilectos*, de excessibus Prælatorum: vtrum autem irrita sit collatio quæ habet annexam irregularitatem, dicemus infrà num. 61. De voluntate denique & virtute necessaria, censendum est vt suprà de scientia: quippe quæ non minùs, imò magis necessaria est.

3. Habilitas corporis. Per Habilitatem corporis, intellige eam quæ requiritur ad officium decenter exercendum. Vnde cæci v. g sunt incapaces, quia non possunt recitare officium: & collatio facta impotenti est irrita; vt colligitur ex cap. *Nisi, de renuntiat.* Si tamen impotentia superueniat, non tenetur deponere beneficium iam acceptum, sed gerere per Vicarium ea quæ pertinent ad curam animarum, & functiones erga proximum, quas exercere nequit.

56. 4. Intentio status Ecclesiastici. Per Intentionem status Ecclesiastici, intellige voluntatem permanendi in statu Clericali, ita vt sincerè velit nunquam ab eo resilire, nisi aliqua iusta causa acciderit. Alioqui peccat saltem venialiter iuxta nonnullos, imò etiam mortaliter, ex communi sententia, quisquis absque tali intentione beneficium accipit. Sed collatio non est inualida, neque tenetur ad restitutionem, si muneri suo satisfecit; quia ius id non statuit: nisi beneficium Parochiale sit, & accipiatur absque intentione suscipiendi Sacerdotalem ordinem intra annum (vel in Gallia intra duos) neque reipsa intra talem terminum susceperit. Qua de re plura vide apud Lessium lib. 2. cap. 34. dub. 26. & Malderum tract. 9. cap. 2. dub. 16.

5. Thorus legitimus. Per Thorum legitimum intellige vt qui beneficium accipit, non sit illegitimus. Alioqui sine dispensatione Summi Pontificis est incapax omnis beneficij habentis curam animarum. Ad simplicia verò sufficit dispensatio Episcopi: Iuxta cap. 1. *de filijs Presbyterorum in 6.*

57. Per Ætatem conuenientem, intellige eam quæ à iure requiritur, diuersa pro diuersis beneficijs. Nimirum ad Episcopatum ætas 30. annorum expletorum, cap. *Cum in cunctis, de electione*, & cap. *Episcopus, dist. 77.* Ad beneficia Ecclesiastica habentia dignitatem cui annexa est cura animarum, cuiusmodi sunt Decanatus, Præpositura, Archidiaconatus, Abbatiæ, Prioratus Conuentuales (intellige Abbatias, & Prioratus quæ sunt beneficia Ecclesiastica, cuiusmodi non sunt officia Abbatissæ, & Priorissæ Monialium) requiritur ætas 25. annorum inchoatorum, cap. *Cum in cunctis*, cit. Ad alias dignitates non habentes curam animarum annexam, sufficit annus 22. expletus, ex Trident. Sess. 24. cap. 12. Ad Parochialem Ecclesiam, & Vicariatum perpetuum, annus 25 inchoatus, C. *Licet Canon, de elect. in 6* Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, quia habet annexum ordinem Subdiaconatus, aut Diaconatus, aut Presbyteratus, requiritur ætas quæ necessaria est ad eundem ordinem intra annum recipiendum: & alioqui collatio est irrita: vt colligitur ex Trident. Sess. 24. cap. 12. Ad Canonicatum verò Ecclesiæ Collegiatæ, & ad minora Beneficia simplicia, requiritur annus 14. inchoatus: ex Trident. Sess. 23. cap. 6. Olim tamen poterant hæc beneficia pueris dari post annum septimum: vt videre est apud Syluestrum V. *Ætas*, §. 2. Et nunc etiam circa hæc attendendæ sunt speciales Ecclesiarum constitutiones, consuetudines, & priuilegia: vt ait Laiman lib. 4. tract. 2. cap 14. num. 1. vbi etiam non improbat consuetudinem illam quâ in multis Ecclesijs Cathedralib. admittantur ad Canonicatum, qui annum ætatis 14. attigerunt, cum obligatione recitandi officium, & recipiendi Subdiaconatum suo tempore, intereaque vacandi studijs literarum. Alioqui verò non possunt omitti sine peccato ea quæ præscribuntur iure antiquo de ætate eorum, quibus conferuntur beneficia: imò nec ea quæ præscribuntur à Tridentino, vbi receptum est. Aduertendum præterea, tria Galliæ Regibus esse concessa priuilegia. Nam, vt paulò ante diximus, ad Archiepiscopatum & Episcopatum iure communi requiritur annus trigesimus expletus, cap. *Cum in cunctis*, cit. confirmato à Trident. Sess. 7. cap. 1. de Reformat. Cum enim dicitur vt non sit minor triginta annis, intelligitur trigesimus expletus: alioquin esset minor illis, si haberet tantùm viginti nouem, & aliquot dies aut menses infra trigesimum. At Rex Galliæ potest nominare ad Archiepiscopatus & Episcopatus illum qui incepit annum 27. & ad Abbatiam, & Prioratum Conuentualem, illum qui cæpit 23. vt habetur in Concordat. tit. *de Regia ad Prælaturas nominatione*: & ex antiquo priuilegio potest conferre quemvis Canonicatum, aut præbendam, suæ nominationis, ei qui attigit annum septimum. Aduerte tertio, vnicum ætatis defectum iure antiquo irritare collationem beneficij, quando scilicet confertur Ecclesia Parochialis ei, qui nondum attigit vigesimum quintum annum, vt habetur cap. 14. *de elect. in 6* ex Decreto Concilij generalis Lugdunensis. Eadémque est ratio Vicariatus perpetui, ex Clement. vnica *de officio Vicarij*. 6. Ætas conueniens.

Bb 2

At in Trident. Sess. 22. cap. 4. Decreti de Reformatione, decernitur irrita esse omnis prouisio, facta illi qui ætatem, & cæteras habilitates non integrè habuerit. Sed hoc in Gallia non est vsu receptum. In hac autem inhabilitate, & alijs ad beneficium Parochiale, dispensat solus Papa ordinariè: potest tamen Episcopus, vbi est Parochi penuria, & periculum in mora. Et hactenus de ætate.

58. 7. Cœlibatus. Cœlibatus est adeo necessarius, vt nemo coniugatus possit beneficium adipisci, aut retinere: & omnis collatio illi facta sit irrita: vt docent communiter Theologi, & Canonistæ, probantque ex cap. 1. *de Clerico coniugato.* Nisi duxerit virginem, & vouerit castitatem, consentiente vxore, pariterque vouente in Religione approbata, si est iunior: in sæculo & in manibus Episcopi, si est senior, nolitque in Religionem ingredi: *cap. 2. eodem tit. & Glossa ibidem.* Quòd si Clericus iam adeptus possidensque beneficium, contrahit matrimonium, priuatur beneficio ipso iure: vt docent communiter interpretes iuris Canonici cap. cit. Nisi contrahat inualidè, vel vxor ante consummationem ingrediatur Religionem, vel solùm contrahat sponsalia. Meretur tamen eo priuari qui sponsalia contrahit, vel qui in sacris Ordinibus existens contrahit, licet sacrilegè & inualidè, matrimonium. Qua de re plura vide apud Malder. tract. 9. de Iustitia, cap. 2. dub. 12. Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 14. num. 7. & Lessium cap. 34. dub. 21.

59. 8. Clericatus. Clericatus, seu prima Tonsura, necessariò prærequiritur ante omne beneficium: ita vt si desit in suscipiente, collatio sit inualida & nulla, vt colligitur ex cap. *Ex literis, de transactionibus.* Nimirum quia Laïcus non est capax beneficij Ecclesiastici, nisi intercedat dispensatio Summi Pontificis, aut consuetudo præscripta. Nec satis est si post collationem factam statim accipiatur prima tonsura: sed vt valida sit collatio, etiam in foro conscientiæ, necessarium est vt prima tonsura præcedat collationem. Debet autem accipi à proprio Episcopo, vel ab alieno cum dimissorijs proprij, vt fusiùs docet Lessius cap. 34. dub. 19. vbi affirmat eum qui sine dimissorijs accepit ab alieno, esse incapacem beneficij. Sed hoc non satis efficaciter probat ex cap. *Si quis ausus, dist. 71.* & contrarium verius esse docent Nauarrus Consil. 23. 24. & 25. *de temporibus ordinationum*, Guido Papæ in decisionibus, quæst 439. Toletus lib. 1. cap. 48. num. 3. & eruditi quidam recentiores: quorum ratio hæc est, quia licet olim dubium esset, vtrum qui sine dimissorijs acciperet primam tonsuram, esset ipso facto suspensus ab omni executione, vsu, & priuilegijs primæ tonsuræ, & consequenter inhabilis ad beneficium: tamen hoc dubium postea sublatum est per constitutionem Pij II. apud Petrum Matthæum in Summa Constitutionum Summorum Pontificum, ex qua constat eos tantùm esse suspensos qui accipiunt Ordines sacros sine dimissorijs. Tridentinum verò Sess. 14. cap. 2. *de Reformat. in fine*, suspendit quidem eos qui ab Episcopo titulari accipiunt quemcunque ordinem, etiam minorem, sine dimissorijs, sed loquitur tantùm de Episcopo titulari, & non eos suspendit nisi ab executione ordinum sic susceptorum, quamvis ibidem expresè prohibeat vt ne tonsuram quidem à tali Episcopo accipiant, sine dimissorijs. Sess. verò 23. cap. 8. de Reformatione, suspendit omnes qui à quocumque Episcopo alieno suscipiunt ordines, etiam minores, sine dimissorijs: at non qui tonsuram, quam expresè distinguit ab Ordinibus minoribus cap. 2. & 6. eiusdem Decreti: nec vnquam illam comprehendit nomine ordinis, vt declararunt Cardinales Congregat. Concilij, teste Toleto lib. 1. cap. 49. num. 4. in fine, & patet ex declarat. eiusdem Congregationis ad Sess. 7. cap. 10. de Reformat. V. *Ordinandi licentiam.* Vnde collige non esse suspensum, aut inhabilem ad beneficium, eum qui primam tonsuram accepit sine dimissorijs, vbi Trident. est receptum: vbi verò non est receptum, ne quidem eum qui quatuor minores.

Ordo verò requiritur in illis beneficijs quæ ex institutione postulant certum ordinem. Quò etiam pertinet gradus Licentiæ, vel Doctoratus, qui in quibusdam requiritur. Circa quæ nota primò, quando aliqua eiusmodi qualitas requiritur iure communi, sufficere vt prouisus illam habeat intra annum post collationem beneficij, & possessionem pacificam. Vnde in Gallia sufficit illam habere intra biennium à collatione: quia in Gallia nemo censetur habere pacificam possessionem nisi exacto anno integro post adeptionem beneficij. Annus autem iure communi requisitus non incipit computari nisi à pacifica possessione beneficij, iuxta cap. *Commissa, de elect. in 6.* Nota secundò, quando aliqua eiusmodi qualitas requiritur in ipsa fundatione beneficij, additúrque expresè, vt collatio aliter facta sit irrita ipso facto: talem collationem esse nullam, etiam in foro conscientiæ, & ante omnem sententiam. Quia est donatio sub conditione: quâ non existente, donatio est inualida. Sunt tamen qui putent hunc rigorem potuisse mitigari longa consuetudine. Si autem clausula supradicta non additur expresè; peccat quidem qui dat vel accipit beneficium scienter, sine qualitatibus huiusmodi requisitis, nisi consuetudo præscripta excuset: tamen collatio non est irrita in foro conscientiæ: quia Clericus non fit inhabilis ad beneficium vi fundationis, nisi inhabilitas illa expresè statuatur per ipsam fundationem. Sed potest irritari in foro externo, tanquam iniusta, & facta contra mentem fundatoris: vt colligitur ex Trident. Sess. vltima cap. 5. de Reformat. in fine, cùm statuit vt prouisiones ita factæ censeantur subreptitiæ. Nam censere aliquid esse subreptitium, aut non esse, est officium Iudicis in foro externo. Nota tertiò, admissum ad Parochiale beneficium, si non ordinetur Sacerdos intra annum à pacifica possessione, priuari beneficio ipso iure, nulla etiam præmissa monitione, cap. *Licet Canon, de elect. in 6.* quod intellige, nisi legitimum impedimentum habuerit, aut excusationem: vel nisi Episcopus dispensauerit, vt potest ad septennium, in fauorem studiorum; modò tamen intra annum Subdiaconus ordinetur, ne resilire possit, cap.

60. Ordo requiritur ad obtinendâ quædam beneficia, & Doctoratus.

Sitne inualida collatio sine illis?

Parochus debet esse Sacerdos intra annum.

Cum ex eo, tit. citato. Item nisi beneficium Parochiale habeat tantùm curam animarum in habitu, non in actu; id est, si per Vicarium perpetuum aut temporalem sit administrandum; vt docet Lessius cap. 34. dub. 19. núm. 100. post Nauar. lib. 3. Consil. 4. *de Præbendis*. Præterea Trident. Sess. 23. cap. 2. de Reformat. statuit vt si *Episcopi munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: & si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesijs ipso iure sint priuati* Item Sess. 22. cap 4. *de Reformat* statuit varias pœnas contra Canonicos, & alios, qui in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis, non suscipiunt intra annum ordinem suo officio conuenientem: decernitque vt in posterum nulla fiat talis prouisio: & si fiat, irrita sit.

61. Circa vacuitatem à Censuris, & ab irregularitate, Dico primò, nullam censuram, præter maiorem excommunicationem, reddere irritam ipso factò collationem beneficij. Nam quòd minor excommunicatio non impediat ne collatio sit valida, probatur quia nullus est Canon, quo irritetur ipso facto; sed potiùs in cap. finali, *Extra, de Clerico excommunicato*, dicitur electionem excommunicati minori excommunicatione esse irritandam. Ergo non est irrita ipso facto. Nam verba illa Canonis, cùm pœnalia sint, debent in sensu proprio & stricto accipi, potiùs quam ampliari. Quare malè nonnulli per *irritandam*, intelligunt *irritam declarandam*. Atque ita contra Azotium & quosdam alios censent Suar. disp. 24. de Censur. Sect. 2. num 19. Less. cap. 34. dub. 22. num. 116. & DD. communiter. Similiterque nullus est Canon quo collatio reddatur ipso facto irrita in foro conscientiæ propter suspensionem: vt bene ostendit Suares disp. 27. Sect. 1. num. 16.

Minor excom. non irritat collationem beneficij.

Neque suspensio, vel interdictum.

At verò quòd collatio beneficij facta excommunicato maiori excommunicatione sit irrita ipso facto, communis sententia est: & patet ex cap. *Postulastis, extra, de Clerico excommunicato*. Quod tamen aliqui dicunt esse intelligendum de notorio excommunicato: quia Canon non habet locum, nisi quantùm extenditur ratio Canonis. Quando enim in Canone, aut in lege exprimitur ratio constitutionis, quantumcunque sit generalis constitutio, debet restringi iuxta rationem expressam, vt dicunt Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 9. & Rebell. de Iustitia parte 1. lib. 1. quæst. 6. num. 12. Rationem autem cur beneficium conferri nequeat excommunicato, hanc vnicam affert Summus Pontifex in can. cit. quòd cum excommunicatis communicari non debeat. Quæ ratio locum non habet in excommunicatis occultis, sed tantùm in manifestis: imò iam non nisi in denuntiatis nominatim, aut notorijs percussoribus Clericorum. Item Nauar. in cap. *Fratres, de pœnit. dist. 5. num. 45.* ait hunc Canonem non esse intelligendum de eo qui ignorat probabiliter se esse excommunicatum: in eandémque sententiam citat glossam 2. in cap. *Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante*. Felinum, & Cardinalem. Hæc tamen exceptio non placet alijs, neque est adeo conformis praxi curiæ Rom. Nam Summus Pontifex solet absoluere à Censuris eum cui confert beneficium, ad effectum collationis obtinendum. Quanquam responderi potest Summum Pontificem id facere propter forum externum, vel ad cautelam, quamvis collatio non foret irrita in foro conscientiæ. Sed eo non obstante mihi magis placet communis sententia, generaliter affirmans maiorem excommunicationem reddere collationem irritam. Qua de re plura diximus tom. 5. disput. 59. Sect. 7. De recta verò ratione interpretandi leges & constitutiones irritantes, videri possunt quæ diximus in tract. de Legibus, tom. 2 disput. 3. Sect. 1. & 2.

Secus excommunicatio maior.

Item, licet non careat probabilitate quod affirmant Vgolinus, Couarr. Azor, Aula, & plures alij, quos refert & sequitur Bonacina disp. 2. de Censuris, quæst. 2. puncto 4. proposit. 3. num. 9. eisdemque accedit Lessius cap. supra cit. num. 118. Posse videlicet excommunicatum acceptare suam electionem, vel collationem beneficij sibi factam antequam excommunicaretur: cui sententiæ fauet etiam Praxis, vt testatur Couar. lib. 3. Variarum cap. 16. num. 4. & in cap. *Alma mater*, parte 1. §. 7 num. 4. Contrarium tamen speculatiuè saltem probabilius esse ostendimus tom. 5. disput. & Sect. suprà cit. num. 88. Potest tamen Episcopus dispensare vt ille, qui iam est absolutus ab excommunicatione, retineat beneficium quod accepit dum esset excommunicatus iuxta glossam cap. *Postulastis, d. Clerico excommun* Nam ista dispensatio supplet vicem nouæ collationis. Quod etiam verum est, quamvis ius conferendi beneficium alioquin ad alium spectaret: vt bene docet Azor lib. 6. cap. 7. quæst. 2. in fine. Denique quòd etiam interdictum personale reddat irritam collationem beneficij, docent communiter Doctores, & colligunt ex cap. 1. de postulatione Prælat. Contrarium tamen sentiunt eruditi quidam recentiores, propterea quòd in nullo Canone id expressum habetur, vt fatetur Lessius dub. 22. num. 116 & pariter non sunt ampliandæ sed restituendæ.

Peccétne excommunicatus acceptans beneficium?

Dico secundò, irregularitatem non priuare quidem beneficio iam acquisito, vt affirmant Nauarr. cap. vlt. Manual. num. 251 Suar. disp. 40. de Censuris Sect. 2. num. 15. & alij communiter: sed inhabilem reddere ad beneficium acquirendum, iuxta communem sententiam: ita vt collatio facta irregulari, sit irrita ipso facto, & nulla etiam in foro conscientiæ. Sunt tamen qui existiment distinguendum esse. Nam irregularitates quædam sunt à iure diuino, aliæ à iure tantùm Ecclesiastico. Et de prioribus quidem affirmant reddere collationem irritam ipso facto, quia illæ à nemine tolli possunt; vt si beneficium conferatur mulieri, vel amenti & furioso. De posterioribus aiunt posse quidem propter illas irritari collationem in foro externo, vt si beneficium conferatur bigamo, aut illegitimo: ideóque quicunque vult esse tutus in foro externo, debet procurare dispensationem super irregularitate, & inhabilitate ad beneficium inordinatè acceptum, nouamque obtinere collationem: Attamen priorem collationem non esse irritam in foro conscientiæ: & 62.

Quomodo irregularitas priuat beneficio, vel impedit eius collationem?

Sitne irrita in foro conscientiæ?

qui taliter accepit beneficium, non esse cogendum vt nouam collationem procuret. Atque ita sentiunt Syluester V. *Excommunicatio 4. num. 4.* & alij quos citat Suares disp. 40. de Censuris Sect. 2. num. 29. qui fatetur hanc sententiam esse probabilem, & eum qui practicè illi adhæret, excusari à peccato, vt ait ibidem num. 35. Ratio illorum præcipua est, quia hæc inhabilitas ex nullo Canone probari potest, vt ostendit Suares loco citato. Non est autem introducenda noua inhabilitas sine Canone; quia pœnæ restringendæ, potiùs, quàm amplandæ sunt: iuxta Regulam 15. *de Reg. Iuris in 6.* Neque vrget ratio contrarium sentientium: videlicet, quando duo sunt coniuncta, & vnum eorum impeditur, impediri quoque aliud: Sed officium & beneficium sunt coniuncta, & officium impeditur per irregularitatem: ergo per illam quoque impeditur adeptio beneficij. Responderi enim potest maiorem esse intelligendam de ijs tantùm quæ sunt necessariò & perpetuò coniuncta: cuiusmodi non sunt beneficium, & officium. Nam in ipsa collatione beneficium non est coniunctum officio: imò satis erit si officium vno integro anno sequatur collationem beneficij iure communi, vt suprà diximus: & intereà poterit tolli impedimentum irregularitatis. Alioqui enim idem argumentum probaret inualidam esse collationem beneficij Parochialis factam existenti in peccato mortali. Quippe quod magnum impedimentum est ne Missam celebret, quam ex officio tenetur celebrare. Sicut autem hoc impedimentum non est perpetuum, sed tolli potest per pœnitentiam: ita & irregularitas tolli potest per dispensationem. Quare ne quidem peccat qui accipit beneficium in irregularitate, modò intendat intra annum absolui; quia iure communi conceditur annus in omni beneficio, etiam curato, vt beneficiarius præparet se ad officium præstandum. Et hæc sententia non est improbabilis: licet prima sit tutior, & communis Doctorum, styloque curiæ Romanæ & foro externo conformis. Nam in vtroque, huiusmodi collationes pro irritis haberi solent.

63. Pluralitas beneficiorum. Quod demum attinet ad pluralitatem beneficiorum incompatibilium, nota cum Lessio cap. 34. dub. 27. num. 140. beneficia incompatibilia esse duplicia. Quædam dicuntur incompatibilia primi generis: quorum primum vacat hoc ipso quòd alterum pacificè possidetur sine dispensatione: vt duo Episcopatus, vel alia beneficia ante Episcopatum adeptum habita: duo beneficia curata, duæ dignitates, vel duo personatus, vel duæ præbendæ vniformes sub eodem tecto, duo Canonicatus, vel duæ facellaniæ ad eandem functionem concurrentes in eadem Ecclesia. Alia dicuntur incompatibilia secundi generis, quæ simul quidem licitè retineri nequeunt absque graui peccato: sed tamen non adeo sunt incompatibilia, vt alterum vacet obtento altero & pacificè possesso: cuiusmodi sunt duo Canonicatus in diuersis Ecclesijs, vel Canonicatus & beneficium Parochiale, quorum vtrumque requirat residentiam, & similia omnia quæ residentiam postulant, ex Trident. Sess. 24. cap. 17. vbi prohibet plura huiusmodi beneficia eidem conferri.

Nota secundò, quamcunque beneficiorum pluralitatem solitariè consideratam, & sine causa legitima excusante, esse malam & inordinatam. Quia vt rectè ait Lessius cap. cit. num. 187. minuitur cultus diuinus, & Ecclesiæ vtilitas. Qui enim habet plura beneficia non propterea recitat pluries quotidie diuinum officium, nec plura sacra eodem die facit, neque pluribus in locis residet, nec plurium obit ministeria, & alios multos, fortè magis idoneos, excludit à beneficijs quæ possent illis diuidi, & frustratur intentionem fundatorum, & inuehit auaritiam, luxum, superbiam, ostentationem, & alia mala, quæ satis patent frequenti experientiâ. Est tamen aliquando licita: ad quod duo necessaria sunt: nempe causa legitima, & dispensatio. Causæ omnes legitimæ reducuntur vel ad necessitatem possidentis, qui non potest vno beneficio honestè sustentari: vel ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem. Dispensatio verò habetur vel à Papa, vel à consuetudine præscripta. Ita D. Thomas quodlib. 9. art. 15. Nauar. cap. 25. Manual. num. 128. Malder. tract. 9. cap. 2. dub. 17. Lessius cap. 34. dub. 28. Vndecunque tamen habeatur dispensatio, & quacunque auctoritate, non est tutus in conscientia qui eam obtinuerit, & plura quævis beneficia possidet, sine causa legitima. 64. An & quomodo licita?

SECTIO VIII.

De Regula triennalis possessionis pacificæ.

QVia contingit aliquando vitium in collatione beneficij, à quo irrita redditur, placuit Summo Pontifici suppleri posse hunc defectum per Regulam triennalis possessionis pacificæ, quoties concurrunt conditiones in ea requisitæ, vt habetur in Concordatis, & in Regula Cancellariæ 33. adeo vt non modò beneficium non possit impugnari in foro externo, sed etiam possessor sit tutus in conscientia, præscribátque proprietatem beneficij, nec teneatur illud deponere: vt rectè docent Nauar. lib. 3. Consil. 40. & 42. de præbendis, Glossa antiqua in Regulas Cancell. Rebuff. in tract. de pacificis possessoribus, num. 8. & sequentibus, Ludouic. Gomez in Regulam de triennali possessore, quæst. 42. Reginald. tom. 2. lib. 30. tract. 3. num. 259. Azor tom. 2. Institut. lib. 7. cap. 35. quæst. 8. Probatur, quia cùm Pontifex post triennium nemini ampliùs concedat actionem ad illud beneficium, videtur possessorem reddere etiam securum in conscientia. Alioquin hæc Regula esset iniqua, & perniciosa. Nam veros animarum Pastores abigeret, & falsos defenderet. Sic enim habet Regula Cancellar. citata: *Item voluit, & ordinauit Dominus noster, quòd si quis quæcunque Ecclesiastica beneficia, qualiacunque sint, absque simoniaco ingressu, ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quæuis alia dispositio pertinet,* 65. Reddit tutum in foro externo, & in conscientia.

per triennium pacificè possederit, dummodo in beneficijs, si dispositioni Apostolicæ, ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausâ, reseruata fuerint, se non intruserit super huiusmodi beneficijs taliter possessis molestari ne queat: necnon impetrationes de beneficijs ipsis factas, irritas & inanes censeri debere decreuit: antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo.

66 Et dat titulũ sufficiẽtem. Confirmatur, quia sola tolerantia Summi Pontificis dat verum titulum, *Extra, de supplenda negligentia Prælatorum, cap. Literas*: ergo multò magis defensio & patrocinium Summi Pontificis. Adde Cardinales Congregat. Trident. ad finem cap. 8. Sess. 6. & cap. vlt. Sess. 14. declarasse quòd possessor triennalis non tenetur ostendere alium titulum. Ergo hæc Regula dat verum titulum. Ex quo sequitur non posse Ordinarium iure inquirere in triennalem possessorem, & ex eo, iuris & tituli beneficij quod habet, rationem cognoscere, postquam pacificè illud possedit integro triennio cum conditionibus per hanc Regulam requisitis: & licet, inquisitione facta, cognouerit eum vero titulo caruisse; non posse tamen illum suo beneficio spoliare: quia possessio triennalis pacifica dat illi ius & titulum sufficientem: vt rectè post Rebuffum tract. cit. num. 22. & sequent. docet Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 35. quæst. 9.

67. Tria ad illam requirũtur. Vt autem hæc Regula locum habeat, tria requiruntur. Primò, vt sit titulus coloratus, id est, collatio facta à Pontifice, vel ab Ordinario, apparenter bona, seu cuius vitium occultum est. Secundò, vt beneficium ab eodem possideatur pacificè, id est, sine lite intentata, integro triennio. Tertiò, vt alius qui ius prætendit ad beneficium, non fuerit toto illo triennio legitimè impeditus ne litem intentaret. Quæ omnia satis constant ex ipsa Regula, prout habetur in Concordatis, & fusiùs explicantur à Rebuffo tract. cit. Addunt alij quartò, vt non sit regale beneficium: nam in regali hæc regula locum non habet, nisi post annum trigesimum pacificæ possessionis. Et hoc quidem verum est quoad forum externum, in quo seruatur hoc Regis priuilegium. Probabile tamen est quod aliqui dicunt, sufficere in foro conscientiæ possessionem triennalem pacificam, vbicunque Concordata locum habent: quia in Concordatis (quibus Rex consensit) nulla fit mentio istius priuilegij regalis, vt notat Rebuff. tract. cit. num. 351. Ob eam denique causam addunt aliqui, quos tacito nomine refert Baunius lib. 3. Praxis iuris Gallicani cap. 34. & disp. de beneficijs, quæst. 6. Vbi Concordata locum habent, iuuari hac Regula etiam simoniacos occultos: quia in illis omissa fuit clausula excludens simoniacos, tametsi in Regula Cancellariæ superiùs relatâ, fuissent illi exclusi. Quod certè Leo X. & Patres Concilij Lateran. non ignorabant, neque sine causa clausulam illam omiserunt.

Iuuentũ ne illà simoniaci?

68. Et possessores malæ fidei. Nota præterea, eâdem Regulâ iuuari possessores malæ fidei: quia inter conditiones requisitas in Regula de triennali possessione pacifica, non exprimitur bona fides: quæ tamen præcipuè fuisset exprimenda, cùm plerumque desideretur in huiusmodi possessoribus. Atque ita docent Couar. in Regulam *Possessor malæ fidei, 2. parte § 10. num. vlt. conclus. 4. in fine,* Emmanuël Sa V. *Beneficium, num. 14* Ludouic. Gomez in Regul. de triennali possessione, quæst. 42. vbi etiam testatur fuisse bis ita definitum ab auditoribus Rotæ anno 1524. & 1537. & Guilielm. Cassader. in Regulam Cancell. de triennali possessore. Si tamen possessor malæ fidei nouit alium qui verum ius habebat, tenetur ei restituere fructus primi triennij, quos malè percepit. [illegible] nimùs, beneficium censetur vacasse, & fructus fiunt possessoris, tanquam futuri successoris legitimi, elapso triennio pacificæ possessionis.

Nota tertiò, quemcunque inhabilem iure tantùm Ecclesiastico, posse iuuari hac Regula, dummodo inhabilitas sit occulta: siue sit inhabilitas natalium, siue ætatis, siue cuiusvis alterius, inducta solùm per ius Ecclesiasticum: exceptâ simonia, vbi seruatur Regula Cancellar. & intrusione in beneficium dispositioni Apostolicæ iure communi reseruatum. Ratio est, quia nullum debemus excipere à fauore per hanc Regulam concesso, quem Summus Pontifex non excipit, quoad illa impedimenta, ad quæ eius potestas se extendit. Atqui se extendit ad omnem inhabilitatem Ecclesiasticam tollendam: & nullam excipit in Regula Cancellariæ, nisi eam quæ caret titulo colorato, vel est simoniaca, vel cum intrusione supradicta: in Concordatis verò excipitur tantùm quæ caret titulo colorato. Porro quandiu inhabilitas manet occulta, manet titulus coloratus; cùm impedimentum collationis sit occultum. Deinde exceptio simoniaci ingressus qui exprimitur in Regula Cancell. hoc conuincit. Nam exceptio in non exceptis quæ sunt eiusdem qualitatis, firmat Regulam, iuxta vulgatum axioma iuris. Atque ita docet Ludouicus Gomez quæstione 2. 3. 10. & 15. in Regulam de triennali possessore, contra Rebuffum tract. cit. num. 206. 69. Et quicũque inhabiles occulti.

70. Et qui per subreptionẽ obtinuerũt beneficium. Nota quartò, probabilius esse quòd hac Regula iuuentur etiam illi, qui per collationem subreptitiam obtinuerunt beneficium ab eo, cui beneficij conferendi potestas conuenit: id est, per narrationem falsi, aut suppressionem veri quod explicari debet. Ratio est, quia hæc collatio sufficit ad titulum coloratum, quamvis non sufficiat ad verum. Et nihil est excipiendum, quod non excipitur in ipsa Regula, iuxta prædictum axioma, *Exceptio firmat Regulam in non exceptis*. Atqui in Regula supradicta non excipitur collatio subreptitia: ergo non debet excipi: vt post alios multos bene docet Reginald. tom. 2. lib. 30. num. 150. in 4. conditione.

Nota quintò, collationem cuiuscunque collatoris ordinarij, tolerati, & nondum actu depositi, efficere titulum coloratum: vt bene docent Gomes quæst. 28. in hanc Regulam, & Probus in Pragmatica Sanch. *tit. de pacificis possessoribus. V. Coloratum. num. 10* Ratio est, quia in Regula Cancellariæ de trien. possess. in qua clariùs explicatur titulus coloratus, nullus collator ordinarius excipitur, nisi ille qui impeditur reseruatione iuris communis. Qui igitur alio modo impeditur, non est excipiendus, cùm exceptio firmet Regulam in non exceptis. Atqui

iure communi excipitur solùm enuntiatus, & declaratus per sententiam iudicis, aut notorius percussor Clerici, vi statuti Concilij Constantiensis.

71. Et intrusi. Nota vltimò, per intrusum, de quo in Regula prædicta fit mentio, intelligendum esse eum, qui strictè & propriè dicitur intrusus. Neque sine causa additur hæc exceptio. Quia potest aliquis esse intrusus etiam cum titulo colorato. Tuncque, si beneficium est Apostolicæ dispositioni reseruatum iure communi, non sufficit triennalis possessio pacifica cum tali titulo ad acquirendum verum ius. Multis autem modis dicitur aliquis intrusus strictè, & propriè: quos recenset Azor & exponit cap. cit. quæst. 10. Nimirum primò, qui sine auctoritate eius, cuius est beneficium conferre, se in beneficium immittit: vt dicitur cap. *Ad aures*, de excessibus Prælat. Vel qui sine titulo se in beneficij administrationem infert; vt ait Abbas in cap. *Cùm iamdudum*, de præbend. Vel qui sine titulo Canonico, aut per vim beneficium occupat, & inuestit: cap *Eum qui*, de præbendis in 6. Secundò, vocatur etiam intrusus, qui post electionem, ante confirmationem administrat beneficium, cap. *Auaritiæ*, de elect. in 6. Tertiò, qui beneficium adhuc retinet postquam ab illo amotus est per sententiam Iudicis, nisi ab illa appellauerit: iuxta Innocent. in cap. *Qualiter 2.* de accusat. Quartò, qui beneficium iniquè alteri ademptum, & omisso iuris ordine, detinet: cap. *Tanta*, de excessibus Prælat. Quintò, qui à Superiore obstricto vinculo excommunicationis, interdicti, vel suspensionis ab officio, beneficium adeptus est: vel ab eo, qui potestatem conferendi non habebat: ibid. Plura de hac Regula videri possunt apud Rebuffum, Gomez, Reginald. & alios supra citatos.

SECTIO IX.

Vtrum Beneficiarij excommunicati, vel officium suum non præstantes, teneantur ad restitutionem fructuum?

72. Excommunicatus non tenetur. DIco primò, excommunicatum non teneri ante omnem sententiam restituere fructus suorum beneficiorum quos percepit post excommunicationem; neque illi scrupulum esse injiciendum adeunti pœnitentiæ Sacramentum; præsertim si officio suo in reliquis satisfecit. Quia nullus est Canon, nec vlla efficax ratio quæ conuincat excommunicatum obligari ad huiusmodi restitutionem. Qua de re plura diximus tom. 5. disp. 59. Sect. 7. num. 74. & sequentibus.

Non residens tenetur iure nouo. Dico secundò, beneficiarios non residentes non obligari ad restitutionem, secundùm ius antiquum: obligari tamen secundùm ius nouum, statutum in Tridentino (vbi receptum est) omnes habentes aliquod beneficium, cui iure est annexa cura animarum. Prima pars probatur, quia nullus in iure antiquo extat Canon ad id obligans, vt notat Syluester V. *Clericus*, 4. quæst. 23. Secunda pars patet ex Trident. Sess. 23. cap. 1. de Reformatione, vbi docet residentiam eiusmodi beneficiorum, curam animarum habentium esse de iure & præcepto diuino: & statuit illum, qui non residet, pro ratâ temporis absentiâ fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, etiam aliâ declaratione non secutâ, illos sibi retinere posse, sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare. Sed intelligi debet de non residente sine causa legitima, & sine dispensatione, vbi illa necessaria est. Pro quo nota primò, Episcopos posse quotannis, iusta de causa, abesse tres menses, siue continuò, siue interruptè, sine alia approbatione Superioris: ex Trident. cap. cit. Si verò diutius abesse oporteat, debet causa approbari à Summo Pontifice, vel à Metropolitano, vel eo absente, ab antiquiori suffraganeo, qui etiam causam Metropolitani debet approbare, idque in scriptis: vt rectè ait Lessius cap. 34. dub. 29. & Tridentinum ibid. statuit. Parochi verò vltra duos menses abesse non possunt, sine legitima causa per Episcopum approbata, & relicto Vicario. Nec qui in Cathedralibus vel Collegiatis obtinent Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones, nisi ad tres menses. Alioqui primo anno priuandi sunt mediâ parte fructuum: secundo, omnibus illius anni vt addit Lessius ibidem probatque ex Trident. Sess. 24. cap. 12. de Reformat. Si desit causa legitimæ, vel dispensatio.

Nota secundò aliquas esse causas excusantes à residentia: vt si quis absit propter comitia, quibus interesse tenetur, vel propter munus aut negotium publicum, quod illi ratione officij, vel Ecclesiasticæ dignitatis incumbit: vel vt in Scholis studeat Theologiæ, aut iuri Canonico: quod omnibus permittitur ad quinque annos: conceditur etiam vt abesse possint quantovis tempore, illi qui docent Theologiam, vel ius Canonicum: neque ad hæc duo requiritur licentia Episcopi, vel Prælati: datur enim à Summo Pontifice, cap. *Super specula, de magistris.* Excusat etiam obsequium Papæ, vel Episcopi ad vtilitatem Ecclesiæ, cap. *Cum dilectus, de Clericis non resident.* & cap. *Ad audientiam, eodem tit.* vbi duo Canonici permittuntur Episcopo. Item honesta consuetudo: vt post Innocentium, Panormit. & alios docent Nauarrus cap. 25. num. 121. & Lessius cap. 23. dub. 29. num. 16. addens hoc esse intelligendum, vbi Tridentinum non est receptum. Plura de his videri possunt apud eundem, & apud Malderum tract. 9. cap. 2. dub. 19. Absens quoque pro seruitio Ecclesiæ præsens reputatur. Et morbo detentus percipit eadem emolumenta, quæ sani, cap. 1. de Clerico ægrotante.

Dico tertiò, Beneficiarios qui ratione beneficij tenentur recitare preces Canonicas, & eas omittunt sine causa legitima, obligari ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, saltem ex vi iuris Canonici, vbi receptum est statutum Concilij Lateran. sub Leone X. Sess. 9. & declaratio eiusdem statuti facta à Pio V. quæ extant apud Nauar. cap. 25. Manual. num. 122. Nam ibi statuitur vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione, sine legitimo im- 73. Tenetur etiam nō recitans preces Canon.

pedimento officium diuinum recitare omiserit, pro tempore quo non recitauit, fructus suos faciat: imò eos impendere teneatur, tanquam rem iniustè captam, in fabricam Ecclesiæ, aut eleemosynas pauperum. Et hoc statutum receptum fuit tum in Italia, & Hispania; tum etiam in multis Galliæ partibus in Concilijs Prouincialibus, Burdigalensi capit. 3. anno 1582. Tolosano 1. parte cap. 4. num. 2. anno 1590. Rhotomagensi cap. 3. num. 2. anno 1581. Rhemensi cap. 4. anno 1583. Vbi autem receptum est, obligat in conscientia ante sententiam iudicis: cùm dicat, non facere fructus suos, & teneri erogare vt rem iniustè acceptam: iuxta ea quæ diximus in tract. de Legibus, disputando de lege pœnali.

74. Quanta sit hæc obligatio? Sed nota primò, non esse passim in ea rigore receptum, vt teneatur beneficiarius omnes fructus restituere, sed aliquam partem: vt de Hispania testatur Henriq. cap. 13. de excommunicat. & si beneficium habeat alia munera, quàm precum recitationem, eaque Beneficiarius præstiterit, non possit aliquid pro illis retinere: tametsi Bulla Pij V. ad plus obliget vi Verborum, vt dicemus disput. 37. num. 65. Nam hoc decretum vsu communiter recepto sic temperatum est, vt Beneficiarius qui omisit horas Canonicas, possit nihilominus retinere partem fructuum respondentem alijs oneribus beneficio annexis. Hæc autem pars, quia non est taxata vsu, aut iure, pendet ex arbitrio boni viri & prudentis, vt alia de quibus iura scripta vel consuetudinaria nihil determinant. Henriquez lib. 13. cap. 13. § 2. lit. V. existimat quintam duntaxat partem restituendam esse ab Episcopis, & Parochis; quartam, à Canonicis, tertiam ab alijs Beneficiarijs, pro rata omissionis; cætera posse retineri: pro qua sententia citat Bartholomæum Medinam, Lopes, Pennam, Cueues, & Gallo. Lessius verò cap. cit. dub. 32. dicit hoc iusto laxius esse, præsertim in Canonicis, & alijs non habentibus aliud onus, quàm recitandi preces Canonicas: imò etiam in alijs id metiendum esse iuxta proportionem onerum: quæ sententia rationi & æquitati multò magis consentanea est. Quin etiam Malderus tract. 10. cap. 2. dub. 4. & plures alij dicunt huiusmodi moderationes esse potiùs detorsiones verborum Bullæ in sensum alienum. Verùm non agimus hic de sensu Bullæ sed de vsu recepto.

75. Vigeatne in regno Galliæ? Addunt aliqui Recentiores non satis constare sitne hoc decretum vsu receptum in Gallia, etiam cum prædicta moderatione. Licet enim in plerisque Concilijs Prouincialibus receptum fuerit & promulgatum, vt suprà diximus: dubium tamen est an fuerit vsu receptum. In dubio autem probabili an lex sit vsu recepta, præsertim si pœnalis est, vt ista; potest, inquiunt, quisque statuere se ea non ligari: vt expressè docet Azor 1. p. lib. 2 cap. 19. quæst. 12. Nec obstat quòd fuerit promulgata. Quamvis enim lex aliqua sit debitè promulgata: si tamen vtentium moribus non recipitur post decennium saltem ab ipsa promulgatione, non est lex, saltem in ratione actualis obligationis. Sed contrarium planè tenendum esse patet ex dictis alibi in tractatu de Legibus, disput. 28. Sect. 6. vbi probauimus acceptationem maioris partis communitatis non esse necessariam ad valorem legis, eiusque obligationem. Et disp. 30. diximus, id quod vulgo asseritur, pœnam impositam ipso iure, vel facto, non incurri ante sententiam Iudicis & executionem per ipsum, intelligi debere, nisi pœna sit eiusmodi quæ secum trahat executionem: vt faciunt Excommunicatio, Interdictum, Irregularitas; vel quando lex dicit, sit incapax, sit inhabilis, non faciat alioqui fructus suos, & eos tanquam iniustè perceptos restituere teneatur: vt rectè docent Emmanuel Sa V. *Pœna*, num. 1. post Nauar. Sotum, Caiet. Molinam, & Alphonsum à Castro ibidem citatos. §. *Nisi pœna*. Suares lib. 5. de Legibus cap. 8. alijque Theologi communiter.

Nota 2. Supposito, quod planè certum esse contendimus, hoc decretum obligare ante sententiam Iudicis: si tamen defuit culpa mortalis in omissione horarum, non incurritur hæc pœna restitutionis. Putà, si quis per ignorantiam probabilem putauit se non teneri, vel si omisit per obliuionem. Ratio est, quia hoc decretum est pœnale: ideoque supponit culpam, & quidem grauem seu mortalem: quia non est putandum voluisse Pontificem aut Concilium multare hac pœna communiter graui Beneficiarium propter leuem seu venialem culpam. In ò quamvis non defuerit culpa mortalis: si tamen ignorata fuit hæc pœna restituendi fructus, probabile est eam non incurri saltem in foro conscientiæ: quia probabile est noluisse Concilium ligare hac pœna ignorantes & ferme incautos. Probabile item est excusari à pœna extraordinaria, per humanam legem imposita, eum qui illam ignorauit, tametsi legem, cui est annexa, non ignorauerit, & contra illam mortaliter peccauerit, dummodo non ignorauerit crassè aut supinè: iuxta ea quæ diximus tomo 2. disp. 30. Sect. 5 num. 31. Qua de re vide etiam Sanchem lib. 9. de Matrim. disp. 32. quæst. 6. & Nauar. cap. 27. Manual. num. 274. 76. Excusat ignorantia, & leuis culpa.

77. Aliæ excusationes. Addit Filiucius tract. 23. cap. 10. quæst. 6. conclus. 2. Licet non defuerit culpa mortalis, neque excuset ignorantia huius pœnæ; tamen non teneri pœnam illam soluere qui vno duntaxat, aut altero die omisit officium, dummodo bis tantùm in anno id contingat. Addit præterea, quæst. 7. nihil esse restituendum pro omissione minori, quàm vnius Horæ integræ. Idque intelligendum esse, licet pars fructuum respondens parti omissæ magna sit, docet Bonacina disput. 1. de Benefic. quæst 5. puncto 2. num. 11. citans Nauar. Toletum, & plures alios. Gauantus quoque in Rubric. Breuiarij cap. 6. num. 3. existimat eum, qui sæpius partem notabilem omittit ex pluribus omissionibus compositam, quibus singulis non respondet pars notabilis fructuum, non teneri ad restitutionem. Sed quicquid sit de posterioribus assertionibus, in eo fundatis quòd Bulla Pij V non loquitur nisi de horis integris, vna vel pluribus; videturque loqui iuxta sententiam eorum qui putant omissionem vel vnius horæ integræ, primæ, vel tertiæ, &c. esse P. M. Quicquid,

inquam, de istis sit dicendum, censeo primam non esse veram, neque Bullæ Pij V. consentaneam, statuenti generaliter vt qui per vnum diem, totum officium omiserit, restituere teneatur omnes fructus illi diei respondentes; qui Matutinum tantum, dimidiam partem; qui laudes & reliquas omnes horas, alteram dimidiam; qui vnam ex istis, septimam partem fructuum illius diei, comprehensis etiam distributionibus. Neque puto rigorem huius statuti fuisse eousque temporatum vsu bonorum & prudentum legitimo, communiterque recepto.

78. Excusant etiam cōpensatio & opera pia. Nota 3. eum qui ob tenuitatem beneficij non tenetur recitare officium, non incurrere hanc pœnam: quia non peccat omittendo. Qui autem ratione omissionis tenentur restituere, possunt triplici via liberari ab hac obligatione. Prima est, compensando hunc defectum per spiritualia & opera pia, æquiualentia: vt preces, Missas, &c. arbitrio boni & prudentis viri; iuxta declarationem Pij V. vt censet Filiucius tract. 23. cap. 10. quæst. 9. num. 325. & probabile putat Bonacina vbi suprà, num. 5. Notatque ibidem Filiucius, & Gauantus cap. suprà cit. num. 9. compensationem fieri posse per suffragia pro defunctis. Nam defuncti, quorum animæ versantur in Purgatorio, æquipatantur pauperibus: egent enim spiritali auxilio. Atqui pauperibus restitutio fieri potest, vt liquet ex verbis ipsius Decreti. Altera via est, quia si ille, qui tenetur restituere, verè pauper est; potest cum consilio viri probi, prudentis, & docti, aut sui Confessarij, sibi ipsi applicare id, quod iubetur erogare pauperibus: seu potiùs excusatur à restitutione, propter impotentiam moralem: vt docent Nauar. cap. 25. Manual. num. 123. & in Comment. de Orat. & horis Canon. cap. 7. num. 34. Filiuc. tract. 23. cap. 10. q. 9. num. 326. Gauantus ibid. num. 9. Sect. 1. & Lessius cap. 34. de Iustitia, dub. 32. num. 177. Imò si certa est paupertas, potest sine vllius consilio sibi applicare. Pauper autem est, qui non potest honestè, aut decenter viuere secundùm suum statum. Hoc autem intellige, modò inde non sumat occasionem omittendi liberiùs recitationem officij; & dummodo ex consuetudine, vel statuto, id, quod aliqui amittunt, non debeat alijs recitantibus accrescere: vt fit inter Canonicos quoad distributiones, & interdum quoad ipsum corpus fructuum. Non tamen tenentur etiam tunc peccatum suum prodere, vt in illos refundant. Præterea, si Beneficiarius eleemosynas fecit ex fructibus beneficij, toto eo tempore, quo non recitauit, potest illas computare in partem restitutionis: quia eas non expendit in suum commodum: vt ait Filiuc. tract. 23. cap. 10. q. 9. num. 326. Tertia via est, compositio cum Summo Pontifice. Posito enim quòd ista restitutio sit tantùm de iure Ecclesiastico, vt mox dicemus: potest Summus Pontifex cum huiusmodi Beneficiarijs dispensare, & facilè dispensat. Imò, quamvis esset ex iure naturali facienda Ecclesiæ, posset eam Summus Pontifex condonare: quia est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ. Et si Clericus obtinens Beneficium, nimis grauatur recitatione officij; potest ab eodem petere commutationem huius oneris in aliud.

(Margin: Et paupertas Beneficiarij. — Et compositio cum S. Pontifice.)

Sed quæres, vtrum etiam iure naturali teneantur illi Beneficiarij restituere? Affirmant Sotus lib. 10. de Iustitia q. 5. art. 6. concl. 3. & quidam alij. Ratio præcipua est, quia Beneficium datur propter officium, in quo precum recitatio comprehenditur, vt patet ex cap. *Quia per ambitiosam*, de Rescriptis in 6. & interdum solum illud incumbit, vt in quibusdam Beneficijs simplicibus. Atqui de iure naturæ est, vt qui non facit id, propter quod datur aliud; non possit illud iustè acquirere, aut retinere. 79. Sitne iuris natur. hæc obligatio?

Communior tamen, & probabilior sententia negat: quam tenent Innocent. Panormit. Palud. & alij, quos referunt, & sequuntur Sylvester V. *Clericus 4. num. 16.* Azor part. 2. lib. 7. cap. 6. q. 6. Nauar. de Orat. cap. 21. Suares tom. 2. de Relig. tract. 4 lib. 4. cap. 18. num. 4. & 5. Filiuc. tract. 23. num. 154. & Lessius cap. 34. dub. 32. Ratio est, quia Beneficia non dantur sub conditione conuentionali, sed absolutè, & purè ad sustentationem Clericorum, & subsidia necessaria: cum onere quidem, & obligatione recitandi preces, & fungendi officio, adeo vt peccent grauiter, si id non præstent: sed tamen sine obligatione restituendi id, quod absolutè datum est. Confirmatur, quia Concilium Lateranense Sess. 9. supra citatâ, non obligat nisi post sex menses à capta possessione beneficij. Atqui si iure naturæ tenerentur restituere, obligandi essent ab initio possessionis, & omnino quandiu non recitarent: ergo, &c. 80. Probatur non esse.

Instabis, quia Christus Luc. 10. ver. 7. significat apertè id, quod datur propter officium Ecclesiasticum, dari vt mercedem; quando Discipulis verbi sui Prædicatoribus ita præscribit: *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua.* Sed id quod datur tanquam merces pro opere, non acquiritur, si opus non præstetur: ergo, &c. Respondeo, id quod datur pro labore concionandi præcisè, & similibus operibus laboriosis, velut stipendium, & ex tacita vel expressa conuentione dandi vnum si alterum præstetur, omnino dari tanquam mercedem, & non deberi si opus non præstetur. At beneficia Ecclesiastica non dantur cum tanto rigore: alioqui restitutio deberetur etiam quando sine culpa officium fuit omissum: sicut operarius tenetur restituere mercedem, licet morbo vel aliter impeditus, opus iniunctum omiserit: sed dantur liberaliùs, & absolutè, sicut Ecclesiæ, eiusque Ministrorum dignitatem decet. Vt ea quæ in dominium fuerunt Regibus concessa pro eorum sustentatione, & officio absque onere restituendi, licet non eo rectè fungantur. 81. Soluitur instantia.

Posset tamen Ecclesia ita conferre beneficia, vt nisi officium præstarent, non facerent fructus suos, & tenerentur restituere quidquid percipiunt: sicut fortè in officijs sæcularibus factum est, iuxta ea quæ diximus Sect. 2. Verùm non ita contulisse colligitur ex statuto Lateran. supra cit. non obligante ad restitutionem

primis sex mensibus. Fuit etiam iusta causa vt Ecclesia talem pœnam imponeret, nec vltra sex menses ius ad fructus nisi sub conditione concederet, ad negligentiam Ecclesiasticorum corrigendam. Vbi tamen hoc statutum nondum est receptum, non est obligandus talis beneficiarius ad vllam restitutionem fructuum, nisi ad arbitrium Confessarij, si ille iudicauerit necessarium esse ipsi iniungere aliquam pœnam pecuniariam, vt diligentiùs caueat in posterum à tali peccato.

82. Canonici non canentes in choro tenentúrne restituere? Quæres secundò, vtrum Canonici, qui non canunt in Choro, teneantur ad restitutionem, quamvis extra Chorum, aut submissa voce, recitent in Choro preces Canonicas? Respondeo non teneri ad vllam restitutionem fructuum Canonicatus ante sententiam: licet neque canant, neque Choro præsentes sint; sed vbi constitutio Tridentini Sess. 24. cap. 12. de Reformat. recepta est, vel Bulla Pij V. non lucrantur distributiones quotidianas nisi præsentes sint quando canuntur horæ Canonicæ. Ibi enim renouatur Canon *Consuetudinem, de Clericis non residentib. in 6.* vbi statuitur vt qui non adest officio diurno, nihil recipiat de distributionibus, & rerum receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, & ad earum restitutionem teneatur. Vnde collige obligari restituere in conscientia ante omnem sententiam. Nam restitutio rerum non suarum obligat in conscientia ante omnem sententiam. Sed Trident. quoad hoc non est receptum multis in locis, & speciatim Burdegalæ, vbi hæc scribimus. Nam Concilium Burdegalense anni 1582. cap. 17. statuit tantùm vt qui Officio diuino non intersunt, priuentur distributionibus: Quæ verba significant pœnam ferendam, non autem latam ipso iure. Vbi autem Tridentinum receptum est, sufficit Canonicum interesse Choro, licet non canat cum alijs: quia Trident. non plus requirit: præsertim vbi est consuetudo vt Canonici canant per alios substitutos: vt docent Lessius cap. 34. dub. 33. num. 185. & Petr. Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 2. p. 2. dub. 3. num. 217. Nisi Prælati aliter statuant, vt Tridentinum illis iniungit. Nota præterea, Concilium ibidem statuere vt qui intra duos menses adepti beneficij non emittunt fidei professionem, non faciant fructus suos: & quidem beneficiarij curam animarum habentes, coram Episcopo; vel, eo impedito, coram generali Vicario: Canonici verò Ecclesiæ Cathedralis, vel Dignitates adepti, etiam coram Capitulo: iuréntque vtrique se permansuros in obedientia Ecclesiæ Romanæ.

83. Quinam excusentur ab horis Canonicis? Quæres tertiò, vtrum omnes beneficiarij teneantur recitare preces Canonicas ratione beneficij, quamvis non sint in sacris Ordinibus constituti? Respondeo teneri communiter: vt patet ex cap. *Quia per ambitiosam. de Rescriptis in 6.* Excipiuntur tamen primò qui habent tantùm beneficia quæ ex sua institutione non obligant ad preces illas, sed ad aliquas alias: vt præstimonia quædam obligantia tantùm ad quinquies Pater & Aue, vel aliam breuem orationem. Secundò, excipiuntur probabiliter qui nondum sunt adepti possessionem: nisi de industria differant; nam fraus non debet illis patrocinari. Ratio est, quia ius adhuc communiter est incertum, quod, cùm possessio est capienda, cognosci solet, impedimentis tunc obiectis. Imò licet possessio capta sit, si non est pacifica, & beneficium litigiosum est, probabile est nondum teneri, saltem si non sit spes causam & fructus obtinendi, vt bene docet Lessius cap. 34. num. 175 Vlteriùs excipiuntur illi, qui neque per se, neque per suos, fructus vllos percipiunt, aut percepturi sunt, neque id stat ipsorum culpâ. Ratio est, quia neque obligantur ratione Ordinis sacri, quem non habent, vt supponimus; neque Ecclesia intendit eos obligare ratione beneficij, nisi stipendia soluantur. Item illi, qui beneficium habent tam exiguum, vt non sufficiat ad bonam partem moderatæ sustentationis: vt si valeat tantùm quindecim aut sexdecim aureos: quia intentio Ecclesiæ non est tales perpetuò ad tantum onus obligare; sed sufficit si pro rata recitent aliquot diebus, vt rectè ait Lessius cap cit. num. 169. in fine. Non excusantur tamen Canonici qui primo anno nihil percipiunt, sed totum expendunt in fabricam Ecclesiæ, iuxta Capituli statutum: quia sequentibus annis percipiunt æquivalenter fructus primi anni: eò quòd nisi primum annum in illam impenderent, deberet singulis annis aliquid detrahi cuilibet, quod expenderetur in fabricam, ad quam tenentur Canonici. Adolescentes verò, qui habent altaria, vel capellas, quarum prouentum fere totum dant Sacerdotibus qui illis inseruiunt, excusari etiam possunt ex consuetudine, in fauorem studiorum; licet teneri probabilius sit: nisi accedat tacitus saltem consensus Summi Pontificis, vel excuset impotentia: vt mox dicemus. Qui autem metu parentum recipiunt inuiti pinguia beneficia, si consentiunt eorum fructus sibi & familiæ applicari, tenentur recitare: sin minus, excusantur à recitatione, sed tenentur, cùm primùm possunt, beneficia dimittere, & nisi parentes restituerint fructus ex beneficijs perceptos tenentur ipsi eos restituere pro rata, si plures sint hæredes, atque monere alios de restituendo similiter. Sunt etiam qui excusent pueros vacantes studio Grammaticæ in Scholis inferioribus, ob impotentiam & incompatibilitatem cum studijs, quibus tenera illa ætas valde vrgetur. Sed de his plura dicemus inferiùs disput. 37. Sect. 7. & 8. vbi quæ pertinent ad obligationem recitandi horas Canonicas fusiùs explicabuntur.

SECTIO X.

Vtrum Beneficiarij qui malè distribuunt prouentus Ecclesiasticos, teneantur ad Restitutionem?

Respondeo, beneficiarios qui malè expendunt prouentus Ecclesiasticos, peccare quidem grauiter; sed non teneri ad restitutionem. Probatur, quia habent verè dominium huiusmodi prouentuum, sed tamen cum onere & graui præcepto Ecclesiæ expendendi conuenienter quod superest honestæ & decenti su- 84. Respondetur negatiuè.

stentationi saltem in supremo gradu, vt ostendimus disputatione 27. Sect. 7. Ergo non tenentur restituere, quia dominium habent, & disponunt de rebus suis: licet grauiter peccent, quia faciunt contra graue & legitimum Ecclesiæ præceptum. Confirmatur, quia nusquam Ecclesia tales obligat ad restitutionem.

85. Cõtraria sententia. Contrarium sentiunt Nauar. in tract. de redditibus Ecclesiasticis, quæst. 1. monito 20. & alij Canonistæ communiter, ac nonnulli Scholastici, quorum argumentum præcipuum est, quia attributio fructuum & prouentuum, facta officijs, ministerijsque Ecclesiasticis, reduci debet ad institutionem Ecclesiæ per potestatem ipsi datam à Christo; de qua institutione iudicandum est ex antiquis Decretis & Canonibus, ad definiendum qualis fuerit. Non est verò per se credibile quòd Ecclesia attribuerit fructus & prouentus Ecclesiasticos ad inanem gloriam, luxum, diuitias, & pompam superuacaneam, aliàque huiusmodi indigna personis Ecclesiasticis: sed magis est per se credibile quòd Ecclesia attributionem prædictam fecerit ob bonos fines, scilicet ad opera verè bona, & Dei ministris conuenientia. Canones quoque, & Decreta Conciliorum, & Pontificum, idem significant: ergo, &c. Probatur minor. Primò enim quamvis Ecclesia debuerit prouidere vt officiarij & ministri haberent adiumenta, & opes necessarias ad functiones debitas, & ad perferenda onera iniuncta, potueritque optimè prospicere vt ad quædam alia opera exercenda haberent prouentuum copiam: tamen nullo modo decuit vt Ecclesia daret vnquam potestatem dispergendi ad opera prophana, & vulgaria, patrimonium Christi id est bona Ecclesiastica, Quare non potest hoc iustè præsumi de Ecclesiæ antiqua institutione. Secundò, Canon. 39. Apostolorum in Codice vetusto Canonum Ecclesiæ Romanæ, qui nunc habetur 37. sub finem Decreti, in corpore Iuris Canonici, sic statuit: *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset: nec liceat ei ex his aliquid omnino contingere: aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare. Quod si pauperes sint; tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædetur.* Hucvsque Canon. In quo, per *negotia*, bona significantur: nam alia negotia non subsunt deprædationi. Similia habet ibidem Canon 41. Tridentinum verò Sess. 25. Decreto 2. *de Reformat.* cap. 1. sic loquitur: *Optandum est vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, ac solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* Et paulò post: *Non solùm iubet* (sancta Synodus) *vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo, caueant ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino verò eis interdicit ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiarésve suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ. Imò quàm maximè potest eos sancta Synodus monet vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquósque, carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam Sæcularia, quàm Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.* Hucvsque Trident.

86. Beneficiarij habent dominium fructuũ. Respondeo, ex cap. vnico, de Clerico non residente, & ex eodem Trident. Sess. 22. cap. 3. de Reformat. & Sessione 23. cap. 1. eodem tit. verbis relatis & expensis à Lessio lib. 2. de Iustitia cap. 4. num. 43 satis apertè constare quod Ecclesiastici acquirant dominium prouentuum Ecclesiasticorum ex beneficijs sibi obuenientium, ab eo tempore quo bona Ecclesiastica, priùs Clericis in commune viuentibus communia, nulliusque dominio peculiari subiecta, fuerunt in singulos distributa, & diuisa, per beneficia tributa singulis, vt charitate refrigescente allicerentur homines ad officia Ecclesiastica, qui communi illo victu, & tam exiguis stipendijs contenti esse nolebant: atque vt magis allicerentur, conueniens fuit dominium illis tribuere, cum onere tamen & præcepto graui ea rectè decenterque distribuendi. Quod onus conuenienter appositum fuisse ostendit ratio allata, & clarè docet Trident. verbis supra relatis ex Sess. 25. Decreto 2. de Reformatione capite 1. Canones verò Apostolorum loquuntur de bonis Ecclesiæ, vt erant initio ante distributionem beneficiorum: quæ si malè distribuebat Episcopus, verè deprædabatur, quia dabat non sua, sed communia, quorum tantùm dispensator erat cum onere rectè distribuendi. Quanquam verbum deprædandi intelligi etiam posset non de prouentibus, sed de bonis Ecclesiæ immobilibus, agris, oppidis, & similibus, quæ non subsunt dominio beneficiariorum ad alienandum pro libito: iuxta ea quæ diximus disp. 27. Sect. 7. vbi etiam plura argumenta adduximus ad ostendendum non obligari beneficiarios ad restitutionem prouentuum non bene expensorum.

Instabis, quia Deus non dat potestatem iuris ad id, quod prohibet: esset enim præuaricator. 87. Ergo non dat ius Ecclesiasticis insumendi prouentus ad fines vanos, & indecentes. Respondeo, non dare quidem potestatem iuris vt licitè id agant: neque etiam ius ad aliquid eo fine, & ea intentione, vt illo abvtantur: Sed nihilominus dare ius ad aliquid, quo possint abvti: vt patet in iure ad bona sæcularia.

Quomodo expendẽdi fructus Beneficij? Porro modus bene expendendi prouentus Ecclesiasticos est, vt officiarij sumant de bonis Ecclesiasticis, quod sibi necessarium est ad conuenientem sustentationem. De quo si aliquid sibi subtrahunt, possunt illud in vsus, quos volent, expendere. Nam illa necessitas non consistit in indiuisibili, sed habet plures gradus, vt Sect. cit. explicatum fuit. Si tamen id, quod subtrahitur, necessarium est ad officium erga Deum aut populum præstandum, vel ad Ecclesiæ

clesiæ propriæ reparationem, & similia; in hæc expendi debet: neque decet beneficiarium splendidè viuere pro suo statu, & Ecclesiam squallere: maiorique necessitati priùs subueniendum est. Tum secundò possunt de fructibus accipere quidquid prudenter iudicant necessarium esse ad prospiciendum necessitatibus impendentibus. Non enim tenentur viuere in diem, sed possunt aliquid in futurum reseruare, prudentérque sibi consulere. Tertiò, ex eo quòd beneficiarij sint, non eximuntur à lege communi, quæ omnes comprehendit, iuuandi pauperes in necessitate: quæ necessitas interdum maior est, quàm multa ad sustentationem, vel ad officium pertinentia, conuenientia quidem, sed non adeo necessaria: ita vt priùs & magis illis communibus necessitatibus & obligationibus subueniendum sit. Nam in extrema necessitate pauperum, debent non tantùm sibi subtrahere de supremo, vel medio gradu sustentationis: sed etiam, si opus sit, vasa Sacra, & Ecclesiæ supellectilem erogare: vt docet S. Ambros. lib. 2. de Officijs cap. 28. & plurium Sanctorum exempla confirmant. Vltra hæc omnia priuata, & communia officia necessaria, si quid aliud superfit, in opera pia, & Ecclesiasticis digna impendendum est, iuxta præscriptum & intentionem Ecclesiæ: in fundationem Xenodochiorum, redemptionem captiuorum, collocationem virginum pauperum, Ecclesiarum aut seminariorum ædificationem, aut fundationem, studentium inopum sustentationem vt Ecclesiæ seruiant, & similia.

88. Possunt dari Vicarijs, & Coadiutoribus. Possunt etiam Vicarios, & Coadiutores sibi constituere, more recepto; atque illis de prouentibus, quod æquum est, assignare: non quidem illis committendo vices suas pro pretio: sicut enim officium Ecclesiasticum vendi, & emi non potest: ita neque inferius ministerium spirituale potest vendi, aut emi: sed quemadmodum Ecclesiastico officio connaturaliter annectitur ius ad prouentus: sic officio Vicarij, aut Coadiutoris, connaturaliter debetur prouentus aliquis & adiumentum. Est quidem titulus in Decretalibus, *Ne Prælati vices suas, aut Ecclesias sub annuo censu concedant.* Verùm adsciscendi sibi Vicarios & adiutores, eisque assignandi pensionem conuenientem, consuetudo est communis, & aperte necessaria, ac vetustissima. Officium enim Ecclesiasticum non est tantùm ad ea, quæ quispiam per se exequi possit, sed etiam ad alia: & quæ per se non potest quis, per alium exequi, debet; exceptis his quæ personalia sunt: cuiusmodi est proprias & priuatas preces Horarias Diurnas atque Nocturnas Deo offerre.

89. Interdum etiam ius ad illos datur Laicis. Præterea non est dubium quin Ecclesia iustis de causis possit in alios vsus, quàm Ecclesiasticorum, & alijs personis, quàm Ecclesiasticis, ius ad prouentus beneficiorum tribuere: sic enim multæ reperiuntur decimæ infeudatæ: & quædam partes decimarum in alimoniam pauperum alicubi concessæ: atque alijs modis iura quædam circa bona Ecclesiastica sunt Laicis tributa: de quibus vide Nauar. in tract. *de redditibus Ecclesiasticis*, quæst. 1. Monito 55. num. 3. & sequentibus: qui modi ex vsu communi & approbato sunt notiores, quàm ex vllis Canonibus: vltrà quos sunt consuetudines Ecclesiæ, quæ Canones interpretantur, & aliquid illis addunt.

SECTIO XI.

Quibus modis Beneficia amittantur: & vtrum possint dimitti, aut permutari?

Circa primum in titulo propositum, dicendum est Beneficium quatuor modis amitti posse. Primò, per mortem possidentis. Secundò, per sententiam iudicis beneficio spoliantis, quia non legitimè possidetur, aut propter crimen aliquod depositione dignum, vt sacrilegium, periurium, homicidium, adulterium, & similia grauia delicta depositione digna. Tertiò, per liberam resignationem, aut dimissionem ipsius beneficiarij. Quartò, ex dispositione iuris priuantis beneficio: vt facit in quatuor casibus. Primò, propter alterius beneficij incompatibilis assecutionem. Secundò, propter professionem Religionis approbatæ. Tertiò, propter matrimonium validè contractum. Quartò, propter crimen aliquod cui pœna priuationis ipso facto est annexa. Huiusmodi crimina sunt Hæresis, Schisma, Sodomia, percussio Cardinalis, vel Episcopi, Simonia Confidentiæ, Homicidium qualificatum, id est, factum per Sicarium pretio conductum, & quædam alia, de quibus vide Lessium cap. 34. dub. 34. Præter quæ multa sunt alia, propter quæ Reus priuandus dicitur, licet per ea non priuetur ipso facto. Cuiusmodi sunt homicidium non qualificatum, adulterium, periurium, sacrilegium, & quædam alia, vt docent Canonistæ in cap. Clerici, ne Clerici vel Monachi, & in caput, At si Clerici, & cap. Cum non ab homine, *de Iudicijs*. Circa quæ nota, licet reus propter crimina primo loco recensita dicatur in Canonibus priuari ipso iure, vel ipso facto; beneficiarium nihilominus non teneri dimittere beneficium suum ante sententiam iudicis: vt ait Lessius ibid. quia, inquit, hæc iura non sunt in eo rigore recepta. Quare licet beneficium impetrari possit tanquam vacans, vbi illæ pœnæ vsu receptæ sunt: crimen tamen probandum est, & sententia iudicis expectari potest. Et generaliter nullam pœnam Ecclesiasticam priuantem re possessa, siue illa res sit merè temporalis (qualis est priuatio fructuum beneficij, aut pœna pecuniaria) siue mixta (qualis est priuatio beneficij, aut suspensio à beneficio) inflictam ipso iure, vel ipso facto, locum habere in conscientia ante sententiam iudicis, docent Syluester, Angelus, Armilla, & alij, quos citat Suarez lib. 5. de Legibus cap. 8. num. 5. Eandémque esse communem sententiam Canonistarum docet Azor tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 3. Quo supposito, iura quæ dicunt talem pœnam imponi ipso iure, vel ipso facto, debent intelligi modò sequuta fuerit sententia declaratoria, per quam declaratum sit fuisse commissum id, propter quod pœna imponitur. Nec satis est quòd tale factum sit adeo noto-

90. Amittuntur quatuor modis.

Pœna priuationis benef. incurritur ipso facto?

rium, vt non possit aliqua tergiuersatione celari: sed requiritur etiam tunc sententia iudicis; vt contra Panormit. & quosdam alios, contrarium affirmantes docet Reginaldus tom. 1. lib. 13. num. 290. vbi fusiùs id confirmat. Addunt aliqui hoc etiam verum esse, quamuis beneficiarius impediat iustam sententiam blanditijs, muneribus, mendacijs, vel alijs modis illicitis; modo violentiam non adhibeat. Ratio verò prædictæ assertionis est, quia, inquiunt, Ecclesia illis solis verbis, *ipso facto*, *ipso iure*, nisi aliud addatur, non intendit priuare beneficiarium suo beneficio, aut beneficij fructibus in foro conscientiæ; sed tantùm in foro externo, secutâ sententiâ, retrotrahendo pœnam ad diem criminis commissi. Hanc enim esse intentionem Ecclesiæ constat ex praxi vsitata, & communi Doctorum sententia, colligitúrque ex cap. *Cum secundùm leges*, *de Hæreticis*, *in 6.* vbi Hæreticorum bona ipso iure confiscantur: & tamen in eodem Can. additur quòd non teneantur relinquere sua bona, donec sententia super eodem crimine fuerit à Iudice Ecclesiastico promulgata. Sed hac de re videantur quæ diximus in tract. de Legibus, tom. 2. disp. 30. Sect. 3. vbi quid nobis probabilius videatur circa eiusmodi leges pœnales exposuimus.

91. Quid sentiendum de alijs pœnis? Consultò autem dicunt auctores citati, *pœnam temporalem, aut mixtam:* quia diuersam esse fatentur rationem de pœnis merè spiritalibus Ecclesiasticis, cuiusmodi sunt irregularitates, excommunicationes, & aliæ censuræ, quæ secum trahunt executionem, & incurruntur ante sententiam, etiam in conscientia, quando in Canone aliquo dicuntur imponi ipso iure, vel ipso facto: vt docent communiter Theologi, teste de Salas disp. 15. de Legibus Sect. 2. num. 23. Ratio differentiæ, quam idem affert, hæc est: quià verba in rigore id significant, & non temperantur ipso iure, vel vsu, sed potiùs confirmantur: nam communis vsus Ecclesiæ est vt ita intelligantur. Item, quia istæ pœnæ sunt medicinales, & facilè reparabiles: ideóque non nimis durum æstimatur sic intelligi, & incurri; priuántque solùm bonis communibus spiritualibus, quæ non adeo mouent, & minùs grauatè sustinentur. Secus autem aliæ, quæ bona sensibilia, præsertim magna, attingunt; quibus carere molestissimum est hominibus carnalibus; & quarum reparatio est difficilis, vel impossibilis.

92. Quid si addatur, *Ante omnem sententiam?* Addunt præterea plerique, licet in Canone, quo priuatur beneficiarius ipso facto, siue ipso iure, suo beneficio aut fructibus, addatur, *ante omnem sententiam*, vel, *nullâ aliâ sententiâ requisitâ:* tamen non obligari Beneficiarium in conscientia dimittere suum beneficium, vel fructus ex illo perceptos restituere, ante declarationem criminis iuridicè factam. Et vice versa, licet Canon priuet Beneficiarium suo beneficio, ipso iure, vel fructibus; & addat, *absque omni alia declaratione:* tamen probabilius esse non obligare in conscientia ante omnem sententiam Iudicis.

Primam partem huius assertionis tradunt Azor tomo 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 6. & Canonistæ communiter, vt Azor ibidem testatur, probantque ex cap. 1. *de Homicidio*, *in 6.* vbi imponitur pœna depositionis à beneficio, ipso facto, ita vt nulla alia aduersus reum sententia requiratur: & tamen in eodem cap. excipitur declaratio facti vel criminis: *Postquam*, inquit, *id probabilibus constiterit argumentis*, Iudici videlicet. Nimirum quia sententia propriè significat decretum, quo reo pœna infligitur. Sed præter hanc sententiam requiritur etiam manifestatio criminis, seu facti, quæ propriè vocatur in Canonibus declaratio. Quare licet dicatur in Canone *Absque alia sententia*, non excluditur ista declaratio criminis, seu facti. Secundam verò partem eiusdem assertionis docent Vasq. 1.2. disp. 168. cap. 4. num. 25. & 30. Henriq. lib. 13. cap. 56. num. 2. & 3. Caiet. 2. 2. quæst. 62. art. 3. Couar. in Epitome lib. 4. Decret. parte 2. cap. 6. §. 8. num. 10. ver. 3. Lessius cap. 29. num. 63. Reginald. tom. 1. lib. 13. num. 287. Ratio præcipua illorum est, quia præter omnem sententiam declaratoriam, siue pœnæ, siue facti, opus est etiam sententia condemnatoria definitiua, seu executoria, quæ in beneficijs est sententia illa quâ beneficiarius per Iudicem iustè priuatur suo beneficio, & quâ beneficium alteri confertur, vel certè declaratur vacare. Neque propterea frustra ponuntur istæ aliæ clausulæ in Canonibus, scilicet, *ipso iure*, *absque alia sententia*, &, *absque vlla alia declaratione*. Nam clausula, *ipso iure*, secundùm omnes, efficit vt in foro externo pœna retrotrahatur ad tempus commissi criminis, ita vt reus possit declarari priuatus beneficio, & omnibus fructibus, ab illo tempore. Clausula verò, *absque vlla sententia*, excludit sententiam quâ pœna infligitur, vel traditur executioni. Denique clausula, *absque omni alia declaratione*, excludit declarationem criminis seu facti. Addunt denique posse etiam beneficiarium tutâ conscientiâ recipere fructus sui beneficij, etiam postquam est priuatus beneficio per sententiam Iudicis, donec veniatur ad sententiæ executionem, quâ beneficiarius priuetur etiam corporali possessione beneficij: si modò paratus sit non resistere Iudici, aut Iustitiæ Ministris, sed illis obedire: vt docent Couar. Nauar. Simancas, & alij quos citant & sequuntur Henriq. lib. 13. cap. 56. §. 3. in fine, & Reginald. tom. 1. lib. 13. num. 287. Quia, inquiunt, sententia illa non planè sortitur effectum, donec accedat executio: neque ante priuantur beneficiarij possessione beneficij, vt patet ex cap. *Licet Episcopus*, *de præbendis in 6.* vbi dicitur illum, cuius beneficium vacat, atque etiam alteri collatum est (quantum ad titulum scilicet) non posse adhuc spoliari sua possessione, nisi audiatur, & nouus instituatur processus de iure possessorio. Quamdiu autem retinet possessionem, retinet etiam potestatem exercendi officium: imò eam solus habet, non autem ille qui habet nudum titulum sine iure possessorio. Quamuis enim collatio solius tituli det spiritalem potestatem: tamen beneficiarius non potest illam exercere licitè, nisi priùs acceperit possessionem; sique id attentauerit (præsertim si alius sit in possessione, vt in præsenti casu supponimus) erit violentus possessor; & vel priuabitur

93. Vel nulla alia sententia requisita?

ipso iure titulo acquisito, iuxta caput *Eum qui, de praebendis in 6.* vel certè poterit priuari titulo quem accepit: vt docent Rebuff. in praxi benefic. titulo *de Missione in possessionem, num. 3. 8 10* & Couarr. lib. 7. Variar. cap. 16. num. 6. Et hactenus illi recentiores: quibus eatenus tantùm adhaerendum existimo, quatenus non repugnant dictis alibi de lege poenali, loco supra citato, num. 90. in fine.

94. Beneficia non possunt dimitti pro libito. Circa secundum in titulo Sect. propositum, certum est primò beneficia Ecclesiastica absolutè, & sine temporis limitatione accepta, non posse à beneficiarijs licitè dimitti ad libitum: adeóque nec permutari, vel resignari; quia permutatio & resignatio includunt dimissionem beneficij quod permutatur, vel resignatur. Ratio est, quia sicut talis beneficiarius acquisiuit sibi ius in totam vitam fruendi beneficio, eiusque dignitate, & vtilitate: ita Christo, & Ecclesiae se adstrinxit ad persistendum pro viribus in officio & gradu suo, debétque pro re tanta fidem datam seruare, si nihil grauius obstet: Vt docent Canones Ecclesiastici: nimirum Canon 15. Apostolorum, can. 16. Concilij Nicaeni, can. 3. & 21. Concilij Antiocheni, alijque plures relati causa 7. quaest. 1. cap. 23. & sequent. Adeo vt neque Episcopus sine licentia Summi Pontificis possit licitè Episcopatum dimittere; neque Episcopo inferiores, sine Episcopi consensu possint licitè sua beneficia deponere, vt dicitur cap. 4. & 10. de Renuntiat. Episcopis autem similes sunt hac in parte Abbates exempti, vt habetur ibidem cap. vlt.

95. Sed iusta de causa. Secundò, certum est beneficia quaevis Ecclesiastica, etiamque ipsum Summum Pontificatum, iusta & rationabili de causa dimitti posse: vt patet ex cap. 1. de Renuntiat. in 6. & exemplo Celestini V. Sanctissimi Pontificis. Ratio est, quia officia & beneficia Ecclesiastica non sunt propter beneficiarios, sed propter Dei cultum, & populi culturam, aut curam rerum eò pertinentium. Quare si Dei cultus, vel Ecclesiae vtilitas id exigat: conueniens est dimitti beneficia ab illis, quorum vitio, vel insufficientiâ, detrimentum pateretur. Non est tamen propterea necessarium simpliciter beneficia dimittere propter vitium superueniens, vel accidentarium, ex senectute, vel alia de causa. Nam quae beneficiarius per se praestare nequit, ea per alium praestare potest, si copiosus est. Sin autem pauper; non est conueniens vt priuetur subsidio, quo indiget: curandum tamen vt per alium suppleantur quae pertinent ad curam animarum.

96. Nec permutari ob solam vtilitatem propriam. Tertiò, quod attinet ad permutationem, non possunt beneficiarij permutare licitè beneficia, solius vtilitatis propriae aut commoditatis gratiâ. Cùm enim ipsi sint deuincti beneficijs, magis quàm ipsis beneficia; irreligiosum est, & Simoniae simile, exercere circa illa negotiationem, vtilitatis aut voluptatis propriae causâ; estque illis abuti, & plus in illa licentiae sibi tribuere, quàm concessum sit, ac denique fidem initio datam fallere. Sed quamvis causa permutandi legitima non desit, vt qui in vno loco minùs sunt vtiles, possint in alijs se vtiliùs exercere, vel ad maius officium promoueatur qui eo dignus est, vt magis Ecclesiae prosit: non tamen possunt beneficiarij permutare validè sua officia & beneficia, propria auctoritate: sique id attentent, priuantur beneficijs, iuxta caput 7. *de rerum permutatione.* Possunt quidem ad tempus permutare operas, vt alter alteri Vicariam operam praestet, potestate ab eo accepta, velut eius inferior & Vicarius: sed officia vel beneficia permutare simpliciter, & absolutè non possunt, nisi ex superiorum arbitrio, iuxta caput 5. *de rerum permutatione.* Neque propria auctoritate.

97. Quae requirantur ad permutandum? Ad permutationem autem requiruntur multa, quae fusiùs exponit Lessius cap. 34. dub. 36. Primò enim requiritur vt permutantes sint domini suorum beneficiorum: quia non possunt permutare non suum. Et si beneficium sit litigiosum, is qui illud dedit, debet litem prosequi: quâ si cadat, alter redibit ad suum beneficium: iuxta caput *Si beneficia, de praebendis in 6.* Secundò, debent resignare beneficium in manibus Ordinarij cui beneficium subest: siue ille sit vnus & idem respectu vtriusque beneficij, siue diuersus. Non possunt autem Ordinarij Episcopis inferiores recipere resignationes, permutationis causâ factas, & vi illarum beneficia conferre, cap. *Quaesitum, de rerum permutat.* nisi id possint ex vi consuetudinis alicubi receptae: vt docent communiter Canonistae in Clement. 1. *de rebus Ecclesiae non alienandis:* Quòd si Ecclesiae sint exemptae, earum permutatio à Summo Pontifice approbari debet, vt fusiùs docet Lessius cap. 34. dub. 36. Tertiò, requiritur vt permutatio sit libera, id est, non fraude vel metu extorta: alioquin est irrita, vel saltem irritanda, cap. *Super hoc, de renuntiatione,* & Clement. *Multorum, de poenis.* Quartò, collatio beneficiorum debet fieri in permutantes: alioquin est irrita, vt habetur disertè in Clement. vnica *de rerum permutatione.* Vnde si Ordinarius admisit permutationem, tenetur ipsis conferre. Quintò, requiritur consensus eorum ad quos spectat electio, vel praesentatio. Potest tamen consensus patroni requisiti, & nolentis, suppleri per Episcopum, si permutatio expediat Ecclesiae, iuxta Rebuffum §. *de permutat. num. 22.* Sextò, si permutans sit infirmus, debet superuiuere viginti dies post resignationem: alioqui beneficium censetur vacare per obitum, non per resignationem permutatiuam, vt habetur in Regula Cancellariae quam explicat Rebuff. §. *de infirmis.* Si permutatio fiat Romae, debet intra sex menses à die supplicationis, publicari in loco beneficij. Si autem fiat alibi, debet intra mensem publicari: alioqui beneficium censetur vacare per obitum, si resignans moriatur antequam beneficiarius ceperit possessionem: ex Regula Cancellariae explicata à Rebuffo §. *Regula de publicandis.* Ita Lessius cap. 34. dub. 35. & 36. apud quem plura videri poterunt, & apud Rebuffum loco citato. De praxi autem fori Gallici circa praedicta, vide Baunium p. 4. Theologiae moralis, in Epitome tractatu de Resignat. cap. 5. & proximè sequenti disp. de permut. praecipue quaest. 20.

SECTIO XII.

Possintne Beneficia resignari, & Pensionibus affici?

98. Resignatio duplex Tacita & Expressa. DVplex omnino est resignatio Beneficiorum Ecclesiasticorum id est libera & non iniustè coacta dimissio. Vna est tacita, quæ fit per iuris dispositionem, absque expressis verbis resignantis: vt si beneficiarius contrahit matrimonium, aut profitetur in Religione approbata, vel alijs modis, de quibus Rebuff. §. *de tacita resignatione*. Altera est expressa, quæ fit expressis verbis beneficiarij dimittentis, seu cedentis beneficio. Et hæc iterum duplex est. Vna pura, sine vlla conditione & pacto apposito. Altera conditionata, siue in fauorem alterius, qui offertur Ordinario, & non aliàs, nec aliter. Et hæc iterum vel est simplex in fauorem, absque reseruatione: vel est qualificata, purà seruato sibi iure regressus, vel ingressus, vel pensione, vel aliqua parte fructuum. Ita Lessius cap. 34. dub. 35. & alij communiter.

Expressa duplex est: Pura, & Conditionata siue in fauorem.

Pura quomodo licita? Ex his speciebus resignationis, prima, quæ pura est, & beneficium simpliciter dimittit in manibus Ordinarij vt possit conferre cui volet, nihil sibi reseruando, est valida omnium consensu; atque etiam licita, modò sit causa dimittendi legitima, nempe maior vtilitas diuini cultus, aut salutis proximorum, vel etiam proprij profectus spiritalis desiderium. Alioqui enim turpe est, si quis vtiliter Dei & Ecclesiæ negotium gerens, à glorioso illo labore abducatur propter molestiam vitandam, aut otij & remissionis desiderium, aut aliud bonum minoris ordinis, quod non potest maiori bono, & fidei Ecclesiæ datæ, sine indecentia præponi & derogare.

99. Conditionata semperne illicita? De conditionata verò controuersia est. Aliqui enim existimant omnes huiusmodi resignationes factas in fauorem tertij, cum clausula, *non aliàs, nec aliter*, esse illicitas, & simoniacas. Probant primò, quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet, cap. fin. *de pactis*. At hoc est pacisci pro resignatione, nempe vt collator non possit alij, quàm cui voluerit dimissor, conferre: ergo, &c. Secundò, in Clement. vnica *de rerum permutatione*, statuitur vt beneficia in finem permutationis dimissa & resignata, non possint alijs quàm resignantibus conferri. Ergo supponitur resignatio fuisse pura. Nam alioqui si resignatio non intelligebatur fuisse pura & simplex, sed facienda sub conditione dominante, nempe vt fieret permutatio: clarum erat quòd deficiente conditione, non perficeretur resignatio, nec vacaret beneficium: ideóque inutilis erat hæc constitutio, si non erat mera declaratio, sed noua constitutio vt beneficia illa non possint alijs, quàm resignantibus conferri. Etenim notum & certum erat, quòd resignatio non perficeretur, neque beneficia possent conferri, nisi conditio impleretur. Tertiò, beneficiarius non acquisiuit aliud ius circa beneficium Ecclesiasticum, quàm vt retineret illud quandiu vellet & posset: non autem vt successio existeret in eius potestare, neque vt posset diminuere ius liberum collatoris in casu vacationis, aut dimissionis. Ergo plus sibi iuris sumit dimissor, quàm acceperit, si non purè dimittat, sed inducat obligationem collatori, vt contra ius suum non liberè conferat secundùm rationem, & astringatur ad obsequendum voluntati dimissoris, qui verè non habet ius nisi ad retinendum, aut dimittendum cum legitima causa, ex Prælati arbitrio. Quare ad summum potest tantùm dimissor offerre aliquem, & pro illo rogare, relicto tamen iure libero collatori. Ita communiter Canonistæ, & speciatim Nauar. cap. 23. Manual. num. 107. & Rebuff. de beneficijs §. *de pura resignatione*, addens beneficium sic resignatum coram Ordinario, posse à Papa imperrari, vt vacans per simoniam; secus verò si fuit resignatum coram ipso Summo Pontifice, qui suâ præsentiâ simoniam hanc iure humano inductam purgauit.

Existimo dicendum cum Lessio cap. 35. dub. 14. & alijs quos citat, primò resignationem simplicem in fauorem non esse simoniacam: quia non continet simoniam iuris diuini, cùm resignans nihil temporale det vel accipiat pro spirituali, sed tantùm significet se renuntiare, si collator velit conferre illi tertio; & non renuntiare, si nolit: nec simoniam iuris humani, propter Canones ab aduersarijs allegatos de quorum vero sensu dicemus paulò post. Neque enim necessarium est in eiusmodi resignatione pactum propriè dictum interuenire: sed sufficit simplex declaratio propositi, & voluntaris, quâ quispiam significat Prælato velle se beneficium dimittere, si ipse velit alteri à se designato illud conferre: quod si nolit Prælatus, nihil actum est. Nec obest quod Prælatus obligetur conferre alteri si resignationem acceptet. Nam obligatur similiter in permutatione, quæ tamen iudicio aduersariorum non est simoniaca. Ex his patet solutio primi argumenti pro contraria sententia allati. 100. Non est Simoniaca.

Dico secundò, probabile esse huiusmodi resignationes non fuisse in vsu vsque ad tempora Clementis V. propter ea quæ ex illa Clement. relata sunt. Omnino autem licitæ non sunt, nec vnquam fuerunt, donec Summus Pontifex tale ius dedit beneficiarijs eligendi sibi successores, quod ius ab initio non habuerunt vi collationis beneficij, vt bene probat tertium argumentum pro contraria opinione allatum. Potuit tamen Summus Pontifex ita constituere, si maior Ecclesiæ vtilitas id postulauit: & re ipsa constituisse videtur satis constare ex vsu & praxi Summorum Pontificum eas admittentium, atque fouentium. Notant autem Nauar. Lessius, & Rebuff. suprà citati, non posse fieri nisi in manibus Summi Pontificis, iuxta stylum curiæ Romanæ, eò quòd imaginem quandam simoniæ contineant: nisi aliquibus inferioribus Prælatis ex priuilegio vel consuetudine id concessum fuerit. 101. Non fuit olim in vsu: sed nunc licitè fit.

Dico tertiò, resignationem qualificatam seruato sibi iure ingressus, vel regressus ad idem beneficium, si alter ciuiliter aut naturaliter præmoriatur, esse simoniacam simoniâ confidentiæ. Itémque resignationem factam alteri, putà 102. Resignatio cum iure Regressus, vel Access.

sus, est simoniaca. Pædagogo, seruato iure accessus infanti, in cuius gratiam fit, vt cùm ad ætatem sufficientem peruenerit, beneficium possit accipere propriâ auctoritate: & generaliter omnem Resignationem, vel Collationem beneficij, factam alicui cum intentione obligandi vt post aliquod tempus det alteri beneficium, putà filio, vel nepoti: quæ intentio, si est purè mentalis, facit simoniam confidentiæ Mentalem: si exteriùs expressa & cum pacto, Realem. Hæc omnia constant ex Bullis Pij IV. & Pij V. apud Nauarr. cap. 23. num. 110. & pluribus confirmantur à Lessio cap. 35. dub. 16.

103. Pensio non potest reseruari propria auctoritate. Dico quartò, beneficiarium non posse sibi aut alij reseruare pensionem, aut partem fructuum, propria auctoritate: iuxta caput 21. *de prebendis & dignitatibus*: sed dimittendo officium & fundamentum, debet connaturaliter dimittere beneficium, quod est ius illi innixum, ab illo pendens essentialiter, & eo sublato non manens. Quare si vult percipere fructus ex officio & beneficio translato, vult percipere fructum ex eo quod suum non est: & plus sibi iuris assumit in beneficium, quam acceperit ab Ecclesia. Idcòque beneficiarius qui resignat, & quisquis alteri procurat beneficium cum pacto vt sibi pensio reseruetur propriâ auctoritate, eiusque impositione, iniustè facit, & incurrit simoniam confidentiæ, iuxta Bullas Pij IV. & Pij V. suprà citatas. Sed auctoritate S. Pontificis, iustas ob causas. Potest tamen resignans petere aliquam pensionem aut partem fructuum iustas ob causas, & de illa tractare cum Resignatario, sub beneplacito Summi Pontificis, cui negotij conclusio, & pensionis impositio relinquenda est: ab eòque solo fieri potest, iuxta stylum curiæ Romanæ, nisi alteri ex priuilegio aut consuetudine præscripta id concessum sit. Huiusmodi pensionum meminit Trident. Sess. 24. Decret. 2. de Reformat. cap. 13. & Sess. 21. cap. 2. & Sess. 25. cap. 14. Decreti de Reformat. vtrobique, easque tacitè ibidem approbat. De ijsdemque sermo fit cap. 21. *de prebendis*. Iusta verò causa eas reseruandi est necessitas resignantis, vel decentia, præsertim cum merito adiuncto, dum aliquis propter maius bonum renuntiando, generaret sibi incommodum, nisi pensio conueniens ei reseruaretur.

104. Resignatio conditionata quomodo facienda? Circa huiusmodi Resignationes omnes conditionatas, nota vt validæ esse possint, requiri easdem conditiones, quæ suprà in permutationibus explicatæ sunt, vt bene docet Lessius cap. 34. dub. 35. vbi fusiùs easdem exponit. Et addit cap. 35. dub. 15. num. 93. non posse sine auctoritate Summi Pontificis dari & admitti hypothecam sæcularem, ad securitatem pensionis: vt fit interdum, quando resignans in fauorem sub onere pensionis, & metuens ne resignatarius malignè soluat, vult hypothecam sæcularem, vel fideiussorem, quem possit conuenire suborta qualibet difficultate. Nam, inquit, huiusmodi conditiones, & onera pretio æstimabilia, continent Simoniam iuris humani, & habent quandam speciem contractuum ciuilium. Vnde non debent admitti nisi autoritate Summi Pontificis. Et alioqui potest talis pensio non solui; & beneficium, tanquam vacans, impetrari.

Plura de pensionibus videri possunt apud eundem Less. cap. 34. dub. 37. & 38. Tolet. lib. 5. cap. 82. Sotum lib. 9. quæst. 7. art. 2. Nauar. cap. 25. num. 111. Malder. tract. 9. cap. 3. dub. 12. & 13. Azor parte 2. lib. 8 cap. 5. & seqq. Bonac. quæst. 4. de Simonia, §. 13. Cum quibus Dico breuiter Pensionem generatim esse ius percipiendi fructus ex alieno beneficio: & esse triplicem: Temporalem, quæ datur propter aliquod ministerium temporale præstitum, vel præstandum: vt est illa quæ datur œconomo, vel viro nobili quia Ecclesiam defendit, vel vt eam defendat. Spiritalem, quæ fundatur in aliquo titulo merè spiritali propter officium aliquod spiritale exhibendum: vt quæ datur Vicario, vel concionatori, aut Coadiutori: Et Mediam, quæ statum quidem Clericalem requirit: non tamen fundatur in officio spiritali præstando: Vt est ea quæ datur Parocho seni, vel Clerico pauperi, ad sustentationem; vel resignationis, aut litis componendæ causâ. Prima vocatur Laïca, quia potest concedi Laïcis. Secunda & tertia vocantur Clericales, quia nonnisi Clericis dari possunt. Ad pensionem spiritalem requiruntur eadem, quæ ad beneficium pro cuius officio datur pensio. Ad alias verò duas requiruntur quatuor conditiones. Primò scilicet, vt constituatur auctoritate legitima, id est, auctoritate Summi Pontificis, aut Legati à latere, vel etiam Episcopi in quibusdam casibus, de quibus vide Lessium cap. 34. num. 205. & cap. 35 num. 91. Secundò, vt adsit causa legitima, sine qua pensionatius non est tutus in conscientia. Potest tamen fidere iudicio constituentis, modò ei vera narrauerit. Tertiò, vt qui impetrat, non sit inhabilis ad pensionem. Nam illegitimus est inhabilis ad omnem pensionem: & ad pensionem Clericalem inhabilis est Laïcus: sicut & Clericus excommunicatus, ad illam quæ datur propter aliquod spiritale ministerium, aut officium exercendum. Et quandocunque datur alicui pensio Clericalis cum accessu, vel regressu ad beneficium, pensionarius debet habere omnes qualitates, quas requirit tale beneficium, vt Nauar. affirmat Consil. 11. num. 2 *de temporibus ordinationum*. Quartò, requiritur vt pensio sit moderata, id est, communiter non maior tertia parte fructuum. Potest tamen Summus Pontifex imponere maiorem, modò relinquat beneficiario vnde viuat. Requiritur præterea, vt non sit perpetua, sed extinguibilis morte pensionarij. Potest tamen Summus Pontifex efficere perpetuam. 105. Pensio quid & quotuplex sit? Conditiones requisitæ ad pensiones. *Vide tom. 5. disp. 59. Sect. 7. n. 79 & seqq.*

Cæterùm, si Laïca pensio datur; pensionarius non obligatur ad preces aliquas recitandas, si verò Clericalis est; Pensionarius tenetur ex Bulla Pij V. vbicunque, est recepta, officium Beatæ Virginis quotidie recitare; alioqui non facit fructus suos. Refert hanc Bullam Nauar. cap. 25. Manualis, num. 122. Sed hoc intelligendum puto, nisi ad diuinum officium recitandum aliunde teneatur, vi ordinis sacri, aut alterius beneficij. Licet autem non requiratur simpliciter consensus Patroni, quamvis Laïci; debet tamen in literis pensionis fieri mentio patronatus Laïci, vt habet stylus curiæ. 106. Obligatio pensionarij.

Quomodo desinit pensio? Quoad modum verò quo huiusmodi pensiones desinere possunt, notandum est pensionem Clericalem extingui si pensionarius ineat Matrimonium: Atque etiam si non gestat habitum Clericalem, vbi Bulla Sixti V. recepta est contra non portantes habitum Clericalem. Sed vbi non est recepta, non amittitur pensio ipso facto, quamvis pensionarius petat militiam, & fiat irregularis, vt docent aliqui recentiores citantes Nauarrum in eandem sententiam Consilio 3. de vita & honestate Clericorum.

107. Nota secundo, eandem pensionem Clericalem, atque etiam Laïcam, desinere ipso facto per mortem pensionarij, vel professionem in Religione approbata. An & quomodo emi aut redimi possit. Potest etiam quævis pensio vendi & redimi pretio absque simonia, quantum est, ex natura rei, excepta illa quæ datur propter titulum spiritalem, siue ad officium spiritale præstandum; quia hæc est similis beneficio, & ab eo tantùm differens, quòd sit temporalis, sed alioquin æquè fundatur in officio spiritali, & propter illud datur. Quare ius talis pensionis est quid sacrum, æquè ac beneficium. Loquimur autem de illo iure, non de fructibus vi illius perceptis, qui sine dubio vendi possunt, vt patebit ex Sect. sequenti. Reliquæ verò pensiones sunt quid temporale, ideóque si nihil aliud obstat, vendi & emi possunt. Qui tamen beneficium resignat sub onere pensionis, non potest pacisci, dum resignat, de redimenda pensione: quia id simoniacum est, aut simoniæ simillimum, vt docent Tolet. lib. 5. Summæ cap. 92. & Lessius cap. 35. dub. 22. num. 124. citans in eandem sententiam Caietanum tom. 1. Opusc. 31. respons. 10. & Canonistas communiter in Clementi: *Vnicam* de supplendis negligentiis Prælatorum §. *Eâdem quoque auctoritate.* Solent etiam redimi, seu extingui huiusmodi pensiones, consentiente pensionario, quinque annatis: neque ad hoc opus esse aliâ facultate, quamvis soleat peti docent Tolet. lib. 5. Summæ cap. 8. Lessius cap. 35. de Iustitia, dub. 22. num. 124. & 129. Caietanus tomo 1. opusc. vltimo propositione 10. Valentia tomo 3. disput. 6. quæst. 16. puncto 3. Castropal disput. 3. de Simonia puncto 13. num. 10. & multi Canonistæ quos refert & refutat Garcias in tract. de Beneficijs, prima parte, cap. 5. num. 24. Qui tamen fortè loquuntur solùm de pensionibus Laïcis, vt ait Suares de antiquis Canonistis, lib. 4. de Simonia cap. 26. num. 4. Ratio præcipua illorum est, quia redimere huiusmodi pensiones non est emere quicquam spirituale, sed tantùm extinguere onus temporale soluendi quotannis certam summam.

108. Contrarium verò docent plurimi alij, affirmantes illicitam esse & irritam redemptionem pensionis Clericalis factam propria auctoritate, id est, sine facultate Summi Pontificis: vt videre est apud Malderum tract. 9. de Iustitia cap. 3. dub. 13. Azor parte 2. lib. 8. cap. 10. quæst. 10. Fagundes lib. 5. de Iustitia cap. 20. num. 4. Bonacinam quæst. 4. de Simonia §. 13. num. 9. qui postremus ait hanc esse communem Doctorum sententiam: à Maldero verò, & alijs priùs nominatis citantur pro eadem sententia Flaminius lib. 6. de resignationib. Benefic. quæst. 2. num. 128. & Tract. de Confidentijs quæst. 23. num. 5. & quæst. 42. num. 27. Serola 2. parte, V. Pensio, Nauarr. Consilio 63. de Simonia, & in Manuali cap. 23. num. 111. Salsedo in praxi Bernardi Dias cap. 91. lit. D. Parisius de resignation. lib. 6. quæst. 2. num. 124. & 128. Vgolinus de Simonia tab. 1. cap. 28. §. 3. num. 6. Sairus de Censuris lib. 2. cap. 5. num. 5. aliàs 15. Rebuffus de pacificis possessorib. num. 34. Caccialupus de Pensionib. quæst. 30. Garcia de Beneficiis 1. parte, cap. 5. num. 20. & seqq. Gambarus, & Paulus Romanus apud Gigantem de Pensionib. quæst. 87. vbi ijsdem assentitur; & Filiucius tract. 45. cap. 8. num. 8. vbi id certum esse ait. Eandémque sententiam veram esse censet doctissimus Suares lib. 4. de Simonia, cap. 26. num. 26. Supposito stylo Curiæ Romanæ, de quo mox dicam; multoque magis supposita & recepta Constitutione Pij V. seu Motu proprio, qui est 138. editúsque est anno 1571. incipiens his verbis, *Ex proximo:* vbi omnibus Pensionem Clericalem habentibus imponit onus recitandi quotidie Officium B. Virginis, statuitque vt aliter non faciant fructus suos.

Ratio, quâ plerique ex auctoribus citatis hanc sententiam probant, est quia licet pensio sit aliquid temporale, ius tamen illam exigendi est aliquid spiritale, vel illi annexum, & in eo fundatum, nempe in Beneficio. Qui autem vendit pensionem Clericalem, priuat se illo iure pro pecunia, & pretio temporali, quod non potest fieri absque Simonia, nisi priùs ius illud separetur à Beneficio per auctoritatem S. Pontificis. Sed hæc ratio mihi non satis probatur, propter multa in contrarium à Suare allata cap. suprà citato: quæ apud ipsum legi poterunt fusissimè explicata. Illâ ergo, & alijs similibus prætermissis, hæc vna mihi probatur: quia redemptio pensionis Clericalis, facta propria auctoritate, habetur pro nulla & irrita, iuxta stylum Curiæ Romanæ, vt testantur Azor parte 2. lib. 8. cap. 10. q. 10. Tolet. lib. 5. cap. 92. Bonac. & Garcia, & plures alijs locis suprà cit. Ergo est prohibita iure saltem Ecclesiastico; stylus enim Curiæ Romanæ declarat sufficienter & proponit voluntatem, & prohibitionem Summi Pontificis, habétque vim obligandi vt seruetur: quemadmodum rectè aiunt Bonac. loco supra cit. & Suar. capite illo 28. lib. 4. de Simonia, num. 14. post Nauarr. qui idem affirmat, & probat ex cap. *Ex literis*, de Constitutionib. Et consequenter huiusmodi redemptio est nulla & irrita iure saltem Ecclesiastico: quia S. Pontifex talem esse vult & decernit; vt idem stylus Curiæ Romanæ satis ostendit, eo ipso quod talem redemptionem habet pro nulla & irrita. Ad rationem verò suprà allatam pro sententia contraria, dicendum est probare solùm talem redemptionem non esse irritam & illicitam iure naturali, & ex natura rei, semotâ omni ordinatione Pontificiâ.



SECTIO XIII.

Vtrum Beneficia vendi possint? & de Simonia circa illa; Varijsque modis, quibus illa committitur.

109. Quatuor distinguenda in beneficijs. QVatuor in beneficijs Ecclesiasticis distinguenda sunt. Primum est officium Ecclesiasticum, cum iure & potestate ipsius exercendi; quod officium est titulus & fundamentum beneficij. Secundum est, ius illi officio adiunctum ad percipienda commoda & subsidia, aut prouentus: quod ius est formaliter beneficium. Tertium est, Commodum ipsum, aut prouentus seu fructus beneficij. Quartum est, ius quoddam inferius, alicui datum circa commodum illud, aut circa prouentus, vt fit per infeudationes, pensiones, locationes, conductiones, commutationes, donationes.

Officium & beneficium non possunt vendi. Ex his quatuor, primum & secundum vendi non possunt, sed liberaliter distribui debent, iuxta Christi institutionem, qui nulli ius ea vendendi dedit, sed gratis dari voluit, iuxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, & alia quæ habentur in toto titulo Decretalium de Simonia, & totâ causâ primâ, in Decreto Gratiani. Neque vendi possunt sine graui irreuerentia erga res spirituales, id est, sacras & supernaturales, nullo pretio æstimabiles, & nulla industria humana comparabiles, sed à gratuito Dei dono pendentes, quod peccatum appellatur Simonia, nomine ducto à Simone Mago; qui primus è nouo Testamento rem spiritalem & supernaturalem pecuniâ emere voluit, vt habetur Act. 8. Etenim officium Ecclesiasticum est quid sacrum & spiritale. Beneficium verò, propriè & formaliter sumptum, quatenus est ius fructuum, obtingens per Officium sacrum, non potest stare sine officio, à quo pendet essentialiter, ideòque non potest vendi sine illo: sumptum, inquam, pro iure illo primario ad prouentus, quod fundatur essentialiter in officio, & datur propter illud, non instar pretij pro officio, aut functionibus sacris vt talibus, pecuniâ inæstimabilibus: sed instar subsidij, & adiumenti conuenientis ad vitam sustentandam, & ad ea præstanda quæ officio conueniunt. Dixi, *beneficium propriè & formaliter sumptum*: Nam si sumatur tantùm materialiter pro iure ad fructus simpliciter, & separatim ab officio, posse illud vendi auctoritate Pontificia, per quam separari potest, si bonum Ecclesiæ ob aliquam necessitatem exigeret separari & vendi, affirmant ferè omnes Canonistæ, nominatimque Nauarr. cap. 23. Manual. num. 108 quibus adhæret Lessius cap. 35. dub. 2. num. 17. & 18. sicut ius percipiendi decimas fuit reipsa separatum multis in locis, & infeudatum. Communis tamen sententia Theologorum contraria est, vt fatetur Lessius ibidem.

110. Secus autem fructus, seu prouentus. Tertium verò, nempe prouentus ipsi, qui officio iure debentur, non sunt materialiter res sacræ, possùntque vendi & emi, aut aliter commutari; vt triticum, vinum, & similia ex beneficijs percepta, quemadmodum vsu communi constat. Quia licet cadant sub ius sacrum, & essentialiter innixum officio spiritali: tamen ipsa per se non acquirunt inde similem qualitatem, sed sunt res merè temporales, deputatæ ad vsus ministrorum Ecclesiæ: ideoque possunt licitè vendi ab eo cuius sunt, id est, ab eo qui officium & ius habet, cuius vi debet prouentus vt suos percipere. Ab eo tamen qui officium & ius coniunctum tribuit alteri, non possunt vendi prouentus futuri, ei qui ius & officium accipit: quia Tributor venderet non suum, cùm illi pertineant ad eum qui officium & ius accipit. Quartum denique, nempe ius inferius constitutum circa prouentus, si constituitur propter officium spiritale, non potest vendi; quia induit naturam beneficij, & est ius sacrum, per necessariam connexionem, fundatum essentialiter in officio sacro & spiritali, æquè ac beneficium. Idemque sentiendum est de iure circa pensiones Clericales, quæ licet non sint ita connexæ, tamen vendi non possunt sine auctoritate S. Pontificis, iuxta ea quæ diximus in fine Sect. præcedentis, vbi ostendimus hanc esse plurium Theologorum, atque etiam Canonistarum sententiam.

Porro Simonia non tantùm habet locum in beneficijs Ecclesiasticis, sed generatim in omnibus rebus sacris & spiritalibus, id est, aliquo modo supernaturalibus, si pretio temporali emantur aut vendantur: vt in Sacramentorum administratione, ordinum collatione, dispensationibus, consecrationibus, concionibus, doctrina fidei, ingressu in Religionem, & similibus; pro quibus vt talibus nihil accipi potest temporale, in pretium aut mercedem, sed tantùm pro labore naturali qui in aliquibus huiusmodi functionibus inest: Itémque in calicibus consecratis, vestibus sacris, & reliqua sacra supellectile, quæ si vendantur cariùs quia sunt sacra, simonia committitur. Item, si pretio temporali vendantur dona supernaturalia: vt curationes morborum miraculosæ, & alij effectus miraculosi, vt tales. Qualis fuit Simonia Giesi, 4. Reg. 5. Dixi autem, si vendantur effectus miraculosi, vt tales: quia materialiter sumptus effectus miraculosus, alioqui non sacer, neque supernaturalis in se, vendi potest sine simonia. Ex. gr. vidua Sareptana poterat licitè vendere oleum ab Elizæo miraculosè sibi suppeditatum, non vt miraculosum, neque cariùs eo nomine, sed communi pretio, simpliciter vt oleum: tametsi non poterat inducere pretio Elizæum ad patrandum hoc miraculum. Neque objicias licitum fuisse dare aliquid Prophetis ad obtinendam ab illis diuinationem, vt colligitur ex 1. Reg. 9. ver. 8 Respondeo enim cum D. Hieron in cap. 3. Micheæ, vel Samuëlem non accepisse munus sibi oblatum à Saüle, sed illum potiùs cum suo famulo excepisse conuiuio: vel munuscula illa fuisse eleemosynas factas tabernaculo, aut datas Prophetæ ad eius sustentationem, aut grati animi causâ: non autem vt pretium diuinationis Propheticæ. 111. Materia simoniæ generatim.

Sed de his omnibus, deque simonia generatim, plura dicemus inferiùs disputando de vitijs oppositis Religioni, cui virtuti simonia specialiter opponitur. Consistit enim propria illius 112.

malitia in eo quòd res sacræ, & supernaturales irreuerenter, & indignè tractentur, quando pretio temporali subjiciuntur, veluti res humanæ, & temporales, pecuniâ æstimabiles, & per pacta, conuentionésque humanas comparabiles. Interea aduerto simoniam committi posse circa beneficia Ecclesiastica, non modò in eorum emptione, & venditione: sed etiam in permutatione vnius beneficij cum alio, factâ sine auctoritate Superioris, vt patet ex cap. *Quæsitum, de rerum permutatione*: & in cessione seu renuntiatione reciproca, quando duo v. g. sic paciscuntur, Resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, vt tu vicissim resignes tuum beneficium in fauorem nepotis mei: vt colligitur ex cap. cit. & in resignatione triangulari, vt vocant: quando Petrus v. g. renuntiat suo beneficio in fauorem Pauli, vt Paulus suo renuntiet in fauorem Francisci, & Franciscus suo etiam renuntiet in fauorem Petri, qui hac viâ adipisci voluit beneficium Francisci, tanquam sibi commodius. In quo simoniam esse iuris humani colligitur ex cap. cit. & expresse docent Raymundus, Syluester, & Angelus, quos citat, & sequitur Nauarrus cap. 23. Manualis n. 100. & in cap. *Si quando, de Rescript. except. 4. n. 1.* & Lessius cap. 35. dub. 14. num. 88. Item in resignatione Beneficij cum reseruatione pensionis propria auctoritate, vel cum pacto confidentiæ, id est, cum pacto, vt ille, qui beneficium accepturus est, illud idem tibi, vel alteri, cui voles, aliquando resignet; vel vt pensionem ex eo, vel fructus aliquos tibi vel alteri præstet: vt patet ex Bulla Pij IV. & Pij V. relata à Nauarro cap. 25. Manualis, n. 110. Ac denique in pacto de redimenda pensione, inito ante resignationem, vel in ipsa resignatione, vt docent Caietanus, Toletus, & Lessius citati in fine Sectionis præcedentis: & in emptione iuris patronatus, quia est ius spiritale; & nominationis, aut electionis, & suffragij ad beneficium obtinendum; vt colligitur ex cap. Matthæus, extra de Simonia: & in emptione pensionis Clericalis authoritate propria; vt patet ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex proximo*, editâ anno 1571. & ex alijs quæ diximus in fine Sectionis præcedentis. Potest tamen pensionarius absque simonia liberè cedere pensioni propria authoritate gratis remittendo ius, quod in suum fauorem inductum erat. Neque enim id iure Ecclesiastico prohibitum est: neque hoc faciens vendit pro temporali, aut commutat quicquam spiritale: neque facit iniuriam beneficio, sed potiùs illi commodum affert; quippe quod liberat ab hoc onere, & restituit pristinæ integritati. Eâque remissâ, non tenetur ipse amplius ad officium B. Virginis à Pio V. iniunctum Pensionarijs: quia non durat hæc obligatio, nisi quandiu manet ius accipiendi pensionem. Potest etiam absque simonia, retento sibi iure, donare alteri fructus pensionis suæ, ex toto, vel ex parte; vel elocare ad tempus, atque etiam ad tempus vendere; vt contra Lessium, & Nauarrum docent Suares tract. 3. de Religione, lib. 4. c. 26. n. 9. & 17. Valentia disp. 6. q. 16. punct. 3. Azor tom. 2. lib. 8. c. 10. q. 11. & c. 11. q. 2. & 14. alijque plures.

Multiplex simonia circa beneficia.

113. *Pensionarius potest cedere pensioni propria auctoritate.*

Et dare aut vendere alteri fructus pensionis.

Potest quoque sine vitio simoniæ redimi vexatio iniusta, siue ipsius beneficiarij, siue Ecclesiæ in iniusta, & violenta detentione beneficij, aut electione indigni, qui non potest aliter impediri: & transigi pro lite inter contendentes pro iure dubio, dando aliquid temporale, non solùm propter expensas, sed etiam propter bonum pacis, iuxta sententiam Iudicis, aut Arbitrorum: vel constitui pensio auctoritate Prælati ad vitam alterius, qui cedit beneficio, seu iure dubio, quod ad illud habebat: multóque magis potest accipere pro iure illo aliud beneficium ab altero litigante, vt frequenti vsu receptum est, consentientibus Ecclesiæ Prælatis. Ac denique, iuxta nonnullos, qui multas fecit expensas circa beneficium litigiosum, quod iam pacificè obtinet, & cuius nondum redditus percepit ad compensandas expensas, potest absque simonia accipere quantum expendit, ab eo, cui resignat, non modò cum Summi Pontificis consensu (de quo nemo dubitat) sed etiam sine illo: non titulo collationis beneficij, sed titulo expensarum: quamvis Suares lib. cit. c. 35. & plures alij contrarium sentiant. Quæ omnia intellige, etiamsi pactum intercedat. Nam sine pacto vllo tacito, vel expresso, posse ex mera gratitudine aliquid dari, & accipi pro collato beneficio, absque simonia, omnes consentiunt, vt ostendemus, suo loco, vbi hæc omnia fusiùs exponemus, quæ nunc breuiter occasione disputationis de beneficijs dicta sunt, propterea quòd simonia frequentiùs solet committi circa beneficia.

Vexatio iniusta potest redimi.

SECTIO XIV.

De obligatione Beneficiariorum circa redditus superfluos.

Præcipua difficultas in eo consistit, vtrum Beneficiarij teneantur ex Iustitia impendere superflua sacrorum redituum in pios vsus; id est, dare Ecclesiæ, vel pauperibus. Cuius difficultatis licet breuem resolutionem dederimus suprà, Sect. 10. & alibi, tractando de dominio Clericorum circa bona Ecclesiastica, disput. 27. Sect. 7. Iubet tamen in præsenti fusiùs illam exponere, prout à quibusdam eruditis recentioribus subtiliter & accuratè discussa fuit. 114.

Status quæstionis.

Duæ igitur sunt de quæstione proposita Theologorum, & Canonistarum sententiæ. Affirmantem tenet Nauarrus in tractatu de redditibus Ecclesiasticis, cum plerisque antiquioribus Canonistis, & nonnullis Theologis: quorum præcipuum fundamentum est, quòd olim fideles cum ea intentione donarint sua bona Ecclesiæ, vt superflua in pios vsus cederent, ad illudque eam obligauerint. Negantem verò sequuntur recentiores ferè omnes: quorum sententia longè probabilior esse mihi videtur. Inter hos multi admittunt fundamentum oppositæ sententiæ: sed negant illud vim habuisse post instituta beneficia. Alij, vt Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 4. dub. 6. absolutè illud negant. Vt autem status quæstionis clariùs innotescat, videndum est in quo auctores vtriusque opi-

Variæ sententiæ.

nionis, affirmantis cum Nauarro, & negantis cum Lessio, inter se conueniant.

115. In quo conueniant? Vtraque igitur agnoscit præceptum Ecclesiæ grauiter obligans Beneficiarios ad danda superflua pauperibus. Cuius præcepti ferendi ratio sufficiens fuit subuentio pauperum, disciplina Clericorum, intentio tacita, vel expressa fidelium, qui bona sua non dederunt Ecclesiæ vt Clerici inde superbiant, luxu diffluant, pecunias auarè congerant, &c. sunt tamen pauci, qui doceant hoc præceptum certis in locis contrariâ consuetudine abrogatum esse; sicut prohibitio facta Beneficiarijs de non testando etiam ad pias causas. Vtraque sententia fatetur etiam fideles olim bona sua ita largitos esse Ecclesiæ, vt apposita non sit conditio sine quâ impleta, nulla foret donatio; absolutè enim voluerunt suas donationes valere: & eiusmodi conditio non præsumitur in donationibus, nisi exprimatur. Fatetur quoque vtraque sententia fideles intendisse, vt ea bona cederent in pios vsus; saltem eo modo, quo aliquis cum pecunias largitur mendico, intendit subuenire eius inopiæ; quamvis non intendat mendicum obligare ex Iustitia ad eiusmodi subuentionem; vnde mendicus pecuniam sibi datam impendens in aleam, aut ebrietatem, non ideo peccat contra Iustitiam. Item fatetur vtraque sententia potuisse fideles benefactores habere intentionem obligandi ex Iustitia Ecclesiam & Clericos ad superflua danda pauperibus, eo modo, quo testator legans centum aureos Xenodochio, obligat heredem ad eos illi persoluendos, illa enim intentio nihil haberet indecens, neque obligatio inde secuta, si eam Ecclesia suscepisset. Potuisse tam eosdem fideles donare Ecclesiæ absque tali intentione, manifestum est: cùm appositio talis obligationis fuerit planè libera, & donatio per se potuerit esse cum illa, vel sine illa.

116. Cardo difficultatis propositæ. De hac igitur intentione maximè disputatur hoc loco: non vtrum potuerit esse, necne? nemo enim id negat: sed an de facto fuerit: & an reipsa fideles benefactores Ecclesiam & Clericos obligarint ex Iustitia ad superflua danda pauperibus, vel pijs causis impendenda: certum enim est, quod stante tali obligatione debeantur superflua pauperibus; cui nisi satisfaciant Beneficiarij teneantur omnino ad restitutionem. Illi autem Doctores sententiæ negantis, qui agnoscunt talem obligationem fuisse ante illud tempus, quo sunt instituta Beneficia, debent ostendere quomodo in institutione, vel post institutionem Beneficiorum extincta fuerit: alioquin non sibi constant: nam semel admissa tali obligatione de se perpetuâ, necessariò fatendum est aut eam adhuc persistere: aut, si perempta est, extitisse rationem, & causam peremptionis.

117. Vera sententia. Nego autem absolutè fuisse talem obligationem, siue onus Iustitiæ; quia non fuit eius causa proxima & necessaria, nempe intentio efficax sic obligandi, quam habuerint fideles in donando. Porro intentio, quæ inducit grauem & onerosam obligationem, qualis est hæc, non potest sapienter dici fuisse in donante, nisi certò exprimatur in donatione; vel nisi certò explicetur per naturam donationis, quæ de se exigat eiusmodi intentionem; vel per leges, aut vsum probatum; vel per certam rationem. Sic enim solent legitimè explicari in omni Contractu tacitæ contrahentium voluntates: alioquin omnes Contractus & Donationes incertæ essent, earúmque ius instabile, si illis semel perfectis liceret pro arbitrio intentiones de nouo affingere, & sine graui fundamento interpretari hanc vel illam fuisse donantium voluntatem: quæ ratio agendi planè iniqua esset, maximè cùm per eam aliquis spoliaretur (vt hìc contingeret) sua possessione; quâ nemo priuari iustè potest, non solùm in dubio, sed neque in pari iure, in quo sibi quisque potiùs quam alteri debet consulere: Vnde tritum illud, *Melior est conditio possidentis.* Quisquis ergo Beneficiarium intendit dejicere possessione superfluorum redituum, necesse est vt certò demonstret hæc superflua non ad ipsum, sed ad pauperes pertinere ex intentione Benefactorum, qui hoc onus Iustitiæ imposuerint. Est enim actoris, seu petitoris, rem demonstrare contra eum qui est in possessione. Atqui huiusmodi intentio non exprimitur in donationibus Ecclesiæ factis pro Clericorum sustentatione: vt patet ex donationibus Constantini Magni, Pepini, Caroli Magni, plurimorúmque aliorum Regum ac Principum, & quorumcunque aliorum qui Ecclesiam locupletarunt: quorum si publica instrumenta prædictam intentionem exprimerent, non omisissent aduersarij ea proferre. Non etiam explicatur certò per leges quasi interpretes illius intentionis; neque per certam rationem; vt magis patebit ex solutione argumentorum quibus nituntur aduersarij: & iam probatur, quia Canones antiqui, ex quibus putant eam certò colligi, nihil aliud asserunt, quàm quòd redditus Ecclesiastici sint bona Dei, res pauperum, patrimonium Christi, eorum bonorum quadripartita diuisio sit facienda: Episcopos esse eorundem bonorum procuratores, œconomos, dispensatores: ac si ea bona in vsus profanos distrahunt, esse raptores, sacrilegos, deprædatores. Illi verò Canones nullam mentionem faciunt istius intentionis fidelium, neque obligationis ex eâ ortæ; & quæcunque exprimunt, facilem & commodam habent expositionem absque tali intentione, vel obligatione Iustitiæ. 118. Contraria opinio non habet fundamentum in Canonib.

Vt enim omittam, quod aliqui graues authores cum Lessio docent, huiusmodi Canones non aliam vim habere quàm præcepti, & in eis quædam exaggeratoriè dici, vt solent interdum Sancti Patres, ex quorum Scriptis omnes fere illi Canones sunt eruti; ad eum modum, quo dictum est ab vno è Patribus loquente de Sæcularibus, cap. *Hospitalem dist. 42. Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria retinere probatur.* Vt, inquam, hoc omittam; dico prædicta Canonum verba, quantum fieri potest (vt debent verba legum) in proprio sensu accepta, nihil habere vnde certò concludatur fideles dedisse sua bona Ecclesiæ cum onere Iustitiæ dandi superflua pauperibus, aut impendendi in pias causas. Licet enim tale onus non fuerit impositum; tamen verum erit redditus 119. Exponuntur Canones obiecti ab aduersarijs.

sacros esse bona Dei, & Christi; quia dati fuerunt ad cultum Christi & Dei, & ad sustentationem Clericorum, qui Christum peculiariter representant illique sunt addicti. Atque etiam quia dantur Ecclesiæ, quæ est sponsa Christi: bona autem sponsæ, etiam sponsi esse dicuntur. Neque enim hæc bona Dei dicuntur vt eminentis Domini, quomodo Deus est omnium Dominus: neque vt Domini specialis & ciuilis; cùm hoc dominium excludat aliud dominium simile; Ecclesia verò seu communitas Ecclesiastica, ante Beneficiorum institutionem, quando Clerici non habebant proprietatem redditutum sacrorum, erat vera & specialis illorum domina; est enim capax talis dominij, & verè tunc illud habebat; quemadmodum nunc quædam communitates Ordinum Religiosorum habent eiusmodi dominium. Et quidem multò frequentiùs Canones appellant redditus sacros res Ecclesiæ, quàm res Dei, aut Christi: vt patet ex varijs Canonib. Causa 12. q. 2. & 16. q. 2. & 23. q. 7. speciatimque in Canone Religiosam, causa 12. q. 2. vbi D. Gregorius domum & hortum, *qui erat Romanæ Ecclesiæ, donat cum iure proprietatis Monasterio Virginum.*

Et patrimonium Christi. Verum etiam erit illa bona esse patrimonium Christi; non quasi illa Christus à parentibus, vel à suis maioribus acceperit: sic enim definiunt Iurisconsulti patrimonium: sed quia sicut filij habent vnde viuant ex patrimonio, seu parentum hæreditate: sic ministri Christi aluntur ex bonis quæ fideles dant Ecclesiæ, intuitu

Et bona pauperũ. Christi, & ad eius cultum celebrandum. Verum denique erit illa bona esse pauperum; maximè quidem & principaliter (vt ait Nauarrus) quia ex Ecclesiæ præcepto erant distribuenda Clericis, qui profitebantur sanctam paupertatem: de quibus ait Sanctus Hieronymus, *Quicquid habent Clerici, pauperum est:* & D. August. Canone. Quod autem 23. q. 7. de se & alijs Episcopis loquens, *Pauperum*, inquit, *compauperes sumus.* Minùs autem principaliter illa bona, (si quid supererat ex Clericorum sustentatione) eiusdem Ecclesiæ præscripto danda erant alijs pauperibus & egenis. Nihil igitur adhuc apparet vnde colligi iure ac certò possit illa intentio fidelium obligans ex Iustitia.

120. Quadripartita redditũ diuisio quare facta? Iam videamus an meliùs inferatur ex quadripartita diuisione sacrorum redditnum, sancitâ primum anno 324. in Romana Synodo sub Syluestro, deinde confirmata à Simplicio, & Gelasio. Certè sicut ex illa Ecclesiæ sanctione de diuidendis in quatuor partes redditibus, nullum ius nouum tributum est pauperibus; vt fatetur Nauarrus præcipuus inter authores contrariæ sententiæ; ita ex illa nullo modo probatur intentio fidelium obligans ex Iustitia. Nam illa diuisio sancita & facta fuit ad tollenda dissidia, & rixas oriri solitas ex querelis Clericorum, & Præfectorum fabricæ, atque eleemosynarum, contra multos Episcopos, redditnum Ecclesiæ procuratores, qui non satis fideliter eos dispensabant iuxta intentionem & præceptum Ecclesiæ; neque suppeditabant omnia necessaria Clericis, & fabricæ; neque redundantia in pauperes erogabant. Quibus incommodis, & querelis vt occurreretur, constituta fuit illa diuisio, atque aliquatenus imminuta Episcoporum potestas administrandi redditus; aucta verò potestas Præfectorum fabricæ, & eleemosynarum. Sed semper ante, & post constitutam diuisionem quadripartitam, mansit eadem obligatio & vis præcepti Ecclesiastici, vt darentur superflua pauperibus; vt rectè docet Nauarrus: ac si quid in portione Episcopi, aut Clericorum redundaret; illud æquè post, atque ante dictam diuisionem pauperibus erat tribuendum. Ergo si ante sancitam diuisionem superflua non debebantur egenis ex intentione fidelium obligante ex Iustitia: ita neque post diuisionem: quia per illam nullum ius nouum accreuit pauperibus, neque illa probatur fuisse facta vt satisfieret intentioni fidelium benefactorum circa superflua in egenos eroganda, sed ex auctoritate Ecclesiæ ad componenda dissidia inter suos œconomos, & ministros exorta.

Superest probandum eandem intentionem fidelium non colligi certò ex eo, quòd Episcopi appellentur in Canonibus procuratores, œconomi, dispensatores redditnum sacrorum. Probatur autem, quia manifestum est illa munera data fuisse ab Ecclesia: & Episcopos fuisse dispensatores & procuratores, non fidelium, qui dederant sua bona Ecclesiæ; sed ipsius Ecclesiæ, seu communitatis sacræ Ecclesiasticorum, cui Episcopi rationem reddere tenebantur suæ dispensationis. Neque illa bona, quorum gerebant procurationem, erant fidelium, qui ea donauerant, sed erant ipsius communitatis Ecclesiasticæ, cui fuerant donata: quæ quidem communitas sacra curam dabat Episcopis, vt ea dispensarent iuxta Ecclesiæ præceptum & voluntatem. Nam ante instituta beneficia, redditus illi non erant proprij Episcoporum, & Clericorum, qui paupertatem profitebantur, dicentes cum Apostolo, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*, 1. Timoth. 6. Ex eo cogitur quòd Episcopi fuerint eiusmodi procuratores, aut dispensatores, sequitur ad summum quòd fuerint obligati administrare bona Ecclesiæ iuxta mandatum Ecclesiæ: ex definitione procuratoris & dispensatoris, traditâ lege 1. ff. de procurato: & lege 62. ff. de solutionibus: non autem sequitur, quòd fuerit aliqua intentio fidelium obligans ex Iustitia; cùm sine tali intentione totum munus dispensatoris, in Canonibus expressum, facilè intelligatur; neque sit vlla necessaria connexio muneris illius cum tali intentione, aut obligatione Iustitiæ ex ea secutâ. Sequitur etiam, eosdem dispensatores rectè à Canonibus appellari raptores, dæprædatores, sacrilegos, quoties contra dispositionem & præceptum Ecclesiæ dispensabant, vel potiùs dissipabant redditus sacros, dando consanguineis non egentibus, aut in alios profanos vsus impendendo. Illi enim redditus erant bona propria Ecclesiæ, non autem dispensatorum. Ille autem raptor est & deprædator, qui aliena dat, quasi propria, contra Domini voluntatem, ideoque peccat contra Iustitiam, & tenetur ad Restitutionem. Obligatur ergo dispensator bonorum Ecclesiæ ratione sui muneris, idque ex Iustitia, ad rectè dispensanda bona Ecclesiæ propria: & hanc

121. Quomodo tunc Episcopi erant eorum Dispensatores.

122. Quænam illorum obligatio vt Dispẽsatorum?

Iustitiæ obligationem adiunctam muneri dispensatoris, vel procuratoris, propter conuentionem tacitam, vel expressam inter procuratorem & Ecclesiam nemo iure negare potest exprimi in sacris Canonibus, posseque illius violatorem appellari propriè raptorẽ & deprædatorem, imò etiam sacrilegum ea specie sacrilegij, quam quarto loco numerat D. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. cùm iniustè tractantur bona specialiter addicta sustentationi Clericorum, seu sacrorum ministrorum. Vt autem prædicta Canonum verba explices, recurrere ad aliquam aliam obligationem Iustitiæ ex intentione fidelium manantem, est omnino fingere: neque enim sententiæ, aut verba Canonum illam exigunt. At verò obligatio Iustitiæ fundata in munere dispensatoris ab Ecclesia imposito, cum ratione & modo dispensandi redditus sacros, non aliunde petitur, quàm ex ipsis Canonum verbis in proprio sensu acceptis; ac necessariò ab omnibus admitti debet; eâque semel admissâ, facile erit aduertere nihil habere Canones, vnde non modò certò, sed neque probabiliter concludatur fideles in suis donationibus vllum Ecclesiæ onus Iustitiæ imposuisse quoad superflua pauperibus distribuenda. Atque illud ipsum nullâ firmâ ratiòne niti, postea patebit ex argumentorum solutionibus.

123. Altera probatio veræ sententiæ. Porro hæc ratio, quam hucvsque exposuimus, est quasi à priori, petita ex defectu causæ necessariæ illius obligationis, quam adstruunt aduersarij. Sequitur altera ratio quasi a posteriori. Si Ecclesia fidelium bona accepisset cum prædicto Iustitiæ onere, curaret certè illius obligationis executionem, præsertim tam grauis, & cuius neglectus in damnum tertij, nempe pauperum, vergeret, & transgressores ad restitutionem obligaret. Hæc autem cura, vt sit sufficiens, postulat primò vt fiat declaratio tantæ obligationis; ne eius ignorationem prætendant Beneficiarij, & quicunque malè accipiunt, aut retinent illa superflua inualidè donata, & accepta. Secundò, vt inquiratur in eos, qui impendunt superflua ad vsus profanos, siue donando, siue testando; & repetantur malè impensa à donatoribus, vel donatarijs. Neque dicas hinc lites interminabiles exorituras. Non enim id difficilius est, quàm spolia Clericorum colligere, vbi ea lex spoliorum viget, quæ tamen spolia vix aliud comprehendunt, quàm superflua: nam quæcunque Clericus possidet iure sanguinis, aut industriæ, aut conditionis personalis, inter spolia non numerantur; ad quæ tamen excipienda creantur multis in locis Collectores Apostolici. Tertiò, saltẽm vrgenda esset conscientia malè donantium, aut recipientium superflua; adhibitis etiam, si opus esset, censuris, quibus adigerentur ad restitutionem. His igitur, aut similibus, modis suæ obligationi, si ea certa esset, satisfacere teneretur Ecclesia; quæ in alijs multò minoris momenti, similem, aut etiam longè maiorem curam adhibet. Vt cùm declarat non recitantem horas Canonicas, non facere fructus suos. Atqui Ecclesia non modò hanc curam diligentiamque non adhibet: sed etiam donationes superfluorum nullâ lege, nullâ Iudicum sententiâ rescindit: &, quod maius est, non improbat consuetudinem receptam in Lusitania, vt testatur Fernandez; in Hispania, vt Couarruuias, Molina, Vasquez, Sarmiento, Sopranez, & alij ab illis citati. In Galliâ, vt Guido Papæ, Ioan. Faber, Philippus Probus, Baunius, & Sopranez in appendice De spolijs, ad Filiucium, cap. 7. num. 22. quâ consuetudine beneficiarij pro arbitrio de redditibus sacris validè testantur, illisque ab intestato succedunt consanguinei in eisdem bonis. Atque hæc consuetudo seruatur in totâ Hispaniâ ab omnibus beneficiarijs, præter Episcopos, & in constitutionibus Caroli V. & Philippi II. vocatur legitima, & vsu approbata: vt testatur Vasques cap. 2. de Redditibus, §. 1. dub. 10. In Gallia verò, & Lusitania, omnes Iudices, inter quos multi sunt peritissimi iuris naturalis, ciuilis, & Canonici, eundem vsum ratum habent: quod tanto consensu non facerent, si hæc consuetudo iuri naturali, illis certè non ignoto, aduersaretur, vt volunt aduersarij. Ecclesiam verò, si tali consuetudine, talibus legibus, & iudicijs, iniuriam sibi, & pauperibus, quorum est tutrix, fieri arbitraretur, tacere tamen, nihil contrà audere, silentio suo tantam iniquitatem tacitè probare, cùm ipsa liberè loqui, resistere, & sua, pauperúmque iura tueri possit, ac debeat; quid esset aliud, quàm negligenter, timidè, dissolutè, imò iniustè agere? Quæ cùm procul absint ab Ecclesia, cuius disciplina recta semper fuit atque integra; quid aliud restat, nisi vt concludamus neque Ecclesiam, neque Pontifices tale onus Iustitiæ, quasi sibi impositum, agnouisse?

At, inquies, Ecclesia reclamat Canonibus, Decretis, prohibitionibus suis, tali consuetudini, tanquam iniustæ. Respondeo non ita esse; vt manifestum fiet ex argumentorum solutione, quæ quoniam aliqui recentiores tam firma esse sibi persuadent, vt dicere audeant ea conuincere, illúmque, qui ea penetrauerit, vix posse turâ, & quietâ conscientiâ aliter agere; videndum est, vtrum tanti sint ponderis, & num potius facilem, & claram habeant solutionem. 124.

SECTIO XV.

Soluitur prima obiectio contrariæ sententiæ.

125. Prima obiectio de diuisione quadripartita reddituũ. Objiciunt 1. antiquos Canones non modò præcipisse, sed etiam statuisse quadripartitam diuisionem sacrorum redditũum, quorum quarta pars non ad Clericos, sed ad pauperes pertineret. Hoc autem ius neque mutauit, neque iure mutare potuit Ecclesia: Ergo adhuc permanet illud idem ius pauperum. Maior probatur ex eo quòd propter talem diuisionem redditus sacri vocentur à Canonibus bona Dei, res pauperum, patrimonium Christi; quodque dicant Clericos, qui ex ijs bonis subtrahunt sibi non necessaria, committere sacrilegium, eripere pauperibus, Ecclesiæ bona deprædati, id est, peccare contra Iustitiam: vt patet ex Canone, *Vobis enim*, Canone *Cognouimus*,

Canone *Mos est*, 12. quæst. 2. & Canone *Quod autem*, 23. quæst. 7. Minor autem probatur, quia si Ecclesia mutasset ius pauperum dando illud Clericis; id maximè fuisset in institutione beneficiorum, vel post. Atqui nihil tale fecit: cùm nulla sit huius mutationis legitima declaratio, sine qua non est præsumendum iuri pauperum fuisse derogatum. Neque respondeas cum Dominico Soto, partem pauperum cessisse in Xenodochia: Nam vt rectè ait Lessius, Xenodochia vtplurimum fundata sunt ex bonis Laïcorum, neque quinquagesimam partem beneficiorum continent. Dici quoque nequit quod ait Vasques, partem pauperum transisse ad beneficiarios præscriptione. Nam præscriptio non valet contra pias causas, qualis est pauperum: nulla etiam valet sine pacifica possessione, nemine reclamante: hic autem & semper reclamauit Ecclesia, reclamarunt & pauperes, & passim Theologi. Denique si præscriptio valuit aduersus pauperes, valuit etiam aduersus præceptum Ecclesiæ dandi superflua pauperibus; quod tamen adhuc vigere fatentur Vasques, Lessius, De Lugo, & alij, qui negantem sententiam sequuntur.

126. Huius argumenti maior distinguenda est. Quarta pars ad pauperes pertinebat ex onere Iustitiæ orto ab intentione fidelium sic obligante: nego. Ex obligatione Iustitiæ adiuncta muneri dispensatoris, qui debebat illam quartam dare pauperibus iuxta voluntatem Ecclesiæ, quæ domina erat illorum redditaum: concedo. Hanc enim solam, & non aliam obligationem exprimunt Canones, vt eos attentè & sine præiudicio legenti patebit.

Quomodo quarta debebatur pauperibus?

Ad minorem autem dico Ecclesiam mutasse iura, & intentionem suam, quando instituit Beneficia: nempe constituendo vt qui antea erant solùm dispensatores redditaum, atque adeo obligati ex Iustitia ad illa impendenda ex parte in pauperes, iuxta voluntatem Ecclesiæ; postea domini essent eorundem redditaum; cessante illa obligatione Iustitiæ cum munere dispensatoris. Sic œconomus, qui ex præscripto domini, & ex Iustitia, tenebatur dare annuatim centum aureos pauperibus; si postea fiat hæres domini, non tenebitur ad dandum: quia desijt munus œconomi, quod erat fundamentum illius obligationis.

127. Causa verò huius mutationis esse potuit multiplicatio Clericorum, quæ necessaria fuit illis temporibus, in quibus plurimi conuertebantur ad fidem: & Clericis, qui antea communiter viuebant vt pauperes, iam in varia beneficia distributis, seorsimque viuentibus, multò plura, quàm antè, fuerunt necessaria: estque valde probabile quartam illam partem pauperum (additâ etiam aliquorum Xenodochiorum fundatione, iuxta sententiam Dominici Soti,) à Clericis ita multiplicatis & distributis fuisse absorptam, velut illis necessariam. Quod fuit absque vlla pauperum iniuria. Tum quia Ecclesia, quæ hanc mutationem induxit, nihil debebat pauperibus ex Iustitia, sed pro sua libera voluntate quadripartitam illam diuisionem antea fecerat, & dispensatores obligauerat ad quartam partem distribuendam pauperibus: quam obligationem, & officium dispensatoris æquè tollere potuit libera sua voluntate. Tum etiam quia, vt fatentur auctores vtriusque sententiæ, etiam tunc quando Clerici viuebant in communi, nulla pars sacrorum reddituum debebatur pauperibus, nisi quæ redundabat post congruam, saltem in gradu infimo, Clericorum sustentationem, & fabricæ vsus necessarios. Porro cùm in beneficiorum institutione Beneficiarij facti sint Domini suorum reddituum, vt patet ex Lateranensi sub Leone X. & Tridentino, in quibus aliqui puniuntur priuatione dominij, & statuitur ne faciant fructus suos, si omittant professionem fidei, vel si absint à choro vltra tres menses, vel si non recitent horas Canonicas: longè etiam probabilius est posteriores benefactores, absque vllo onere Iustitiæ dandi superflua, donasse Beneficiarijs, quorum rationes, cessante quadripartita diuisione, videbant à pauperibus aliquatenus fuisse seiunctas per beneficiorum institutionem.

Instare posset aliquis: vel Ecclesiam dedisse Clericis dominium bonorum Ecclesiasticorum cum eodem onere; sic enim dare potuit: vel si non ita dedit, cessasse tunc præceptum de dandis superfluis. Respondeo neutrum verum esse. Nam neque tale onus est admittendum, quia non satis probatur, nec ab Ecclesia declaratur: Neque propterea cessauit præceptum dandi superflua pauperibus, vel in alia opera pia impendendi; quia licet obligatio Iustitiæ quoad superflua, fuerit cum munere dispensatoris extincta; non tamen cessauit præceptum quod Ecclesia semper vigere voluit, & sæpius renouauit, maximéque in Tridentino: eius etiam ratio semper valuit, ad remouendam à Clericis occasionem & materiam superbiæ, & auaritiæ. Notandum autem, quòd etiamsi beneficiarij sint Domini reddituum sacrorum; non sunt tamen Domini bonorum Ecclesiæ immobilium, nec sacræ supellectilis pretiosæ: horum enim sunt tantùm dispensatores, quæ non possunt, ne quidem ipse Papa, alienare sine iusta causa: C. *Non liceat*, 12. q. 2. 128.

Non iam debetur pauperibus ex Iustitia sed ex præcepto.

SECTIO XVI.

Exponuntur Canones, quos præcipuè opponunt aduersarij.

AD meliùs confirmandum quod diximus, operæ pretium fuerit proferre Canones quibus contraria sententia præcipuè nititur: vt meliùs appareat, quàm parum, vel potius nihil faueant. Primus habetur Causâ 12. quæst. 2. can. 23. vbi Gelasius Pontifex, commendatâ curâ rerum Ecclesiæ quas prohibet alienari, præcipit *ex collectione omnium prouentuum quatuor fieri portiones, quarum vnam* (inquit) *sibi tollat Antistes: aliam Clericis pro suo iudicio & electione dispertiat: tertiam pauperibus sub omni conscientiâ faciat erogari: fabricis verò quartam.* Hactenus Pontifex. Ex cuius certè verbis rectè inferri nequit partem illam deberi pauperibus ex intentione fidelium benefactorum, obligante ex Iustitia. Nam sine tali intentione verba 129.

Canonis

Canonis facilem habent explicationem : ex illisque meliùs inferretur. Ergo illa portio debetur pauperibus, quia Pontifex præcipit Antistiti vt eis donetur : Antistes autem tenetur sub omni conscientia eis donare, quia non solùm ex obedientia, aut ex Charitate, sed etiam quasi dispensator ratione muneris sibi impositi, tenetur ex Iustitia partem illam pauperibus erogare.

130. Et Canon *Cognouimus.* *Lib. 3. Epist. 11.*

Secundus Canon obiectus ab aduersarius, est 29. eiusdem, quæst. 2. vbi S. Gregorius scribit in hæc verba Maximiano Episcopo Syracusano, *Cognouimus de redditibus Ecclesiæ nouiter acquisitis Canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire : sed Episcopos locorum distribuere tantummodo quartam antiquorum redditûum : nunc verò quæsita, suis vsibus retinere. Quam rem prauam, subintroductámque consuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet, vt siue de præteritis redditibus, siue de his, quæ obuenient, quartæ secundùm dispositionem Canonicam dispensentur. Incongruum namque est vnam eandemque substantiam duplici quodammodo iure censeri, id est vsurpationis, & Canonum.* Sed neque ille Canon satis probat intentionem fidelium obligantem ex Iustitia ; nihil enim aliud sonat quàm præceptum Ecclesiæ, & Canonicam dispositionem. Enimvero si fideles, de nouo dantes sua bona Ecclesiæ, habuissent intentionem obligandi ad tribuenda pauperibus superflua ; hanc intentionem non ignorassent Episcopi Siciliæ, qui ea bona accipientes sibi vsurpabant : & illos obligasset D. Gregorius ad restitutionem faciendam pauperibus : neque enim illa vsurpata condonasset Episcopis, si iure naturali ex donantium intentione debita erant pauperibus.

131. Et Canon *Mos est.*

Tertius Canon in eadem causa num. trigesimo, est eiusdem D. Gregorij lib. 12. Epist. 31. respondentis Augustino Anglorum Episcopo, qui quæsiuerat à Pontifice, an sacrorum redditûum portiones essent faciendæ ? *Mos est* (inquit Pontifex) *Apostolicæ Sedis, ordinatis Episcopis præceptum tradere, vt de omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones : vna videlicet Episcopo, & familiæ eius, propter hospitalitatem, & susceptionem ; alia clero ; tertia verò pauperibus ; quarta Ecclesijs reparandis.* Quæ verba nocent potius aduersarijs : quippe ex quibus efficaciter probari potest nullam fuisse fidelium benefactorum intentionem obligantem ex Iustitia. Hanc enim non ignorasset Augustinus, rerum Ecclesiæ bene peritus : neque posita tali intentione, & suscepto onere Iustitiæ, relictus erat locus dubitandi, aut interrogandi Pontificem. Erat enim manifestum, quòd illæ portiones fieri debebant iuxta voluntatem donantium. Quòd ergo quærat Augustinus an ille mos diuidendi redditus sacros, inducendus sit in Angliam recens conuersam ; quodque Pontifex respondens non faciat mentionem nisi præcepti, quod tradi soleat Episcopis de facienda diuisione ; satis ostendit illum diuidendi morem non aliunde manare, quàm à iure positiuo, si loquamur de portione pauperum ; nam de sustentatione Clericorum nemo vnquam dubitauit, quin ad eam pertineant dona fidelium. Ineptus autem, & ridiculus esset, qui interpretaretur D. Gregorium mandasse Augustino, vt moneret fideles Anglos, vt non nisi cum onere Iustitiæ donarent Ecclesiæ. Quasi verò id oneris sibi debeat Ecclesia procurare ; aut non soleat, vel nequeat aliter benefactorum liberalitates accipere.

Hîc obiter notandum est ex prædictis Canonibus Gregorij inferri, eos decipi, qui putant 132. Beneficia quando instituta?
beneficia Ecclesiastica primò instituta fuisse sub Symmacho Papa, hoc est, fere centum annis ante tempora Gregorij : quod non conuenit cum hisce Canonibus : quia mos ille diuidendi redditus sacros repugnat institutioni beneficiorum vt nunc sunt. Nisi dicas pauca admodum & obscura fuisse beneficia sub Gregorio, & multis post annis : quia cùm institutio beneficiorum contineat priuilegium, & relaxationem quandam disciplinæ seuerioris ; illa initio valde paucis concessa est, nec nisi sensim & longo temporum tractu est propagata, donec tandem præualuit : cùm autem rara esset sub Gregorio, vigeréntque adhuc passim Canones antiqui de diuisione quadripartitâ redditûum ; Gregorium ita respondisse & scripsisse, ac si nulla fuisset beneficiorum erectio. Nihilominus puto verius esse, sub Symmacho Papa cœpisse tantùm adumbrationem quandam beneficiorum, vt colligitur ex eius Epistola quæ refertur tom. 3. Concil. pag. 677. ad Cæsarium Arelatensem ; vbi Pontifex permittit *vt Clericis honorem meritis* (id est, bene meritis, vt explicat Binius) *concedantur possessiones Ecclesiæ ; sic tamen vt non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.*

Quartus & postremus Canon *Quod autem*, 133. Exponitur Canon *Quod autem.*
sumptus ex Epist. 50. D. Augustini ad Bonifacium, habetur Causâ 23. quæst. 7. nihilóque magis fauet aduersarijs. Illo enim Canone D. Augustinus refutat calumniam Episcoporum Donatistarum, qui objiciebant Catholicis Episcopis auaritiam, & ambitionem ; quasi eorum impulsu leges ab Imperatoribus Honorio, & Theodosio latæ essent de prædijs Hæreticorum Clericorum, Ecclesiæ Catholicæ restituendis ; vt hâc viâ & ratione Catholici plura possiderent : & vi illarum legum cogerentur quoque ipsi Donatistæ, ne suis rebus spoliati manerent, ad Catholicos transire. Quam calumniam D. Augustinus diluit duplici ratione. Primâ, quòd contraria & repugnantia dicat. Nam si Catholici auaritiâ ducti res Donatistarum possidere vellent, non vrgerent Donatistas vt redirent ad Catholicam communionem, in quâ & suas res recuperarent, & bonis communibus Catholicorum participarent. *Quis auarus* (inquit) *quærit habere compossessorem ?* &c. deindeque subiungit : *Ipsos certè attendant, quondam suos, iam nostros socios, & fraternâ nobis dilectione coniunctos* (loquitur de Episcopis, & Clericis, qui Donati partes reliquerant) *quemadmodum ea teneant, non solùm quæ habebant, sed etiam nostra quæ non habebant :* id est, non solùm ea bona teneant, quæ vi legum erepta illis erant cùm starent à Donato : sed etiam ea iam habent, quæ tum non habebant, nempe nostra, quæ nos communiter possidemus. Secunda ratio D. Augustini hæc est. Expertes sumus auaritiæ, *si illa ipsa, quæ priuatim possidemus, quæque nobis sufficiunt, non sunt nostra, sed pauperum, quo-*

rum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus: Aliqui malè legunt, *sacrilegâ*, pro, *damnabili:* quasi diceret: Tantùm abest à nobis Episcopis Catholicis labes auaritiæ, & cupiditas eorum bonorum, quæ antea Donatistarum erant, nunc autem sunt Ecclesiæ; vt ea ipsa bona, quæ nos priuatim possidemus, id est, quæ non habuimus à Donatistis, quæque habebamus antequam Donatistæ ad nostram communionem venissent, & quæ nobis sufficiebant; ea, inquam, ipsa bona non sint nostra tanquam propria, quia profitemur paupertatem; sed sint pauperum, nempe Episcoporum, & Clericorum, qui ex ijs bonis aluntur, ac si quid superfit, etiam aliorum pauperum; quorum bonorum non proprietatem, inquit, sed quodammodo procurationem gerimus. Quæ vox, *quodammodo*, indicat non fuisse omnino procurationem: quia eius partis, quæ erat necessaria Episcopo ad eius sustentationem, quamque ipse sibi sumebat, Episcopus non erat propriè procurator; sed aliarum partium, quas tenebatur alijs distribuere. Reliqua plana sunt. Hic autem sensus facilis est, & genuinus, suámque vim omnem habet ad confutandam ex mente Augustini calumniam Donatistarum: quamvis fideles non dederint bona sua Ecclesiæ cum onere Iustitiæ; quod onus nihil facit ad scopum Augustini, neque illius oneris in toto illo Canone vllum apparet vestigium: ac neque inde, neque ex præcitatis Canonibus potest bene colligi fideles habuisse, in donando, intentionem obligandi Ecclesiam ex Iustitia vt superflua darentur pauperibus; licet ex illis euidenter constet Catholicos Episcopos fuisse procuratores illorum bonorum, non autem dominos: atque adeo fuisse obligatos, idque ex Iustitia, ratione muneris, ea dispensare iuxta eius voluntatem, cuius erant procuratores; nempe Ecclesiæ, bonorum illorum dominæ: ac si secus faciebant; raptores erant; proprietarij, & vsurpatores iniusti. *Quorum bonorum*, inquit Augustinus, *procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis damnabili vsurpatione vendicamus.*

134. *Malè ex eo colligitur Ecclesiam non habere dominium redditūū.* Eruditi aliqui recentiores postquam animaduerterunt ex præcedenti solutione totam vim sui argumenti, quod antea validissimum existimabant, penitùs concidere, hanc responsionem excogitarunt: Ecclesiam, seu cœtum Ecclesiasticorum non habere dominium bonorum Ecclesiæ, neque redditaum; sed habere tantùm dispensationem, & procurationem illorum: idque se satis ostendere putant ex præcitato Canone D. Augustini, vbi de se & alijs Episcopis loquens, ait, *Illa bona non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* Nam (inquiunt) cùm Augustinus de toto cœtu Episcoporum Catholicorum Africæ protestetur bona Ecclesiæ ne à tota quidem illâ multitudine Episcoporum, Ecclesiam Africanam repræsentantium, posse vsurpari integrâ proprietate, quæ esset sacrilega; argumento est dominium bonorum ad Ecclesiasticum cœtum non pertinere.

Sed hoc effugium nullum est. Primò, quia malè tribuitur Augustino, quòd de Pastorum cœtu vt tali loquatur, cùm ait, *Non sunt nostra, quorum procurationem gerimus, non proprietatem vendicamus.* Hæc enim verba accommodanda sunt Pastoribus in sensu distributiuo, non autem collectiuo: cùm euidens sit cœtum illum Pastorum totius Africæ non habuisse procurationem bonorum, exempli gratiâ, Ecclesiæ Hipponensis, sed solum Augustinum; & ita de alijs Ecclesijs; quia singuli Episcopi, bonorum suæ Ecclesiæ erant procuratores, iuxta Canonem 41. Apostolorum, & plures alios: Dominium autem illorum bonorum non erat Episcopi, nec vllius personæ singularis; sed dominium, exempli gratia Hipponensis Ecclesiæ, erat cœtus Ecclesiasticorum, talem Ecclesiam repræsentantium: in quo cœtu comprehenditur Episcopus, Capitulum, & ex probabiliori sententiâ Summus Pontifex, sine quo bona Ecclesiæ nequeunt alienari. Quòd si procuratio bonorum de cœtu Pastorum non potest intelligi: Ergo neque eidem cœtui accommodanda sunt illa alia verba eiusdem sententiæ Augustinianæ, *Non sunt nostra, non proprietatem nobis vendicamus*· omnes enim illæ voces æqualiter tribuuntur Pastoribus, sub eadem ratione, hoc est, distributiuè acceptis. 2. Ad scopum Augustini non est necesse vt cœtus Ecclesiasticorum careat dominio: satis enim est ad amoliendum auaritiæ crimen, à Donatistis obiectum, ostendere (quod facit Augustinus) singulos Episcopos nihil habere proprium, quamvis non deessent sufficientia ad victum, & sustentationem, etiam antequam Donatistæ bonis priuarentur; eósque profiteri sanctam paupertatem, cuius perfectioni, vt docet D. Thomas, post Sanctos Patres, non obest quòd Communitas habeat dominium: sicut Collegium Apostolorum sub Christo habuit pecunias; & initio Ecclesiæ, illarum etiam pecuniarum, quæ à fidelibus ad pedes Apostolorum deferebantur, Act. 4. Dominium ad Communitatem Ecclesiasticam pertinebat, vt docent communiter interpretes; cùm tamen nemo fidelium aliquid suum esse diceret. Quòd autem Augustinus hoc genus paupertatis intelligat, quæ singulis personis conueniat, licet possideantur bona in communi, magis etiam liquet ex ijs quæ proximè subiungit post verba Canonis: sic enim habet Epist. 50. ex qua etutus est Canon: *Sub Christo capite in vno eius corpore vnum simus, & de istis talibus rebus* (id est, bonis) *faciamus quod scriptum est in Actibus Apostolorum, Erat illis anima vna, & cor vnum: & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* Quibus verbis hortatur Donatistas Episcopos ad Catholicam communionem, & Euangelicam paupertatem, quam Catholici Pastores profitebantur, exempla secuti primorum Christianorum; qui nihil habebant proprium in particulari, quamvis in communi bona possiderent.

D. Thomas 2.2.q.188. art. 7.

135. *Intentio fidelium in dandis bonis suis Ecclesiæ.* Ex occasione illius loci Actuum Apostolorum in quo dicuntur fideles bona sua vendidisse, & eorum pretia obtulisse Apostolis, miror aliquem ex aduersarijs inde colligere, eiusmodi

oblationes non fuisse sine onere Iustitiæ alendi pauperes ex ijs, quæ redundabant ministris Ecclesiæ; nec vsquam ostendi mutatam esse fidelium intentionem; neque posteriores fideles plus voluisse honorare Pastores Ecclesiæ, quàm illi primi honorarunt Apostolos. Miror, inquam, ex tam leui & inani coniectura voluisse id elicere. Vbi enim in toto illo textu apparet vel minimum illius oneris vestigium? Vbi vel exigua superfluorum vmbra? Constat quidem ex eodem loco ex oblatis pecunijs sustentatos fuisse pauperes: sed quos? Nempe voluntarios, qui sua vendiderant, *& quibus singulis diuidebatur, prout cuique opus erat*, vt loquitur textus. Hi enim pauperes erant membra sacra communitatis; quæ cùm haberet bona ex fidelium liberalitate, ad eos alendos obligabatur: at de pauperibus mendicis ex necessitate, non agitur illo loco, vt cuiuis illum attentè legenti patebit. Ex illo verò quisquis probabit oblationes illas non fuisse sine onere Iustitiæ alendi pauperes mendicos ex superfluis; pariter ex illo poterit probare mysterium Trinitatis, aut quidvis aliud quantumlibet alienissimum. Sed vt eò redeamus vnde digressi sumus:

136. Probatur Ecclesiã habere dominiũ. Si cœtus Ecclesiasticus, seu Ecclesia, non est domina bonorum quæ dicuntur esse Ecclesiæ; quis ergo est illorum dominus? Nam ea domino prorsus carere nemo dixerit. An Laïci fideles, qui ea dederunt? At hoc dici nequit; cùm verè & reipsa donauerint: & in multis eorum donationibus exprimitur, quod rem, & eius dominium, proprietatem, & omnia iura ad rem pertinentia Ecclesiæ donent. Quæ profectò donationes irritæ sunt, nisi Ecclesia dominium habeat. An Christus habet dominium speciale bonorum Ecclesiæ, quæ Christi nomine ea dispenset? Speciale inquam: nam de dominio eminenti, nemo dubitat quin Christus illud habeat, saltem vt Deus est. Sed cùm dominium speciale sit ciuile, & in personis resideat, quæ habeant inter se societatem sensibilem, & commercium tale, vt alter alterum possit conuenire, & cum eo agere, & transigere: dici nequit tale dominium Christo conuenire; præsertim cùm dominium eiusmodi excludat alium dominum in eodem ordine. Neque est ratio cur Ecclesia excludatur à vero dominio. Non enim quia est incapax talis dominij. Nam cum multa ei donantur, non facta etiam mentione Christi vt donatarij, licet ad honorem Christi donentur: sequeretur nullas esse istas donationes, vtpote factas incapaci. Cur autem negatur capacitas hæc Ecclesiæ, cùm concedatur communitati Religiosæ? Et ipsi aduersarij fateantur beneficiarios ab Ecclesia institui veros dominos reddit uum, sed cum onere? Certè ipsâ experientiâ patet Ecclesiam validè transferre dominium proprietatis decimarum in Laïcos, cùm eas donat in feudum, & cùm prædia Ecclesiæ iustis de causis alienat: in quo sese gerit vt dominam, non vt meram dispensatricem.

137. Eius negatio non prodest aduersarijs. Quartò denique, vt constet vndique infirmam esse, & inutilem aduersariorum responsionem: quamvis eis concederemus Christum esse dominum specialem bonorum Ecclesiæ; ipsam vero Ecclesiam esse tantùm meram sub Christo dispensatricem generalem, quæ sub se habeat particulares dispensatores Episcopos: non propterea valeret argumentum nobis obiectum, neque minueretur vis nostræ solutionis. Nam neque magis probaretur fideles donasse Christo, aut Ecclesiæ cum onere Iustitiæ: neque id magis ex citatis Canonibus ostenderetur. Siue enim Christus sit Dominus, siue Ecclesia; perinde negatur illud onus Iustitiæ ex intentione fidelium: & nisi probetur, malè inducitur. Et tamen eadem erit vis nostræ solutionis: quia in illa suppositione, tam Ecclesia, quàm Episcopi tenebuntur, ratione muneris dispensandi, administrare redditus ex voluntate Christi Domini; idque ex Iustitia; quod munus dispensandi cùm extinctum sit ratione redditu um in beneficiorum institutione, eò quòd beneficiarij facti sint Domini; illam pariter obligationem Iustitiæ extinctam fuisse necesse est. Atque hoc totum verè intelligitur citra vllum onus Iustitiæ à donatoribus impositum. Nihil ergo proficiunt aduersarij, cùm negant Ecclesiam esse dominam bonorum. Primò quia id perperam negant. Secundò, quia id malè colligunt ex verbis Augustini. Tertiò, quia etiamsi rectè negarent, tamen id eos nihil iuuaret.

SECTIO XVII.

Satisfit alijs obiectionibus.

Neque magis eos iuuat quod secundò obijciunt, Tridentinum Sess. 25. cap. 1. de Reformatione, renouasse Canonem Apostolorum 39. quo prohibetur Episcopis ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis dent; sed si pauperes sunt, eis vt pauperibus distribuant. Hoc autem (inquiunt) non est nudum Ecclesiæ præceptum; sed declaratio quod ea bona dari non possint consanguineis sine iniustitia: ait enim, ne dent, *res quæ Dei sunt*, id est, quæ sunt ita deuinctæ cultui diuino, vt Ecclesiasticos eas aliò traducere, sit res non suas alijs dare; alioqui res omnes, quæ sunt in mundo, sunt res Dei. Quare vt Tridentinum, & Canon Apostolicus aliquid speciale dicant de istis bonis, oportet non tantùm esse Dei, sed ita esse, vt non sint subiecta potestati, & iuri hominum. Respondeo Canonem Apostolicum duplicem vim habuisse ante instituta beneficia: 1. prohibendi id quod in eo continetur. 2. obligandi ex Iustitia Episcopos, ratione muneris dispensandi illis impositi, vt dispensent redditus factos, non tanquam proprios (ipsi enim paupertatem colebant) sed tanquam bona Ecclesiæ, bona Christi, bona Dei; hæc enim idem sonant, vt ait Nauarrus præcipuus aduersariorum, atque adeo iuxta voluntatem, non propriam, sed Ecclesiæ, eorundem bonorum veræ dominæ. Tridentinum autem dictum Canonem renouando, non renouat, aut declarat obligationem ex Iustitia ratione muneris dispensandi; cùm iam Episcopi non sint dispensatores redditu um, sed Domini, vt clarè colligitur ex eodem Tridentino; & fatentur ipsi ad-

[Right margin notes: 138. Altera obiectio ex Tridentino. — 139. Exponitur Canon 39. Apostolorum. — Et Tridentinũ illum renouans.]

uersarij: sublatâ vero dispensatione post instituta beneficia, tolli quoque obligationem Iustitiæ ex ea ortam consequens est: sed solam prohibitionem renouauit quoad Episcopos, eámque extendit ad alios beneficiarios: atque etiam (vt loquitur) ad Cardinales pertinere decernit. Legatur integer locus Tridentini: nihil plane est, vnde ex eo colligi possit illud onus Iustitiæ à fidelibus impositum; nihil quod præter meram prohibitionem suboleat. Vtitur

140. Expenduntur verba Tridentini. enim voce interdicendi, seu prohibendi; & vetat ne beneficiarij bona illa distrahant, aut dissipent: quæ verba non magis iniustitiam, quàm simplicem inordinationem arguunt. Quòd autem prohibeat eadem illa bona dari, quia Dei sunt, apparet quidem specialis aliqua ratio cur Ecclesia redditus sacros dissipari prohibeat ex eo, quòd Religionis ergo donati sint, neque deceat beneficiarios ijs profanè abuti; sed inde inferre illos redditus ita esse Dei, vt non sint subiecti iuri seu Dominio hominum; hoc est gratis, & sine fundamento ratiocinari. Nam æquè post, atque ante beneficia erecta, illi redditus dicuntur esse Dei; cùm tamen beneficiarij ante erectionem beneficiorum non essent, post erectionem sint veri redditnum domini. Neque illi redditus sunt Dei tantùm ratione superfluorum, sed maximè, & præcipuè, quatenus conferunt ad sustentationem beneficiariorum, quorum causâ constat fuisse donatos: qui quidem, si quid ex suâ congrua portione reseruent, parcè viuendo; illud ipsum Dei bonum, ex omnium Theologorum sententia, non modo sine iniustitia, sed etiam licitè possunt ad vsus alios impendere. Sed nihil clariùs ostendit Tridentini Decretum nullam continere obligationem iuris naturalis; quàm quod ait, suam prohibitionem, non modò ad Episcopos, & alios beneficiarios, sed etiam ad Cardinales pertinere: quæ particula, *etiam*, duo subindicat. 1. Cardinales nominari tanquam extremos, ad quos vis Decreti pertineat. 2. Excipi Summum Pontificem ab hac prohibitione, qui tamen profectò ab obligatione naturali, si quæ esset, non exciperetur; neque fuisset à Concilio excipiendus, imò maxime illo Decreto comprehendendus. Quis enim in re iuris diuini, aut naturalis, ita decernat, vt postquam vetuerit, exempli gratiâ, non esse mentiendum aut fornicandum Clericis, aut Sacerdotibus; deinde subiungat, id etiam ad Cardinales pertinere? Neque dicas, non fuisse nominatum Pontificem ob reuerentiam. Quasi verò sit contra reuerentiam Pontificis, dicere ipsum subjici iuri naturali, & diuino, si Concilium tale ius hìc inesse censuisset. Certè Concilium Romanum tertium, non œcumenicum, nihil peccauit contra Summi Pontificis reuerentiam, quando cap. 4. ita statuit: *Non liceat Papa predium Ecclesiæ alienare*, &c. vt refertur 12. q. 2. can. 20. Quòd si Patres Tridentini, illam obligationem Iustitiæ agnoscentes, Summum Pontificem nominare noluissent; saltem aut vniuersè pronuntiassent de omnibus cuiuscunque ordinis, ac gradus, sacros redditus habentibus, non posse sine iniustitia dare illos consanguineis; aut certe eâ prohibendi formâ vsi essent, quâ iustè existimari non posset tanta obligatione Pontificem non teneri. Cùm autem neutrum præstiterint, satis declarant se talem obligationem non agnouisse. Porro licet Pontifex lege positiua Ecclesiæ non teneatur: potest tamen aliunde ex honestate obligari ad non dandum consanguineis non egentibus. Addo præterea, quòd si verba Tridentini, aut Canonis Apost. dubitandi locum darent, vtrum cum onere Iustitiæ à fidelibus imposito, seu cum conditione; an verò cum modo tantùm explicanda essent; explicari potiùs deberent cum modo, id est, sine onere Iustitiæ; quàm sub conditione, id est, cum illo onere: ex L. *Quæro*, §. *Inter locatorem*, vbi sic dicitur, *Verba in dubio potiùs modaliter, quàm conditionaliter intelligi debent.* Et lege finali, C. *de communi seruo manumisso*, *Verba quæ possunt dupliciter intelligi, debent in mitiorem partem explicari.* lib. 7. tit. 7. Mitior autem est explicatio, quæ liberat beneficiarios ab onere Iustitiæ quàm quæ illi subjicit.

Objiciunt tertiò hoc argum. ad probandum obligationem Iustitiæ perseuerare post instituta beneficia: Translatio bonorum Ecclesiæ ad Clericos, liberando eos ab obligatione Iustitiæ erga pauperes, contineret magnam inordinationem: siquidem spoliaret pauperes innocentes suo iure; dissiparet Christi patrimonium; fraudaret intentionem eorum, qui bona sua donarunt Ecclesiæ. Ecclesia autem, in morum disciplina infallibilis, neque illud fecit: neque facere potuit. Respondeo primò, ex ante dictis facilem esse solutionem huius argumenti: supponit enim idipsum quod esset probandum, nempe fideles donasse Ecclesiæ cum onere Iustitiæ erga pauperes quoad superflua; quod falsum esse satis superque demonstrauimus. Onus verò illud Iustitiæ, quod habebant Episcopi ratione officij dispensatoris, sibi impositi ab Ecclesia, facilè intelligitur quomodo desierit in beneficiorpm institutione; quando Ecclesia, redditnum sacrorum domina, ius suum in beneficiarios transtulit, faciendo eos dominos, qui antea erant tantùm dispensatores. In quo Ecclesia nemini fecit iniuriam: de suis enim bonis disposuit pro suo iure. Neque propterea pauperum curam dimisit; quandoquidem graue præceptum dandi pauperibus, superflua semper retinuit, atque identidem renouauit. Respondeo 2. Etiamsi daremus aduersarijs, ante erecta beneficia extitisse illam obligationem Iustitiæ, quam ipsi confingunt; non tamen inde sequeretur Ecclesiam non potuisse transferre ius pauperum in Clericos sine pauperum iniuria: quia, ex omnium sententia, ius pauperum supponit extare superflua; quæ si desint, nihil ex Iustitia debetur pauperibus. Atqui in beneficijs instituendis valde probabiliter contigit vt nulli redditus sacri redundarent: siue quia necesse fuit Clericorum numerum augeri: siue quia singulis beneficiarijs seorsim viuentibus maior sustentatio debebatur, quàm cùm simul in communitate viuebant; siue quia institutis beneficijs plura templa, & altaria fuere exædificanda & ornanda; ad quæ omnia certum est primò & per se respexisse fideles cùm donarunt

141. Tertia obiectio supponēs id quod probandū est.

Ecclesiæ; secundariò autem, & quasi per accidens, ad pauperes, vt fatentur aduersarij cum Nauarro. Si ergo nihil fuit residui in beneficiorum institutione, vt valde probabile est; tantum abest vt Ecclesia in extinctione iuris pauperum fraudarit intentionem benefactorum; vt potiùs maximam, & primariam eorum intentionem secuta sit, & execua; impendendo in Clericos, & fabricam, omnia bona ab illis accepta.

142. Quarta obiectio de decimis.

Opponunt quartò aliud argumentum, petitum ex decimis, quod aiunt planè conuincere. Est autem huiusmodi: Ille peccat contra Iustitiam, qui à legitimis dominis aufert bona, quæ nullum ius permittit auferri, nisi quantum, & quomodo necesse est ad certa quædam onera ferenda. Peccat, inquam, si aufert eiusmodi bona impendendo in alios vsus, quibus illa nullo iure subiecta sunt; maximè si in prædictos legitimos dominos recidant onera, quibus solis vt satisfieret, ius permittebat illa bona exigi. Atqui hoc facerent beneficiarij, qui redundantia ex redditibus decimarum post suam sustentationem, consumerent in vsus non sacros: Ergo peccarent contra Iustitiam. Maior ex terminis clara est: & confirmatur exemplo Regum, qui non possunt exigere tributa à subditis, nisi iuxta mensuram onerum Reipublicæ: quòd si plura exigant, nec impendant in hæc onera, sed pro sua libidine profundant; peccant contra Iustitiam, & tenentur ad restitutionem, ex omnium sententia. Minorem sic probant: Decimæ sunt agrorum fructus, qui omni iure pertinent ad dominos Laïcos: neque beneficiarij vllum ius habent exigendi aliquid ex illis fructibus, nisi iuxta mensuram cultus diuini, cuius vna pars est alimonia pauperum, & ad quem non pertinet quòd beneficiarij habeant superflua, cùm id Ecclesia prohibeat: ac nisi iuxta illam mensuram decimæ exigantur, & impendantur ad hæc onera diuini cultus; recidunt eadem onera in Laïcos, quorum erit de suo pauperes alere, & templa ornare, &c. Ergo si decimæ vltra congruam sustentationem non impenduntur in vsus pios, auferuntur iniustè à dominis. Quòd autem non possint exigi nisi congrua & necessaria ad Dei cultum, sic probant à priori, vt aiunt: Hominis in hominem ius est limitatum, non autem infinitum. Atqui nisi statuas Benefaciarijs hanc mensuram exigendi quantum satis est ad onera Ecclesiæ, seu ad diuinum cultum; nulla erit limitatio iuris illorum, cùm nullum alium finem habeat. Ergo nihil aliud possunt iure exigere, quàm hæc congrua cultui diuino, id est, suæ sustentationi, & templorum fabricæ: ac si quid superflui exigant, pauperibus ex Iustitia tenebuntur erogare. Nam imaginari quòd habeant liberum dominium ab onere Iustitiæ ad ditandos, verbi gratiâ, consanguineos, non conuenit dignitati Beneficiariorum; & est actus indecens, ex Tridentino, & omnium sententia. Ergo ad illum actum non est potestas, nisi aliqua excusatione defendatur, vt quòd consanguinei egeant. Cùm enim potestas sit propter actum; non conuenit potentia, si non conuenit actus.

143. Ad hæc respondeo negando minorem, eiusque probationem in quibus quot sunt partes, tot fere sunt aduersariorum falsæ suppositiones. Prima est, quòd putant decimas non exigi alio iure, quàm diuino. Cùm sit manifestum, iure quidem diuino sustentari debere beneficiarios: sed ius diuinum non postulare vt sustententur per decimas potiùs, quàm aliâ ratione. Determinatio ergo ad decimas est iuris Ecclesiastici proximè, & immediatè. Quarum origo quamvis obscura sit; tamen necesse est eas primò inductas fuisse, aut ex consuetudine, quâ primi Christiani, cùm Iudæi essent, & ante conuersionem ad Christum, solerent pendere decimas suis Leuitis; eundem quoque morem, postea conuersi erga Clericos sponte retinuerunt, postquam desierunt omnia sua bona ferre ad pedes Apostolorum, id est pretium ex eorum venditione proueniens: quorum exemplum secuti sunt Gentiles fidem amplexi: aut ex conuentione inter Prælatos Ecclesiæ, & Laïcos fideles: aut ex lege simpliciter ab Ecclesiâ latâ, sed vel expressè, vel tacitè approbatâ, & acceptatâ ab ijs, quorum est decimas soluere: acceptatâ, inquam, tam pro se, quàm pro suis posteris. Quoquo autem modo decimæ inductæ sint, oportuit illam determinationem, & mensuram, quâ obligationi iuris diuini de sustentandis Clericis satisfieret in perpetuum, visam fuisse æquam, & iustam moraliter: ideóque legem de illâ latam non præsentes modò, quibus tunc imposita fuit, sed etiam posteros ac successores obligasse. Quocirca qui pendunt decimas, eas quidem pendunt ex iure diuino remotè; sed proximè ex iure Ecclesiastico, cui consenserunt. Esto igitur: ratione iuris diuini non teneantur præcisè, nisi ad onera necessaria sustentationis & fabricæ: ratione tamen iuris Ecclesiastici determinantis decimas, cui iuri fideles consenserunt, debent pendere integras decimas, siue in illis reperiantur superflua, siue non.

Debeantúrne iure diuino?

Secunda falsa suppositio in eo consistit, quòd existiment aduersarij, ex eo quòd decimæ debeantur proximè iure diuino ad onera necessaria Clericorum, rectè inferri superflua deberi pauperibus ex Iustitia. Nam cùm mensura ad illa onera præcisè, & mathematicè, in vniuersum definiri nequeat, ob varias & multiplices circumstantias rerum, personarum, temporum, officiorum; moraliter, & iuxta communem hominum captum fuit ad decimas definita. In morali autem mensurâ, præsertim tam generali, qualis est decimarum, per accidens inueniri possunt superflua: quæ cùm per se intenta non sint à legislatore, non tollunt æquitatem mensuræ moralis, in qua si quid per accidens redundet, aut deficiat, pro nihilo reputatur. Eodémque modo atque animo, tam necessaria, quàm superflua, si quæ sint, promiscuè penduntur titulo necessariæ sustentationis, nisi soluentes, cum Ecclesiæ consensu, aliter statuerint circa superflua: id enim potuisse statuere nemo negat; sed de facto statuisse onus Iustitiæ circa pauperes nunquam probabitur, nisi ostendatur fideles soluentes decimas, non modò voluisse superflua dari pauperibus; (potuerunt enim id velle non obligando ex Iustitia)

144. Quâ intentione institutæ fuerint?

sed ita voluisse, vt obligarent ex Iustitiâ beneficiarios: quam voluntatem non ostendunt aduersarij.

145. At, inquiunt, neque voluntas absolutè dandi superflua beneficiarijs, potest rationabiliter præsupponi, neque tot populos consensisse in onus tam graue, & sibi noxium, vt est solutio decimarum, si in ipsum populum recidant pij vsus, quibus hæc bona sunt addicta. Certè enim, si nunc fieret determinatio decimarum, ne quidem pijssimi Catholici assentirent aliâ conditione in eas, quàm vt sint ad pios vsus; & de pariter pijs Maioribus idem est iudicandum. Adde quòd facta est decimarum attributio, quando Ecclesia solemni & vniuersali lege alebat pauperes.

146. Respondeo aduersarios male supponere fideles non consensisse vt superflua essent Clericorum, propterea quòd graue illis & noxium foret; si illa superflua non darentur pauperibus, in subleuationem fidelium, quorum est pauperes alere, quando huic oneri desunt Clerici. Quasi verò aut Ecclesia per legem decimarum, aut fideles subjiciendo se illi legi, aliud per se intenderint, quàm satisfacere legi diuinæ de sustentandis Clericis; aut si quid præter illum finem in executione inueniatur, quod sit redundans, id non sit per accidens, & non intentum per se à lege, neque tamen exclusum, quia moraliter excludi non potuit, nec debuit, in certâ mensurâ designandâ: neque censendum est illud, quod per accidens, & quasi accessorium inuenitur inter alia per se intenta, & ad certum finem destinata, ad alium finem ordinari, quàm ad eum ipsum, qui per se generaliter intenditur. Hîc enim locum habet Regula generalis, quæ dicit accessorium sequi naturam sui principalis: nimirum nisi per voluntatem peculiarem, id quod per accidens est, aut quasi accessorium, ad alium finem peculiarem destinetur; quæ voluntas peculiaris circa superflua restituenda pauperibus, non fuit expressa à fidelibus, neque ab Ecclesia in decimarum institutione: & malè præsumitur, nisi probetur. Neque enim præsumi potest ex intentione Ecclesiæ exigentis decimas; cùm illa per se non intendat suâ lege, aut legis diuinæ executione, accipere superflua vt talia; siue propter Clericos, quibus non sunt necessaria; siue propter alios pauperes mendicos; cùm, respectu illorum, fideles eam non constituerint suam procuratricem; sed quilibet fidelium liberè, & pro suo arbitratu, ex solâ Charitatis lege, eleemosynas in pauperes eroget; Ecclesia autem non intenderit eos vllâ lege obligare, vt sibi tribuant suas eleemosynas, quas ipsa pauperibus distribuat. Non etiam præsumi potest illa voluntas peculiaris ex parte fidelium soluentium decimas: cùm natura obligationis eas soluendi, non includat per se hanc voluntatem, neque respiciat per se pauperes, aut superflua; & omnino gratis dicatur fideles, subeundo legem decimarum, intendisse, sese ex parte liberare onere Charitatis erga pauperes; imponendo Clericis onus Iustitiæ erga eosdem. Et quamvis talem intentionem in fidelibus extitisse concederemus; tamen non posset ex illa rectè colligi, beneficiarios obligari ex Iustitia ad superflua danda pauperibus; nisi hanc obligationem peculiariter fideles declarassent. Nam soluere decimas cum ea intentione, vt is cui soluis, ex redundantibus, si quæ sint, subeat partem oneris, quod habes dandi pauperibus, si nihil aliud declares, non est illum obligare ex Iustitiâ; sed ad summum ei imponere onus simile tuo; onus autem tuum dandi pauperibus, est tantùm Charitatis. Ergo & illa pars oneris, quam transfers in alium, erit tantùm Charitatis. Sed neque hoc ipsum onus Charitatis, aut partem oneris in beneficiarios transtulerunt fideles. Alioquin ex solutione decimarum minùs obligati essent ad erogandum pauperibus: cuius debiti diminutionem nemo fidelium ex eo capite agnoscit. Neque si Beneficiarij non dent superflua pauperibus, potest hoc dici magis noxium & graue fidelibus, aut in eos magis recidere onus dandi pauperibus; quàm sit noxium illud idem onus in vrbe aliqua minùs diuitibus, cùm opulentiores non dant pauperibus; vnde accidit vt pauperes sint alijs magis importuni. Quomodo peccet qui non dant?

147. Verùm vt magis ostendatur quàm infirma sit aduersariorum ratiocinatio; demus dissipationem superfluorum esse grauem, & molestam fidelibus, qui donarunt Ecclesiæ, vt certè esse debet omnibus zelum Dei habentibus, & Ecclesia ipsa hoc grauiter fert: sequiturne quòd sit iniusta aut iniuriosa, nisi probetur esse aliquod ius, quod violetur? quod certè ius hactenus non ostenderunt aduersarij. At enim, inquies, nemo consentit in suum malum. Mala autem est illa superfluorum dissipatio, si onus recidat in Laïcos. Respondeo neminem quidem consentire directè & per se in suum malum; secus tamen indirectè, & per accidens, consentiendo in aliquid bonum, vnde ex aliorum malâ voluntate aliquod malum redundet. Imò neque ad hoc ipsum opus est consensu, etiam tacito, aut indirecto; cùm is qui benefacit alteri, possit verè nolle præuisam alterius ingratitudinem, & abusum doni, quem tamen benefactor non tenetur impedire, neque desistere à benefaciendo.

148. Vnde iudicandū sit de intentione fideliū? Instabis; quia donatores intenderunt donare optimo modo; modus autem ille cum onere Iustitiæ est optimus; aut saltem melior, quàm sine tali onere expresso, vel tacito. Respondeo intendisse modum, quem expresserunt, non alium quemvis imaginabilem pro cuiuslibet arbitrio. Nàm si hoc semel admitteretur, nulli Contractus firmi essent; & quivis pro suo ingenio nouas, ac nouas sine fine contrahentium intentiones Contractibus iam factis affingeret: quod admitti nequit sine summâ rerum omnium perturbatione. Intentio ergo contrahentium non aliter explicanda est, quàm vel per naturam Contractus, quæ de se hoc aut illud exigat: vel per leges, aut iudices legitimos; aut denique per id, quod expresserunt contrahentes dum contraxerunt: nullum autem horum fauet aduersarijs.

149. Refelluntur con- Neque valet quòd aiunt: si nunc fieret, quæ olim facta fuit determinatio decimarum, ne pijssimos quidem Catholicos aliâ conditione

iectura adversariorum. assensuros in eas, quàm vt sint ad pios vsus; & de pariter pijs Maioribus idem esse iudicandum. Primò enim, nemo dubitat quin nunc, & olim consentientes in decimarum solutionem, intenderint pium earum vsum: sed hîc agitur an ita intenderint, vt obligauerint abvtentes superfluis ad restitutionem. Certè ex omnium consensu, qui profanè abvtuntur decimis, acceptis pro congruâ portione, non tenentur ad restitutionem. Ergo neque qui abvtentur superfluis; nisi circa illa onus speciale Iustitiæ impositum sit quando facta est decimarum determinatio. Secundò, nullum est istud argumentum: si nunc fieret decimarum determinatio, pijssimi Catholici obligarent ad superflua danda. Ergo & pij Maiores obligarunt. Iure enim negari potest antecedens: cùm, quis esset futurus fidelium sensus, si nunc fieret ea determinatio, colligi possit ex sensu, quem habent in fundationibus pijs Monasteriorum, Collegiorum, &c. quarum (quas quidem viderim, aliquas autem vidi) nulla mentionem facit de superfluis in pauperes erogandis. Verùm, licet nunc sensus is esset fidelium, quem volunt aduersarij; non bene infertur talem olim extitisse ad imponendum onus Iustitiæ. Varietas enim temporum sæpe variat consilia: & quædam hoc tempore incommoda possunt aliud suadere, quæ incommoda non timebantur; imò nec præuidebantur prioribus sæculis. Contractus autem spectandus est ex statu, & præsenti voluntate contrahentium, tempore Contractus; non autem ex futura eorundem voluntate in quolibet euentu; multò minùs ex eo, quòd posteri facturi essent, si foret illis integrum eadem de re contrahere.

150. Neque plus habet ponderis alia coniectura, quam afferunt aduersarij ex eo, quòd facta sit decimarum attributio, quando Ecclesia solemni, & vniuersali lege alebat pauperes. Inde enim potiùs colligitur fideles in decimis tribuendis minùs de pauperibus fuisse sollicitos, aut de superfluis laborasse; quandoquidem videbant eam curam ab Ecclesia susceptam. Non erat ergo cur currentem incitarent; sed potiùs ob eam causam longè verosimilius est illos cum Ecclesia liberaliùs egisse; suáque bona ei absolutè & sine onere Iustitiæ dedisse: cùm illa tam prouidè solemni illa lege curaret ne superfluis abvterentur Ecclesiastici.

Quoniam verò deficientibus alijs argumentis, video aduersarios recurrere ad leues coniecturas; placet hoc loco grauiores proferre, ex quibus solidiùs conijciatur primos fideles attribuisse decimas Ecclesiæ sine illo Iustitiæ onere, de quo nunc disputatur. Primò igitur, modus ille dandi sine onere, est nobilior, & decentior in subdito erga suum superiorem, & quidem talem, qualis est Ecclesia, quæ sancta, & omni veneratione digna est, cuique totum illud negotium de superfluis, rectè committi poterat. Ergo nisi oppositum constet, credibile est primos Christianos talem modum vsurpasse. 2. Primi Christiani erant Iudæi, vt patet ex Actis Apostolorum, vbi narrantur conuersiones Iudæorum factæ ad prædicationem S. Petri, aliorumque Apostolorum: Neque illi Iudæi recens conuersi minùs honorificè, ac liberaliter agebant cum Ecclesia, quàm antea cum Leuitis & Sacerdotibus Mosaïcis. Arqui antea pendebant Leuitis decimas absolutè, & sine onere Iustitiæ quoad superflua, vt omnes fatentur. Ergo similiter Ecclesiæ dependerunt; eorúmque exemplo reliqui Christiani à Gentilitate conuersi. 3. Eodem animo datæ sunt decimæ, quo sunt dati Ecclesiæ fundi, prædia, Baroniæ, Ducatus, &c. At hæc donata sunt à Regibus, & Magnatibus immunia ab illo Iustitiæ onere; vt constat ex donationum instrumentis. Ergo, &c. Negant maiorem aliqui ex aduersarijs, putántque esse specialem rationem decimarum: Sed magis cohærenter eam Nauarrus concedit; cùm redditus sacri, siue sint ex decimis, siue secus, æquè appellentur *res Dei, patrimonium Christi, bona pauperum*: & certè præceptum Ecclesiæ vniuersim obligat ad danda superflua ex quibuscunque redditibus sacris. 4. Priores Christiani non minùs liberaliter donarunt Ecclesiæ, quàm posteriores Monasterijs, quæ tam opulenta fundarunt in Ordinibus SS. Benedicti, Augustini, Hieronymi, Brunonis, & aliorum. At hi donarunt sine illa restrictione, & onere Iustitiæ, cuius nulla fit mentio in eorum fundationibus.

Aliæ coniecturæ in contrarium.

Has ergo & similes coniecturas oppono coniecturis aduersariorum: qui meminisse debent Christianos, maximè prioribus sæculis, in suis donationibus Ecclesiæ factis, spectasse tantùm subuentionem Clericorum & Ecclesiæ, vt fierent Officia sacra, ministrarentur Sacramenta, populus doctrinâ cœlesti imbueretur. Et modò hæc non omitterentur, contenti erant, neque ad aliud velle se Clericos obligare significabant. Certè tantum abest vt in decimarum attributione de superfluis cogitarent; vt potiùs in dies magis ac magis, alijs atque alijs muneribus Ecclesiam cumularent. Quæ munificentia adeo excreuit, vt quibusdam in regnis, legum ciuilium fræno coërcenda visa fuerit, quibus prohibetur dari Ecclesiæ bona immobilia absque Regum consensu. Ex illâ verò multiplici liberalitate partim factum est vt videantur esse superflua in decimis; quæ si solæ essent, absque vllis alijs sacris redditibus; ac bene, iustéque pro cuiusque necessitate inter Ecclesiasticos distribuerentur, vix puto vlla fore superflua; maximè cùm solæ decimæ prædiales, non autem personales, paucæ verò ex mixtis, pendi soleant. Præsenti autem redditûum sacrorum statu, qui præter decimas multa alia complectitur; in tanto beneficiorum numero, è centum vix tria, aut quatuor inuenientur, in quibus sint redditus superflui; forsitan plusquam viginti reperias, quæ necessarijs egeant. Neque propterea desinit Ecclesia ex his ipsis redditibus, Sæculares Principes in bellorum necessitatibus subinde iuuare; iura decimarum quibusdam illorum concedere; atque etiam interdum bene meritis per infeudationem attribuere. Ad quæ si attenderent aduersarij, non tam acriter conarentur præsumptum illud suum onus Iustitiæ inducere, & scrupulos sine fundamento sufficiente multiplicare; primorumque Christianorum Regios ac liberales animos ex suo sensu minùs liberali metiri.

151. Fidelium liberalitas erga Ecclesiã.

In Gallia, & Hispania.

SECTIO XVIII.

Diluitur vltima oppositio: & rejiciuntur excusationes contrariæ sententiæ.

152. Qualis sit obligatio Beneficiariorum erga pauperes? OBiiciunt vltimò, Certum esse ex omnium Theologorum sententiâ, beneficiarios adstringi aliquâ graui obligatione ad eroganda superflua pauperibus. Sed argumenta, quibus probatur grauis obligatio, aut nulla sunt; aut probant obligationem Iustitiæ. Lessius ait eos teneri tantùm ex graui præcepto Ecclesiæ, cuius transgressio sit grauis inobedientia. At si per desuetudinem non est præscriptum aduersus tale præceptum: Ergo neque aduersus iura pauperum, quibus desuetudo si derogasset, præcepto pariter derogasset. Porro Ecclesia in Tridentino fundat hoc suum præceptum in obligatione Iustitiæ præcedente. De Lugo verò dicit esse peccatum graue irreuerentiæ erga Deum, & diuina; quia redditus sacri sunt res oblatæ Deo: ergo insumendæ secundùm Dei intentionem; quique aliter impendit, perinde facit, ac si quis sua vasa sacra conuerteret in vsus profanos. At licet in abvsu talium vasorum sit irreuerentia, quia illa retinent suam consecrationem: nihil tale esset, si quis daret superflua consanguineis; non plus quàm si eis daret stipendia collecta ex sacrorum celebratione, quæ tamen dari posse De Lugo & omnes Theologi concedunt.

153. Respondeo 1. ad maiorem propositionem, non omnes Theologos ita sentire: nam, vt suprà diximus num. 123. sunt qui putent fuisse quibusdam in locis derogatum huic præcepto Ecclesiæ per contrariam consuetudinem. Verùm quia non mihi constat derogatum alicubi fuisse, neque id verum esse existimo: fateor illud Ecclesiæ præceptum circa danda pauperibus superflua, semper ab initio vim habuisse. Atque adeo Respondeo 2. Negando minorem.

Sitne Iustitiæ, an præcepti tantum? Erat enim ante instituta beneficia grauis obligatio obedientiæ in omnibus Clericis: obligatio autem Iustitiæ solùm erat in dispensatoribus Ecclesiasticis, ratione sui muneris; non autem ratione intentionis fidelium benefactorum. Post instituta verò beneficia, cessauit prædicta ratio Iustitiæ, perseuerante nihilominus præcepto Ecclesiæ, vt explicatum fuit num. 127. Potuit autem iure, ac debuit Ecclesia, etiam sepositâ omni obligatione Iustitiæ, grauiter præcipere beneficiarijs vt darent superflua pauperibus; nempe ob bonum commune, & vt eis materiam, & occasionem auaritiæ, luxus, ambitionis, scandali, submoueret. Nam si Ecclesia citra vllam obligationem Iustitiæ, aut iuris naturalis, vt auerteret Ecclesiasticos à nimio accumulandæ pecuniæ desiderio, & vt ad liberalitatem in vitâ exercendam incitaret potuit iustè prohibere ne beneficiarij testarentur de redditibus sacris, etiam ad causas pias: eáque testamenta irrita esse statuit; vt patet ex multi antiquis Canonibus tam Apostolorum, quàm alijs; & ipsi aduersarij fatentur cum Nauarro; cui tamen prohibitioni fere vbique, derogatum est quoad pias causas, consuetudine contraria: Quanto potiori ratione vetuit eadem Ecclesia propter dictas rationes, beneficiarios abvti redditibus sacris ad vsus profanos. Quæ prohibitio semper durauit, quia semper instituit Ecclesia vt seruaretur. Cúmque negligentiùs eam seruari animaduerteret, sapienter eam renouauit Tridentinum, ob allatas rationes; non autem ob illam fictitiam Iustitiæ obligationem, cuius ne minimum quidem vestigium apparet in Tridentino, vt ostensum est num. 139. & 140.

Quæri hoc loco potest, quomodo in Gallia, & Hispania non sit derogatum præcepto Ecclesiæ circa superflua; cùm in illis regnis ratæ habeantur à iudicibus donationes & testamenta de superfluis ad vsus profanos? Videntur enim Iudices peccare contra dictum præceptum: & par est ratio consanguineorum, qui huiusmodi superflua recipiunt; cùm cooperentur peccato Clericorum eis donantium. Respondeo solos Clericos violare præceptum, quod ad illos solos dirigitur. Neque alij cooperantur illorum peccato, nisi eis suadeant, aut inducant. Iudex enim solummodo ratas habet donationes & testamenta huiusmodi, quia reuerà rata sunt, & verè per illa transfertur dominium, licet testator peccauerit ea faciendo contra præceptum. Quare ex illorum iudiciorum rectitudine malè inferunt aliqui Doctores, fuisse in illis regnis derogatum præcepto: quia præcepti vis in eo est, quòd Clericus impendens superflua profanis vsibus, illicitè faciat, quamvis valeat donatio. Iudex autem, cuius officium est tribuere cuique suum, attendit tantùm an donatio sit valida, necne: nihil curans de peccato donatoris: cúmque donatio sit valida; eam legitimè ratam habet. Fatendum tamen est eiusmodi testamenta ad causas profanas, quæ per Canones sunt irrita; ex contraria consuetudine in dictis regnis rata esse cœpisse, non tamen licita, ob renouatam identidem Ecclesiæ prohibitionem: quæ prohibitio vniuersim facta, non modò respicit donationes inter viuos, sed etiam testamenta, & legata. At testamenta Clericorum ad pias causas pluribus in locis & rata sunt, & licita: vt testantur Lessius, Vasques, Cardin. De Lugo, & alij: quia consuetudo præualuit Canonibus id prohibentibus; neque prohibitionem Ecclesia hac de re renouauit. Porro licet Clericus ita donando superflua peccet; donatarius tamen & validè, & licitè acceptat; neque peccat, quia non est vllo modo causa cur donator velit dare: sed cùm in illius voluntate, & oblatione sit totum peccatum, quia illud solum est formaliter inordinatum; donatarius ad illud non cooperatur; sed translationem dominij, quæ oritur ex illâ malâ voluntate, estque eius effectus, simpliciter acceptat: hæc autem acceptatio non est prohibita. Sic vxor reddens debitum viro, qui vouit castitatem, non peccat, quamvis ille peccet. Loquor autem de vxore ad id non inducente coniugem: & de donatario non inducente ad donandum illicitè, sed tantum acceptante donationem.

154. Peccéntne Iudices, qui ratas habent donationes Clericorum prohibitas?


155. Peccéntne donatarij eas acceptando?

Non omittam aliquos recentiores ex aduersarijs, asserere, non esse multò securiorem 156

Rejiciuntur excusationes contrariæ sententiæ. sententiam affirmantem peccari grauiter contra Iustitiam, sententiâ dicente peccari grauiter tantùm contra prohibitionem Ecclesiæ; quia, inquiunt, peccatum ditandi consanguineos, plerumque, & grauissimè committitur in articulo mortis, quo tempore non multùm interest, cuius speciei peccatum mortale committatur; cùm omne mortale tunc commissum, infallibiliter inferat damnationem. Quod dicunt, vt minuant suæ asperitatem sententiæ; quam ita, mordicus tueri, vt oppositæ sententiæ securitatem deneges, videtur esse nimiùm sibi fidentis, & præfidentis ingenij, præsertim hoc tempore, quo exactiùs discussa Nauarri sententia, passim à grauibus, & doctissimis authoribus rejicitur vt falsa, vel vt minùs probabilis. Quomodo autem illa sententia quæ ait peccare mortaliter tam dantem, quam accipientes superflua, quibus donator est occasio ruinæ spiritualis, quæque prætetea obligat donatorem ad restitutionem, ipsósque etiam donatarios, nisi donator restituat; quomodo, inquam, non est multò seuerior aliâ sententiâ, quæ solum donatorem grauiter obligat absque vllo onere restituendi? Certè enim longè grauius est eodem peccato violare Iustitiam, & obedientiam Ecclesiæ debitam; quàm simpliciter agere contra obedientiam: & qui retinet bona pauperis indigentis, ad quem ex Iustitia pertinent, longe crudelior est eo, qui tantùm denegat eleemosynam. Prior enim Iustitiam,& Charitatem lædit: posterior solam Charitatem. Neque verum est, quod subindicant aduersarij, In sua sententia, ferè non peccari grauiter nisi in mortis articulo, eò quòd plerumque eo tempore ditentur consanguinei ex sacris redditibus. Nam vt omittam multa à quamplurimis donari consanguineis ante mortem: si superflua debentur ex Iustitia pauperibus; non modo in morte, donando consanguineis, sed etiam in vitâ, diù retinendo illa superflua, grauiter peccant beneficiarij; quia retinent alienum inuitis fundatoribus, & pauperibus; & grauiter peccari potest ex nimiâ dilatione solutionis debitæ.

Quod autem addunt, non multùm interesse beneficiarij morientis in statu peccati lethalis, in hacne, an in illa specie peccati moriatur, cùm æquè infallibiliter in alterutra peccati specie damnandus sit: quid est aliud, quàm omnia peccata mortalia ferè æqualia facere, tam in culpâ, quàm in pœnâ, nec vllam peccati mortalis speciem longè aliâ grauiorem esse affirmare; cum æquè infallibiliter per vnam, ac per aliam damnatio inferatur? Simili ratione probaret aliquis non multum interesse peccatoris, an pro vno, vel pro mille criminibus mortiferis damnetur: cùm æquè infallibiliter propter vnum, ac propter mille damnandus sit. Quod certè admitti non debet; cùm ex omnium Doctorum sententia, & de fide, varij sint gradus grauitatis peccati, tum quoad reatum culpæ, tum etiam quoad reatum pœnæ æternæ, non modò inter diuersas species, sed etiam intra eandem peccati lethalis speciem; quorum graduum tam intensionis, quàm extensionis, aliqui longè alios superant: præter durationem pœnarum inferni, quæ a parte post in omnibus æqualis est. Peccatum verò beneficiarij, si est contra Iustitiam, vt volunt aduersarij, multò grauius esse, quàm si sit tantùm contra obedientiam, paulò ante ostensum est. Ergo multùm eius interetit, etiamsi vtrumque peccatum damnatione dignum sit, ob solam inobedientiam potiùs damnari, quàm ob iniustitiam, cuius malitia cùm sit longe grauior, multò grauiori damnatione punienda est. Maior autem grauitas culpæ & pœnæ, etiam secundùm excessum, vitari planè digna est. Et hactenus de Beneficijs, & obligationibus Beneficiariorum. 157.






TRACTATVS QVINTVS.

De Virtutibus Iustitiæ annexis: præcipuéque de Religione, eiusque Officijs, & vitijs oppositis.

EXPLICATIS ijs quæ pertinent ad Iustitiam propriè dictam, eiusque veras species, & earum Officia: sequitur dicendum de quibusdam Virtutibus illi annexis, præcipuéque de Religione, quæ inter illas principem locum obtinet, quatenus Deum respicit, cui debitum cultum, aut conuenientem exhibet. Vt enim ait Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. Religio cæteras Virtutes Morales superans, antiquissimam, & supremam causam docet colere, & venerari. *Paucis itaque præmissis de alijs Virtutibus, quia facilioribus, feréque satis in ipso textu D. Thomæ perspicuis, dicemus primò, quid sit Religio, quodve obiectum habeat, & quomodo circa illud versetur, id est, sub qua ratione formali, & propria. Secundò, Quinam sint illius actus in particulari? Deuotio scilicet, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Votum, Iuramentum, & Adiuratio. Tertiò, Quæ vitia illi opponantur? Nimirum Superstitio, tentatio Dei, Sacrilegium, & Simonia. De quibus omnibus fusè disputat S. Thomas 2. 2. quæst. 80. & plurimis sequentibus. Valentia, alijque eius interpretes ibidem. Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 36. & seqq. fusissimè verò, accuratissiméque Suarez duobus tomis prioribus quos de Virtute Religionis scripsit: quibus alios duos addidit de statu Religionis in genere, & in particulari de Societate IESV.*



DISPVTATIO QVARTADECIMA.

De Virtutibus annexis Iustitiæ.


E argumento proposito disputat S. Thomas quæst. 79. & 80. cuius doctrina referetur simul, & exponetur sequenti Sectione: tum deinde si quid in illis obscurum fuerit elucidabitur: si quid dubium, & controuersum inter Doctores, examinabitur.

SECTIO I.

Quænam Virtutes, & quomodo Iustitiæ annectantur?

1. Partes Iustitiæ integrales. DIuus Thomas quæst. 79. art. 1. duas partes integrales Iustitiæ assignat: nempe facere bonum, & declinare à malo: sumendo bonum, & malum, non absolutè pro quocumque bono, & malo: hoc enim non pertinet ad vnicam virtutem Iustitiæ specialiter sumptæ, vt hîc sumitur: sed ad omnem virtutem, & ad Iustitiam generaliter acceptam pro omni virtute, vel pro complexione virtutum omnium: sed sumendo bonum, & malum pro debito, & indebito rigoroso, quod est obiectum adæquatum Iustitiæ specialiter sumptæ. Nam quia integra eius perfectio exigit vt per affectum, & effectum adhæreamus bono ex iure debito, & auersemur malum illi contrarium: idcirco D. Thomas affirmat partes eius integrales, id est, ex quibus ipsa integrè constat (esto, etiam essentialiter) esse facere bonum ex iure debitum, & declinare malum oppositum. Quod non tantùm de effectu externo intelligendum est, sed etiam de affectu interno, in quo formalis Iustitia consistit.

2. Partes potentiales. Idem S. Doctor q. 80. plures Iustitiæ partes potentiales, seu virtutes annexas esse tradit: nempe Religionem, Pietatem, Obseruantiam, Veritatem seu Veracitatem, Gratitudinem, Vindicationem, Liberalitatem, & Affabilitatem, siue Amicitiam. Quas virtutes ad Iustitiam, vt ad principalem virtutem reduci ait, quia in aliquo cum ipsa conueniunt, & in aliquo deficiunt à perfectâ ratione ipsius. Conueniunt in eo, quòd ad alterum sint, sicut Iustitia. Deficiunt, quia cùm Iustitia versetur circa id quod debetur alteri secundùm æqualitatem: tres priores deficiunt à ratione æqualis: nam Deo, parentibus, & virtuti, circa quæ obiecta versantur Religio, Pietas, & Obseruantia, non potest reddi æquale. Aliæ verò deficiunt à ratione debiti; quia non versantur circa debitum rigorosum, sed circa debitum honestatis, id est, circa necessarium ad honestatem vel conseruandam simpliciter, vel augendam. Hæc D. Thomas.

Circa quæ difficultas est primò, quia Iustitia versatur circa quodcumque debitum rigorosum, siue æquale, siue inæquale, vt patet ex dictis disput. 25. Sect. 1. & 2. Ergo Religio, Pietas, & Obseruantia, si non deficiunt a ratione debiti, non desinunt esse veræ species Iustitiæ, quamvis deficiant à ratione æqualis. Secundò, pleræque ac ferè omnes virtutes enumeratæ à D. Thoma, sunt nobiliores Iustitiâ: Ergo non debent ad Iustitiam, vt ad virtutem principalem reduci, veluti partes eius potentiales. Antecedens probatur. Nam Religio erga Deum, vt primum principium; pietas erga parentes, vt auctores nostri esse, vel alios origine, & sanguine coniunctos; obseruantia 3. Difficultates circa doctrinam propositio.

erga Superiores, vel homines auctoritate, & potestate, aut virtute præstantes; præcellunt Iustitiæ, altiúsque assurgunt. Neque enim respiciunt tantùm id, quod illis ex iure, & rigorosè debitum est, aut debito contrarium: sed generaliùs quicquid personis supradictis conuenit vt talibus, respiciuntque in illis aliquid ampliùs, quàm ius. Nempe Religio in Deo respicit excellentiam supremam, cui tribuit cultum, & honorem conuenientem. Pietas verò, coniunctionem cum principio generationis, ipsumque generationis principium, quod prius, & augustius est, quàm ius inde ortum. Obseruantia denique respicit non ius solùm, sed quamcumque aliam rationem dignam honore, & obseruantia? Sunt autem multæ rationes eiuscemodi potiores iure Iustitiæ. Affabilitas quoque, siue amicitia naturalis, superinduit Iustitiam, & eminenter comprehendit illam. Nam qui amator est, non solùm tribuit vnicuique debitum, & abstinet ab indebito; sed etiam tribuit alia supra debitum. Item, qui est liberalis, non solùm aliena non accipit iniustè, aut retinet; sed etiam sua largitur. Ergo Iustitia non est principalis, cui debeant annecti tales virtutes. Tertiò, virtutes, quæ ad aliam se habent vt partes eius potentiales, debent illi prodesse ad suos actus. Atqui veracitas, gratitudo, liberalitas, & aliæ huiusmodi virtutes, si non versantur circa illud debitum speciale, quod vocatur debitum Iustitiæ, non possunt per se prodesse Iustitiæ ad exercendos actus suos: ergo non sunt partes potentiales Iustitiæ. Quartò, si Religio, & aliæ virtutes suprà enumeratæ, annectuntur Iustitiæ, quia sunt ad alterum: Ergo pari ratione Charitas ipsa erga Deum, & proximum, quæ est quoque ad alterum, erit Iustitiæ annectenda. Quod est superiora inferioribus annectere, & nobiliora minùs nobilibus submittere. Cùm potiùs iustitia, cæteræque virtutes ad alterum, reducendæ sint ad Charitatem, tanquam Superiorem, & eminenter omnes continentem: vt fecit Christus Matth. 22. v. 40. vbi ad duo præcepta dilectionis reduxit legem vniuersam, cùm dixit: ***In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ:*** & Paulus ad Rom. 13. v. 8. & sequentibus, vbi quæcumque ad proximum pertinent, non occides, non Mœchaberis, non furaberis, &c. ad præceptum diligendi proximum reuocauit: quâ ratione præcepta primæ tabulæ ad Deum pertinentia, possunt similiter ad dilectionem Dei reuocari. Est enim dilectio Charitatis erga Deum, & proximum, nobilissimus, & vniuersalissimus affectus, amplectens velle per se omne bonum substantiarum intellectualium, Dei, & aliarum; & nolle malum quodcumque: ita vt versetur circa totam amplitudinem boni conuenientis, & mali oppositi prædictarum substantiarum, volendo illis bonum, & nolendo malum, secundùm rectam intelligentiam practicam. Quocirca supergreditur Iustitiam, & alias virtutes, quæ circa debitum, & indebitum, vel circa alias speciales boni, & mali rationes immorantur, vlteriúsque non procedunt.

4. Ad hæc primò dicendum est, reductionem virtutum prædictarum ad Iustitiam esse magna ex parte arbitrariam, & eâ tantùm de causâ excogitatam, vt cæteræ virtutes Morales reducantur ad quatuor Cardinales, propter aliquam cum illis qualemcumque conuenientiam: nec dubitandum esse quin alia virtutum diuisio, & reductio fieri possit: quamvis & ista bona, & commoda sit. Deinde ad primum argumentum respondeo, Religionem, Pietatem, & Obseruantiam, non deficere tantùm à ratione æqualis, sed etiam à ratione debiti. Nam Religio est affectus ad tribuendum honorem, & cultum naturæ supremæ, quæ est Deus; illúmque respicit vt talem, citra rationem debiti strictè sumpti: quæ licet aliquando reperiatur tali honori coniuncta: Religio tamen non tendit in rationem debiti, sed eâ ratione seclusâ per considerationem, aut aliter, non minùs est Religio circa honorem illi naturæ congruum. Idémque dico de pietate, quæ respicit principium generationis, ac proprij esse, cultúmque ei congruentem, vt tali: & de obseruantia specialiter sumpta, per quam maioribus, & superioribus, aut præstantibus merito, virtute, potestate, defertur honor, & respectus conueniens. Hæc enim non minùs deferuntur per huiusmodi virtutes, siue strictè debeantur, siue non: neque exhibentur per illas formaliter, quia strictè, & rigorosè debentur; sed quia conueniunt personis, & rationibus suprà commemoratis.

Virtutes annexæ Iustitiæ deficiunt à debito.

5. Ad secundum respondeo huiusmodi virtutes non reduci ad Iustitiam tanquam simpliciter nobiliorem, & magis principalem: sed tantùm secundùm quid, nempe quatenus respicit perfectius, id est, rigorosius debitum; ad quod reuocatur debitum honestatis, tanquam minùs perfectum ex suo genere: & consequenter virtutes Morales, quæ sunt ad alterum, & tale debitum respiciunt, reuocantur ad Iustitiam, quæ versatur circa debitum illud perfectum. Ad tertium respondeo huiusmodi virtutes non esse propriè partes potentiales Iustitiæ, sed esse virtutes aliquatenus illi similes, nempe quatenus sunt virtutes Morales ad alterum: propter quam affinitatem reuocantur ad Iustitiam, vt omnes morales reducantur quomodocumque ad quatuor Cardinales. Ad quartum patet ex dictis hanc reductionem non esse virtutum Theologicarum, sed Moralium. Quod si inter vtrasque reductio fieri deberet; conuenientius esset reducere Iustitiam, & alias omnes virtutes voluntatis, ad Charitatem; quàm è contrario; vt argumentum in obiectione factum bene probat.

Cur aliæ virtutes reducuntur ad Iustitiam?

SECTIO II.

Quæ sit propria ratio virtutum Iustitiæ annexarum; & an aliqua illarum sit vera species Iustitiæ?

6. PRima conclusio: Licet inter hominem, & Deum sit vera materia Iustitiæ, & iniustitiæ: id tamen quod Deo ex Iustitia debetur, non

non est obiectum Religionis, vt tale: sed propriè, & specialiter loquendo, obiectum Religionis est honor Deo conueniens ratione suæ excellentiæ: adeóque Religio non est propriè species Iustitiæ, sed virtus ab ea distincta. Prima pars alibi probata fuit disp. 27. Sect. 4. num. 30. & tom. 1. disp. 17. Sect. 2. & 3. Nunc autem confirmatur, quia Deus respectu hominum habet verum ius, vt v. g. nihil fiat contra eius præceptum, & vt non lædatur eius honor, gloria, nomen, & alia ad eum pertinentia. Si enim homo respectu hominis habet ius vt non lædatur: & pater-familias in domo sua ius habet vt contra ordinem ab ipso rectè præscriptum nihil fiat: multò magis Deus respectu hominis ius habet, vt non lædatur eo modo quo lædi potest, scilicet non in se, sed in suis, in honore, gloria, nomine, & alijs, ad ipsum pertinentibus: habet etiam ius vt ordo, quem ipse rectè præscripsit, siue per rationem naturalem, siue per legem positiuam, seruetur, nihilque committatur ei contrarium. Similitérque ex aduerso est verum debitum in homine ad non lædendum Deum in prædictis, & ad nihil agendum contra Dei voluntatem pro suo iure aliquid exigentem, seruandúmque quidquid ipse præceperit. Id autem, ad quod Deus habet verum ius Iustitiæ, homo verò debitum & obligationem Iustitiæ, est verum iustum materiale, veráque & propria materia Iustitiæ; sicut oppositum est iniustum, & materia Iniustitiæ: Ergo inter hominem, & Deum est vera materia Iustitiæ, & iniustitiæ. Confirmatur, quia peccatum est vera iniuria contra Deum, & offensa non modò contra amicitiam, sed & contra ius Dei, ratione cuius obligat ad satisfactionem, vel ad pœnam condignam: vt fusiùs diximus in tract. de Pœnitentia.

Inter Deū & homines est vera Iustitia.

7. Religio quid sit?

Secunda pars conclusionis probatur, quia Religio propriè loquendo est virtus specialis, per quam Deo tribuitur honor, & cultus illi debitus, aut conueniens ratione suæ excellentiæ supremæ. Sunt autem multi tituli excellentiæ, propter quos Deus debet, aut potest conuenienter coli, & honorari. Vnus est, quia est principium nostri esse, & auctor rerum omnium. Alter est, quia Deus est supremus benefactor, & liberalis atque muneficus largitor eorum omnium bonorum, quibus bene afficimur. Tertius, & magis principalis, est absoluta eius excellentia in se considerata, quâ est summè Sapiens, summè Bonus, summè Potens, & essentialiter infinitus in omni genere perfectionis: quâ consideratione solâ, id est, alijs licet per mentem semotis, Deus est supremo cultu, & honore dignissimus. Has omnes excellentias diuinas cultu debito, aut conuenienti prosequitur Religio, Deúmque propter illas honorat. Et quatenus Deo, tanquam primo principio nostri esse, tribuit honorem conuenientem, respondet virtuti pietatis erga creaturas, per quam, vt eam definit S. Thomas q. 101. art. 1. debitus honor, & obsequium exhibetur parentibus, tanquam auctoribus nostri esse post Deum; & patriæ, tanquam principio nostræ originis, atque omnibus sanguine coniunctis, patriæque beneuolis, ratione huiusmodi coniunctionis in origine fundatæ. Quatenus verò Deum honorat vt benefactorem, & auctorem liberalem donorum, quibus nos bene afficit, respondet virtuti gratitudinis erga creaturas, quatenus per illam honoramus, & colimus benefactores, obsequiúmque debitum illis præstamus, propter beneficia ab illis accepta. Tametsi gratitudo strictè sumpta, prout est virtus specialis ab alijs distincta, respicit etiam benefactores illos, qui neque parentes sunt, neque aliter nobis coniuncti, aut alio titulo præcellentes, circa quos, vt tales, recognitio beneficiorum, & cultus, pertinet potiùs ad pietatem, aut obseruantiam, vt ait idem S. Doctor q. 106. art. 1. Quatenus denique Deo tribuit honorem propter alias eius excellentias, Sapientiam, Bonitatem, Potentiam, Prouidentiam, &c. respondet virtuti obseruantiæ, per quam cultus & honor tribuitur creaturis in dignitate constitutis, aut aliqua perfectione excellentibus, ratione propriæ dignitatis, & excellentiæ: vt ait D. Thomas q. 102. art. 1. in corp. & ad 2. Atque inde sequitur Pietatem, Gratitudinem, & Obseruantiam, contineri quodammodo eminenter in Religione, vt rectè notat Valent. tom. 3. disp. 7. q. 4. Punct. 1. §. *Hinc illud etiam:* quatenus præstat Deo cultum, & honorem ob eosdem titulos, propter quos illæ honorem, & cultum creaturis exhibent. Honor autem definitur protestatio excellentiæ, & dignitatis; abstrahitque à ratione debiti propriè sumpti. Vide non solùm tribuitur illis, qui dominium habent Iurisdictionis, aut aliud ius erga honorantes: sed etiam quibuslibet alijs personis excellentibus, ratione præstantis, & clari cuius tituli; vt doctrinæ, virtutis, industriæ, & similium: quemadmodum affirmat S. Thomas locis proximè citatis ex q. 102. & per se notum est: quamvis interdum idem S. Doctor videatur restringere obseruantiam ad potestatem gubernandi.

Tituli propter quos Deū honorat.

Quibus alijs virtutibus respondeat?

Honor abstrahit à ratione debiti.

Sicut autem honor potest exhiberi parentibus, non solùm tanquam productoribus, id est, titulo productionis, & excellentiæ principij; verùm etiam ratione aliarum perfectionum, quibus fortè præditi sunt; vt ratione dignitatis, & potestatis ciuilis, si sunt prætereà Reges, Principes, Magistratus: vel ratione Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæ, & virtutis eximiæ, aliarúmque perfectionum naturalium, aut supernaturalium; atque etiam ratione beneficiorum ab illis acceptorum: túncque pietas erga illos integrè, & adæquatè sumpta, respondet ex parte virtuti obseruantiæ, quæ reddit honorem personis in dignitate constitutis, vel aliqua perfectione excellentibus, quamvis non parentibus, aut origine coniunctis: & virtuti gratitudinis, quæ reddit gratiam benefactoribus, quamvis neque sanguine coniunctis, neque Superioribus, aut alia excellentia præstantibus: Ita Religio Deum colens propter varios, & multiplices titulos excellentiæ, respondet varijs virtutibus, quibus differentes perfectiones creaturarum diuersimodè honorantur. Est enim in Deo multiplex fundamentum, vt circa illum multæ virtutes secundùm varias conside-

rationes versari queant, vel vna multis æquiualens, & illas eminenter complectens. Alia, inquam, est in Deo ratio parentis, per creationem; alia benefactoris, per continua beneficia, conseruationis, gubernationis, &c. & alia excellentiæ absolutæ, per infinitam maiestatem sapientiam, bonitatem, aliáque attributa excellentissima. Propter quæ omnia Religio eum colit, spectans formaliter conuenientiam, quæ est in tali cultu cum qualibet illarum excellentiarum. Ita vt eadem sit aliquo modo eminenti pietas erga Deum, & gratitudo, atque obseruantia erga eundem.

8. *Iustitia erga Deū quid sit, & circa quid?* Iustitia verò erga Deum est virtus, quâ Deo reddimus quicquid ipsi strictè pro suo iure debitum est, & abstinemus ab indebito, iuri ipsius repugnante: respondens illi virtuti, quâ creaturæ erga se inuicem debita reddunt, abstinéntque ab indebitis oppositis. Et licet ius supremum, quod Deus habet in creaturas, ratione cuius potest ab illis exigere quicquid vult, fundetur in creatione, per quam dominium, & summum ius in omnes creaturas, velut in sua opera, secundùm earum conditionem, & naturam, sibi acquisiuit: alia tamen est ratio coniunctionis nostræ cum Deo per creationem: & alia iuris in illa fundati, & ab illa orti. Titulus enim creationis est prior, & augustior: neque quicquid Deo conuenit ratione creationis, debetur ei ratione illius iuris: quia Deus non omnia à nobis exigit, & præcipit, quæ possunt illi conuenienter exhiberi; sed multa sunt opera supererogationis erga Deum vt Creatorem, & erga alios Dei titulos. Et quamvis nihil possit ab homine rectè fieri, quod non possit ipsi à Deo imperari: tamen non quidquid potest imperari, est imperatum; neque debetur, nisi postquam fuerit imperatum, (nisi aliunde sit iure ipso naturali necessarium) tuncque non debetur ratione sui, sed tanquam imperatum; quia imperio debetur obsequium. Deus autem potest præcipere vnumquodque seorsim quod ab homine rectè fieri potest: sed non omnia simul, quia non omnia sunt simul compossibilia, vt nubere, & sine coniugio manere. Quocirca pro quo tempore præciperet vnum, non posset simul præcipere aliud. Sed quomodocumque possit præcipere, non sequitur quòd vnumquodque sit debitum ante præceptum.

Deus nō præcepit quicquid potuit præcipere. Præterea, quamvis Deus de potentia absolutâ possit præcipere quæcumque rectè fieri possunt: tamen potentiâ ordinariâ, & vt sit locus non tantùm rigori Iustitiæ, sed etiam benignitati, & suauitati, quæ in Deo, & per se, præeminet; non potest Deus esse tam imperiosus; sicut re ipsa non fuit: Esse enim quædam opera consilij, & supererogationis, apertè liquet ex 1. Cor. 7. v. 25. de Virginitate; & ex Matth. 19. v. 21. de Paupertate voluntaria propter Christum; quæ duo Christus, & Apostolus ibi manifestè distingunt à præceptis. Denique licet Deus sit auctor hominis, & eorum omnium, quæ illi vel insunt, vel subsunt, vel adsunt, vel prosunt, præter ipsum Deum: & homo tantum beneficij à Deo acceperit, vt par nunquam referre queat: tamen non inde sequitur hominem obligari ex Iustitia ad omnia, quæ potest rectè facere in gratiam, & honorem Dei. Nam beneficentia, & beneficium benefactoris, non obligat ipsi beneficiarium ex Iustitia. Imò si benefactor præberet beneficium propter retributionem, non esset liberalis, sed potiùs commutator. Igitur quia Deus ex liberalitate contulit homini bona, non sequitur hominem esse ex Iustitia debitorem omnium quæ rectè facere possit. Quia tamen Deus vt auctor omnium, non solùm est benefactor, sed etiam naturaliter sortitur dominium & ius in res omnes: habet inde potestatem legitimam præcipiendi quicquid vult. Et aliunde, sicut quisque ius habet vt non lædatur ab alio: ita Deus ius naturale habet vt à nemine lædatur, vel in se, vel in suis.

Ex his duabus considerationibus satis probata manet secunda pars conclusionis propositæ, quòd nimirum Religio non sit propriè Iustitia: quoniam in genere Iustitiæ nihil est supererogationis ex parte obiecti; cùm totum debeatur, & ex necessitate soluendum sit: at in genere officiorum Religionis (& idem dico de Pietate erga Deum) sunt multa supererogationis, & non necessaria. Quòd si quis respondeat hæc Charitatis esse, non autem Religionis: dico non ita esse simpliciter & purè. Quamvis enim Charitatis esse possint sub alia consideratione, quatenus Deo placent: attamen Charitas non respicit excellentiam vt proprium obiectum; cui se submittat, aut honorem exhibeat: sed respicit Deum vt summè amabilem propter se, & quæ sunt illi grata, vt alia. 9. *Religio & Iustitia quomodo differunt?*

Adde quòd Deo, vt supremo numini, secundùm excellentiam præstantissimæ naturæ considerato, etiamsi per cogitationem secludatur ratio Creatoris, & alia quæcumque, quâ Deus pertinet ad nos, conuenit honor, qui per Religionem veram exhibetur. Et tamen illa consideratione non debetur honor ex Iustitia: Ergo Religio distinguitur à Iustitia. Et quamvis Deus nos vehementiùs astringat titulo creationis, conseruationis, & gubernationis, quibus nominibus ad nos valde pertinet, & non solo nomine sapientiæ, bonitatis, & potentiæ, hæ tamen rationes sunt per se maiores, possúntque sine illis titulis considerari, & propter illas Deo conuenit honor supremus, qui ad Religionem spectat. Patet igitur ex dictis diuersum esse illarum virtutum obiectum. Nam Iustitia est astricta debito rigoroso, & indebito, velut obiecto adæquato, neque fertur in aliquid, in quo non sit ratio talis debiti vel indebiti. At obiectum Religionis non includit rationem debiti ex Iustitia, imò neque vniuersaliter, & simpliciter rationem debiti ex honestate, sed conuenientis. Etenim quemadmodum ad Charitatem pertinet non modò quod necessarium est, sed etiam quod alioqui decens, & conueniens, licet non necessarium; & inter opera Charitatis, sunt quædam necessaria, & quædam supererogationis: ita Religionis, & obseruantiæ erga Deum, possunt esse quædam necessaria, & quædam non necessaria. Idémque dico de pietate, siue erga Deum, siue erga parentes, déque obseruantia erga creaturas. Quamvis enim Deo tanquam principio nostro

competat ius, & dominium, & similiter competat parentibus: tamen seclusо per cogitationem illo iure, conuenit Deo, vt Auctori nostri esse, & parentibus, vt principijs vitæ nostræ, aliquid quod exhibetur per pietatem. Neque quidquid illis conuenit, & fieri potest vt talibus, est necessarium, & debitum ex Iustitia, aut etiam ex honestate. Et præterea, sicut Deo ratione excellentiæ, seclusa iuris consideratione, debetur honor illi conueniens: sic & hominibus præclaris, ratione excellentiæ, conuenit honor, secluso re vel ratione omni titulo Iustitiæ.

10. Soluuntur arg. contr. Contra primam partem conclusionis objici præcipuè solet, quòd inter Deum & creaturas desit æqualitas, & alteritas perfecta, quæ ad Iustitiam propriè dictam necessaria est. Sed ad hoc alibi respondimus disp. 25. Sect. 1. Iustitiam esse ad æquale, quando æquale debitum est: at non tantùm ad æquale; sed etiam ad id omne quod ex iure debetur: & hanc esse propriam rationem obiecti Iustitiæ. Licet autem inter Deum, & creaturas sit aliqua coniunctio moralis, quatenus creatura est aliquid Dei: hæc tamen coniunctio est rerum physicè, & realiter distinctarum, habentiúmque naturas, & relationes oppositas, quæ alteritas ad Iustitiam sufficit.

Contra secundam verò partem objici potest primò, quòd D. Thomas totâ quæst. 81. & singulariter art. 5. Religionem definiat esse virtutem, per quam cultus Deo debitus tribuitur: quæ definitio ab alijs Theologis communiter admittitur. Secundò, quòd Deus, præcisè ratione suæ excellentiæ supremæ, habeat ius vt ab omnibus creaturis honoretur. Ergo Religio, quæ illum cultu respicit vt talem, versatur circa debitum formaliter. Ad primum respondeo nomine debiti latè sumpti intelligi non solùm debitum ex Iustitia, sed & debitum ex honestate, imò etiam id quod est conueniens, licet propriè non debeatur: in qua latitudine debet accipi debitum in definitione D. Thomæ relata, vt adæquata sit. Manifestum enim est, non omnem cultum, qui Deo potest exhiberi per Religionem, esse illi debitum ex Iustitia; aut etiam ex honestate, ita vt sine indecentia omitti nequeat. Et quidem D. Aug. lib. 83. quæst. q. 31. à voce *Debiti* abstinuit, cùm ex Cicerone Religionem hoc modo definiuit: *Religio est virtus, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, cultum*, (alias curam) *ceremoniámque affert:* Ad secundum respondeo, Deo ratione suæ excellentiæ, deberi honorem ex honestate: atque etiam titulo Iustitiæ, supposita creatione, & iure in ea fundato. At non propterea debetur Deo, siue ex Iustitia, siue ex honestate, omnis, & quilibet honor, qui potest illi exhiberi. Neque illum ipsum, qui illi debetur, Religio respicit formaliter vt debitum, sed vt conuenientem naturæ supremæ, eundémque præstaret, quamvis non esset debitus. Versari autem circa honorem debitum ex Iustitia vt talem, Iustitiæ est, non Religionis.

Religio non exhibet tàtùm cultum debitum.

SECTIO III.

De alijs quibusdam Virtutibus Iustitiæ annexis.

11. Obiectū formale Pietatis. EX dictis de Religione, patet quid de pietate siue erga Deum, siue erga parentes, & patriam, déque obseruantia erga creaturas aliquo titulo præcellentes sentiendum sit. Nimirum, quòd licet inter parentes & filios; patriam & ciues; maiores & minores; superiores & subditos, possit esse Iustitia, & Iniustitia propriè dicta, vt alibi ostensum fuit, quatenus scilicet inter illos sunt multa ex iure debita, & indebita: Pietatem tamen, & Obseruantiam non respicere formaliter huiusmodi debita, & indebita rigorosè, vt talia: sed pietatem respicere formaliter cultum, & officia conuenientia principijs nostræ originis, & alijs ratione illius nobis coniunctis: quæ coniunctio quantam vim habeat satis docet naturalis propensio erga parentes, & patriam. Obseruantiam autem respicere honorem, & officia conuenientia personis aliquo titulo excellentibus, vt tales sunt. Superest tantùm addere, prædictorum opposita pertinere ad obiectum adæquatum earumdem virtutum: quia eiusdem virtutis est versari circa aliquod bonum, & auersari malum oppositum. Atque ita Religio, Pietas, & Obseruantia, non tantùm versantur prosecutiuè circa honorem, & cultum prædictum: sed etiam auersantur oppositum.

Vide disp. 27. Sect. 4.

Et obseruantiæ.

De cæteris autem virtutibus (quarum naturam, & officium satis luculenter explicatam vide apud D. Thomam q. 104. & sequentibus) minor est dubitandi ratio, exceptis quatuor, Obedientia, Veritate seu veracitate, Vindicatione, & Epijkia; de quibus in sequentibus conclusionibus dicendum est. Sit igitur

Secunda conclusio: Obedientia multipliciter sumitur: multisque modis à Iustitia distinguitur: sumpta verò pro virtute, quæ habet pro obiecto præceptum verum, siue id, quod vero præcepto à Superiore pro iure suo exigitur, quatenus vi illius iuris debet impleri, est vera species Iustitiæ, quæ definiri potest, Virtus, qua paretur Superiori legitimè præcipienti. Explicatur, & probatur conclusio. Primò, vox obedientiæ sumitur aliquando pro executione voluntatis alienæ, siue sit Superioris, siue Inferioris, siue Æqualis: quo pacto Deus dicitur *Iosue 10.* obediuisse voci hominis, quando Sol stetit ad vocem Iosue: id est, fecisse voluntatem Iosue, qui Deo propriè non imperauit, nec imperare potuit, sed Deus voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit, vt dicitur Psal. 144. & eatenus dicitur eorum voluntati obedire. Secundò, sumitur pro, sequi ductum alterius, non imperantis propriè, sed dirigentis: quemadmodum & is, qui dirigit, dicitur præcipere, non obligando quidem, sed indicando, & docendo; quo sensu dicuntur tradere præcepta artis, illi qui docent modum illam bene exercendi. Tertiò propriè, & specialiter obedire, respicit præceptum obligatorium, aut determinatorium obligationis, 12.

Obedientia variè sumitur.

quod est denuntiatio voluntatis Superioris vtentis iure suo, & potestate legitima; ad exigendum aliquid iuri illi subiectum. Circa quod præceptum obedientia versatur, aut ei respondet, vel potiùs circa id quod subest tali præcepto. Quod adhuc multipliciter fieri potest. Vel enim quis obedit voluntati Superioris, non quia id iuri illius debitum est, sed quia id ei placet, & gratum est. Et hæc obedientia est species quædam Charitatis, vel amicitiæ. Aut quia illi honorificum est vt eius voluntati pareatur, idque conuenit ipsius excellentiæ, quà Superior est, & præstans imperandi potestate: & hæc obedientia est pars quædam Obseruantiæ, & species illi subiecta: sicut etiam D. Thomas q. 102. art. 2. & q. 105. in Prologo, obedientiam subjicit Obseruantiæ. In eòque videtur consistere propria ratio virtutis Obedientiæ specialiter & strictè sumptæ, quæ pro formali, & proprio motiuo habet reuerentiam, & obseruationem debitam Superiori in seruandis eius præceptis: siue honestatem subiectionis inferiorum sub regimine Superioris. Estque sine dubio valde honestum & decens, ac proinde materia virtutis specialis, Inferiorem conformare suam voluntatem Superioris arbitrio, vt secundùm rectum ordinem Inferiora regantur à Superioribus. Vel denique, parère potest aliquis Superiori legitimè præcipienti, præcisè & formaliter, quia hoc illi pro iure suo debitum est. Quod debitum, cùm sit materia Iustitiæ, quatenus per verum ius Iustitiæ exigitur id quod imperatur; Obedientia, quæ circa illud vt tale versatur, est vera & propria species Iustitiæ, quia respicit debitum Iustitiæ quà tale.

13. Communior eius acceptio. Et hoc sensu accepta, vt frequenter accipi solet, obedientia significat virtutem, quæ versatur circa præceptum Superioris, aut potiùs circa id quod tali præcepto subest, quatenus subest, & quatenus vi præcepti debitum est. Cuius virtutis obiectum est id omne, quod legitimè, & propriè imperatur. Actus verò qui fit circa imperatum, vt imperatum, si sit actus voluntatis amplectentis illud vt tale, est actus huius Iustitiæ; & id, quod imperatum est, dum fit ex voluntate, tanquam debitum, quia imperatum, est secundarius actus eiusdem virtutis, & obiectum prioris actus voluntatis, atque etiam ipsius actus Superioris vt imperantis. Sed non est necessarium vi præcepti vt ex tali actu interno fiat. Ius enim præcipiendi, & exigendi aliquid, non facit aliud debitum, quàm id, quod per se exigitur, quodque si fiat quomodocumque, præceptum impletur. Quocirca dum exigitur tantùm per se aliquod opus externum; non exigitur affectus interior certus. V. g. dum præcipitur, Non occides, exigitur tantùm non occidere: quo autem mentis affectu aliquis non occidat, non exigitur. Quare si quis metu non occidat, non autem affectu debiti, quia non considerat ipsum non occidere tanquam debitum ratione imperij, seu mandati; non violat mandatum, neque peccat contra illud. Et quia aliud est non occidere, & aliud velle positiuè non occidere: Idcirco non qui præcipit prius, præcipit posterius, sine quo illud esse potest: sufficitque ad implendum hoc præceptum, non occidere simpliciter, voluntate licet negatiuè se habente. Similiter vt miles impleat præceptum agendi excubias, vel inuadendi hostem, non est necesse vt hoc velit, quia debitum est; sed sufficit si re ipsa id exequatur. Et quamvis Deus possit non modò externum opus præcipere, sed etiam certum, & determinatum affectum internum circa tale opus: tamen non illum præcipit ex eo solo quòd opus externum præcipiat: adeòque ad exhibendum externum opus per se tantummodò præceptum, sufficit quicumque affectus conueniens, cuius vi illud exhibeatur. Vnde etiam metus sufficit ad exequendum mandatum externum operis. Neque est malus, si nihil excludat debitum, & nihil includat indebitum contrariè.

Porro nomine præcepti intelligimus hîc tam præceptum strictiùs sumptum, quàm prohibitionem; seu mandatum, & imperium generaliter sumptum: siue sit temporaneum; siue permanens, fixum, & stabile, quod vocatur lex. Quanquam lex patet latiùs, quàm præceptum, aut prohibitio, etiam stabilis, & permanens: cùm aliqua sit permissiua, & aliqua simpliciter constitutiua vt aliquid sit, vel non sit. Exemplum Concessiuæ est, quod die natali Christi tria sacra fieri possint à quolibet Sacerdote. Exemplum Constitutiuæ, vt bigamus sit irregularis, vt matrimonium clandestinum sit irritum, vt testamentum factum sine certa solemnitate, & numero testium, sit nullum.

Aliter de virtute Obedientiæ philosophantur quidam Recentiores, affirmantes Obedientiam alicui dupliciter deberi posse. Primò, in bonum, & vtilitatem ipsius; ita vt Obedientis opera debeatur Superiori tanquam aliquid suum: quo pacto Serui tenentur obedire Domino in ipsius vtilitatem. Secundò, in bonum, & vtilitatem ipsius obedientis, cui expedit gubernari; & subesse tali formæ regiminis: quo pacto tenentur Ciues obedire Magistratibus, Subditi Regibus, Filij Parentibus, Ecclesiastici Prælatis, Religiosi suis Superioribus. Priorem speciem obedientiæ dicunt esse partem subiectiuam Iustitiæ, cuius est suum cuique tribuere: secus autem posteriorem. Sed hæc distinctio minùs mihi probatur: quia si vtraque respicit in præcipiente verum ius, inclusum in omni legitimo præcepto, & obligationem iuri illi respondentem: vtraque ad Iustitiam pertinet, quæ versatur circa illud omne, quod rigorose, & ex iure debetur. Confirmatur, quia illi, qui non parent Superiori legitimè pro suo iure aliquid præcipienti, siue in suum ipsius bonum, siue in bonum subditorum; possunt cogi ad parendum, & subjici pœnis: quod signum est debitum parendi vtraque consideratione esse rigorosum, & maius quàm simplex debitum honestatis, quod non potest ita exigi. Quare vtraque illa consideratio, & obedientia secundùm vtramque accepta, pertinet ad Iustitiam. 14. Refellitur opinio contraria.

Tertia conclusio: Veritas hîc sumitur, non pro obiectiua, nec pro formali veritate intellectus, quæ est conformitas iudicij cum obiecto: sed pro studio, & affectu voluntatis circa veritatem patefaciendam signis externis, seu verbis, 15. Veritas, seu veracitas quid sit?

seu factis. Qui affectus duplex esse potest. Primus ex motiuo solo illius honestatis, quæ est in conuenientia signorum externorum cum iudicio, vel dispositione interna, & quòd quisque non alium se simulet esse exteriùs, quàm interiùs sit. Et hæc virtus non est species Iustitiæ, cùm non versetur circa debitum rigorosum, sed circa debitum morale, vel honestatem conuenientiæ, quæ est in conformitate supradicta. Reducitur tamen ad Iustitiam, quia est ad alterum, cui veritas manifestatur, & seruat quandam æqualitatem inter signum, & significatum: vt ait S. Thomas q. 109. art. 3. in corp. Secundus est, ex motiuo iuris, quod quisque habet vt non conjiciatur in errorem perniciosum; neque per fraudem priuetur veritate acquisita, aut acquirenda, cum ipsius pernicie. Et hæc est pars, & vera species Iustitiæ; quia respicit debitum respondens tali iuri. Habet enim vnusquisque ius Iustitiæ vt non fraudulenter decipiatur, neque in errorem, & falsitatem perniciosam inducatur, vt alibi ostendimus disp. 29. Sect. 4. non tamen ius habet ad hoc, vt numquam veritas ei celetur, aut nunquam errare sinatur: quod exemplo Christi, & Sanctorum, & ratione manifesta nonnumquam licitum esse ostendimus loco citato: quoties nimirum causa sufficiens, & rationabilis id exigit, aut permittit. Et quamvis tali causa deficiente malum sit celare veritatem, aut non liberare alterum ab errore ipsi pernicioso: plerumque tamen id solummodò malum est, quia aduersatur Charitati, debitòque honestatis: neque in quolibet repugnat debito Iustitiæ, nisi alio titulo, & nomine debitor sit ex Iustitia non celandi veritatem, aut non permittendi deceptionem in altero. Quare non tantum quisque iuris habet, vt patefiat ei veritas; quantum, vt non decipiatur positiuè, & in errorem, & fraudem perniciosam inducatur.

16. Vindicatio sine species Iustitiæ? Quarta conclusio: Vindicatio sumpta pro studio, & affectu recto repellendi nocumentum sibi à læsore illatum, quo pacto sumitur à D. Thoma q. 108. art. 2. non est species Iustitiæ; sed pars affectus, & studij proprij boni, quo quis secundùm rationem conatur nocumenta repellere, seque defendit contra iniurias, ne ei inferantur; vel illatas vlciscitur, non intentione nocendi, sed intentione remouendi nocumenta: qui affectus est conformis inclinationi naturali, & similis illi, quo animalia per appetitum irascibilem se tuentur contra nociua: vt idem S. Doctor ait art. citato. At verò sumpta pro appetitu vindictæ, veluti debitæ ex Iustitia ad reparandum ius læsum, est vera species Iustitiæ, quia vt sic respicit debitum rigorosum. Qua de re sufficiunt quæ diximus disp. 26. Sect. 4. disputando de Iustitia vindicatiua.

SECTIO IV.

De Epijkia. An & quomodo ad Iustitiam pertineat?

17. SVperest dicere de Epijkia, quæ sumpta pro affectu moderato, & æquissimo circa debitum, siue ratione legum, siue alio titulo Iustitiæ, est vera species Iustitiæ: Sumpta verò pro simili affectu circa obiecta aliarum virtutum secundùm proprias eorum rationes, pertinet ad easdem virtutes, velut earum species, & pars præstantissima. Quod vt probem, suppono ἐπιείκεια Græcè, idem esse quod est Latinè æquitas, moderatio, clementia, bonitas, seu benignitas, & decentia. Potest verò æquitas & moderatio accipi vel ex parte obiecti, vel ex parte affectus, vel ex parte cognitionis, & intellectus. Primò enim obiectum ipsum potest esse moderatum, & certa quadam ratione temperatum, & æquum, & magis decens, habens suam quandam mediocritatem, secundùm quam magis acceptabile sit. Et hoc dicitur ἐπιεικὲς, id est, æquum & bonum. Secundò, affectus quoque tendens in illud obiectum per se, est æquus, moderatus, benignus, ac magis decens. Et hic dicitur ἐπιείκεια, id est, æquitas, & moderatio affectus, siue affectus circa æquum & bonum. Tertiò denique, ex parte intellectus & iudicij circa obiecta voluntatis, est quidam modus accipiendi res, & proponendi optimus, atque dictandi quid omnibus pensatis sit æquius, & magis decens: Et ille est modus perfectissimus prudentiæ, & discretionis, quæ habeat rationem omnium, nec tantùm spectet communes, & vulgares rationes agendi; sed & maximè Superiores, ac tandem pensatis omnibus decernat quod est optimum, maximéque conueniens. Et hic dicitur gnome, id est, iudicium æqui & boni.

Epijkia quid sit?

Vide disp. 22. Sect. 7.

18. Locum habet in materia omnium virtutũ. Hoc iudicium locum habet non tantùm circa obiecta Iustitiæ legalis, nimirum statuendo, quæ sit legum obseruatio moderata, & benigna, ac magis æqua: media scilicet inter nimis laxam, & inter nimis rigidam, id est, nimis adhærentem cortici verborum, contra vel extra mentem legislatoris: sed etiam circa obiecta Iustitiæ particularis; vt circa obiecta Iustitiæ commutatiuæ, statuendo de rerum pretio magis æquo, & moderato, ac medio inter summum, & infimum. In distributiua, decernendo quid optimum, & æquissimum, in honoribus, & bonis, vel oneribus communibus distribuendis. In vindicatiua, tenendo medium inter summum ius, & extremum rigorem, qui ad crudelitatem, & iniustitiam accedit: & inter nimiam remissionem, ob quam pœnæ non satis prodessent ad terrorem malorum, & pacem Reipublicæ. Item, in obiecto fortitudinis, decernendo id quod æquius, & melius est in ferendis laboribus, aut periculis subeundis. In obiecto temperantiæ, quid magis moderatum, & conueniens in cibo, & potu. Et similiter in obiectis aliarum virtutum. Nam obiecta virtutum non semper consistunt in indiuisibili respectu humanæ cognitionis, & iudicij; sed habent quandam latitudinem, & varios gradus, quorum vnus alio melior est, & magis acceptabilis. Sicut enim humana omnia debent esse paulò crassiora, & magis perceptibilia, quæque huiusmodi non sunt, habentur pro nullis moraliter: ita & virtutum obiecta, humano modo sumpta, latitudinem quandam habent: intra quam latitudinem id quod melius est, appel-

latur specialiter decens, moderatum, conueniens, æquum & bonum. Et illius electio vocatur optima, & excellenter moderata. Iudicium quoque, siue sententia, quâ illud decernitur, dicitur optima, & æquissima. Præterea iudicium, & electio melioris non tantùm locum habet inter varios gradus eiusdem speciei: Sed & inter diuersas species obiectorum, dum vnum cum alio comparatur: Vt coniugium cum Cœlibatu, vita Sæcularis cum Religiosa: & inter eas decernitur quid omnibus pensatis huic aut illi melius sit.

19. Non est vnica virtus. Hinc sequitur Epijkiam non esse vnicam virtutem à reliquis distinctam; sed multiplicem, & confusam cum alijs, circa quarum materiam, & obiectum versatur. Et quatenus versatur circa iustum legale ex æquo & bono temperatum, recedendo à verbis legis, quando est opus; esse partem, siue actum Iustitiæ legalis. Quando autem versatur circa obiectum Iustitiæ particularis commutatiuæ, distributiuæ, aut vindicatiuæ; esse similiter illarum partem, & actum maximè moderatum. Quando denique versatur circa obiecta formalia aliarum virtutum, eligendo quod in illis est optimum; esse speciem, & partem earumdem virtutum. Huiusmodi enim virtutes versantur circa totam latitudinem sui obiecti, maximéque circa rationem illam optimam, & æquissimam.

20. Quid de ipsa sentiat D. Thomas? D. Thomas q. 80. art. vnico ad 5. & q. 120. art. 2. secutus Aristotelem 5. Ethic. c. 10. videtur restringere Epijkiam ad Iustitiam legalem. Nam priore loco dicit Epijkiam non adiungi Iustitiæ particulari, sed legali; & videri esse idem cum virtute, quæ vocatur eugnomosyne. Est autem eugnomosyne virtus, quæ sequitur gnomen. Et gnome ab eodem D. Thoma q. 51. art. 4. in corp. definitur iudicium practicum, & prudens secundùm altiora principia, quàm sint Regulæ communes, secundùm quæ principia discedirur interdum à Regulis communibus, quia id magis æquum est. Posteriore loco dicit Epijkiam esse partem subiectiuam Iustitiæ legalis, illámque definit art. 1. esse moderationem, seu temperamentum verborum legis in casibus, in quibus lex deficit, id est, in quibus legem ad literam seruare, esset contra æquitatem Iustitiæ, & contra bonum commune quod lex intendit. Cùm enim lex feratur generaliter, & Regulæ generales patiantur multas exceptiones: sæpe casus contingunt in quibus verba legis sequi esset contra rationem, & contra mentem legislatoris. Vt si lex sit depositum esse reddendum: & quis depositum repetat, vt iniustè noceat alteri, putà ensem ad occidendum, vel ad patriæ impugnationem: ratio dictat vt non reddatur in illo casu; & ad hoc ordinatur Epijkia, quæ Latinè æquitas dicitur. Hucvsque D. Thomas.

21. Non versatur solùm circa Iustitiam legalem. Qui nihilominus art. 2. eiusdem quæst. 120. in solutione tertij argum. fatetur fieri posse, vt illa vox Epijkia apud Græcos transferatur ad omnem moderationem. Verùm, & sine translatione, atque in omni proprietate, vox illa significat generatim moderationem, vt tradunt Auctores linguæ Græcæ. Et Philipp. 4. vbi Latinè habetur, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, in Græco pro *modestia*, seu moderatione, & optima mediocritate, ponitur ἐπιείκεια. Deinde, non tantùm in obseruatione legum, & mandatorum oportet sequi moderationem, & æquitatem secundùm rectam intelligentiam legum, & secundùm rectum rationis iudicium: sed etiam in decernendis obiectis aliarum virtutum oportet sequi aliquid tale. Quare non tantùm circa materiam Iustitiæ legalis versatur Epijkia, sine affectus moderationis, & temperati: sed etiam circa alia: sicut & gnome, seu prudentia suprema, cuius est pensatis omnibus, & attentis superioribus principijs, ac circunstantijs vniuersis, definire quid factu dignissimum sit. Etenim obiecta aliarum virtutum, æquè ac Iustitiæ legalis, dupliciter spectari possunt. Vno modo, prout cadunt sub leges extrinsecùs positas, aut sub generalem, communémque prudentiam: alio modo, prout cadunt sub prudentiam particularem, cuius est, expensis omnibus circunstantijs, statuere, etiam secundùm altissima principia, quid oporteat, liceat, expediat, aut præstet facere. Quare vagatur Epijkia per omnia virtutum obiecta. Et sicut in genere Iustitiæ non est alia species circa æquum, & moderatum; & alia circa aliud: ita in genere aliarum virtutum Epijkia non est alia species, sed vnaquæque virtus versatur etiam circa illud optimum sui obiecti, eatenúsque dici potest Epijkia.

Consentit Lessius cap. 47. dub. 9. n. 65. licet postea num. 68. addat Epijkiam esse posse vnam virtutem similem obedientiæ, quæ mentem conformet tacitæ intentioni Legislatoris: sicut obedientia mentem conformat expresso præcepto, propter honestatem, quæ in eo est. Verùm ne sic quidem Epijkia distinguitur ab ipsa obedientia adæquatè sumpta, vel ab obseruantia erga Superiores, vt ex dictis antea de obedientia notum est, Sect. 3. num. 12.

Præterea notandum est non tantùm licere à verbis legis recedere, quando eius obseruatio esset contra Iustitiam, aut contra bonum commune, aut aliter contra rationem: sed etiam quando excludit maius bonum, vel est inutilis, & vana, quamvis alioqui non illicita: vel quando tota legis ratio deficit propter quam solam obligabat. Quod si manifestum est moraliter, non est opus recurrere ad Superiorem, vt legem interpretetur: quia in manifestis non est opus interpretatione, sed executione, vt rectè ait D. Thomas q. 120. art. 1. ad 3. & quando res est manifesta, stultum & vanum est interpretationem quærere. Nisi fortè actio publica esset, & alijs id non esset euidens. Actiones enim publicæ debent secundùm publicam notitiam fieri, ad scandalum vitandum. Sin autem dubium est; petenda est à Superiore legis interpretatio ad vitandum periculum peccandi, vt D. Thomas ibidem affirmat. Sed hoc intelligendum est de casibus particularibus obscuris, de quibus non sunt opiniones currentes probabiles. Nam quando sunt opiniones verè probabiles, vsus communis est vt liceat sequi alterutram. Intelligendum etiam illud est in casu, in quo detur copia Superioris, & facultas ad illum recurrendi. Quæ si desit, & instet


22. Sitne opus recurrere ad Superiorem?

agendi necessitas, statuendum est ex principijs moralibus quid facto opus sit. In consultando autem, & eligendo, respicienda sunt superiora principia: qualia sunt, Ex duobus malis minus est eligendum, id est, subeundum, quando vtrumque vitare non possumus: Ex duobus bonis, si libertas ad vtrumque existat, maius rectè eligitur, quamvis non semper necessariò sit eligendum: Ex duobus extremis virtuti oppositis magis fugiendum est id quod deterius est: Minutiositas nimia, & scrupulositas est vitanda: Deus mavult misereri, quàm rigidè exigere: Fauores ampliandi, odia restringenda: In dubijs melior est conditio possidentis suam libertatem. Ius minus cedit maiori: positiuum naturali, humanum diuino: & inter hæc magis necessarium præferendum est minùs necessario.

Spectanda in iudicando ex Epijkia.

23. Quomodo spectet ad Iustitiam legalem?

Notandum præterea non omnem Epijkiam, quæ versatur circa legum moderationem, siue benignam interpretationem, vel correctionem per altiora principia, esse speciem Iustitiæ legalis: Sed eam tantùm, quæ versatur circa debitum communitati, optimè temperatum, & ex affectu talis debiti. Nam si respicit aliam rationem formalem, ob quam à verbis legis recedit, induit aliam speciem virtutis, cuius illa ratio propriâ est. Atque ita v. g. qui non vult reddere depositum ne noceat iniustè communitati, facit quidem actum Iustitiæ legalis, quia respicit debitum communitati vt tale. At verò qui à lege communij ieiunij recedit ne grauiter lædat valetudinem, eò quòd lædere valetudinem sit contra proprium bonum maius, quàm sit carnis afflictio intenta per legem ieiunij; vel quia læsio valetudinis impediret obsequium Dei, vel proximi, quod est maioris momenti: ille non facit actum Iustitiæ legalis, sed affectûs proprij boni, vel Religionis, aut Charitatis erga Deum, & proximum. Cùm enim virtus contrahat speciem ex obiecto formali, cuius affectu operatur: & hoc obiectum varium esse possit, & diuersarum specierum: Æquitas quoque, siue Epijkia, ad varias species, & virtutes pertinere potest. Cúmque lex propter suam generalitatem obesset alicui virtuti; pertinet ad illam virtutem declinare à verbis legis, dirigente prudentiâ.



DISPVTATIO QVINTADECIMA.

De Virtute Religionis.

DE materia proposita disputat S. Thom. quæst. 81. vbi docet Religionem esse virtutem, per quam homines Deo cultum & reuerentiam exhibent. Esséque vnam virtutem; cùm vnum Deum respiciat, velut obiectum, illique vni exhibeat reuerentiam secundùm vnam rationem, in quantum scilicet est principium creationis, & gubernationis rerum. Esse quoque virtutem specialem, ab alijs distinctam: quia rationem specialem boni habet: nimirum reddere honorem Deo debitum ratione singularis ipsius excellentiæ omnem aliam transcendentis infinitè, ideóque speciali honore dignæ. Non tamen esse virtutem Theologicam, sed Moralem: quia Deus non comparatur ad Religionem vt obiectum, sed potiùs vt finis. Est enim Religio quæ Deo debitum cultum affert: qui cultus est illius materia & obiectum. Deus autem se habet vt finis ad quem ille refertur, & in cuius reuerentiam

fiunt actus quidam, quibus colitur; putà sacrificiorum oblationes, & alia huiusmodi. Ideóque Religio non est virtus Theologica, cuius obiectum est vltimus finis: sed est virtus Moralis, cuius esse est circa ea, quæ sunt ad finem. Cùm autem inter Morales proximè ad finem, id est, ad Deum accedat, inquantum operatur ea quæ directè & immediatè ordinantur in honorem diuinum: idcirco Religio præeminet alijs virtutibus Moralibus. Neque solùm interiores actus exercet, quibus mens Deo se submittat, eúmque reuereatur: verùm etiam vtitur aliquibus corporalibus, quibus mens hominis excitetur ad spirituales actus. Vnde Religio habet quidem interiores actus, quasi principales, & per se ad Religionem pertinentes: exteriores verò actus, quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos. Quanquam autem Religio, & Sanctitas sunt idem quoad essentiam: differunt tamen ratione: quia Religio dicitur secundùm quod exhibet Deo debitum famulatum in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificijs, oblationibus, & alijs huiusmodi. Sanctitas autem dicitur, secundùm quòd homo non solùm hæc, sed aliarum quoque virtutum opera refert in Deum, vel secundùm quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum diuinum pertinentia. Hucvsque D. Thomas.

SECTIO I.

Quid sit Religio, quodve eius Obiectum?

1. Religio cur sic dicta? RElìgio dicitur, quia nos Deo religat, id est, vnit, & nectit; iuxta Lactantium lib. 4. diuin. Institut. cap. 28. August. lib. de vera Relig. cap. vlt. & Bernardum lib. de natura & dignitate diuini amoris, cap. 15. Vel etiam, quia homines ipsos inter se ligat, vt simul, & eodem modo Deum colant; iuxta Hieronymum in cap. 9. Amos ad vers. 6. & Abulens. in cap. 12. Exodi, quæst. 49. Vel à relegendo, eò quòd illa, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpe legenda, & relegenda, studiosóque animo voluenda sunt, iuxta Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, & Isidorum lib. 10. Originum. Vel à reeligendo, quòd per eam reeligamus Deum, quem per peccatum reiecimus: iuxta D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. Vel denique ab eo, quòd nos iam semel Deo coniunctos per creationem, aut aliter; iterum liget, & illi deuinciat per voluntariam subiectionem. Quo fere sensu D. Thomas in Opusc. 19. contra impugnantes Religionem, cap. 1. sic ait: *Religio iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquem ligari, cui primò coniunctus fuerat, & ab eo distare incepit. Et quia omnis creatura priùs in Deo extitit, quàm in seipsa: & ab eo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundùm essentiam per creationem: ideo rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primò coniuncta fuerat, antequam esset: vt sic ad locum, vnde exeunt flumina, reuertantur.*

2. Exponitur D. Thomas. Circa quæ verba D. Thomæ nota primò, vt aliquid dicatur religari, non esse necessarium vt distet ab eo, cui religatur. Quamvis enim non distet, neque ab illo recesserit, potest tamen magis, magisque ligari, & multiplici vinculo astringi, vt fortiùs illi adhæreat. Nota secundò, iuxta hanc vocis ethymologiam posse specialiter vocari Religionem eam viuendi formam, quæ magis, & specialiùs Deo ligat. Iuxta quem loquendi modum specialiter vocatur Religio status illorum, qui per vota quædam solemnia se totos Deo consecrant, & deuinciunt, vt perfectiùs eum colant: quique idcirco vocari solent simpliciter Religiosi. Nota tertiò, creaturas, antequam producantur, non esse propriè, & formaliter in Deo, sed eminenter tantùm, quatenus Deus potest illas producere: quæ potentia, & esse eminentiale creaturarum est ipsemet Deus. Quare secundùm illud non propriè alligantur Deo: sed primò ligantur illi vinculo creationis, & subiectionis naturalis, cùm primùm ab illo producuntur: deinde verò religantur illi per voluntariam submissionem, quando ei debitum cultum deferunt. Siue ab eo priùs recesserint per peccatum, siue non: nam Religio in statu quoque innocentiæ locum habuisset, estque de iure naturali vt creatura Deum auctorem suum, & supremum Numen colat.

Definitur autem communiter Religio, Virtus, quæ Deo debitum cultum, & honorem exhibet tanquam omnium creatori, & Domino. 3. Definitio Religionis. Dicitur primò *virtus*, quia est habitus bonus, & principium operationis laudabilis. Est enim bonum, & laudabile Deum colere, debito seu conuenienti modo. Hac autem particula definitionis rejicitur Superstitio, seu falsa Religio, quæ non est virtus, sed vitium rectæ rationi oppositum: quia vel falsum Deum pro vero colit, vt faciunt Ethnici, & Pagani: vel licet verum Deum colat, non tamen honesto, & conuenienti modo: sed vel superfluis ceremo-

nijs à Deo reiectis, vt faciunt Iudæi: vel inutilibus ad salutem animæ, & in errore contra fidem fundatis, vt Turcæ, Hæretici, & similes.

4. Quid in ea intelligendũ per *cultũ debitum?* Dicitur secundò, *quæ Deo debitum cultum, & honorem exhibet, tanquam omnium Creatori, & Domino*. ad designandam propriam huius virtutis differentiam, sumptam ex ordine ad obiectum. Circa quod nota primò, particulam, *debitum*, significare hoc loco idem atque *conueniens*, vt definitio sit adæquata. Nam Religio exhibet Deo quemcumque cultum, & honorem conuenientem: siue debitum propriè, ac necessarium; siue non necessarium, & superogationis. Quanquam enim Deo, vt supremo omnium Principi, debeatur honor & cultus, velut tributum honorarium, quo illius eminentiam, nostrámque demissionem protestamur: non tamen omnis, & quilibet cultus, quem Religio Deo exhibet, est illi debitus, siue ex Iustitia, siue ex honestate, ita vt peccetur non exhibendo: sed aliquis est non necessarius, & supererogationis: vt sæpius in die illum adorare, quotidie sacrificare, aut Missæ sacrificio assistere, vouere paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, ad ipsius honorem, & obsequium, seque totum eius cultui addicere, & ser[illegible]io deuouere.

5. Cultus & honor quomodo differunt? Nota secundò cultum differre ab honore simpliciter: quòd honor nihil sit aliud, quàm testimonium, seu protestatio excellentiæ alterius: siue exhibeatur actibus internis, id est, purè mentalibus, vt magna eius æstimatione: siue externis, vt verbis, laudando; aut gestu corporis, genuflectendo, aperiendo caput, inclinando se; aut rebus quibusdam externis honorando, vt statuæ erectione, ludorum, aut festorum institutione. At verò cultus strictè sumptus & propriè, addit honori simplici submissionem quandam eius qui honorem exhibet, ita vt seipsum inferiorem profiteatur eo, quem honorat. Vnde fit, vt cultus non possit esse, nisi circa excellentiorem: cùm tamen honor id non postulet, quemadmodum rectè notauit D. Thomas q. 103. art. 2. in corp. his verbis: *Potest alicuius excellentia considerari non solum per comparationem ad honorantem, vt scilicet eo excellentior sit ille qui honoratur: sed etiam secundum se, vel per comparationem ad aliquos alios.* Et paulò post: *Non oportet quòd ille, qui honoratur, sit, excellentior honorante, sed fortè quibusdam alijs: vel etiam ipso honorante quantum ad aliquid, & non simpliciter.* Et quidem Deus licet quacumque alia re infinitè excellentior, dicitur tamen honorare iustos, *Honorificabit eum Pater meus*, Ioan. 12. v. 26. Et 1. Reg. 2. v. 30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles.* Et Christus secundùm humanitatem dicitur accepisse à Deo Patre honorem, 2. Petr. 1. quando accepit testimonium excellentiæ; voce delapsa ad eum à magnifica gloria, *Hic est filius meus dilectus, &c.* Tametsi Deus non potest sui submissione quemquam honorare. Quamvis autem plerique restringant virtutem Religionis ad cultum, siue honorem cum submissione exhibitum; ex quo inferunt non posse illam Deo conuenire, sed esse propriam naturæ intellectualis creatæ: probabiliùs tamen est vtrumque honorem Deo conuenientem ad illam pertinere, & omnem obseruantiam, atque excellentiæ diuinæ protestationem, etiam sine consideratione illius submissionis: quemadmodum obseruantia erga creaturas, respondens Religioni, complectitur adæquatè quamcumque protestationem excellentiæ creaturarum, cum submissione, vel sine illa. Ideoque nomen *cultus*, in definitione superiùs tradita, videtur esse latiùs accipiendum, vt adæquata sit. Et licet actus Religionis, quibus ab inferiori tribuitur honor alteri tanquam excellentiori, non conueniant Deo, qui nullum habet se excellentiorem, nullique alteri est inferior: possunt alij quidam actus virtutis Religionis ipsi conuenire: vt diximus 1. p. disp. 17. & fusiùs ostendemus inferiùs num. 19. & sequentibus.

Præterea, licet honor, & gloria propriè differant: nam gloria consistit in bona æstimatione & famâ: vt ait S. August. lib. 83. quæst. q. 31. Est enim gloria, inquit, *frequens de aliquo fama cum laude:* vel vt alij definiunt, Est clara cum laude notitia. Honor autem formaliter consistit in quacunque significatione, seu testificatione excellentiæ alterius: vt docet Aristot. 1. Ethic. cap. 5. & post illum D. Thom. 1. 2. q. 2. art. 2. & 3. Hic tamen latiùs sumimus honorem pro vtroque; & vtrumque intendere pertinet ad Religionem: quia vtrumque Deo conuenit, & spectat ad ipsius cultum, cuius integra procuratio est proprium officium virtutis Religionis. Honor differt à gloria.

Nota tertiò, particulam vltimam definitionis, *tanquam omnium creatori & Domino*, non ita esse accipiendam, quasi sola excellentia creationis, & dominij per Religionem colatur, aut honoretur: vel quòd hæc sit ratio formalis adæquata cur Deus colatur à virtute Religionis: sed generatim suprema Dei excellentia intelligenda est, quæ secundùm alios titulos est quoque honore, & cultu dignissima. Nam ratio creationis, si spectetur vt est coniunctio nostra cum Deo, veluti patre, & principio nostræ originis, pertinet solum ad Religionem quatenus continet pietatem erga Deum, vt disp. præcedente ostendimus. Si verò quatenus beneficium est, quo nos sibi deuinxit, quemadmodum alijs beneficijs, conseruationis, gubernationis, redemptionis, iustificationis; pertinet ad eandem prout eminenter est gratitudo, quæ formaliter respicit beneficium. Dominium verò Dei sumptum propriè pro iure in omnes creaturas, ei competens titulo creationis, pertinet ad Iustitiam, æquè ac debitum illi respondens. Honor tamen, & cultus qui Deo exhibetur propter supremum eius dominium, & quævis alia attributa supremo honore digna, vt talia, pertinet ad virtutem Religionis, cuius proprium est honorem & cultum Deo conuenientem exhibere, propter honestatem specialem, quæ inest in tali exhibitione, seu protestatione interna, vel externa supremæ excellentiæ diuinæ. 6. Deus quare colendus.

7. Obiectum materiale huius virtutis est, tum honor, & cultus Deo conueniens, consistens

Obiectū materiale Religionis. in actibus internis, vel externis, quibus Dei excellentiam protestamur, adorando, laudando, sacrificando, &c. tum etiam res sacræ, quibus velut instrumentis vtimur ad Dei cultum; vt templa, vasa, & vestimenta sacra, imagines, cerei, suffitus; & similia, quæ quatenus seruiunt alicui operationi circa Dei cultum, vel à nobis applicantur ad Deum honorandum, comprehenduntur sub materia virtutis Religionis, & reducuntur ad operationem, vel intentionem, cui seruiunt. Eodémque modo actus aliarum virtutum, si fiant non solùm ex proprio motiuo, sed etiam ex intentione honorandi Deum, ad eúmque finem referantur per virtutem Religionis, pertinent ad illius materiam. Ratio huius assertionis est, quia iuxta definitionem suprà explicatam, Religio est virtus, quæ cultum, & honorem conuenientem exhibet Deo: id est, quæ vult, & intendit huiusmodi cultum. Itaque cultus ille, & ea, quæ ad ipsum pertinent, sunt materia, circa quam versatur prosecutiuè Religio: auersatiuè autem circa illorum oppositum. Omnis enim virtus prosequens aliquod bonum, auersatur quoque malum illi contrarium: ita vt obiectum eius materiale adæquatum, compléctatur vtrumque, vt alibi probauimus, disp. 15. Sect. 1. num. 6.

8. Obiectū formale. Obiectum verò formale eiusdem virtutis est specialis honestas, seu conuenientia cum recta ratione, quæ est in eo, quòd supremæ excellentiæ diuinæ reddatur honor, & cultus illi conueniens. Idcirco enim vult illum Deo exhibere, quia conueniens est vt supremo numini talis honor, & cultus exhibeatur. Quæ ratio distinguit virtutem Religionis ab alijs Virtutibus, seu Theologicis, seu Moralibus: quippe quæ non versantur circa tale obiectum formale, quamvis & ipsæ ad cultum Dei aliquo modo faciant, & ad protestationem excellentiæ diuinæ referri possint per Religionem. Quo fortè sensu D. Augustin. in Enchirid. cap. 3. ait Deum coli Fide, Spe, & Charitate: vel potiùs quia Religio, & cultus Dei sumitur sæpissimè pro omni officio, & opere bono ad Deum ordinato, vt Iacobi 1. v. 27. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, &c.* aut etiam quia in omnibus eiusmodi actibus ad Deum ordinatis inest materialiter, aut tacitè quædam submissio nostri, & protestatio diuinæ excellentiæ. Per fidem enim agnoscimus Deum esse supremam veritatem, illique vt tali credimus, & intellectum submittimus: in quo sine dubio illum honoramus. Per spem amamus Deum vt summum bonum nostrum, & talem esse profitemur. Per Charitatem eundem agnoscimus, & amamus vt summè bonum in seipso, summéque amabilem propter se. Per Obedientiam paremus illi veluti supremo omnium Domino; & sic de alijs. Differunt nihilominus isti actus ab actu Religionis, quia non exercentur ad exhibendum Deo honorem, propterea quòd conueniens est Deum honorari: Sed fides assentitur propositioni à Deo reuelatæ, quia vera est, & assensu digna, tanquam eius testimonio confirmata, & diuino lumine illustrata. Spes, & Charitas amant Deum, quia summo amore dignus est, siue vt bonum nostrum, siue vt bonus absolutè: & aliæ virtutes similiter versantur circa Deum ex alio motiuo, quàm ex motiuo speciali & proprio Religionis, honorandi Deum quia honore dignus est, decétque rectam rationem illum honorare.

SECTIO II.

De Actibus Religionis in genere.

Actus Religionis generatim sunt duplices. Quidam enim sunt primarij, & immediati; qui etiam interni, id est, ab ipsa virtute eliciti appellari solent. Alij secundarij, remoti, & imperati: qui etiam dicuntur externi: quanquam vulgò actus interni Religionis appellari solent illi omnes, qui interiùs perficiuntur in mente, siue primarij sint, & immediati; siue secundarij, & mediati: externi verò quicumque per corpus exercentur. Primarij sunt actus volendi honorem, & cultum Deo conuenientem; & nolendi oppositum, scilicet inhonorationem Dei, & quasi dedecus. Cùm enim Religio sit in voluntate, vt omnes fatentur cum D. Thoma q. 83. art. 3. ad 1. versetúrque circa Dei honorem, & illius oppositum, velut circa obiectum proprium, & materiam proximam: sequitur eius actus primarios, seu proximos, immediatos, & elicitos, esse actus volendi conuenienter honorem diuinum, & nolendi oppositum. Qui actus sunt diuersi, quia respiciunt diuersa obiecta, & ipsi per se sunt diuersæ, & oppositæ tendentiæ. Nomine autem actuum volendi comprehenduntur omnes affectus prosecutiui circa honorem, & cultum Dei: nempe amoris, desiderij, gaudij, &c. Sicut per actus nolendi oppositum, comprehenduntur odium, timor, & dolor de repugnantibus cultui diuino: quos omnes affectus dirigere circa Dei cultum, vel illius oppositum, pertinet immediatè ad virtutem Religionis. 9. Actus primarij Religionis.

Actus autem secundarij sunt illi, in quibus honor Dei consistit, id est, protestatio excellentiæ diuinæ: siue actus illi sint tantùm interni, id est, purè mentales; siue etiam externi, id est, prodeuntes exteriùs. Etenim supposito quòd Deum colere, & honorare, sit quasi decus, & ornamentum extrinsecum ei afferre, eúmque rebus, aut actionibus conuenientibus, eiúsque cultum præferentibus, quasi afficere extra ipsum, quoniam in seipso coli, & ornari non potest: Illud quidem potissimùm fit interiori mentis recognitione, confessionéque, & affectu: sed multa insuper sunt exteriora, quibus mens, & affectus coram alijs demonstratur ad honorandum Deum, non modò occultè interiùs, sed etiam apertè, & publicè coram alijs. Et quoniam à Deo non solùm habemus esse mentis, & rationis; sed etiam corporis, & res externas: Deus non modò internis, sed etiam externis actibus est colendus. Hos actus D. Thomas q. 82. & sequentibus, vndecim numerat, & exponit, partim internos seu mentales, partim verò exter- 10. Actus secundarij.

nos & sensibiles: Deuotionem, Orationem, Adorationem, Sacrificium, Oblationem primitiarum, & donorum, Solutionem decimarum, Votum, Iuramentum, Adiurationem, Laudem, & Gratiarum actionem.

11. Sintne solius Religionis? Circa quos actus obseruandum est primò, non omnes illos esse simpliciter; & purè, ac propriè singulariter Religionis, quasi essentialiter hanc solam rationem habeant, & nullam aliam habere possint: sed quia ad Deum honorandum valent, & illius cultum præ se ferunt. Etenim Deuotio, quæ vt ait D. Thomas q. 82. art. 1. & 2. est prompta voluntas, seu promptitudo, & propensio ad Dei cultum; siue actus voluntatis, quo quis promptè vult exequi omnia, quæ pertinent ad Dei seruitium: potest esse Charitatis ad Deo placendum, & ad tollendum ea, quæ illi displicent Quanquam potest esse & ad Deum colendum: estque actus Religionis proprius, quatenus fit in signum protestationis excellentiæ diuinæ, cui seruitium, & obsequium à creaturis debetur, promptáque seruiendi voluntas. Oratio quoque, quæ per se est actus mentis ad affectum, & desiderium enuntiandum, in finem impetrandi, & consequendi quippiam desideratum; vel, vt alij definiunt, est desiderij coram Deo explicatio, vt aliquid ab ipso impetremus; valet quidem ad honorandum Deum, quatenus ille, qui orat Deum, eo ipso profitetur se illo indigere, & Deum esse potentem, ac benignum. Verumtamen oratio procedit quoque à spe, & desiderio eorum, quæ petuntur: potéstque ad multiplicem alium finem referri, æquè ac ad Dei cultum.

12. Neque contradicit D. Thomas quæst. 83. art. 3. dum ait orationem esse propriè actum Religionis. Nam illud *propriè*, non significat *singulariter*, quasi à nulla alia virtute proficisci possit: sed significat *verè*, & *non abusiuè*. Potiùs verò fauet superiori doctrinæ D. Thomas ibidem, cùm particularem modum indicat, quo oratio est actus Religionis, inquantum scilicet homo se subijcit Deo, & profitetur orando, se eo indigere velut authore suorum bonorum. Adoratio quoque quæ vulgo definitur ex D. Damasceno orat. 1. de Imaginibus, submissionis, & humiliationis nota: & sacrificium, quatenus fit in protestationem excellentiæ diuinæ, quòd Deus sit author vitæ, ac Dominus, sunt actus Religionis: sicut & oblationes primitiarum, donorum, & decimarum, per quas protestatio fit quòd Deus sit benefactor, atque largitor bonorum. Sed nihilominus potest adoratio ad placendum, & ad Deum veluti mulcendum ac demerendum ordinari: potest etiam referri sacrificium, & oblatio tanquam munus, & donum, ad impetrandum aliquid. Idémque dico de voto, seu promissione Deo facta. Non enim est necesse vt ad honorandum formaliter, & purè referatur: sed potest fieri ad placendum eo modo, quo amicus placet amico. Iuramentum quoque, id est, vsurpatio nominis diuini in testimonium ad aliquid confirmandum; & adiuratio, id est, contestatio, & assumptio diuini nominis, aut rei alterius sacræ, ad permouendum aliquem, vt nimirum eius reuerentiâ inducatur ad aliquid faciendum, vel ad quippiam non faciendum; sunt actus Religionis, quatenus sunt protestatio diuinæ auctoritatis, & maiestatis; at possunt etiam fieri alio fine. Sicut & laus, & gratiarum actio, quæ potest ex mera gratitudine proficisci. Similitérque actus oppositi Religioni possunt diuersa consideratione ad alias virtutes pertinere. Ex. gr. blasphemia contra Deum opponitur Religioni, quatenus dedecet rectam rationem, diuinam excellentiam ita inhonorari: & ad Iustitiam, quatenus est contra ius, quod Deus habet vt ne malè de eo loquamur: quale ius habent etiam homines, vt ne ab alijs vituperentur.

Obseruandum secundò, multiplicem esse differentiam actuum Religionis. Primò enim vltra differentiam veluti materialem, quòd alius sit actus deuotionis, alius orationis, adorationis, sacrificij, voti, iuramenti, &c. qui tamen actus specie differunt inter se, sicut & actus vitiosi illis oppositi, qui speciatim in confessione explicandi sunt, quia non tantùm physicè, sed etiam moraliter specie differunt: Vltra, inquam, differentiam illam, alia est quasi formalis, ratione diuersarum excellentiarum diuinarum, quarum professio fit. Actus enim, per quos fit protestatio diuersarum excellentiarum, quæ sunt in Deo, sunt differentis rationis quasi formaliter: siue etiam differant ex parte materialis; siue non. Cuiusmodi sunt protestatio infinitæ sapientiæ, bonitatis, potentiæ, creationis, conseruationis, gubernationis, redemptionis, &c. Neque enim Deus est solùm dignus cultu, & honore propter suas omnes perfectiones adæquatè, & collectiuè sumptas, prout ex illis totum esse diuinum constituitur: verùm etiam propter earum singulas inadæquatè conceptas, & ratione à se inuicem distinctas: vt propter sapientiam infinitam, propter omnipotentiam, propter eximiam bonitatem moralem, & rectitudinem voluntatis infallibilem: itémque propter titulum creatoris, conseruatoris, redemptoris, &c. 13. Differentia materialis actuum Religionis. Differentia formalis,

Secundò, actus, quibus fit protestatio, & professio excellentiæ diuinæ ad illius decus, sunt multi. Nam & actibus voluntatis, & actibus intellectus, & actibus externis, tam circa nos ipsos, quàm circa res alias, potest fieri talis protestatio. Tertiò, quædam est protestatio expressa valde, & præcipua, quæ mente, & cogitatione fit, cum voluntatis affectione. Alia est minùs expressa, & quasi tacita, etiamsi aliquo mentis actu fiat. Exemplum prioris est, quando aliquis expresso & directo mentis actu recognoscit excellentiam, & maiestatem diuinam, ad decus, & honorem illius, & quasi ornamentum extrinsecum: seséque mentis iudicio, & affectu submittit Deo, tanquam supremo rerum omnium Domino. Exemplum posterioris est, quando aliquis orat, & aliquod beneficium à Deo postulat. Nam simul, quamvis non adeo expressè, & directè, profitetur excellentiam bonitatis, & potentiæ diuinæ: quatenus non id ab illo postularet, nisi potens & bonus, ac misericors esset. Simili modo signa exteriora, quibus fit professio excellentiæ diuinæ, sunt mortua signa, & minùs expressa, 14. Alia differentia ex parte potentiarum, vel modo protestandi diuinam excellentiã.

comparatione actuum mentis, in quibus est viua, & præcipua protestatio. Nec obest quòd sacrificium (per quod offertur aliquid Deo, & destruitur ad profitendum ipsum esse principium totius esse nostri, & Dominum vitæ, & necis) dicitur esse actus præcipuus Religionis, secundùm communem sensum. Nam vt quæcumque oblatio, vel sacrificium sit talis actus, debet fieri cum intentione & mente prædicta: neque aliter potest esse talis.

15. Item quidam sunt priuati, alij publici, vel alterius nomine. Est & alia differentia actuum Religionis. Nam quamvis physicè omnes actus sint personarum singularium: moraliter tamen aliquando non sunt illarum: quia licet ab illis fiant; non fiunt illarum nomine, & iure: sed iure, & nomine communitatis, aut alicuius alterius, qui per talem personam operatur: putà, nomine Ecclesiæ, vel Christi Domini. Quidam, inquam, fiunt priuato nomine eius, à quo fiunt, vt oratio quam pro se quisque priuatim fundit, aut votum quod pro se concipit: quidam nomine alieno, & vicaria potestate, non principali, neque suprema; vt sacrificium Eucharistiæ. Vnde fit, vt quando vnus alterius vice, & nomine operatur, contingere possit vt qui operatur, non verè honoret intentione sua: is verò, cuius nomine operatur, honoret nihilominus sua intentione. Sic indeuotus Sacerdos, & irreligiosus, qui lucrum magis curat, celebrando diuina mysteria, quàm verè Deum colere: dummodò perficiat opus sacrificij Euchatistiæ, non impedit quin Ecclesia, & boni fideles, & Christus Dominus per illum honorent Deum.

16. Quidam etiam sũt naturales, alij supernat. Vlteriùs, actus Religionis quidam sunt naturales, quibus Deus colitur vt naturæ Auctor, & secundùm rationes notas lumine naturali, secundùm illam cognitionem, & per actum illi proportionatum. Alij supernaturales, quibus Deus perfectiori quadam consideratione, & excellentiori modo colitur, quàm possit solis naturæ viribus. Vtrique autem generi actuum respondent habitus illis proportionati. Naturalibus quidem, habitus naturalis, acquisitus per actus, vnus moraliter, & physicè multiplex, propter magnam diuersitatem actuum, quibus acquiritur: Supernaturalibus verò, infusus, & supernaturalis, realiter vnus, & sufficiens ad totam honestatem virtutis Religionis.

17. Vtrique sũt multiplices. Rursus quidam ex actibus tam naturalibus, quàm supernaturalibus, sunt inefficaces, & simplicis complacentiæ circa honorem, & cultum Dei: alij efficaces, & applicantes intellectum, aut alias animæ potentias, & membra ipsa externa ad Deum honorandum. Quidam sunt directi, vt intentio colendi Deum, siue affectus ad eius cultum: alij reflexi, vt affectus ad illum affectum, seu voluntatem colendi Deum, propter honestatem specialem, quæ est in eius cultu. Hic enim affectus reflexus pertinet ad eandem virtutem, & eandem inclinationem voluntatis, vt patet ex dictis disp. 25. n. 52. & 53. Item, quidam sunt eliciti immediatè ab ipsa Religione: alij imperati tantùm: & inter istos aliqui fiunt immediatè à Religione, id est, non mediante alia virtute, à quâ proximè eliciantur, qui etiam ea de causa vocantur à D. Thoma, & à pluribus alijs actus eliciti Religionis; vt adoratio, sacrificium, iuramentum, & similes actus, quando non exercentur ob aliam honestatem, quàm ipsius Religionis, cuius magis proprij sunt, & cuius honestatem præ se ferunt. Alij verò sunt mediatè tantùm à Religione, id est, mediante alia virtute, à qua proximè eliciuntur; vt actus Fidei, Spei, & Charitatis, Misericordiæ, Pietatis, Liberalitatis, & similes, relati ad Dei cultum, ex imperio Religionis.

SECTIO III.

Soluuntur duæ difficultates circa Actus Religionis.

SVperest quærere primò, an actus Religionis sint in præcepto? Respondeo creaturas intellectuales teneri Deum colere ex præcepto tum naturali, tum etiam positiuo. De naturali probatur, quia lumine naturali notum est, Deum Auctorem omnium rerum, sapientissimum, optimum, & potentissimum, esse colendum, æquè ac parentes esse honorandos: idque gentiles philosophi naturali lumine cognouerunt, vt testantur eorum scripta, & Apostolus Rom. 1. v. 20. & 21. De positiuo diuino, vt omittam præcepta legis veteris in Exodo, & Leuitico, alijsque locis, quia iam abrogata, & per se non obligantia in lege noua: Christus in nouo Testamento, per se, vel per Apostolos, totam legem naturalem varijs locis confirmauit: vt cùm ait Apostolus, *Nec ipsa natura docet vos?* 1. Cor. 11. v. 14. Deinde speciatim præceptum naturale, & legis veteris de Deo adorando, repetijt Christus & stabiliuit Matth. 4. quando Satanæ postulanti vt se adoraret, respondit: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Græcè λατρεύσεις, quo verbo cultus latriæ Dei proprius significatur. Varijs etiam locis orare, & modum orandi præscripsit: & Matth. 26. ac Luc. 22. Apostolis (quos Noui Testamenti Sacerdotes constituit) eorúmque in Sacerdotio Successoribus, præcepit vt corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini offerrent, per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, vti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit, & definiuit Trid. Sess. 22. cap. 1. Ecclesiæ quoque præcepta de festis seruandis in honorem Dei, & Sanctorum, de Sacrificio Missæ faciendo, & audiendo, de horis Canonicis à beneficiarijs, & Clericis maiorum ordinum, attentè, reuerenter, & deuotè recitandis, de soluendis decimis, notissima sunt. Quidquid autem dicendum sit de præceptis Ecclesiæ circa actus internos, qua de re variæ sunt sententiæ: omnino certum est naturale præceptum esse de cultu etiam interno: quia verus ille honor internus debetur Deo ex honestate, atque etiam ex iure naturali fundato in titulo creationis, alioque multiplici. Quicquid autem debetur ex honestate, & iure naturali, præcipitur lege naturæ. Institutio quoque à Deo, 18. Actus Religionis sunt in præcepto?

& à

& à Christo facta, non est vt opera solùm externa Deo exhibeantur in eius cultum: cùm Deus intueatur cor: & vt dicitur Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*

19. Conueniúntne solis creaturis? Quæritur secundò, an actus Religionis conueniant soli creaturæ intellectuali? Affirmat Suares tom. 1. de Religione tract. 1. lib. 3. c. 1. n. 3. quia Religio intrinsecè respicit superiorem: habere autem superiorem inuoluit imperfectionem, propriúmque naturæ creatæ est. Item, quia Religio est virtus ad alterum. Deus autem non potest colere creaturas se inferiores: neque habet alterum Deum, quem colat. Quod si objicias, saltem vnam personam diuinam posse colere aliam, quatenus habet excellentiam relatiuam distinctam: Respondet non posse: tum quia tres personæ diuinæ sunt vnum in voluntate: tum etiam quia sunt vnum in illa excellentia, secundùm quam sunt dignæ cultu, & veneratione Religiosa. Nam perfectio relatiua non ad illam sufficit, nisi quatenus essentialem perfectionem includit; & ideo Trinitas vnicâ tantùm adoratione simpliciter adoratur. Si rursus objicias, Deum velle vt alij ipsum glorificent, & honorent: ergo formaliter vult cultum sibi debitum sub ratione cultus; in quo consistit propria, & formalis perfectio Religionis: Respondet aliud esse, velle sibi deferri cultum: & aliud, velle deferre cultum alteri. Hoc posterius pertinet ad obseruantiam & Religionem: non verò illud prius: quia non est motus ad alterum, sed ad se: vnde magis spectat vel ad amorem sui, seu proprij boni; vel, ad summum, pertinet ad simplicem affectum boni honesti, quod ab vnoquoque amari, vel desiderari potest in alterius voluntate. Hæc Suares.

20. Respondetur negatiuè. In cuius doctrina (pace tanti Doctoris dixerim) multa mihi non probantur. Primò enim, probabilius censeo virtutem Religionis adæquatè sumptam non respicere duntaxat Deum vt superiorem; sed latiùs patere, & complecti quamcumque obseruantiam Deo conuenientem, vt diximus Sect. 2. Imò etiam quamcumque honorem sacrum, debitum Sanctis propter excellentiam propriam supernaturalem, quâ sunt honore sacro, & Religioso digni; ita vt virtus Religionis non distinguatur adæquatè à Dulia, vt ostendemus Sect. 5. Itaque honor redditus Sanctis, vt talibus, pertinet ad virtutem Religionis. Deus autem honorat Sanctos vt tales, id est, propter excellentiam, seu perfectionem supernaturalem ipsorum. Et quamvis non honoret illos vt superiores; non desinit ille honor esse proprius virtutis Religionis, de cuius ratione adæquata non est honorare alium tanquam superiorem, sed quacumque ratione, quâ honore sacro dignus est.

21. Personæ diuinæ se inuicem honorát. Secundò, licet vna persona diuina non possit aliam colere, tanquam superiorem; falsum tamen est non posse illam honorare, non modò propter essentialem perfectionem, sed etiam propter excellentiam relatiuam, secundùm id, quod quodammodo superaddit essentiæ, & quo constituit personam distinctam. Nam illa excellentia, etiam præcisè sumpta ab essentia (si præscindi potest, vt nonnulli existimant) cùm sit maior infinitè quacumque excellentia supernaturali creata, est infinitè magis honore sacro digna. Et sine dubio Deus, qui æquus rerum omnium æstimator est, multò magis illam æstimat, & honorat, quàm omnem excellentiam creatam. Itaque illa est per se digna honore sacro, & Religioso: ad illúmque sufficeret, quamvis essentiam non includeret: & sicut nonobstante vnitate voluntatis, & essentiæ, tres personæ diuinæ se inuicem amant, etiam secundùm suas perfectiones relatiuas: ita quoque se inuicem honorant. Fortasse tamen ille honor non est actus Religionis, ex alio capite, quia non est ad alterum natura distinctum.

Tertiò ad virtutem Religionis, & ad quamcumque aliam pertinent non solùm actus efficaces, verùm etiam inefficaces, & affectus simplices complacentiæ circa idem obiectum materiale, & formale. Pertinent enim illi omnes actus ad eandem honestatem, & ad eandem inclinationem voluntatis, vt ostendimus disp. 25. n. 52. Deus autem habet affectus complacentiæ circa obiecta quarumcumque virtutum materialia, & formalia. Placet enim illi nos sperare, diligere, iustè, fortiter, temperatè agere, colere Deum, & Sanctos, ex proprijs, & specialibus illarum virtutum motiuis. Idéoque in Deo sunt affectus simplices omnium virtutum, etiam illarum, quarum affectus efficaces non potest per seipsum exercere, vt Fortitudinis, Temperantiæ, &c. Atque ita licet Religio adæquatè respiceret superiorem, vt Suares suprà, & plerique alij volunt: Deus nihilominus haberet affectus inefficaces proprios illius virtutis, quatenus ei placent actus, quibus creaturæ reddunt honorem, & cultum conuenientem supremo numini; & placent propter specialem honestatem virtutis Religionis. 22. Religio habet actus efficaces, & inefficaces.

Item, ad Religionem, & quamcumque aliam virtutem pertinent, non modò actus directi, sed etiam reflexi circa eandem formalem honestatem, & propter illam. Ex. g. ad eandem Charitatem pertinet amare Deum, & amare amorem Dei, quia amor Dei est, siue quia Deus est propter se tali amore dignus. In quo amore reflexo est implicitus, & virtualis amor Dei propter se: sicut vice versa in amore directo, est implicitè, & virtualiter amor reflexus eiusdem amoris directi: omnis enim actus voluntatis, cùm sit intrinsecè voluntarius, est virtualiter volitio sui ipsius. Et sicut virtualis illa reflexio amoris directi supra seipsum, pertinet ad eandem honestatem virtutis, eandémque inclinationem voluntatis: ita etiam ad eandem pertinet amor reflexus formaliter, & expressè supra actum directum. Ergo ad Religionem pertinent actus reflexi, quibus placent, & amantur actus directi Religionis, siue à nobis, siue ab alijs exerciti; placent, inquam, & amantur ob specialem honestatem Religionis: quam honestatem vt talem amare pertinet generaliter ad virtutem Religionis. Deus autem habet affectus æquiualentes nostris actibus re- 23. Actus directi, & reflexi pertinent ad eandem virtutem.

flexis, quibus illi placent actus directi Religionis à creaturis exerciti, etiam illi qui respiciunt Deum, vel alium, tanquam superiorem. Ergo eatenus habet aliquos actus Religionis proprios.

24. Neque verum est quod ait Suares, huiusmodi affectus, quibus Deus vult, & amat cultum sibi reddi à creaturis, esse potiùs actus amoris proprij boni, vel simplicis affectus boni honesti. Nam vt essent actus amoris proprij boni, seu virtutis tendentis ad proprium bonum vt tale: deberent velle, & amare cultum illum tanquam bonum proprium amantis, & moueri ab illa ratione formali. Et vt essent affectus simplices boni honesti, seu virtutis honestatis tendentis ad honestum simpliciter quâ tale: deberent velle, & amare cultum illum simpliciter quia honestus est, seu quia rectam rationem decet, generaliter, & confusè, abstrahendo ad hac aut illa speciali ratione honestatis. Atqui affectus, de quibus loquimur, non tendunt in cultum Deo redditum sub illis considerationibus, sed sub speciali ratione honestatis propriæ Religionis, reddentis cultum, & honorem Deo conuenientem, ob specialem honestatem, quæ est in tali cultu, & honore exhibendo: amantisque, & volentis, siue directè, siue reflexè, efficaciter, aut inefficaciter, eundem cultum sub eodem motiuo.

25. Concludo itaque actus aliquos Religionis esse quidem proprios naturæ creatæ intellectualis, ita vt naturæ diuinæ conuenire non possint: nimirum actus, quibus aliquis tanquam superior colitur: Deus enim non habet superiorem se, quem colat, & honoret vt talem: eoque sensu dixi 1. p. disp. 17. Sect. 5. n. 39. non conuenire Deo actus Religionis, quibus ab inferiori tribuitur honor alteri tanquam supremè excellenti: alios tamen esse, qui Deo propriè, & formaliter conueniunt: vt voluntas honorandi Sanctos, & actus quibus illos honorat; vt Deus ipse affirmat 1. Reg. 2. v. 30. & Christus Ioan. 12. v. 26. itemque actus complacentiæ, & quasi reflexi circa quoscumque actus Religionis elicitos à creaturis. Consultò autem dixi, *natura intellectuali creata*: propter Christum, qui tametsi est persona increata: ratione tamen naturæ humanæ, secundùm quam est creatura, & Deo inferior, est capax illorum etiam actuum Religionis, quibus Deus tanquam superior colitur; veréque, & propriè Deum adorauit, orauit, coluit, sacrificauit, & alios similes actus exercuit: sicut de seipso, secundùm naturam humanam consideratò, verè ac propriè dixit Ioan. cap. 14. v. 28. *Pater maior me est.*

SECTIO IV.

An, & quomodo Religio differat ab alijs Virtutibus?

26. *Quomodo differt à fide?* DIco primò, virtutem Religionis differre à virtutibus Theologicis: à Fide quidem propriè, & formaliter sumptâ: quia Fides est virtus intellectus, valens per se ad cognoscendum: Religio autem est virtus voluntatis, ad volendum, & amandum. A virtute verò Piæ credulitatis, quæ est in voluntate ad iuuandum illam, vt velit liberè credere, differt, quia virtus illa non vult liberè credere præcisè, & formaliter, vt honorem Deo tribuat; sed quia Deus fide, seu credulitate dignus est, & quia propositio diuino testimonio confirmata, est digna certo assensu. Aliud autem est velle alicui credere vt fide digno: & aliud, velle illum honorare; & præcisè loquendo, aut vniuersaliter, excellentia personæ non est causa credulitatis, sed veracitas (quæ tamen ipsa est aliqua perfectio) credimus enim personis vilibus, quas existimamus esse veraces; & non credimus personis illustrioribus, quas suspicamur, aut deprehendimus esse mendaces.

A Spe verò, & Charitate differt, quia Spes tendit in Deum amandum vt bonum nostrum: Charitas verò vt summè amabilem propter se. At Religio tendit ad cultum Dei tanquam honore digni propter supremam suam excellentiam. Item Fides, Spes, Charitas tendunt immediatè in Deum, vt obiectum *quod*, tam materiale, quàm formale. Fides enim credit immediatè Deum esse, propter summam eius veracitatem. Spes amat immediatè Deum, quatenus bonum nostrum est; & Charitas eundem immediatè diligit propter seipsum. Religio verò non tendit immediatè in Deum, vt obiectum, quod immediatè velit, aut amet per actus suos primarios, & immediatos: sed in cultum, & honorem Dei, id est, in signa interna, vel externa, quibus supremam eius excellentiam protestamur. 27. *Et à Spe & Charitate.*

Qua etiam de causa Religio non est virtus Theologica, tribus alijs superaddenda; quia non versatur directè, & immediatè circa Deum, vt obiectum *quod*: sed tantùm circa cultum, & honorem Dei, id est, circa testimonia interna, vel externa excellentiæ diuinæ à nobis reuerenter exhibita: quæ testimonia non sunt Deus ipse, sed sunt aliqui actus nostri: & licet versentur immediatè circa Deum, & diuinam excellentiam, propter quam exhibentur, quámve significant immediatè: non tamen Religio, quæ est in voluntate, cuius virtutis actus proprij, & interni, hoc est, immediati, non sunt alij, quàm velle huiusmodi testimonia, & abhorrere ab oppositis. Ipsa verò testimonia non sunt immediatè à Religione, sed ab ipsa tantùm expetuntur, vel imperantur, adeóque respectu illius sunt tantùm actus externi, & materia siue obiectum, quod respicit per proprios actus internos, & elicitos, qui non sunt alij, quàm affectus colendi Deum. At virtutes Theologicæ propriè dictæ respiciunt Deum directè, & immediatè velut obiectum *quod*: Fides credendo, Spes & Charitas diligendo: idque non tantùm velut obiectum materiale, sed etiam velut formale. Fides enim credit propter Deum testificantem, summámque ipsius veracitatem, & auctoritatem in dicendo, quia est prima veritas. Spes eundem amat formaliter prout est bonum nostrum. Charitas verò prout in se ipso summè bonus est. 28. *Quare non est virtus Theologica.*

Dices: Etiam Religio versatur circa cultum 29.

Soluitur obiectio. Dei propter summam ipsius excellentiam: Ergo Deum respicit, aut aliquid diuinum, velut obiectum *quod*, formale, & immediatum. Respondeo Religionem non respicere immediatè excellentiam diuinam, sed cultum diuinum, propter conuenientiam, quam ille cultus habet cum excellentia diuina, ita vt obiectum immediatum Religionis sit cultus Dei: in quo materiale est signum, & protestatio excellentiæ diuinæ; formale verò est conuenientia eiusdem signi, & protestationis cum ipsa excellentia: vel, vt alij volunt, est ratio debiti, quod nimirum talis cultus excellentiæ diuinæ debeatur. Excellentia verò diuina est quidem obiectum formale proximum & immediatum respectu illius cultus: remotum verò dumtaxat respectu virtutis Religionis: quod non sufficit vt sit virtus Theologica.

30. Instantia repellitur. Instabis, quia Religio exhibet illum cultum Deo, & excellentiæ diuinæ, propter se immediatè: ergo respicit immediatè Deum, saltem vt obiectum *cui*. Respondeo id non sufficere ad virtutem propriè Theologicam: sed requiri vt obiectum simpliciter immediatum, id est, obiectum *quod*, sit Deus ipse, aut aliquid diuinum, in quo Deus ipse includatur. Deus autem, licet sit obiectum immediatum in ratione obiecti *cui*, quia honor illi tribuitur non mediante alio, cui prius tribuatur: est tamen simpliciter obiectum mediatum; quia Religio directè, & immediatè versatur circa cultum, & non inclinat directè & immediatè in Deum, sed in aliquid Deo exhibendum, quo ipsius excellentiam significet, & testetur: sicut iustitia particularis non inclinat immediatè in proximum, sed in aliquid proximo exhibendum. Denique, non sufficit Deum esse obiectum *cui* immediatè, sed etiam debet esse obiectum *quod*, vt virtus tendens in illum dicatur Theologica strictè, & propriè. Eadémque de causa habitus piæ credulitatis non est virtus Theologica: quia Deum tantùm habet pro obiecto cui vult credere propter summam ipsius veracitatem: Immediatè verò habet pro obiecto *quod*, ipsum actum credendi, propter honestatem, quæ in eo est vt Deo aliquid testificanti credatur.

31. Ternarius virtutum Theolog. quomodo intelligendus? Vrgebis, quia laus Dei, & oratio, attingunt immediatè Deum velut obiectum *quod:* & tamen sunt actus Religionis: sique non sunt actus Religionis eliciti, & immediati, debent esse alterius virtutis, quæ saltem ipsa Theologica erit. Respondeo laudem Dei, & orationem non esse actus elicitos, & internos Religionis, sed externos, & imperatos, quatenus sunt aliqua signa & protestationes diuinæ excellentiæ, sub qua sola ratione pertinent ad virtutem Religionis: secundùm alias verò considerationes pertinent ad virtutes alias: putà, si oratio fiat ex motiuo impetrandi sibi aliquod bonum supernaturale, pertinet ad Spem: Si ad Deo placendum, vel ad eius gloriam amplificandam, vel ad proximum iuuandum, pertinet ad Charitatem; ad Religionem verò pertinet, quatenus est protestatio potentiæ, prouidentiæ, & bonitatis diuinæ. Elicitiuè autem, & immediatè oratio, & laus Dei procedunt partim à potentia executiua, si de externa sermo sit: partim, quoad actus internos, procedunt à ratione, siue ab intellectu, & a voluntate orandi, & laudandi, quæ possunt habitum acquirere inclinantem immediatè ad huiusmodi actus propter suam honestatem: quia nimirum conuenienter cadunt in Deum, dignum qui laudetur, & oretur propter suam excellentiam. Et hi habitus erunt virtutes, quia boni, & laudabiles: atque etiam aliquo sensu Theologici, quia Deum pro obiecto immediato habent. Possunt denique ad illos actus eliciendos infundi habitus supernaturales: & probabile est infundi. Sed hoc non obest numero ternario virtutum Theologicarum, qui est intelligendus de virtutibus huius viæ certò infusis, & supernaturalibus, ac reuelatis: cuiusmodi sunt tres illæ solæ, Fides, Spes, Charitas: vltra quas dabitur in cœlo lumen gloriæ: & hic aliæ multæ sunt, partim naturales, vt Theologia, & Fides, Spes, Charitas naturalis: partim probabiliter infusæ, & supernaturales, vt donum Sapientiæ, & intellectus circa Deum, si à fide distinguitur, vt D. Thomas, & alij multi opinantur. Denique, modò virtutum natura intelligatur, parum curandum est quas denominationes ab Auctoribus acceperint. Neque magna est ratio cur virtus Religionis restringatur ad solum affectum colendi, vel honorandi: & non ipse cultus, & honor sit quoque actus elicitus, loquendo saltem de cultu interno voluntatis: sicut Spes, & Charitas non restringuntur ad affectum amandi, sed ipse amor est actus ab illis elicitus.

Confirmatur, quia ille actus colendi, & honorandi Deum propter suam excellentiam, est actus virtutis, quia conueniens rationi, æquè ac amor Spei, vel Charitatis. Cur igitur non est ipsiusmet virtutis Religionis, elicitiuè & immediatè pertinens ad illius habitum; non autem ad habitum alterius virtutis, quo mediante Religio illum eliciat? Neque obstat definitio Religionis communiter recepta, sumptáque ex D. August. lib. 83. quæst. q. 31. *Religio est virtus, quæ Deo cultum, & honorem exhibet, &c.* Nam illa potest facilè non tantùm affectum exhibendi, sed & effectum comprehendere, & vtrumque Religioni tanquam proprium illius actum tribuere. Sed nihilominus communi sententiæ standum est, quæ vult Religionem valere solùm immediatè ad actum voluntatis circa cultum, & honorem Dei, volendo scilicet honorem ipsi conuenientem exhibere: quo supposito liquet non esse vlla ex parte virtutem Theologicam. 32.

Dico secundò, virtutem Religionis esse quoque distinctam ab alijs virtutibus Moralibus. A prudentia quidem, quia hæc est in intellectu, Religio verò est in voluntate. A fortitudine, & temperantia, quia istæ perficiunt hominem in ordine ad seipsum: Religio verò est ad alterum. A Iustitia, quia hæc respicit debitum ex iure, siue rigorosum, & specialem honestatem, quæ est in reddendo tali debito, & satisfaciendo iuri alterius: Religio verò respicit cultum vt conuenientem Deo, etiam citra rationem debiti: & æquè valet ad exhibendum cultum supererogationis. Aliquæ tamen sunt virtutes 33. Quomodo differt Religio ab alijs virtutib. moralibus?

Morales annexæ Iustitiæ, de quibus specialiter dubitari potest quomodo Religio ab illis distinguatur: nempe à Pietate, Obseruantia, & Gratitudine erga Deum. Nam Pietas est virtus, quâ debitus honor redditur parentibus vt originis nostræ auctoribus. Obseruantia est virtus, quâ redditur honor personis in dignitate constitutis. Gratitudo est virtus, quâ redditur honor & obsequium benefactoribus. Deus autem est primum principium nostræ originis, & ens excellentissimum, honoréque dignissimum, & Auctor, atque liberalis & munificus donator omnium bonorum, quibus bene afficimur. Ergo Religio, quæ adæquatè respicit omnem cultum, & honorem Deo conuenientem, debet illum colere vt principium nostri esse; atque ita est pietas erga Deum: & vt ens excellentissimum; & ita est virtus obseruantiæ erga eundem: & vt supremum benefactorem; & ita est virtus gratitudinis.

34. Et à virtute Gratitudinis. Respondeo Religionem differre nihilominus à virtute gratitudinis erga Deum: quia hæc formaliter respicit debitum morale, ortum ex beneficio, & honestatem specialem in eo existentem quòd illi debito satisfiat, par pari reddendo si fieri potest, aut aliter beneficium recognoscendo. Religio verò non respicit illud debitum tanquam motiuum formale, sed excellentiam personæ, propter quam cultu, vel honore digna est; & honestatem specialem, quæ est in exhibendo illi honore, conueniente ipsius excellentiæ. Pertinet tamen gratiarum actio ad Religionem, quando fit ad protestandum Deum esse supremum Auctorem omnium bonorum, & in signum illius protestationis. Hæc enim protestatio est cultus illi conueniens. Et eatenus gratitudo continetur eminenter in Religione, vt alibi diximus. Addo virtutem gratitudinis strictiùs sumi à D.Thoma q. 106. art. 1. pro virtute recognoscente beneficia accepta à personis particularibus, quæ neque sunt parentes nostri, neque superiores & rectores, aut alio titulo præcellentes: quo pacto sumpta gratitudo manifestè distinguitur à Religione, quæ circa Deum versatur secundùm vtramque considerationem.

Et à Pietate, & Obseruantia. Pietas autem, & obseruantia sumuntur ab eodem, & ab alijs communiter, pro virtutibus respicientibus creaturas dumtaxat: ita vt pietas sit virtus, quâ reddimus honorem, & obsequium parentibus vt Auctoribus nostri esse post Deum; & patriæ, vt principio nostræ originis; & consanguineis, patriæque amicis, & beneuolis, ratione eiusdem coniunctionis: Obseruantia verò sit virtus, quâ redditur honor conueniens creaturis in dignitate regendi constitutis, vel scientiâ, virtute, aut perfectione, alia præcellentibus, ratione propriæ dignitatis, & excellentiæ, vt diximus Sect. 2. disput. præcedentis. Quo pacto sumptæ huiusmodi virtutes longè differunt à Religione, quæ colit Deum propter rationem principij longè excellentioris, & perfectionum infinitè distantium à perfectione creaturarum.

35. Quod si quis velit sumere latiùs pietatem pro quacumque virtute honorem, & cultum exhibente principijs nostræ originis, siue Deo, siue creaturis; & obseruantiam pro qualibet virtute, per quam honor, & cultus alicui tribuitur, siue Deo, siue creaturis, ratione excellentiæ: quo sensu pietas, & obseruantia potest in duas subdiuidi, vnam, quæ Deum respicit, & Religio dicitur: alteram, quæ creaturas, & Pietas aut Obseruantia specialiter appellatur: hoc modo sumptæ generaliter Pietas, & Obseruantia, latiùs patent quàm Religio: valent enim ad quemcumque cultum, aut honorem debitum quibuscumque auctoribus nostri esse, aut personis excellentibus, quarum plurimæ ne quidem cultu Duliæ sunt dignæ, id est, sacro, & Religioso, diuerso licet à diuino; sed alio inferiori, & ciuili tantùm. Sumptæ verò specialiter prout versantur circa Deum, vt primum principium nostrum, & ens excellentissimum, coincidunt cum virtute Religionis, vt bene probat argumentum pro ratione dubitandi allatum, & nos suprà docuimus Sect. illâ 2. cum D.Thoma locis ibi citatis. Nisi potiùs Pietas siue erga Deum, siue erga homines, habeat aliud motiuum formale, quàm Religionis, aut Obseruantiæ: nempe motiuum coniunctionis per originem, & non præcisè excellentiam personæ. Vnde mutua est inter parentes, & liberos, & quoscumque consanguineos, & patriâ coniunctos, patriæque beneuolos: siue sint excellentes, & honorabiles claro aliquo titulo, siue non.

SECTIO V.

Vtrum Religio distinguatur à Dulia?

Maior difficultas est an Religio distinguatur à Dulia, seu virtute, quâ sanctos colimus propter ipsorum excellentiam sacram, & supernaturalem? Qua de re dico tertiò, virtutem naturalem, & acquisitam Religionis, quâ Deus colitur propter excellentiam propriam, & Duliam similiter naturalem, & acquisitam, quâ coluntur Sancti ob suam excellentiam supernaturalem, esse habitus specie diuersos: Verumtamen vnam, & eandem virtutem Religionis supernaturalis posse ad vtrumque cultum extendi, & habere pro obiecto adæquato honorem, & cultum sacrum, siue Deo, siue etiam Sanctis, propter suam excellentiam supernaturalem, & sanctitatem exhibendum: quamvis diuersa nomina sortiatur: & quatenus Deum attingit, dicatur Religio: quatenus Sanctos, Dulia. Prima pars probatur, quia actus, quibus Deum colimus propter excellentiam propriam, & actus quibus colimus Sanctos, siue absolutè, siue etiam relatiuè in ordine ad diuinam excellentiam, sunt actus specie diuersi, cùm habeant diuersum obiectum formale ex toto, vel ex parte: alia enim est excellentia diuina; & alia excellentia Sanctorum, siue absolutè sumpta, siue ad Deum relata: quippe quæ distat infinitè à diuina. Ergo gignunt habitus specie diuersos, sibi proportionatos, & adæquatos. 36. Habitus eorum naturales distinguuntur.

Secundæ verò partis eiusdem assertionis ratio est, quia habitus supernaturales sunt veluti potentiæ quædam à Deo infusæ, quæ in sim- 37. Sufficit vnus supernaturalis.

plici entitate valere possunt ad multos actus supernaturales specie differentes, circa obiecta quæ conueniant tantùm in aliqua ratione analoga. Quo pacto Charitas supernaturalis valet ad actum amandi Deum propter se; & ad amandum etiam proximum propter se in ordine supernaturali, volendo ipsi Deum, & alia bona supernaturalia per amorem Charitatis, & amicitiæ supernaturalis; sicut eadem volumus nobis ipsis per affectum Spei supernaturalis. Sicut autem duobus modis potest amari proximus: primò propter Deum, quatenus Deus in ipso amatur, vel ipse amatur tanquam aliquid Dei: secundò propter seipsum, quatenus est creatura intellectualis capax beatitudinis supernaturalis, cui Deum, & alia bona supernaturalia expetimus: ita Sancti possunt dupliciter coli: primò propter excellentiam increatam Dei, quæ in ipsis aliquo modo elucet, tanquam in templis & imaginibus viuis, vel filijs, amicis, & hæredibus Dei: secundò propter se, id est, propter intrinsecas perfectiones suas creatas; vt propter visionem Dei, Charitatem, Sanctitatem, statimque beatum, in quo sunt: quæ excellentia sacra, & supernaturalis, est alio cultu, non ciuili tantùm, sed sacro, & Religioso digna. Prior modus colendi Sanctos propter excellentiam diuinam, tribuitur communiter à Doctoribus virtuti Religionis: sicut prior modus amandi proximum propter Deum, tribuitur sine controuersia virtuti Charitatis erga Deum, ad quam pertinet quare Deum, & bonum Dei, vt tale est. Posterior verò modus colendi Sanctos absolutè propter excellentiam propriam, tribuitur à multis virtuti realiter distinctæ, quæ Dulia vocatur; propter magnam differentiam huius obiecti formalis, quæ est excellentia supernaturalis creata, infinitè distans ab excellentia diuina increata.

Sancti possunt coli dupliciter.

38. Sed nihilominus sicut probabilius est eandem virtutem supernaturalem Charitatis diligere Deum propter se, & proximum etiam propter se: alioquin non essent duo præcepta Charitatis, vnum diligendi Deum, & alterum diligendi proximum: Nam diligere proximum propter Deum, est diligere Deum, & continetur in priori præcepto, quo generaliter præcipitur vt Deus in se, & in suis ametur: item duplex esset virtus Charitatis Theologicæ, quod Paulo non consentit 1. Cor. 13. v. vlt. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc:* si enim Spes, quâ nobis ipsis diligimus Deum, vt bonum nostrum supernaturale, est virtus Theologica: pari ratione Charitas, quâ proximo Deum diligimus, vt bonum eius supernaturale, est virtus Theologica: ergo si differt à Charitate erga Deum, duplex est Charitas Theologica: atque ita Fides, Spes, & Charitas non sunt tria tantùm, sed quatuor. Sicut, inquam, eadem Charitas supernaturalis diligit Deum, & proximum propter se, licet rationes diligendi sint longè diuersæ: sic eadem Religio supernaturalis valere potest ad Sanctos vtroque modo colendos, & ad Deum pariter, atque Sanctos propter se honorandos, nonobstante diuersa ratione, propter quam Deus, & Sancti absolutè honorantur. Atque ita sentit Marsilius in 3. q. 8. art. 1. Licet alia ratione motus: & id esse planè probabile affirmat Suares tom. 1. in 3. part. disp. 52. Sect. 3. §. *Circa hanc difficultatem:* eandemque sententiam non esse improbabilem dicit Lessius c. 36. dub. 3. n. 16. in fine.

Probatur vnum habitum supernat sufficere.

39. In contraria tamen opinione est D. Thomas q. 103. art. 3. ad 2. vbi docet, eâdem Charitate diligi Deum, & proximum; quia ratio diligendi proximum Deus est. *Non enim*, inquit, *diligimus in proximo nisi Deum: & ideo eadem est Charitas, quâ diligitur Deus, & quâ proximus: sunt tamen aliæ amicitiæ differentes à Charitate, secundùm alias rationes, quibus homines amantur. Et similiter, cùm sit alia ratio seruiendi Deo, & homini, aut honorandi vtrumque: non est eadem Virtus, Latria, seu Religio, quâ Deus colitur propter esse, & Dulia, quâ Sancti.* Hucvsque D. Thomas. Similique modo philosophantur Lessius c. 36. n. 23. Ægid. Coninck disp. 24. de Actibus supernat. dub. 1. n. 19. Turrian. disp. 73. de Fide, Spe, & Charitate, dub. 3. Vasques tom. 1. in 3. part. disp. 98. c. 2. qui Charitatem erga proximum volunt esse virtutem solùm moralem, distinctam à Charitate erga Deum; & eodem modo affirmant Religionem erga Deum distingui à Dulia.

Contraria sententia.

40. Suares verò tom. 1. in 3. part. disp. 52. Sect. 3. vltra medium, & 2. 2. disp. 1. de Charitate Sect. 3. licet fateatur eandem Charitatem supernaturalem valere ad diligendum Deum, & proximum propter se: vult tamen Religionem distingui à Dulia: & hanc reddit rationem cur sit vna Charitas erga Deum, & proximum; non autem vnus habitus ad honorandum Deum, & proximum: quia Deus honoratur secundùm rationem excellentiæ supremæ, incommunicabilis creaturæ: amatur verò secundùm absolutam rationem, quæ creaturæ communicari potest. Quam rationem magis illustrat, & confirmat tom. 1. de Religione, tract. 1. lib. 3. cap. 5. n. 22. vbi dicit Charitatem esse amorem amicitiæ: amor autem amicitiæ semper fundatur, inquit, in aliqua vnitate, seu coniunctione inter amantes. Impossibile enim est vt ego velim alicui bonum propter ipsum, nisi supponam illum tanquam vnum mecum. Religio verò, & Obseruantia, seu Dulia, potiùs respiciunt distinctionem, & diuersitatem inter honorantem, & honoratum, & in ea fundantur. Hinc ergo fit vt plures (qui aliàs inter se diuersi sunt) in quantum in aliqua vnitate conueniunt, possint eâdem amicitiâ amari: Licet in ratione cultus, & honoris suam distinctionem retineant, neque possint vna, & eadem virtute coli. Atque ideo Charitas, quæ fundatur in speciali vnitate spiritus, quam gratia facit inter Deum, & homines, & inter homines ipsos, non est tantùm amicitia inter homines, & Deum, sed etiam inter ipsos homines, quatenus eodem vinculo inter se, quo cum Deo, vniuntur per gratiam. Religio verò non respicit hanc vnitatem, sed potiùs diuersitatem. Et hoc sensu dicitur excellentia diuina incommunicabilis creaturæ, scilicet vt est ratio talis cultus. Bonitas autem dicitur communicabilis, non quidem ita vt reddat creaturam æquè bonam, ac Deum: sed ita vt coniungat creaturam cum Deo in vera amicitiæ


vnitate; & consequenter etiam coniungat in eadem amicitia personas omnes creatas quæ illam participant. Hæc Suares.

41. Ad quæ omnia respondeo primò, probabilius esse eandem Charitatem, si sermo sit de infusa, & supernaturali, valere ad vtrumque amorem Dei, & proximi: & amorem proximi propter se in ordine supernaturali pertinere ad Charitatem Theologicam, ob rationes antè allatas, & plures alias suo loco expositas disputando de Charitate. Secundò, Deum per Charitatem amari etiam vt Deum, & vt bonum increatum, quale in creatura per se intrinsecè nec est, nec esse potest. Et quamvis per dilectionem proximi velimus proximo Deum: tamen aliud est velle Deum alicui, & velle Deo bonum quod ipse est. Etenim obiectum *cui*, est diuersum: imò & obiectum *quod*. Nam aliter est Deus bonum proximi, & aliter bonum suum. Et hæc duo non tantùm specie, vel genere vtcumque, sed infinitè distant: quia Deus est aliud, quàm creatura: & Deus aliter per omnem modum est bonum suum, quàm sit aut esse possit bonum creaturæ. Non enim potest esse bonum creaturæ, sicut est bonum suum, per identitatem scilicet, & velut infinitè, & adæquatè à se ipso possessum, infinitéque cognitum & amatum, quantùm cognoscibilis & amabilis est. Quare differentia inter Charitatem, & Religionem, à Suare allata non satisfacit, neque satis probat non posse cultum Dei, & Sanctorum, ad vnam, & eandem virtutem pertinere, aut non esse probabile quòd reipsa pertineat.

Vide disp. 18. Sect. 1. & 2.

42. Tertiò, ad alteram eius rationem, aut præcedentis confirmationem, respondeo Charitatem esse virtutem ad alterum, id est, ad personam distinctam, æquè ac Religionem: neque habere pro motiuo amandi vnitatem, aut coniunctionem amantis cum amato: sed ipsius perfectionem, seu bonitatem amabilem propter se, & dignam amore amicitiæ; quæ [illegible] sufficiens ratio volendi illi bonum. Ideo enim amamus aliquem ex Charitate, siue amore amicitiæ, quia est natura intellectualis, digna quæ ametur propter se. Amare verò alterum, vt vnum nobiscum, & velle illi bonum, vt tali, non est amare amore amicitiæ, sed amore concupiscentiæ, seu studio proprij boni, quo nos, & nostra vt talia diligimus. Itaque non illa vnitas, seu coniunctio per gratiam, quæ est inter Deum, & nos, est motiuum formale ipsum amandi: sed infinita eius bonitas, digna quæ infinitè ametur propter se. Quod motiuum non minùs distat à formali motiuo, quo creaturæ intellectuales amantur ex Charitate propter suam perfectionem creatam, vt amabilem propter se: quàm excellentia diuina increata, & infinita, propter quam Deus colitur per Religionem, distat ab excellentia creata, & finita Sanctorum, qui coluntur per Duliam. Neque minùs Charitas attingit illam distantiam, amando Deum vt Deum, & creaturas intellectuales pro suo gradu infinitè minori: quàm Religio colendo Deum, vt Deum, & Sanctos iuxta meritum suæ excellentiæ creatæ infinitè minoris. Quare si nonobstante illa distantia possunt nihilominus Deus, & proximus diligi propter se, eâdem virtute Charitatis supernaturalis, vt fatetur Suares: quidni etiam possint coli eâdem virtute supernaturali Religionis? Certè ratio differentiæ allata non id satis probat.





DISPVTATIO SEXTADECIMA.

De Actibus Religionis in particulari: & primò de Deuotione, & Oratione.

DE Deuotione, & Oratione disputat S. Thomas q. 82. & 83. Quarum priore affirmat Deuotionem nihil esse aliud, nisi voluntatem quandam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Esséque idcirco specialem quendam actum voluntatis, & virtutis Religionis: cuius causas extrinsecas, & intrinsecas, & effectus ibidem exponit: & nos sequenti Sect. fusius explicabimus. In posteriori docet quæ sit natura, seu ratio propria, & vtilitas Orationis: quodve eius subiectum, & obiectum: id est, quis, & à quibus, & pro quibus, & quomodo orandum sit? & vnde habeat vim merendi, vel efficaciam impetrandi: quæve sint propriæ illius partes, aut species? Quæ omnia sequentibus Sectionibus, quoad opus erit, declarabuntur.

SECTIO I.

Quid sit Deuotio?

1. Deuotio variè sumitur.

DEuotionis nomen ambiguum est apud Scriptores sacros. Primò enim sumitur aliquando pro oratione, vel studio, attentione, & perfectione orationis. Quo sensu Auctor libri de Spiritu & anima, apud August. cap. 50. *Oratio*, inquit, *est mentis deuotio, id est, conuersio in Deum per pium & humilem affectum. Affectus est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio.* Et S. Bonauentura in Opusculo de sex alis Seraphim, cap. 8. Deuotionem accipit magna ex parte pro mentali oratione perfecta, & attenta: & Hugo de S. Vict. relatus ab Alensi 4. p. q.88. memb. 1. a.1. dicit Deuotionem esse orationem ex compunctione procedentem. Secundò, sumitur interdum pro actu amoris Dei: quo sensu Gregorius Magnus explicans illa verba capitis 9. lib. 1. Reg. *Sacrificium est populi in excelso:* sic ait, *Deuotionis affectus, mentis est cibus:* posteáque addit hunc *mentis cibum esse amorem conditoris.* Tertiò, pro iugi, & continua Dei memoria: quo sensu Ambrosius in illud Psalmi 118. *Memor fui nominis tui Domine, & custodiui legem tuam, octonario 7. prope finem, affirmat ipsam Dei memoriam, esse plenam deuotionem.* Quartò, pro quocumque affectu erga

cultum diuinum, siue orandi, siue sacrificandi, siue laudandi, siue gratias agendi: imò & pro quocumque opere bono ad Deum relato: quo sensu accipitur ab Ambrosio lib. 1. de Abel, & Cain, c. 6. vbi asserit, deuotionis humanæ officia tribus contineri: fide, studio (id est, affectu) & operatione: eodémque sensu affirmat alibi continuam esse debere ac perpetuam deuotionem, id est, exercitium bonorum operum. Quo pertinet illud Bernardi in lib. sentent. circa medium: *Quatuor esse dicuntur quæ gratiam nostræ deuotionis adaugent: memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se: recordatio pœnarum, quæ illum sollicitat ad bene agendum: consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia debere contemni: desiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad profectum, cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione suspendi.* Quintò, sumitur etiam nonnunquam pro lætitia spiritali, & suauitate mentis, quæ oritur vel ex gratia præueniente Spiritus sancti; vel ex oratione, & meditatione rerum diuinarum; vel ex affectu seruiendi Deo, aut exercitio, Fidei, Spei, Charitatis, aliorumque bonorum operum. Quo sensu Bernardus Serm. 1. de Natiuitate Domini, dicit gratiam deuotionis esse hilaritatem mentis, & dulcedinem spiritualis gratiæ, quâ bona opera condiuntur. Et Serm. 3. de Circumcisione, *Iam verò*, inquit, *cum in his diu fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem serenissimam, & sabbathum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus vniuersis viuas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: vt quod priùs cum amaritudine, & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedine peragas, & delectatione, &c. Qui exercitatos habent sensus, deuotionis huius fœlici fruuntur iucunditate.* Eodem quoque sensu Bonauentura Opusc. vlt. de sex alis Seraphim cap. 3. dicit deuotionem esse pinguedinem omnis exercitij virtutis. Sextò, sumitur etiam plerumque pro quacumque promptitudine, & feruore in quibuslibet operationibus ad cultum Dei pertinentibus, præsertim coniuncto cum lætitia spirituali supradicta. Solent enim dici deuoti, quicumque promptè & feruenter, præsertim verò cum dulcedine mentis, & suauitate versantur in Dei obsequio, eáque omnia præstant, quæ ad orationem, sacrificium, votorum executionem, aliaque opera Religionis pertinent. Quo sensu deuotio non est actus specialis Religionis, sed modus operandi, qui omnibus eius actibus communis esse potest.

2. Eius definitio. Denique sumitur in præsenti pro speciali quodam actu Religionis, qui definitur à D. Thoma q. 82. art. 1. in corp. voluntas promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Vel, vt ait ibidem in solutione primi argumenti, Est actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo, ad ei seruiendum, promptè scilicet, & cum feruore animi: iuxta illud quod addit art. 3. in corp. *Deuotio est quidam voluntatis actus, ad hoc quòd homo promptè se tradat ad diuinum obsequium*: id est, Deuotio est voluntaria quædam promptitudo, & propensio ad Dei cultum, & famulatum. Dicitur enim deuotio à deuouendo. Vnde sicut olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui seipsos Idolis deuouebant, & tradebant in mortem ad ipsorum honorem, pro salute sui exercitus: & qui obsequio alicuius Principis totos se tradunt, & deuouent, dicuntur deuoti illi Principi: ita per antonomasiam deuoti simpliciter appellantur qui seipsos quodammodo Deo deuouent, eique prompto animo totaliter se tradunt in eius cultum & obsequium. Additur autem particula, *promptè*, quia non qualiscumque voluntas seruiendi Deo, vel oblatio ad eius famulatum, meretur nomen deuotionis: sed illa, quæ cum promptitudine, & feruore spiritus coniuncta est. Dicuntur enim deuoti, non qui negligenter, lentè, remissè, & tepidè, sed qui promptè, & feruenter ea præstare volunt, & præstant quantùm in ipsis est, quæ pertinent ad Dei obsequium, ad orationem, ad sacrificium, ad Sacramentorum vsum, ad votorum obseruantiam, & alia opera pietatis, & cultus diuini. Illámque promptitudinem cum deuotione iungit Scriptura, Exod. 35. vbi dicitur quòd multitudo filiorum Israël obtulit mente promptissima, atque deuota primitias Domino. Eandémque Sancti Patres illi coniungunt, vt Ambrosius, lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 8. vbi de Abraham Patriarcha loquens sic ait: *Adhuc cognosce celeris studia deuotionis. Cucurrit, inquit, & accepit vitulum vnum tenerum, & bonum, & dedit puero, & festinauit facere eum. Vbique impigra deuotio, & ideo fuit munus eius acceptum.*

Dupliciter autem fieri potest oblatio sui ad Dei famulatum. Primò, solâ voluntate, quæ Deo sufficit, quippe cui secreta cordis nostri nota sunt. Secundò, addita locutione interna, vel externa, aut signo aliquo, quo voluntatem nostram Deo, vel hominibus significemus. Et rursus vtraque fieri potest vel per simplex propositum seruiendi Deo: vel etiam interposito voto, aut iuramento, ad contrahendam specialem obligationem, & arctius vinculum seruitutis: qui modus se deuouendi Deo perfectior est: non est tamen necessarius ad conceptum essentialem deuotionis, qui formaliter consistit in prompta voluntate, & affectu promptè faciendi ea, quæ ad Dei famulatum pertinent; siue, in pio affectu, & peculiari propensione ad Dei cultum efficaciter inclinante, & vrgente nos, vt ei promptè seruiamus in omnibus, quantum in nobis est. Quam extremam particulam addo, quia non semper in nostra situm est potestate facere: promptè quidquid ad famulatum Dei pertinet, sed interdum illa promptitudo pendet à conuenienti dispositione corporis, vel à remotione impedimentorum, vel ab abundantia gratiæ, & auxiliorum diuinorum, vel ab intensione habituum nondum acquisitorum in tanto gradu perfectionis. Deuotio autem, de qua nunc loquimur, est actus humanus & liber, atque practicus, habénsque pro obiecto aliquid, quod sit in nostra potestate. Est ergo affectus non semper reipsa exequens promptè cultum Dei, sed appetens exequi, & exequens promptè quantùm in ipso est. Neque desinit esse verè

deuotus ille, qui nonobstantibus difficultatibus, & impedimentis retardantibus, feruenter, & generosè facit quidquid in ipso est. Tametsi vulgò magis deuotus esse censeatur qui facit cum magna facilitate, & suauitate mentis.

4. Est formaliter actus voluntatis. Hinc collige primò, Deuotionem esse formaliter actum voluntatis: quia est voluntas promptè seruiendi, seu deuotio sui ipsius, id est, spontanea oblatio diuino famulatui, per propositum efficax ei promptè seruiendi; vt definitur à D.Thoma art. suprà citato: vel, vt ait Auctor libri de Spiritu, & anima, apud August. c. 50. est pius, & humilis affectus in Deum. Talis autem affectus est actus voluntatis. Quare malè Caietanus q. 82. art. 1. affirmat ipsum actum voluntatis non esse actum Religionis, sed Deuotionem nihil aliud esse, quàm promptitudinem, seu modum, & qualitatem illius actus. Cum enim, inquit, aliud sit velle simpliciter, & aliud promptè velle: primum est actus voluntatis, secundum est actus Religionis, cuius non est efficere actum voluntatis, sed modum aliquem, & qualitatem actus. Nam semper effectus, siue actus proprius virtutis, est modus actus potentiæ, non ipsemet actus: sicut Prudentiæ actus est, rectè præcipere: Temperantiæ, moderatè comedere: & omnium virtutum, bene vel promptè operari. Fallitur, inquam, quia promptitudo actus non est aliquid distinctum ab actu, egens seorsim effectione propria: sed est solùm denominatio extrinseca ex eo quòd actus fiat à potentia instructa maiori habitu, vel alio fortiori, & potentiori auxilio, ratione cuius promptiùs, & faciliùs fit. Neque aliter iuuant habitus naturales virtutum ad promptè, & facilè operandum, quàm iuuando potentiam ad producendam ipsam substantiam actus, quæ ipsamet exit faciliùs à potentia instructa habitu concurrente, & simul influente in ipsam entitatem, & substantiam actus: non autem in modum distinctum, qui fiat à solo habitu, & actus à sola potentia. Atque ita Prudentia v. g. non aliter iuuat ad rectè præcipiendum, quàm inclinando ad ipsum iudicium morale rectum, & practicè verum: & Temperantia, vel Iustitia inclinant ad ipsum actum moderatæ comestionis, vel ad seruandum cuique ius suum: neque aliter facilitant ad istos actus, quàm simul eos producendo, cum potentia, etiam quoad substantiam ipsam: Nam ipsamet actus substantia tota, faciliùs fit à potentia instructa habitu naturali, quàm fieret sine illo.

5. Et actus Religionis. Collige secundò, deuotionem esse actum Religionis formaliter, & propriè, quia versatur circa Dei cultum, ob specialem honestatem illius. Nam vt rectè ait D.Thomas q.82. art.2. in corp. Ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam habere voluntatem ad illud faciendum: quia vtriusque actus est idem obiectum, & motiuum formale. Operari autem ea, quæ spectant ad diuinum cultum, seu famulatum, pertinet propriè ad Religionem. Ergo ad illam quoque pertinet habere promptam voluntatem ad huiusmodi exequenda; quod est esse deuotum. Neque objicias, illud multò magis pertinere ad Charitatem, quæ nos impellit vt Deo nos totos tradamus, illique toto corde, tota anima, tota mente, totisque viribus adhæreamus, & seruiamus. Respondeo enim, diuersum esse vtriusque virtutis motiuum. Nam Charitas intendit Deo vt amico placere, illique vt tali nos vnire: & ad bona opera prompto, & feruenti animo exercenda impellit, quatenus illa Deo grata sunt. Religio verò intendit Deo seruire propter supremam ipsius excellentiam, cultu, & honore supremo dignam. Similiter, licet Spes, Obedientia, Gratitudo, & aliæ quædam virtutes nos inclinent ad famulandum, & obsequendum Deo: id tamen faciunt ex alio motiuo, quàm ex sola speciali honestate, quæ est in ipso cultu diuino, siue quia Deus est dignus, cui promptо animo seruire velimus.

6. Promptitudo est de conceptu deuotionis. Collige tertiò, duplicem promptitudinem esse in conceptu integro Deuotionis, iuxta doctrinam D. Thomæ. Vna se tenet ex parte actus, potéstque vocari formalis: quia Deuotio, ex D. Thoma, est prompta voluntas exequendi ea, quæ pertinent ad diuinum cultum: vt patet ex eius verbis proximè relatis. Altera se tenet ex parte obiecti: quia Deuotio est etiam voluntas promptè exequendi, quantùm in nobis est, ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Hæc autem voluntas duplex esse potest. Vna generalis ex parte obiecti, licet in seipsa sit specialis: quâ scilicet aliquis se promptè offert, & tradit in diuinum famulatum, & cultum: qui actus totam materiam Religionis confusè comprehendit, non descendendo ad actus illius particulares. Altera, particularis, circa aliquam partem obsequij & cultus diuini; putà, circa Adorationem, vel Orationem, vel Sacrificium. Qui duo affectus differunt specie inter se, quia habent aliquid diuersum in obiecto, quod per se attingunt. Nam vnum latiùs patet altero: & quatenus in idem tendunt ex parte, modo valde diuerso illud attingunt, secundùm diuersam cognitionem, vnam confusam tantùm, alteram verò distinctam: quæ cognitiones sunt valde differentes: & consequenter etiam voluntates illis proportionatæ, & tendentes in obiectum secundùm illas.

7. Deuotio estne solùm generalis affectus promptitudinis? Dubitari verò potest, an de vtroque affectu loquatur D. Thomas, & an vterque sit formaliter actus deuotionis? Affirmant aliqui solum priorem, qui generalis est, propriè appellari solere Deuotionem; illúmque solum intelligi à D.Thoma nomine Deuotionis, quando illum ponit vt particularem actum Religionis ab alijs distinctum: vt patet, inquiunt, ex eo quòd ait q. 82. art. 1. in corp. Eos dici Deuotos, qui seipsos quodammodo deuouent Deo, vt ei se totaliter tradant. Nam hæc traditio totalis fit per affectum aliquem generalem: & de eodem actu intelligit quod ait art. 2. Deuotionem reddere promptam voluntatem ad diuinum obsequium, generaliter scilicet, non autem in specie ad hunc tantùm, aut illum cultum. Quod ampliùs patet ex solutione primi, & secundi argumenti, in quibus sibi opponit S. Doctor Deuotionem non videri esse specialem actum Religionis, propterea quòd videtur pertinere ad modum aliorum actuum. Dicitur enim 2. Pa-

ralip. 29. *Obtulit vniuersa multitudo hostias, & laudes, & holocausta mente deuota.* Item, quia nullus actus specialis inuenitur in diuersis generibus actuum. Deuotio autem inuenitur in diuersis generibus actuum: dicitur enim aliquis & deuotè meditari, & deuotè genuflectere, &c. Respondet autem D. Thomas primò, Deuotionem imponere modum alijs actibus per modum mouentis ad illos: cùm enim sit actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum, qui est vltimus finis: consequens est vt imponat modum humanis actibus, qui sunt ad illum finem; id est, particularibus actibus Religionis, qui versantur circa cultus Dei particulares ad seruiendum Deo vt par est. Respondet secundò, Deuotionem inueniri in diuersis generibus actuum, non sicut speciem illorum generum, sed sicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium. Hæc D. Thomas.

8. Idem etiam docet Suares tract. 4. de Religione, lib. 2. c. 7. n. 13. & 14. vbi affirmat actum illum generalem meritò sibi vendicasse absolutam appellationem Deuotionis, quia cùm generalis sit, omnia quodammodo complectitur, & per illum videtur homo dicare, & deuouere Deo seipsum: non enim solùm hanc, vel illam materiam diuini cultus appetit, sed simpliciter diuinum famulatum. Alij verò affectus particulares, inquit, non sunt deuotio in hac proprietate: sed habent sua propria nomina, seu species, ad quas pertinent: vt affectus ad orationem, sub oratione comprehenditur: & sic de alijs. Addit præterea, illum affectum generalem esse quodammodo ex natura sua principium actuum virtutis Religionis. Quia licet non sit necesse vt voluntas priùs illum efficiat, quàm alios particulares affectus ad hunc aut illum cultum: tamen ille ordo est magis connaturalis. Nam ex consideratione diuinæ excellentiæ, & debitæ subiectionis ad ipsum, primus affectus qui nascitur connaturaliter, est velle subjici Deo, & cultum debitum ei persoluere. Vnde etiam talis actus dici potest maximè internus Religionis: quia & ab illa est immediatè elicitus, & per se non est ex alio priori actu eiusdem virtutis: sed potiùs ipse comparatur ad alios particulares affectus diuini cultus, per modum principij vniuersalis mouentis; vt docet S. Thomas verbis proximè relatis ex q. 82. arr. 1. ad 1. & 2. Hucusque Suares.

9. Concluditur negatiuè. Quibus nonobstantibus, probabilius existimo Deuotionem propriè non consistere solùm in illo affectu generali, & confuso, sed alios quoque speciales affectus pertinere propriè, & formaliter ad deuotionem. Quamvis enim singuli affectus particulares ad hanc, aut illam materiam cultus diuini, non mereantur nomen Deuotionis absolutè, neque denominent simpliciter deuotum: sicut neque singuli actus Prudentiæ, Temperantiæ, aut Iustitiæ, denominant absolutè prudentem, temperantem, aut iustum, ad quas denominationes requiritur vt in omni materia, aut ferè omni, homo prudenter, temperatè, aut iustè se gerat: singuli tamen affectus volendi promptè exercere hunc, & illum cultum, sunt actus proprij deuotionis; æquè ac singuli actus rectè iudicandi de agibilibus in particulari, & moderatè comedendi, aut ius alienum seruandi, sunt actus proprij prudentiæ, temperantiæ, & iustitiæ. Nam illi æquè habent specialem laudem deuotionis, atque isti prudentiæ, &c. & laus promptæ voluntatis ad seruiendum Deo, non est tantùm in volendo confusè, sed multò magis in volendo distinctè, siue vnico actu, siue pluribus simul, aut successiuè, exercere promptè, & feruenter, quidquid ad cultum Dei pertinet.

Ad primum ergo argumentum pro contraria sententia sumptum ex D. Thoma, respondeo totalem illam traditionem posse vtroque modo fieri: & vtroque voluntatem posse reddi promptam formaliter ad diuinum obsequium. Ad secundum respondeo deuotionem imponere modum alijs actibus Religionis, quatenus ex affectu promptè, & feruenter orandi, laudandi, sacrificandi, offerendi, fit vt re ipsa promptè, feruenter, & attentè oremus, laudemus, sacrificemus, offeramus: & ad eosdem actus mouere per promptam, & efficacem voluntatem illos exercendi. Aliud autem est velle promptè, & efficaciter orare, laudare, sacrificare, offerre; seu prompta voluntas hæc exercendi: & aliud, ipsum orare, laudare, orare, sacrificare, offerre. Quorum actuum prior est proprius actus, & elicitus deuotionis: posterior verò, tantùm ab illo imperatur, vt affirmat D. Thomas verbis postremò in obiectione relatis. Ad tertium respondeo hominem posse se totum Deo dicare, & deuouere, vellèque simpliciter totum eius famulatum, non modò per affectum generalem, & confusum: sed etiam per distinctum, vnum, aut multiplicem & collectiuè sumptum, quo promptè volumus in particulari famulari Deo, in hac, & illa, & quavis alia particulari materia. Et quamvis affectus particulares ex parte obiecti, id est, determinati ad vnam aliquam materiam cultus diuini, non sufficiant ad denominandum simpliciter deuotum; secus tamen omnes simul, frequenter & constanter exerciti: quod alijs etiam virtutibus commune est, vt paulò antè diximus. Cætera, quæ addit Suares de prioritate illius affectus generalis, & motione vniuersali respectu aliorum actuum Religionis, nobis non obsunt. Neque enim impediunt quin honestas specialis, & propria deuotionis eluceat in affectibus particularibus, quibus distinctè volumus, & expressè hunc, & illum cultum diuinum, quem priùs tantùm confusè voluimus. 10. Satisfit arg. contr.

SECTIO II.

De causis, & effectibus Deuotionis.

Causa Deuotionis extrinseca, & principalis Deus est, à quo est omne bonum optimum, & omne donum perfectum, descendens à Patre luminum. Et quidem si de actu supernaturali Deuotionis, & valente ad salutem sermo sit, patet ex dictis in tract. de Gratia, certum esse, & de fide, non posse illum haberi sine speciali auxilio, & motione Spiritus san- 11. Causa deuotionis est Deus.

cti: deberéque inchoari à sancta cogitatione, & inspiratione diuina deuotioni concipiendæ accommodata, quæ antecedat liberum affectum voluntatis, eiusdem Spiritus sancti ope conceptum. Quia tamen deuotio, & eius augmentum, atque continuatio pendet à nostra libera cooperatione cum auxilio Dei præueniente, & concomitante: idcirco præter Spiritum sanctum, qui est prima & principalis causa deuotionis, altera est secundaria, & minùs principalis ex parte nostra; vt ait S.Thomas q. 82. art. 3. in corp. vbi duplicem illam esse ait. Vna

Et consideratio excellentiæ Dei.

est meditatio, seu iugis consideratio diuinæ excellentiæ, & bonitatis, & beneficiorum eius erga nos, siue præteritorum, siue præsentium, siue etiam futurorum: ex qua consideratione oritur dilectio, & voluntas illi seruiendi, vt par est, & provt continua eius erga nos beneficia exigunt, & spes tantorum bonorum, quæ promittit: iuxta illud Psal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Vnde Bernardus Serm. 10. in Cantic. loquens de vnguento deuotionis, sic ait: *Secundi huius vnguenti aromata terra nostra nequaquam profert, sed procul, & de vltimis finibus ea nobis conquirimus. Nempe omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Fit enim vnguentum istud de diuinis collatis humano generi beneficys. Fœlix qui ipsa sibi colligere studiosè, & ante mentis oculos dignâ cum gratiarum actione reducere curat, &c.* Inter hæc autem beneficia præcipuum, & maximè valens ad gignendam, & accendendam deuotionem esse ait passionem, & mortem Christi, Serm. 20. in Cantica, fere initio: *Sed est*, inquit, *quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Iesu bone, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandius allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs.*

12. Nostræque inopiæ & miseriæ cognitio.

Altera causa est, consideratio nostræ inopiæ, & miseriæ, inquit D. Thomas loco citato, quæ excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur: excitátque nos vt illi humiliter seruiamus, à quo omne bonum speramus, & sine quo miseri sumus. Sicut enim homines inopes coguntur seruire ditioribus, & potentioribus, vt eorum ope & præsidio, inopiæ suæ, & necessitati subueniant: sic indigentiæ nostræ consideratio mouet nos vt Deo humiliter seruiamus, sine quo nihil boni habere, ac ne viuere quidem possumus. Quò pertinet illud Auctoris libri de Spiritu, & anima, apud August. tom. 3. capite eius libri 50. *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio perficit orationem, &c. Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Deuotio est pius, & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione diuinæ clementiæ.*

13. Ex deuotione oritur partim lætitia spiritualis: partim etiam tristitia quæ secundùm Deum est, & salutem operatur: vt addit S. Doctor art. 4. q. 82. Cùm enim, vt iam diximus, deuotio procedat ex duplici consideratione: quarum vna est consideratio diuinæ bonitatis, quæ pertinet quasi ad terminum motus voluntatis tradentis se Deo: altera est consideratio propriorum defectuum, quæ pertinet ad terminum à quo homo per motum deuotæ voluntatis recedit, vt scilicet non in se existat, sed Deo se subdat: Vtraque consideratio lætitiam, & tristitiam spiritalem parit: sed ordine diuerso. Nam ex priori consideratione bonitatis diuinæ per se quidem sequitur delectatio; iuxta illud Psalmi 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum:* sed per accidens hæc consideratio tristitiam quandam causat in his, qui nondum plenè Deo fruuntur; secundùm illud Psalmi 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum, &c. fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Posterior verò consideratio propriorum defectuum, per se quidem nata est tristitiam causare, recogitando proprios defectus; per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem diuinæ subuentionis. Hæc D. Thomas. Quibus adde lætitiam illam spiritalem oriri etiam ex testimonio bonæ conscientiæ, Deo fideliter seruientis: & esse partem mercedis, quâ Deus seruos suos strenuè, & feruenter operantes remunerat: iuxta illud S.Bernardi in Serm. de verbis Apostoli Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, prope finem, vbi lætitiam illam spiritualem centuplum esse dicit, & plus quàm centuplum à Christo promissum: *An non*, inquit, *centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quòd longè plus quàm centuplum est visitatio paracleti Spiritus, & præsentia Christi. Quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis, qui sperant in te. Vides quomodo abundantiam suauitatis huius eructet anima sancta: quomodo exprimere gestiens, verba multiplicet? Quàm magna*, inquit, *multitudo. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas, & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est: non vtique esca, vel potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, &c. Hæc gratia deuotionis, & vnctio docens de omnibus, quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit, nisi qui accipit.* Et hæc de deuotione ad explicandam, & illustrandam doctrinam D. Thomæ sufficiant.

Deuotio parit lætitiam, & tristitiã.

SECTIO III.

Quid sit Oratio: quæve eius necessitas?

OMissis facilioribus, quæ apud D. Thomam tota quæstione 83. sufficienter explicata legi possunt, quæritur primò, vtrum Oratio sit actus intellectus, aut potiùs voluntatis? Vt respondeam suppono primò, Orationem strictè sumptam, provt est actus Religionis erga Deum, distinctus à laude, gratiarum actione, & alijs eius actibus, definiri sic posse: Est actus Religionis, quo aliquid à Deo peti- 14.

Definitio Orationis.

mus ex intentione, & affectu profitendi ipsum esse bonorum omnium Auctorem, & Largitorem. Vel vt breuiùs definitur à D. Damasc. lib. 3. de Fide c. 24. Est petitio decentium à Deo. Quam definitionem optimam esse, verissiméque essentiam orationis declarare affirmat D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. quæst. 1. Dicitur autem primò *petitio*, id est, significatio, vel propositio nostri desiderij, alteri facta, vt illum inducamus ad aliquid nobis concedendum. Quæ significatio vel sola mente fit, vt in Oratione Mentali: vel etiam voce, vt in Vocali: idque vel priuatâ solùm intentione orantis; vel publicâ, orando nomine communitatis: vnde oritur alia diuisio orationis in priuatam, & publicam. Dicitur secundò, *Decentium*, id est, eorum, quæ conuenienter à Deo postulari possunt. Nam petitio malorum, & disconuenientium, non est Oratio, sed execratio, vt bene ait Caietanus 2. 2. q. 83. a. 4. Non est, quam, Oratio, prout hîc sumitur pro actu virtutis Religionis; sed vitium illi oppositum: sicut quando falsum iuratur, non est propriè iuramentum Religiosum, sed periurium. Dicitur tertiò, *à Deo*: quia Oratio sumitur hîc pro actu Latriæ, siue Religionis erga Deum, vt paulò ante diximus; ideóque debet ad Deum ipsum dirigi: vtque sit verè talis actus Religionis, debet fieri ex animo nos submittendi Deo, & profitendi nos illo indigere, tanquam bonorum omnium auctore, & largitore. Nam alioqui quatenus fit ex affectu impetrandi aliquid nobis ipsis, aut alijs, studio, & amore boni nostri, vel proximi; pertinet ad virtutem Spei erga proprium bonum, vel Charitatis erga proximum. Neque repugnat eundem numero actum ex vtroque motiuo elici, & eminenter continere perfectionem vtriusque virtutis, Religionis scilicet, & Spei, vel Charitatis: vt patet ex dictis disp. 1. de Fide, Sect. 9. Latiùs tamen sumi potest, & plerumque sumitur Oratio, quàm pro ea quæ est cultus Latriæ, & ad Deum velut supremum omnium bonorum auctorem & largitorem dirigitur: vt patebit ex sequentibus, ex quibus etiam facilè intelligetur quomodo definiri debeat in ampliori significatione accepta.

15. *Multi actus in ea interueniunt.* Suppono secundò, multos actus interuenire in Oratione, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis: siue in illis consistat formaliter, & essentialiter oratio, siue non. Primò enim requiritur cognitio eius, à quo postulandum est: *Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt?* Rom. 10. Secundò, requiritur etiam cognitio eius, quod postulandum est, & indigentiæ nostræ: quia voluntas non fertur in obiectum sine præuia illius notitia. Tertiò, existimatio possibilitatis impetrandi. Stultè enim peteretur quod non potest impetrari. Et oratio adhibetur vt medium vtile ad impetrandum: debet ergo cognosci vt tale. Atqui non est tale, si non potest impetrari quod petitur. Quartò, requiritur spes aliqua, & desiderium obtinendi, sine quo non est vera, sed simulata oratio. Quintò, requiritur etiam voluntas efficax petendi à tali persona: quia petitio est actio humana, seu libera: ergo debet à voluntate procedere. Sextò denique requiritur manifestatio, seu propositio desiderij nostri, facta illi à quo volumus impetrare. Quæ manifestatio fit per aliquam locutionem mentalem, aut vocalem, sæpissimè distinctam ab ipso desiderio: quamvis interdum illi identificetur. His suppositis difficultas est, in quonam ex illis actibus consistat formaliter Oratio?

Respondeo, & dico primò, Orationem consistere formaliter in illo vltimo actu, quo desiderium aut per seipsum manifestatur, aut per aliam locutionem mentalem, aut vocalem: quæ locutio significatur in recto per nomen *Orationis*, connotando tamen desiderium, cuius est manifestatio. Probatur, quia oratio formaliter est petitio, vt patet ex eius definitione suprà allata, & explicata. Petitio autem non est formaliter cognoscere quid, & à quo petendum sit; vel etiam desiderare, & sperare ab illo aliquid obtinere, aut etiam velle petere: sed est actualiter, & re ipsa proponere illi desiderium nostrum, modo conuenienti vt illum inducamus, & moueamus ad exaudiendum. Quare Orare formaliter non est prædicta omnia cognoscere, aut velle; sed est proponere alicui desiderium nostrum, quo aliquid volumus ab illo obtinere, & eâ propositione conari illum mouere, & inducere ad concedendum. Qua de causa D. Thomas q. 83. art. 1. dicit Orationem esse actum rationis practicæ, quò aliquid alteri significamus, non speculatiuè tantùm, vt cognoscat; sed practicè, vt illum moueamus ad aliquid faciendum: non imperando quidem, & necessitatem illi imponendo, sicut ratio imponit necessitatem, non modò potentijs inferioribus, & membris corporis, verùm etiam hominibus sibi subiectis: sed inducendo, per explicationem nostri desiderij modo apto ad impetrandum. 16. *Quis eorum est formaliter Oratio? S. Thom.*

17. *In quo consistat Oratio vocalis, aut mentalis?* Dico secundò Orationem Vocalem consistere formaliter in prolatione vocum, quibus nostrum desiderium obtinendi aliquid à Deo, ipsi proponimus: Mentalem verò consistere vel in conceptibus, qui respondent vocibus externis, si per illos desiderium nostrum Deo exponimus, vt ordinariè fit: vel etiam in actu voluntatis, quo desiderium nostrum ad Deum ordinamus, illique offerimus, & volumus ab ipso cognosci, vt moueatur eius cognitione ad illud exaudiendum. Prima pars de oratione vocali, facilis est, & communiter recepta. Secunda de oratione mentali per conceptus, est Valent. disp. 6. q. 2. punct. 1. Lessij cap. 37. dub. 2. Malderi 2. 2. tract. 10. c. 2. dub. 1. Suar. tract. 4. de Relig. lib. 1. c. 3. & aliorum recentiorum: sequitúrque ex dictis in 1. conclus. Neque enim dubitari potest quin desiderium nostrum possit Deo manifestari per solos conceptus internos. Oratio autem est manifestatio desiderij. Tertia denique est Suaris c. 4. libri citati; & probatur, quia possumus Deo sufficienter manifestare desiderium nostrum, non solùm per voces, aut conceptus internos ad illum directos; sed etiam per actum voluntatis offerentis illi desiderium nostrum, & ad ipsum illud dirigentis, simili modo, quo vnus Angelus loquens alteri, patefacit illi suum conceptum, aut affectum,

fectum, per actum voluntatis, quo eum ad illum dirigit, vúltque ab ipso cognosci: ratione cuius ordinationis Deus cum isto concurrit ad cognoscendum actum alienum; vt diximus in tract. de Angelis. Quo etiam pacto D. Thomas 1. part. q. 107. art. 3. affirmat Angelos Deo loqui *solùm ordinando conceptionem suam ad Deum, non vt illi aliquid communicent* (quod scilicet non ante nouerit, aut ita vt aliquam speciem imprimant eius menti) *sed vt ab eo aliquid accipiant.*

18. Desideriũ orantis potest seipsum ad Deum ordinari. Hæc autem ordinatio desiderij nostri ad Deum fieri potest vel per actum formaliter reflexum supra desiderium: vel per desiderium ipsum virtualiter reflexum in seipsum, Deo se offerens, voléns que ab ipso cognosci, & exaudiri. Quo sensu potest intelligi illud Psalm. 10. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua:* vbi glossa sic habet: *Oratio est desiderium bonum.* Et Psal. 37. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus:* in quem locum sic ait D. August. (Augustin. in Psal. 37.) *Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium, &c. Continuum desiderium continua vox tua est.* Et Gregor. lib. 2. Moral. c. 4. aliàs 5. *Excitatus,* inquit, *cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti Spiritus clamor vocis,* id est, interna quædam locutio vehemens per affectum. Et paulò post loquens de Sanctis animabus, corporum suorum resurrectionem à Deo petentibus, & vindictam sanguinis sui pro eius causa fusi, Apocal. 6. dicit huiusmodi animarum Sanctarum verba esse ipsa desideria: *& magnum earum clamorem, magnum esse desiderium. Tantò enim quisque minus clamat, quantò minùs desiderat: & tantò maiorem vocem in aures incircumscripti Spiritus exprimit, quantò se in eius desiderium pleniùs fundit. Animarum igitur verba sunt ipsa desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret, Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.*

19. Quæritur secundò, an oratio sit actus conueniens, & necessarius ex præcepto. Ratio dubitandi est, quia cum nostra desideria sint Deo per se nota, neque possint eum latêre; inutile videtur esse, velle ipsi ea manifestare. Item, cùm Deus ab æterno voluerit quidquid vult, sitque immutabilis eius voluntas; inutiliter petitur vt nos exaudiat. Nam vel ab æterno decreuit facere id, quod petimus: & ita non potest modò velle aliud, sed necessariò id faciet, ex hypothesi quòd decreuerit. Vel è contrario decreuit non facere: & ita frustra petimus vt faciat, quia non potest mutare voluntatem.

Oratio est actus conueniens, & vtilis. Sed nihilominus certum est, & de fide, orationem esse actum bonum, & conuenientem: vt patet ex Scriptura, quæ illam commendat, ad eámque sæpiùs nos hortatur, & vtilem esse affirmat: Matth. 7. *Petite, & accipietis:* Luc. 18. *Oportet semper orare:* Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea:* 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate:* Iacob. 5. *Multùm valet deprecatio iusti assidua apud Deum.* Est etiam per se honestum, & conueniens confugere ad Deum, velut ad fontem, & largitorem bonorum omnium, benignum, & liberalem; illique nostram indigentiam suppliciter repræsentare, & desiderium obtinendi quod volumus, quodque ab eius misericordia, & liberalitate obtinere speramus: quod adeò manifestum est, vt in eo probando superuacaneum sit longiùs immorari. Quanto autem cum fructu id fiat, docet eleganter D. Aug. vel alius auctor Serm. 22. ad fratres in eremo, prope initium, his verbis: *O quàm grandis est ipsius orationis causa! O quàm grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ, & corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, & Doctor gentium, & Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio nudus triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de Cruce latro inuenit: Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, & inter lapidantes pro Saülo exauditur.*

Ad rationem priorem dubitandi respondendum est, tametsi nostra desideria sunt Deo per se nota, facere tamen ad eius cultum, & gloriam, quòd illi ea proponamus, recognoscendo ipsum tanquam Auctorem omnis boni, cuius misericordiâ, & liberalitate indigentiam nostram leuari postulamus. Hæc enim subiectio nostra, & confessio propriæ indigentiæ, cum professione excellentiæ diuinæ, vt potentis, & misericorditer volentis nobis succurrere, est Deo honorifica. Ad secundam: Tametsi Deus ab æterno voluit quidquid vult, eiúsque voluntas est immutabilis: nihilominus multa voluit, & decreuit facere cum interuentu causarum secundarum, & sub conditione aliqua pendente à nostra libertate: quæ si desit, Deus non faciet. Quare vtiliter possumus à Deo petere, vt fiat id, quod non decreuit facere, nisi petatur. Multa verò esse non aliter à Deo decreta, quàm interuentu nostræ orationis, vt causæ, vel conditionis sine qua non faciet, patet ex pluribus Scripturæ locis: Psal. 40. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me:* id est, eruam te, si inuocaueris: Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & ieiunio:* Iacob. 4. *Non habetis, propterea quòd non postulatis. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Quò pertinet vulgatum illud D. Augustini de Sancto Stephano, *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Concludo itaque cum Prospero lib. 2. de Vocat. Gentium c. vlt. *Quamuis quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri* (ex hypothesi quod statuerit facere, vel absolutè, vel conditionatè cum præuisione conditionis implendæ) *studia tamen non tolluntur orandi: nec per electionis propositum, liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit praordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum.*

Addo orationem non solùm esse actum bonum, & conuenientem; verùm etiam necessarium ex præcepto diuino; vt rectè affirmat D. Thomas q. 83. art. 3. ad 2. & patet ex pluribus Scripturæ locis: *Petite, & accipietis: Oportet semper orare: Sine intermissione orate:* 21. Præcipitur à Deo.

20. (margin)

Orationi instate, &c. quæ non obscurè præceptum significant: neque enim Scriptura de consilijs ita loqui solet. Quare meritò Chrysost. Serm. de Moyse, tom. 1. veteris edit. expendens illud Luc. 18. *Oportet semper orare,* sic ait: *Dum dicit, oportet, necessitatem inducit:* & inferiùs: *Optat dare,* inquit, *qui præcipit petere.* Ratio huius necessitatis est, quia licet Deus multa suâ sola voluntate, & merâ liberalitate largiatur, quæ nunquam postulauimus: statuit tamen non dare plurima ad salutem necessaria, nisi interuentu orationis. Qua de causa August. Hieronym. Prosper, alijque Patres disputantes contra Pelagium, colligunt ex necessitate orationis, necessitatem gratiæ quæ per illam impetranda est. Et speciatim D. Aug. lib. de bono perseuerantiæ c. 16. affirmat expressè id quod dicimus, cùm ait Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam. Et lib. de natura, & gratia c. 43. *Deus,* inquit, *impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Significans orationem tam esse necessariam, quàm impletionem præceptorum, quæ sine gratiæ auxilio, per orationem impetrato, impleri constanter, & omnino non possunt.

22. Est duplicitet necessaria. Dupliciter autem intelligi potest oratio esse necessaria. Primò, ratione sui, & ex præcepto proprio Religionis. Secundò, propter aliud, putà ad vincendam tentationem contra fidem, vel contra castitatem: vel ad impetrandum bonum aliquod nobis, vel proximo necessarium: v. g. auxilium ad bene operandum, & implendum aliquod aliud præceptum. Vtroque modo necessariam esse existimo orationem ex præcepto naturali, & diuino. Priori quidem: quia recta ratio dictat Deum subinde orandum esse ratione cultus ipsius, quem Deus à nobis postulat, & intendit per orationem, & propter quem constituit hoc medium tanquam necessarium ad subueniendum humanis necessitatibus. Posteriori verò, quia hoc ipso quòd tenemur ad vitandum aliquod malum, aut faciendum aliquod bonum; tenemur adhibere media necessaria, quæ pendent à nostra libertate. Est autem differentia inter vtrumque modum necessitatis. Quia priori modo, si omittitur oratio tempore necessario, peccatur contra Religionem: posteriori verò, peccatur contra alias virtutes, quarum respectu necessaria est oratio: vt contra fidem, vel castitatem, si oratio sit necessaria ad illam conseruandam. Tam frequentes autem occurrunt necessitates orandi ad alios fines, & ad subueniendum nostris, vel proximi necessitatibus; vt sufficienter impleatur præceptum orandi, si non omittamus orare necessitatibus illis occurrentibus. Quo tempore obliget? Alioqui verò tempus, quo oratio per se obligat, non est determinatum ex natura rei, neque ex præcepto naturali, & diuino: Cùm enim hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat pro semper, sed ad orandum subinde sine nota vituperabili. Nec obest illud Christi Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Sensus enim est, oportet frequenter orare, & non desistere ab orando, etiamsi differat Deus implere quod petitur; vt bene exponit ibidem Maldonatus, & ostendit intentio Christi, in parabola quam adducit, & cuius occasione prædicta verba pronuntiat. Eodémque sensu accipiendum est quod dicit Paulus Rom. 14. & 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate,* id est, frequenter, & moraliter loquendo semper orate: dicitur enim in sensu morali, & vulgari, semper fieri, quod crebrò fit: sicut de homine dormitabundo, aut nugis dedito, aut frequenter furante, dicimus, Ille semper dormit, semper nugatur, semper furatur. Quod ipsum Paulus explicat alibi, dicens, *Orationi instate,* Coloss. 4. Et præterea Sermo ibi est de necessitate orationis, non solùm ex proprio Religionis præcepto, sed etiam ex alijs occasionibus, quæ frequenter occurrunt. Nam ex hoc capite obligamur ad orandum quotiescumque oratio est necessaria, vt alicui nostræ, vel proximi necessitati subueniamus, præsertim graui, & spirituali.

Cùm autem duplex sit oratio, vt initio diximus, mentalis, & vocalis; Notandum est præceptum naturale, & diuinum non obligare determinatè ad mentalem: possumus enim illi satisfacere per vocalem: neque etiam semper obligare determinatè ad vocalem: possumus enim frequenter illi satisfacere per mentalem. 23. Sitne in præcepto mentalis Oratio? Probabilius tamen existimo hominem, qui constat mente, & corpore, obligari ad Deum vtroque modo colendum aliquando per orationem, æquè ac per Adorationem; saltem si viuat in Societate cum alijs, vt omnes faciunt, nullo ferè excepto, naturâ ipsâ (quæ socialis est, & à solitudine abhorret) totque humanæ vitæ necessitatibus, ad hoc satis impellentibus. Expedit enim vt alij intelligant eum agnoscere Deum vt Auctorem bonorum omnium, & ad illum recurrere vt talem: quod per solam mentalem orationem non potest alijs innotescere. Qua etiam de causa omnes hominum nationes, naturali homine, publicas saltem orationes vocales adhibuerunt, per Sacerdotes ad id specialiter deputatos, qui nomine totius communitatis orarent, & sacrificarent. Vocalis cur, & quando necessaria? Atque ita docet S. Thomas q. 83. art. 12. vbi præmissa diuisione orationis, in publicam seu communem, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis offertur: & in priuatam siue singularem, quæ offertur à singulari persona, pro se, vel pro alijs: affirmat publicam debere esse vocalem, quia debet innotescere toti populo. Et ideo, inquit, rationabiliter institutum est, vt Ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes alta voce pronuntient, vt ad notitiam omnium possint peruenire. De necessitate verò priuatæ orationis non esse quòd sit vocalis; sed tamen illi vocem solere adiungi triplici de causa. Primò quidem ad excitandam interiorem deuotionem, quâ mens orantis eleuetur in Deum: quia per exteriora signa, siue vocum, siue alia, mouetur mens hominis secundùm apprehensionem, & per consequens secundùm affectionem. Vnde Aug. Epist. 121. ad Probam c. 9. dicit homines verbis, & alijs signis, ad augendum desiderium Sanctum seipsos actiùs excitare. Secundò ad redditionem debiti; vt scilicet homo Deo ser-

uiat secundùm illud totum, quod ex Deo habet; id est, non solùm mente, sed etiam corpore. Quod præcipuè competit orationi, secundùm quod est satisfactoria. Tertiò, ex quadam redundantia ex anima in corpus, ex vehementi affectione; secundùm illud Psal. 15. *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Hucvsque D. Thomas.

SECTIO IV.

Quibusnam conueniat Orare: & pro quibus Orandum?

24. Solæ creaturæ intellectuales possunt orare. QVæritur tertiò, Quibus conueniat orare? Respondeo solas, & omnes creaturas intellectuales esse capaces orationis. Prima responsi pars, quòd solæ, probatur: quia neque creaturæ irrationales sunt capaces orandi, cùm oratio sit actus rationis, & mentis: neque etiam Deus, vt Vnus, vel vt Trinus: quia oratio est actus inferioris ad superiorem. Orare enim aliquem, est illi se subjicere aliquo modo tanquam maiori, & se coram illo humiliare. Vnde superbi & parum humiles difficultatem orandi patiuntur, ægréque alios rogant. Deus autem non habet superiorem, neque secundùm essentiam, neque secundùm personas diuinas vt tales. Quod addo, quia Christus, tametsi est persona diuina, tamen vt homo orare potest ratione naturæ humanæ, secundùm quam Deo inferior est. Quod autem ait Paulus Rom. 8. Spiritum pro nobis postulare gemitibus inenarrabilibus, intelligendum est vel de Spiritu creato, id est, de dono orationis; vt exponit Chrysostomus: vel metonymicè de Spiritu sancto, quia nos facit postulare, & gemere, id est, nos ad id mouet. Nam certè Spiritus ipse diuinus non gemit, sed beatissimus est.

25. Omnes illæ sunt orandi capaces. Secunda pars, quòd omnes creaturæ intellectuales sint capaces orationis per se loquendo, probatur: quia omnes habent facultates naturales ad orandum necessarias, & sunt Deo inferiores, egéntque illius beneficijs, súntque per se capaces auxilij ad orandum necessarij. Dixi autem, *per se loquendo:* quia per accidens ratione alicuius status, in quo sunt, fieri potest vt non valeant orare. Atque ita dæmones, & damnati, tametsi possunt aliquid postulare, vt diues epulo guttam aquæ, Luc. 16. v. 24. & Matth. 8. v.31. petierunt dæmones mitti in gregem porcorum: tamen non orant propriè: quia cùm sint in malo obstinati, non petunt ex affectu pio colendi Deum, séque illi Religiosè subjiciendi, vel ex alio motiuo honesto. At verò animæ, quæ existunt in purgatorio, orant sine dubio pro seipsis, vt citiùs expientur, & fruantur Dei visione. Cùm enim patiantur grauem pœnam ex dilatione, & ab igne; sciántque se posse per viuorum suffragia iuuari: postulant sine dubio vt sibi applicentur, & vt Deus fideles ad hoc moueat. Est etiam credibile orare illas pro sibi charis hac in vita, & pro statu Ecclesiæ, & confusè saltem pro illis omnibus, quorum orationibus, sacrificijs, eleemosynis, & alijs suffragijs iuuantur. Nec obest quòd sunt in statu carceris, & pœnæ. Quia nihilominus sunt Deo charæ: & non puniuntur vt inimici, sed vt filij, & hæredes: súntque in statu longè meliori, quàm peccatores hac in vita, qui tamen pro se, & pro alijs orare possunt, vt dicemus paulò post.

26. Christus etiã nunc orat in cœlo. Sunt etiam qui existiment Christum in cœlo non orare: quia munus Redemptoris, & Mediatoris per mortem expleuit, omniáque in futurum disposuit. Sed probabilius est quòd licet nunc oratio non sit illi necessaria; ex abundanti tamen adhuc oret, & interpellet pro nobis apud Patrem, vt Scriptura magis significat Hebr. 7. & 1. Ioan. 2. & Sancti Patres, quorum testimonia referemus, & expendemus in tract. sequenti. Reliquos verò Sanctos, siue Angelos, siue homines, orare in cœlo nemo dubitat, satisque patet ex Scriptura, quæ Daniel. 10. Tob. 12. Zachar. 1. alijsque locis Sanctos Angelos orantes inducit: & Apocal. 6. vidit Ioannes sub altari animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes ad Deum, *Vsquequo Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* Ex quo loco vlteriùs liquet animas Beatas posse non modò pro alijs, sed etiam pro seipsis orare, ad obtinendum aliquid quod nondum habent: vt gloriam suorum corporum, & gaudia quædam accidentalia; quæ gaudia similiter Angeli possunt à Deo sibi petere. Quòd verò etiam pro alijs orare possint ijdem Sancti Angeli, animæque beatæ, patet vlteriùs ex vsu Ecclesiæ, quæ illos orat. Nam frustra id faceret, nisi possint ipsi pro nobis orare. Neque enim orantur tanquam Auctores bonorum, quæ petimus; sed tanquam interuentores, vt illa nobis à Deo impetrent. De animabus quoque iustorum Veteris Testamenti cùm adhuc sinu Abrahæ continerentur, constat illas oràsse pro viuentibus ex 2. Machab. cap. vltimo, & Ierem. 15. poterántque similiter orare pro sua liberatione per acceleratum aduentum Messiæ. Quod autem attinet ad homines adhuc in statu viæ existentes, si iusti sunt, manifestum est nihil illis deesse, quo minùs pro se, & pro alijs orare possint. Peccatores verò, tametsi minùs apti sunt ad orandum, præsertim si sunt obstinati, & cum proposito perseuerandi in peccato; non tamen propterea excusantur à præcepto orandi: Non enim liberantur ab illo onere propter suum prauum statum. Quare possunt, & debent orare, egéntque in eo statu multò maiore Dei misericordia.

Vide tom. 4. disp. 1. st Sect. 1.

Sancti orant pro se, & pro alijs.

27. Orandũ pro omnibus. Quæritur quartò, pro quibus sit orandum? Respondeo non tantùm pro nobis ipsis orandum esse, vel etiam pro specialiter coniunctis, parentibus, amicis, benefactoribus: sed etiam pro omnibus generaliter, & confusè, ne inimicis quidem exclusis. Vt patet ex Iacob. 5. *orate pro inuicem, vt saluemini:* & 1.Timoth. 2. *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, Orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, &c. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator*

Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Quibus verbis rationem reddit Apostolus cur pro omnibus absolutè, & generaliter orandum sit: quia scilicet Deus antecedenti voluntate vult omnes homines saluari, & Christus pro illis omnibus mortuus est; estque omnium hominum mediator, sicut Deus omnium Dominus est. Deus autem antecedenti voluntate vult omnes homines saluari, omnes, inquam, generalissimè, nullo dempto: & Christus pro omnibus mortuus est, nullo excepto, sicut Deus vniuersalissimè omnium Dominus est. Speciatim verò quòd inimici non debeant excludi, sed pro illis quoque (generaliter saltem) orandum sit, patet ex Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Non tenemur tamen orare in particulari pro hoc aut illo inimico, nisi in graui eius necessitate, & indigentiâ nostræ orationis: vt patet ex dictis alibi, de præcepto diligendi inimicos, illisque subueniendi. Non tenemur etiam quotiescumque pro amicis oramus, simul orare pro inimicis; sed sufficit eos non excludere ab orationibus communibus Ecclesiæ, quæ ab eius ministris, & ab adstantibus simul cum illis fiunt: neque ab alijs, quas ex Charitate obligamur facere pro tota Ecclesia, vel pro tota aliqua communitate, vel pro ratione aliqua communi æquè inimicis, ac amicis: putà pro aëris serenitate, pro pluuia, pro pace, & similibus. Imò etiamsi huiusmodi orationes generales non ex obligatione fiant, sed putè voluntariè; indecens est ita orare v. g. *Domine libera talem communitatem, exceptis inimicis meis.* Hoc enim indicat animum auersum ab inimicis: & si palam fieret, esset signum odij, & scandalosum audientibus.

Quomodo orandum pro inimicis?

28. Etiamne pro reprobis?

28. Objicies, multos ex hominibus esse reprobos, pro quibus non licet petere à Deo, vt saluentur: hoc enim esset illius voluntati se opponere. Ergo non licet pro illis orare. Nihil enim aliud possumus licitè pro illis petere à Deo, nisi salutem æternam, & cætera in ordine ad illam. Respondent aliqui cum D. August. lib. de corrept. & gratia, c. 15. & D. Thoma q. 83. art. 7. ad 3. nobis ignotum esse quinam sint reprobi, & qui non: ideóque non posse nos, ob hanc rationem, vllum, quandiu viuit, ab orationis beneficio excludere. Sed hæc responsio non tollit omnino difficultatem: tantùm enim ostendit non posse nos hunc, & illum in particulari excludere, de quo non constat esse reprobum. Verùm, cùm ex Scriptura certissimè nobis constet multos esse reprobos; liceret nobis generaliter, & confusè illos excludere ab oratione, imò deberent sic excludi, si prædicta ratio valeret.

29. Respondetur affirmatiuè.

29. Secundò igitur dicendum est; reprobationem alicuius, vel aliquorum, quamvis nobis notam, & à Deo certissimè reuelatam, non obstare quo minùs possimus orare pro illis, non quidem ex voluntate efficaci vt saluentur nonobstante præuisione peccati, & status mali finalis, propter quem à Deo reprobati sunt: hoc enim esset opponere se efficaci, & absolutæ Dei voluntati: Sed ex affectu simplicis desiderij vt saluentur, & cooperentur auxilijs sibi à Deo collatis, aut maioribus præueniantur. Bonum est enim, & consentaneum Charitati hoc desiderare, Deóque illud desiderium manifestare; quamvis res desiderata non sit absolutè futura. Atque ita Christus orauit pro multis, quæ re ipsa non erant futura; vt pro sua liberatione à morte crucis, Luc. 22. Estque affectus ille conformis diuinæ voluntati, quæ antecedenter ex sincero desiderio vult omnes homines saluos fieri, vt dixit Paulus suprà citatus; neminémque reprobauit, nisi præuiso malo statu finali, & defectu aliquo ex parte creaturæ. Possumus etiam pro illis orare ex efficaci voluntate vt Deus illis det auxilia sufficientia: nam & Deus illa dare decreuit, & plura interdum vel maiora, ex præuisione orationis nostræ. Et quamvis stultum sit velle efficaciter, & petere ex affectu efficaci, vt eueniat oppositum eius, quod absolutè decretum fuit à Deo antecedenti voluntate; aut etiam consequenti, ex suppositione quòd ita decretum sit, quódque voluntas Dei conditionata transierit in absolutam posita conditione: Licitum tamen, & sæpe Charitati consentaneum est, habere simplicem affectum ad oppositum, subordinatum diuinæ voluntati, & tacitè vel expressè modificatum hac conditione, *si Deo aliter placeret:* exemplo Christi Patrem orantis hunc in modum, Luc. 22. *Pater si possibile est, transeat à me Calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

30. Satisfit argum. contrarijs.

30. Nec obest illud Ierem. 7. *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Tantùm enim significat Deus orationem Ieremiæ fore inefficacem ad auertendum re ipsa malum, quod Iudæis inferre decreuerat in pœnam peccatorum, absolutâ, & efficaci voluntate. Si quas enim pœnas Deus ita decernit, non possumus illas auertere per orationem, aut alia media: vt patet etiam exemplo Dauidis frustra orantis pro auertenda morte filioli ex adulterio nati, 2. Reg. 12. v. 16. 17. & 18. Illud verò 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt oret quis;* vel dictum est de peccato impœnitentiæ finalis, eius scilicet, qui in peccato mortali decessit, pro quo non licet orare, quia damnatus est; vt exponit D. Aug. ibidem: vel potiùs de grauissimis peccatis, damnationem actu coniunctam habere solitis, & remissu difficilibus, cuiusmodi sunt peccata in Spiritum sanctum: pro quibus Ioannes non prohibet absolutè orare, sed tantùm affirmat, non esse cuiuslibet impetrare illorum remissionem, propter magnam eius impetrandæ difficultatem. Qua de re plura diximus in tract. de Pœnitentia, tom. 5. disp. 44. Sect. 1.

31. Orandū etiam pro mortuis.

31. Addo, non solùm posse pro viuentibus orari, sed etiam pro fidelibus, qui in statu Iustitiæ decesserunt: vt patet ex 2. Machab. 12. v. 46. & alijs Scripturæ, & Patrum testimonijs, quæ alibi expendimus in eodem tomo 5. disputando de Purgatorio; & ex perpetua consuetudine Ecclesiæ ab Apostolis ipsis traditâ, & sancitâ, vt testatur expressè Chrysostomus Homil. 69. ad populum Antiochen. Pro Beatis verò non tenemur quidem orare, quia non egent nostris

Vide tom. 5. disp. 64.

An etiam pro Beatis? precibus, sed non potiùs illorum orationibus indigemus: possumus tamen conuenienter aliquid à Deo pro illis postulare: vt corporum glorificationem, quam ipsi quoque petunt Apocalyp. 6. quàmve Christus sibi ipsi postulauit verbis illis, Ioan. 17. *Pater clarifica filium tuum.* Et Hebr. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis suæ preces, & supplicationésque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia:* vel etiam amplificationem cultus eorum, vt scilicet à pluribus agnoscantur, & magis honorentur: vel alia gaudia accidentalia, quæ nondum habent: vt bene docent Bellarminus lib. 2. de Missa c. 8. & lib. 2. de Purgat. c. 18. Suares tract. 4. de Relig. lib. 1. c. 14. & alij: eandémque sententiam nonnullis antiquis Theologis tribuit Innocentius III. & non improbat, cap. *Cum Marthæ, de celebrat. Missarum*, §. *Tertio:* quibus fauet vsus Ecclesiæ, quæ sic orat in Missæ sacrificio post manuum ablutionem, *Vt illis prosit ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris:* & in quibusdam alijs orationibus precatur vt idem sacrificium prosit Sanctis ad gloriam, sicut nobis prodest ad medelam. Ratio est, quia sicut possumus conuenienter de Sanctorum gloria iam obtenta lætari, & de ea gratias agere: ita nondum obtentam possumus illis à Deo optare, nostrúmque illi desiderium manifestare: non ex præsumptione quòd preces Sanctorum minùs apud Deum sint valituræ, quàm nostræ; aut quòd illis indigeant: sed ex affectu Charitatis, & desiderio honoris, & gaudij ipsorum, atque etiam ex amore Dei, cui gratum est à pluribus orari. Néque obstat quòd Sancti, vi beatitudinis animæ, sint certi de gloria corporis: Nam Christus etiam certus erat de gloria corporis, suique nominis exaltatione; pro qua tamen orauit. Non obstat etiam quod ait Aug. Serm. 17. de verbis Apostoli initio, repetitum ab Innocentio III. cap. cit. *Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Loquitur enim de illo, qui orat pro martyre, vt liberetur à pœnis alterius vitæ, quasi nondum id assecutus sit: egeátque nostris precibus, vt citiùs id assequatur.

32. Soluitur obiectio. Dices, hinc sequi posse nos etiam pro Deo ipso orare; quia possumus illi desiderare maiorem gloriam extrinsecam, nostrúmque desiderium illi suppliciter manifestare: imò reipsa illam petimus primo & secundo loco in Oratione Dominica. Cùm enim postulamus vt Dei nomen sanctificetur, & regnum eius adueniat; sensus est, vt Deus à pluribus agnoscatur, colatur, & ametur: vtque impleatur numerus Sanctorum, & inchoetur beatum illud regnum, in quo Deus subiectis omnibus inimicis, & compressis aduersarijs potestatibus, solus regnabit, eritque omnia in omnibus; vt post Tertullianum, Rupertum, & Theophylactum, bene exponit Lessius c. 37. dub. 4. Respondeo cum Suare suprà, num. 6. discrimen esse inter gloriam extrinsecam Dei, & gloriam extrinsecam Sanctorum. Nam illa nihil Deo vtilitatis affert, neque ipsum immutat: ista verò affert Sanctis nouum gaudium, saltem accidentale. orare autem pro aliquo propriè loquendo, est illius commodum, vel vtilitatem quærere per orationem. Qua de causa non possumus propriè orare pro Deo, quando petimus illius gloriam extrinsecam: sed potiùs pro creaturis, in quarum vtilitatem illa gloria redundat, Deus verò est potiùs obiectum, & finis illius gloriæ.

SECTIO V.

Possitne alius præter Deum Orari: & quid ab illo conuenienter postulandum?

Quæritur quintò, an solus Deus orandus sit? Respondeo Deum solum orandum esse, tanquam Auctorem supremum, & independentem boni, quod postulamus, quæ oratio pertinet ad cultum latriæ: sed nihilominus posse orari alios, & præcipuè Sanctos, cum Christo regnantes, alio genere orationis inferiore, ad duliam pertinente, tanquam nostros apud Deum interuentores, aut aliquorum bonorum cooperatores. Prima responsi pars facilis est, & omnium consensu recepta. 33. Deus quomodo solus orandus? Circa illam verò notandum est Deum posse non solùm per modum vnius orari, vt interdum facit Ecclesia, dirigendo orationem ad ipsam Deitatem: vel etiam totam Trinitatem simul, vt sæpe fit: verùm etiam seorsim singulas personas diuinas; vt patet ex vsu eiusdem Ecclesiæ. Quamvis enim orando Deum, non possint excludi positiuè aliquæ personæ diuinæ; tum quia illarum omnium est vnica intelligentia, voluntas, & potentia, à qua bonum, quod petimus, sperandum est: tum etiam quia illarum opera ad extra sunt indiuisa: potest tamen ex formali & expressa intentione orantis dirigi locutio Mentalis, aut Vocalis, ad vnam personam, non dirigendo ad alias. Vt patet ex vsu quotidiano Ecclesiæ, quæ ita seorsim orat singulas personas Trinitatis. *Pater de cœlis Deus miserere nobis, Fili Redemptor mundi Deus miserere nobis, Spiritus sancte Deus miserere nobis.* Et in publicis orationibus aliquando Patrem solum alloquitur, quem orat per eius Filium Dominum nostrum Iesum Christum: aliquando verò Filium solum, ita concludens, *Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, &c.* aliquando denique solum Spiritum sanctum: vt cùm sic orat, *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris, in eis ignem accende.*

Secunda pars responsi, quòd tamen alio genere orationis possint licitè & conuenienter alij quidam orari, patet ex Scriptura, quoad iustos adhuc viuentes, Iob. 42. v. 8. & 9. Vbi 34. Alij possunt licitè orari. Iob Dei iussu orat pro suis amicis, & impetrat: & 1. Reg. 7. vbi populus Israël implorat orationem Samuelis apud Deum, illúmque rogat, vt pro se Deum orare non desinat: & Ierem. 42. *Dixerunt Israëlitæ ad Ieremiam Prophetam, Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum:* Et Baruch 1. v. 13. qui erant captiui in Babylone, aiunt ad eos, qui erant Ierosolymis, *Pro nobis ipsi orate ad Do-*

minum Deum nostrum, quia peccauimus Domino Deo nostro: & Rom. 15. 2. Cor. 1. Ephes. 6. Hebr. 13. Paulus Apostolus intercessionem fidelium apud Deum pro se suisque negotijs postulat: & Iacob. 5. *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua apud Deum.* Est quoque manifestum posse conuenienter quemlibet alium orari, cuius opera ad aliquod bonum honestum consequendum, nobis est vtilis, aut necessaria. Vt Filij orant Parentes, Serui Dominos, Subditi Principes. Verùm hîc non loquimur de qualicumque oratione, etiam ciuili, & merè humana: sed de Sacra, & aliquo modo Religiosa, facta personæ vt Sanctæ, & Deo gratæ, vt apud ipsum pro nobis intercedat, aut cooperetur ad aliquid obtinendum. De qua oratione manifestè sermo est in Scripturæ locis proximè relatis.

35. Sancti possunt inuocari. Tertia denique pars, de qua nobis cum Hæreticis huius temporis magna est controuersia, probatur primò exemplo piorum hominum in Scriptura laudatorum, qui Sanctos Angelos inuocarunt: vt Iacob Patriarcha Genes. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis:* quibus verbis precatur Angelum custodiæ suæ commissum, vt filijs suis benedictionem impertiatur: neque enim hæc dicit imperatiuè, sed optatiuè, & deprecatiuè. Si autem possunt Angeli inuocari, par est ratio vt possint quoque homines beati, qui sunt Angelis pares, aut similes in gloria, Matth. 22. v. 30. Luc. 20. v. 36. Apocal. 21. v. 17. Probatur secundò ex vsu totius Ecclesiæ ab initio huc vsque: Si quid autem per totum orbem vniuersa frequentat Ecclesia, illud an rectè fiat disputare, insolentissimæ insaniæ est: vt rectè ait S. Aug. Epist. 118. ad Ianuarium. Testimonia illius antiquissimæ consuetudinis, & vniuersalissimæ, collecta ex Sanctis Patribus, Liturgijs, & Concilijs, videri possunt apud Gauter. in Tabul. Chronolog. veritate 3. Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine c. 18. & 19. Perron. toto lib. 5. Replicæ. Barrault. tom. 2. Clyp. c. 1. & tribus sequent. & alios recentes controuersiarum Scriptores. Probatur tertiò hoc argumento Theologico ex Scriptura desumpto: Sancti possunt conuenienter, & vtiliter à nobis inuocari, & orari vt pro nobis apud Deum intercedant, si possunt, & volunt nobis prodesse suis orationibus, & pro nobis intercedere apud Deum. Atqui possunt & volunt, vt patet ex Scriptura: ergo, &c. Maior est euidens. Si enim est conueniens, & vtile orare iustos hac in vita, qui possunt, & volunt nos suis precibus iuuare apud Deum: quidni etiam orare Beatos, cùm aliunde oratio ista nihil habeat, quo sit specialiter indecens, aut inutilis, vt patebit respondendo obiectionibus Hæreticorum. Minor verò, quòd possint, probatur euidenter ex Scriptura quæ docet iustos hac in vita multùm posse suis orationibus apud Deum, Iacob. 5. alijsque locis suprà citatis. Si autem possunt hac in vita, multis infirmitatibus & peccatis obnoxiâ: quantò magis in patria, vbi non minùs Deo grati, & ab omni peccato liberi, & multò magis Deo coniuncti sunt? Nam amicitia, & coniunctio cum Deo

Probatur quòd possint orare pro nobis.

est præcipua ratio cur possint iustorum preces apud Deum valere.

Et vt rectè dicit Hieronymus aduersus Vigilantium, primum erroris oppositi Auctorem, *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam: & Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Domino esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Omnino ita existimare, est apertè rationi, & lumini naturali contradicere, Ecclesiam triumphantem, in fauore apud Deum, militanti postponere, & rectum rerum ordinem peruertere. Rectè etiam Chrysostomus in fine Homiliæ de Sanctis Iuuentio, & Maximo, *Sicut milites*, inquit, *vulnera in prælijs sibi inflicta Regi monstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi abscissa capita gestantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint, apud Regem cœlorum impetrare possunt.* Et Gregor. Nazian. in Orat. 19. de obitu patris sui, aliquanto post initium, *Nunc magis*, inquit, *proficit nobis suis precibus, quàm antea doctrinâ, quantò etiam Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia.* Probatur secundò, quia Scripturâ testatur Sanctos vita functos pollere gratiâ, & fauore apud Deum, propter quem possint nobis eum propitium reddere, ipsiusque beneficia impetrare. Qua de causa viri pij veteris Testamenti adhibere solebant interuentum Abrahæ, Isaac, Iacob, & aliorum Sanctorum Patrum iam defunctorum, ad impetrandum facilius quod postulabant: vt Exod. 32. vbi Moyses sic orat: *Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, &c. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Et Daniël. 3. Azarias cum socijs suis in fornace ita Deum obsecrat: *Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum; & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abrahâm dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum.*

Quod verò etiam velint ijdem Sancti Angeli, & homines vitâ functi, suis orationibus nos iuuare apud Deum, probatur, quia re ipsa pro nobis Orant: vt patet ex 2. Machab. 15. vbi de Ieremia Propheta iam pridem mortuo sic dicitur: *Hic est qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ierusalem, Propheta Dei:* Et Zachar. 1. Angelus orat pro populo captiuo hunc in modum, *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda?* Et Tob. 12. *Ego Raphaël obtuli orationem tuam Domino.* Et 2. Petr. 1. pollicetur Petrus fidelibus suam intercessionem apud Deum post obitum suum, *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, &c.* Et Apocal. 5. viginti quatuor seniores offerunt Deo phialas 36. Probatur quòd etiã velint.

aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum: Et capite 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo:* non illas solùm manifestando Deo, cui per se notissimæ sunt, sed aliquid gratiæ, & ponderis suo interuentu addendo, tacitéque vel expressè idem à Deo postulando, vt solent aulici offerre Principi clientum suorum supplicationes. Confirmatur, quia Charitas nunquam excidit, 1. Cor. 13. sed multò meliùs, & perfectiùs operatur in cœlo, vbi regnat, & triumphat. Quare si Iustos mouit Charitas vt hac in vita vellent pro nobis orare; multò mages mouet iam Beatos, vt nostri curam habeant, quando pro sua ipsorum salute non sunt ampliùs solliciti. Vnde Cyprianus lib. 1. Epist. 1. aliàs Epist. 57. in fine, *Si quis istinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio: prò fratribus, & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Et Aug. lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. *Beatus Cyprianus*, inquit, *iam corpore, quod corrumpitur, non aggrauante animam, sereniùs perspicit veritatem, quam meruit adipisci per Charitatem. Adiuuet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino, quantum possumus, bona eius imitemur.* Et Chrysost. Homil. 32. in Epist. ad Roman. loquens de Paulo Apostolo, *Si eum hic esset, vsque adeo diligebat homines, vt cùm dissolui & cum Christo esse cuperet, eligerit tamen hic esse: multò magis illic* (in cœlo) *feruentiorem Charitatem ostendet.*

37. Denique quod possint, & velint, patet ex plurimis beneficijs, per ipsorum inuocationem impetratis, quorum testes sunt Sancti Patres, etiam illi qui quinque primis Ecclesiæ sæculis floruerunt: vt Basilius Homil. in quadraginta martyres: *Qui aliqua*, inquit, *premitur angustia, ad hos confugit: Qui rursus lætatur, hos orat. Hic vt à malis liberetur; ille, vt duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filijs, auditur: peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat, &c.* Et D. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 8. vbi plura miracula illustria per inuocationem B. Stephani, & aliorum Sanctorum facta commemorat. Et Eusebius lib. 13. de præparat. Euangelica cap. 7. initio, *Hæc nos*, inquit, *quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votáque ipsis facimus tanquam viris Sanctis, quorum intercessione non parum apud Deum iuuari profitemur.*

38. Argumẽta Hæretic. in contrarium. Quæ autem in contrarium objiciunt Hæretici huius temporis, secuti Vigilantium, Waldenses, & Wiclessum, hæc præcipuè sunt. Primò, non licet Sanctos Religiosè colere. Ergo nec orare. Nam oratio continet cultum Religiosum. Ideóque Christus Matth. 6. docuit nos solum Deum orare. Secundò, vnus est Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, 1. Timoth. 2. Ergo non possumus alios apud Deum Mediatores adhibere: & iniuriam Christo facimus: quia de illius sufficientia, vel benignitate diffidimus. Tertiò, Deus promptior est ad nobis dandum quod petimus, quàm Sancti ad orandum pro nobis. Ergo frustra ad illos recurritur. Quartò, Sancti non audiunt, neque nôrunt orationes, quas ad illos fundimus. Ergo inutiliter, & insipienter illos oramus: imò nec propriè orare illos possumus: quia non possumus illis desideria nostra manifestare, vel facere vt illis innotescant. Quintò, in veteri Testamento non inuocabantur Sancti vita functi: Ergo neque nunc inuocari debent. Sextò, vel norûnt Deum esse nobis daturum id quod volumus per ipsos impetrare, vel non. Si primum: frustra petunt fieri quod infallibiliter futurum est. Si secundum: non possunt à Deo petere, quod sciunt Deum nolle concedere; quia habent voluntatem suam planè conformem diuinæ. Dicere autem Sanctos neutrum scire, repugnat eorum statui, iuxta sententiam Catholicorum, qui dicunt eos scire quidquid ad ipsos pertinet: eadémque de causa affirmant eos nôsse quid & à quibus orentur.

Ad primum Respondeo non licere Sanctos colere cultu Religioso latriæ: secus autem cultu duliæ, vt ostendemus disp. seq. Sect. 1. num. 9. Christus autem Matth. 6. non docuit omnem orandi modum, sed præcipuum, quæque debent in oratione à Deo postulari. 39. Ad secundum respondeo primò, eodem argumento probari, non posse iustos viuentes orari vt pro nobis apud Deum intercedant: quod tamen fieri posse fatentur Hæretici, & docet apertè Scriptura. Quomodo Christus est vnus mediator? Estque omnino euidens quòd si possumus implorare preces viuentium absque iniuria Christi vnius mediatoris, vel diffidentia de illius sufficientia, aut benignitate: possumus simili modo inuocare preces Sanctorum sine iniuria, vel diffidentia erga Christum. Secundò respondeo directè, vel sensum Apostoli esse quòd vnus sit Deus, & vnus Christus Iesus, qui est mediator Dei, & hominum: ita vt nomen, *Vnus*, sit iungendum cum nomine, *Christus*, tanquam illius adiectiuum: particula verò, *Mediator Dei, & hominum*, sit epithetum Christi. Vel dato quòd particula, *Vnus*, cadat in vocem, *Mediator*, tanquam illius restrictiua, dico Christum esse vnum, id est, vnicum mediatorem, mediatione redemptionis, perfectum pretium pro nostra reconciliatione exhibendo de suo, & pro nobis perfectè satisfaciendo: de qua mediatione loquitur ibi Apostolus, vt patet ex verbis sequentibus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. &c.* Vel etiam quia est mediator, non tantùm officio, sed etiam naturâ, tanquam particeps vtriusque naturæ, diuinæ, & humanæ; quod illi soli conuenit: ideóque hoc sensu est solus, & vnicus mediator Dei, & hominum, vt insinuat S. Augustinus lib. 9. de Ciuit. c. 17. Quod tamen non impedit quin Sancti, æquè ac iusti hac in vita, possint esse mediatores secundarij, & minùs principales. Sicut Moyses Deuteron 5. dicit se fuisse sequestrum, & medium inter Deum, & populum: & Paulus ad Galat. 3. dicit legem veterem fuisse datam per Angelos *in manu Mediatoris*, Moysis scilicet, qui à Deo per Angelos illam accepit. Simili modo Christus Matth. 23. dicit vnum esse patrem nostrum Deum, & vnum esse Magistrum nostrum Christum: quodque

amplius est, addit neminem super terram vocandum esse Patrem, & Magistrum; eo scilicet gradu præeminentiæ, quo Deus est pater, & Christus magister: sed non negat alios esse patres, aut magistros in gradu inferiori, neque prohibet sic appellari. Imò ipsemet sic appellat Luc. 11. v. 35. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Et Matth. 19. v. 29. *Qui reliquerit patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, &c.* Neque verò Sanctorum intercessio obscurat Christi mediationem, cùm tota illa nitatur Christi meritis: ipsique potiùs gloriosum est quòd Sanctis etiam intercedendi virtutem dederit: sicut in gloriam omnipotentiæ diuinæ cedit, quòd causis secundis dederit vim agendi.

40. Ad tertium respondeo, tametsi Deus promptus est de se ad nobis benefaciendum: sæpe tamen obstat indignitas nostra eius beneficentiæ, gratumque habet vt ad eius amicos recurramus. Et eodem argumento probaretur non debere nos ad preces viuorum recurrere: cùm tamen Paulus sæpius ad illas recurrerit: & Deus ipse iusserit amicis Iob vt eius preces implorarent: & Israëlitæ Prophetarum orationes sæpius experiuerint, vt ostendimus num. 34. Ad quartum, nego antecedens. Si enim Angeli in cœlo cognoscunt conuersionem peccatorum, etiam in particulari, & de illa gaudent, vt dicitur Luc. 15. v. 7. cur non etiam Sancti preces nostras ad eos directas agnoscant? Facile autem est vt cognoscant in Verbo, hoc est, in Deo clarè viso, & in eius cognitione eas distinctè repræsentante. Nam, vt ait Gregor. lib. 12. Moral. c. 14. *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quia foris sit aliquid quod ignorent.* Et lib. 4. Dialog. c. 33. *Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciunt, vbi scientem omnia sciunt?* Et Prosper lib. 1. de vita contemplat. c. 4. affirmat *Non latere iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Et Paulinus in carmine quodam ad S. Fœlicem, in Natali 6. sic eum Deo iam fruentem alloquitur:

Quomodo Sancti cognoscunt preces nostras?

Te teneo, tu scis vbi sint, qui lumine Christi
Cuncta & operta vides, longéque absentia cernis,
Et capis, includente Deo, quo cuncta tenentur.

Possunt etiam illas cognoscere per nouas Dei reuelationes. Potest enim Deus, vltra sui visionem, reuelare Beatis quidquid vult: Vel si ipsum lumen gloriæ valet ad res creatas, extra Deum in seipsis immediatè cognoscendas: non minùs potest, non obstante tanta distantia, valere ad nostras orationes intelligendas, quàm oculus noster corporeus possit ad Solem vsque, & Stellas tam longè dissitas peruadere aut quàm B. Stephanus in terra positus potuerit videre Christum in cœlis ad dexteram Patris sedentem: *Video cœlos apertos, &c.* Actor. 7. Vel etiam denique illas norunt per Angelorum renuntiationem; qui (vt ait Basilius in Psalm. 33. explicans illud, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*) vocantur *aures*, quia preces nostras excipiunt, & in cœlum deferunt. *Sancta*, inquit, *spirituales virtutes* (Angeli) *aliquæ oculi dicuntur, quòd curam susceperint nos intuendi: nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces.*

Ad quintum respondeo differentiam esse inter Sanctos veteris Testamenti, qui Deo nondum fruebantur, nondum enim erat propalata Sanctorum via; sed Limbo veluti carcere detinebantur, nondum soluto redemptionis pretio: Neque in Deo, quem adhuc non videbant, poterant viuentium orationes cognoscere: neque aliunde habebant tantam cum Deo, & cum Sanctis Angelis communicationem, quantam habent in cœlo Beati, eiusdem ciuitatis incolæ, & domus Dei familiares. Qua etiam de causa Ecclesia Euangelica non orat nunc, neque vnquam Orauit, iustorum animas in Purgatorio detentas: atque etiam, quia, vt rectè ait D. Thomas q. 83. art. 11. ad 3. sunt in eo statu, in quo pro ipsis potiùs orandum nobis est. Et quamvis probabile sit illas scire interdum per Angelos quid ab ipsis velimus: quia tamen id valde incertum est, minùs conuenit illas orare, dum in eodem statu versantur: neque Ecclesia in publicis orationibus permittit nos niti illa probabilitate: tametsi non prohibet illas priuatim orare. 41.

Cur non inuocarentur Sancti veteris Testamenti?

Neque nunc animæ quæ purgantur.

Ad sextum respondeo primò, non esse necessarium Beatos scire an sint impetraturi quidquid postulant: & ex Scriptura probabiliter colligi non ita esse. Nam Daniël. 10. Angeli Sancti diuersa, & contraria orarunt: vnus optando liberationem populi Iudaïci ex Perside: alter mansionem diuturniorem apud Persas, quam in bonum ipsorum postulabat: vterque sperans fore vt impetraret, & se opponens orationi alterius: iuxta interpretationem Hieronymi in cap. 10. Daniëlis, Gregorij lib. 17. Moral. c. 8. & D. Thomæ, 1. part. q. 113. art. 8. Secundò, dato quòd sciant euentum futurum, vel non futurum, vt postulant; possunt nihilominus orare. Nam Christus orauit pro gloria sui corporis, pro missione Spiritus sancti in Apostolos, & pro gloria Electorum, quam sciebat esse futuram: orauit etiam pro sua liberatione à morte crucis, & pro salute reproborum, quam sciebat non esse futuram. Valuit autem hæc eius oratio ad ostendendum suum affectum circa mortem instantem, & ad patefaciendum desiderium, voluntatémque antecedentem saluandi reprobos. Neque propterea Christus, aut Sancti habent voluntatem diuinæ repugnantem, quando sciunt non esse futurum id quod à Deo postulant: quia petunt cum conditione tacita, vel expressa, si Deo ita placeat. Non etiam petunt inutiliter quando sciunt esse futurum: quia Deo gratum est vt petant, súmmque desiderium suppliciter illi offerant: & Deus sæpissimè decreuit non facere id quod postulant, nisi interuentu orationis ipsorum ab æterno præuisæ. Quamvis autem Sancti vi sui status beatifici debeant scire quidquid ad ipsos pertinet, & scire eos expedit; adeóque scire à quibus hac in vita colantur, & orentur: non ita est de futuro euentu eorum, quæ pro nobis postulant. Quia vt bene ait Suares tract. 4. de Relig. lib. 1. cap. 11. num. 6. in fine, oratio 42.

Sciúntne Beati impetraturi quod à Deo petunt?

Nihil hoc refert vt pro nobis orent.

directè pertinet ad personam ipsius Beati, & eius cognitio est per se necessaria ad statum ipsius Beati: cognoscere autem omnes euentus orationum, & dispositionem diuinæ prouidentiæ circa illos, non ita pertinet ad singulos Beatos.

43. Possunt à Deo peti bona spiritalia, & tempor. Quæritur sextò, quænam à Deo conuenienter in oratione peti possint? Respondeo illa omnia breuiter, & summatim contineri in oratione Dominica, cuius expositionem vide apud D. Thomam q. 83. art. 9. Generaliter autem dico posse à Deo peti conuenienter non modò bona spiritalia, id est, ipsius gloriam extrinsecam, regnum cœlorum, seu vitam æternam, Sanctitatem morum, & auxilia ad seruandam in omnibus Dei voluntatem, gratiam, & remissionem peccatorum, victoriam tentationum, liberationem à malis spiritualibus, & quæcumque per se bona, & honesta sunt: verùm etiam bona temporalia siue corporis, siue animi, vitam, eiúsque subsidia, sanitatem, scientias, & artes naturales, & liberationem à malis temporalibus, bello, peste, fame, & similibus. Probatur primò ex Scriptura. Nam Probatur de temporalibus. Matth. 6. Christus in oratione Dominica docuit nos inter alia petere panem quotidianum, id est, quæ ad victum, & vitæ huius sustentationem necessaria sunt, iuxta expositionem Chrysostomi, aliorúmque plurimorum. Et Prouerb. 30. Sapiens sic orat, *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi; sed tantùm victui meo tribue necessaria.* Et Gen. 28. Iacob sic orat interposito voto: *Si Dominus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Probatur secundò ex vsu Ecclesiæ, quæ frequenter in Litanijs, & alijs publicis orationibus, petit vt Deus fructus terræ dare, & conseruare dignetur, & pluuiam, aut serenitatem suis temporibus largiatur, det pacem, valetudinem, iter prosperum, victoriam in bello, & alia bona temporalia. Probatur tertiò ex Regula D. Augustini Epist. 121. ad Probam cap. 11. & sequentibus, *Hoc licet orare, quod Christus in oratione Dominica docuit petere.* Atqui docuit petere, non modo bona spiritalia, verùmetiam temporalia, vitæ præsenti commoda, vel necessaria, & saluti animæ non aduersantia, quæ nomine panis quotidiani in quarta petitione comprehendit: præsertim verò si desiderentur vt quædam adminicula, quibus iuuemur ad tendendum in beatitudinem: inquantum scilicet per ea vita nostra sustentatur, & inquantùm nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum; vt ait S. Thomas q. 83. art. 6.

44. Quomodo petenda bona temporalia? Circa hæc verò bona temporalia notandum est, optimum modum illa petendi esse, vt petantur cum conditione, si ad Dei gloriam, & animæ salutem expediant: debétque semper illa conditio tacitè saltem in omni eorum petitione intelligi. Non est tamen necessarium semper illam mente, aut voce exprimere: neque semper Ecclesia illam exprimit in Litanijs, & alijs precibus: sed possunt absolutè peti, nisi petantur cum excessu bona indifferentia, quibus procliuè est abuti, quæque frequenter sunt grauis occasio peccandi: vt v. g. abundantia diuitiarum, de qua sic loquitur Apostolus 1. Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Nam absoluta huiusmodi bonorum petitio, quæ non nisi valde periculosè desiderantur absolutè, aut possidentur, sapit affectum inordinatum, & immodicum circa illa. Cùm autem petimus à Deo bona hæc temporalia, sanitatem, pluuiam, serenitatem, &c. non petimus solùm vt Deus concursu, & prouidentia generali, nobis ea præstet: verùm etiam vt speciali aliqua prouidentia, si opus sit, ea nobis procuret, vltra naturæ debitum. Neque propterea petimus semper, aut frequenter, miraculosè fieri: non enim quidquid fit ex speciali prouidentia, miraculosè fit.

Possumus etiam nobis, & alijs, malum aliquod temporale à Deo postulare in ordine ad salutem animæ, iuxta illud Psalmi 82. v. 17. 45. Possunt etiam peti mala temporalia, ad salutem vtilia.
Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: & Ecclesia in quadam collecta Deum precatur, *vt temporaliter potius maceremur, quam supplicijs deputemur æternis:* & in Litanijs Orat, vt inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare dignetur. Vel etiam in iustam vindictam, eo modo quo Sancti Apocal. 6. clamant ad Deum, *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Vel in iustam vindictã. & Dauid Psal. 78. v. 10. & 11. *Innotescat in nationibus coram oculis nostris vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est:* & Helias 4. Reg. 1. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo. &c.* Quem tamen vsum non esse adeo conuenientem legi gratiæ significauit Christus Luc. 9. quando Iacobo & Ioanni Apostolis Heliam imitari volentibus, & igne de cœlis aduocato vlcisci iniuriam Samaritanorum erga Christum, respondit: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

46. Bona spiritalia quomodo petenda? Circa bona verò spiritalia notandum est, tametsi conditio tacita vel expressa non est adeo necessaria in illis petendis, atque est in bonis temporalibus: quia in quibusdam illorum nullum est abvsus periculum, vt in adeptione vitæ æternæ, dono confirmationis in gratia, & præseruationis etiam a venialibus: aliquam tamen moderationem in quibusdam efficaciter desiderandis, & postulandis adhibendam esse: in alijs etiam conditionem. Nam præsumptuosum esset petere v.g. tantam gloriam, quanta est gloria B. Virginis, & omnia gratiæ priuilegia illi concessa. Quia Deus statuit efficaciter nulli alteri ea concedere. Et in quibusdam gratiæ donis non necessarijs ad vitam æternam, præsertim verò in gratijs gratis datis, vt in dono miraculorum, prophetiæ, explicandi eloquenter, & appositè res fidei, & similibus, est periculum superbiæ, & ruinæ spiritualis: Ideóque non debent illa desiderari, & peti, sine conditione tacita, vel expressa, si animæ nostræ saluti, & profectui spirituali non sint obfutura, & ad Dei gloriam sint profutura. Notandum etiam, quod attinet ad auxilia bene operandi, non solùm posse conuenienter illa peti quæ

omnino necessaria sunt ad simpliciter bene operandum, vel ad vincendas tentationes: verùm etiam quæ vtilia sunt ad meliùs, & faciliùs. Nec obest quòd Concilium Arausicanum, & Mileuit. & Sancti Patres contra Pelagium disputantes, colligunt ex oratione necessitatem gratiæ ad bene operandum, non solùm ad faciliùs, quod ille concedebat, sed ad posse simpliciter; quia nemo petere debet id, quod habet in sua potestate. Respondeo enim illam collectionem non esse in eo rigore accipiendam: sed tantùm eo sensu, quòd non foret oratio necessaria, si possemus sine auxilio gratiæ bene operari. Non enim nobis necessarium est petere ab alio, id quod possumus per nos præstare: tametsi possumus, si velimus, auxilium ab illo petere conuenienter, vt faciliùs præstemus: sicut Rex v. g. qui copijs suis posset simpliciter hostem vincere: potest tamen orare confœderatum, vt copias auxiliares sibi det ad victoriam faciliùs reportandam: & qui potest graue aliquod pondus tollere, potest alterius auxilium implorare, vt faciliùs tollat.

SECTIO VI.

Quæ conditiones requirantur vt Oratio sit efficax?

47. Efficacia orationis est vis impetrandi. QVæritur vltimò, quomodo sit orandum vt oratio sit efficax? Respondeo propriam efficaciam orationis esse quòd sit impetratoria. Nam quòd sit meritoria, vel satisfactoria, si fiat cum conditionibus requisitis ad merendum, vel ad satisfaciendum, habet commune cum alijs bonis operibus. Ad impetrandum autem valet partim ex natura sua: nam ad hoc petitio naturaliter ordinatur, vt moueat ad dandum aliquid, non vi meriti, aut pretij, sed tantùm quia petitur, & quatenus decet bonitatem, aùt liberalitatem eius, qui rogatur, concedere benignè, & liberaliter id quod petitur, eo solùm nomine, quia rogatur: partim etiam ex promissione diuina, à qua sortitur infallibilitatem, quia Deus non potest promissis suis non stare, fidelis enim est, & seipsum negare non potest: vt ait Apostolus 2. Timoth. 2. v. 13. Habetur autem hæc promissio in vtroque Testamento: Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Isaïæ 58. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.* Luc. 11. *Petite, & accipietis, &c. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Et Ioan. 16. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non est tamen facta absolutè cuicumque quomodocumque petenti: alioqui nullus non exaudiretur in quacumque oratione: quod est contra experientiam, & contra Scripturam, Iacob. 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis:* sed cum certis conditionibus, quæ si omnes adsint, oratio infallibiliter habebit suum effectum. Has conditiones D. Thomas q. 83. art. 15. in fine solutionis 2. argum. ad quatuor reuocat: vt scilicet quis pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter: quæ si omnia simul concurrant, oratio impetrabit infallibiliter.

Vnde illā habeat?

Conditiones ad impetrādum requisitæ.

Prima igitur conditio necessaria ad infallibilitatem impetrandi, est, vt orans pro seipso petat. Quamvis enim possit quilibet orare pro alijs: Deus tamen non promisit pro illis semper exaudire, quamvis adsint aliæ conditiones bonæ orationis; vt docet S. Aug. tract. 102. in Ioan. ponderans Christum non sine causa dixisse, Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* sed dicendo, *vobis*, voluisse significare promissionem fieri petentibus pro seipsis, non pro alijs. *Ita sanè*, inquit, *intelligendum est, quod ait, DABIT VOBIS, vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ propriè ad eos pertinent qui petunt. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis: non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet alijs: quia non vtcumque dictum est, Dabit, sed, dabit vobis.* Idémque sentiunt D. Thomas art. cit. & Thomistæ ibidem. Nihilominus hæc doctrina non est adeo certa. Primò, quia ratiocinatio D. Augustini non conuincit. Quod enim datur alteri nobis petentibus, datur aliquo modo nobis. Quo sensu Act. 27. Paulo Apostolo pro nauigantium incolumitate oranti sic dicitur: *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum:* & Dauid 2. Reg. 12. *Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans.* Secundò, quia alijs locis promissio fit generaliùs sine illa particula, *Dabit vobis:* vt Luc. 11. *Petite, & accipietis, &c. Omnis enim qui petit, accipit:* & Ioan. 14. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* & 1. Ioan. 5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Tertiò, quia eodem cap. 5. Ioan. expressè facta est promissio petenti pro alio: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem; petat, & dabitur ei vita.* Quartò, quia cùm datum sit præceptum orandi pro alijs, 1. Timoth. 2. & Iacob. 5. non est credibile promissionem exaudiendi orationes factam fuisse tantùm orantibus pro se. Neque respondeas causam huius rei esse, quia sæpe contingit vt is, pro quo oratur, sit indispositus. Nam sæpe etiam contingit vt sit indispositus ipse qui orat; & hæc conditio non minùs ex parte ipsius subintelligitur, vt necessaria. Quare hac de causa non debet promissio restringi ad orantem pro se: sed potiùs loco illius dicendum erat, dummodo ille, pro quo oratur, sit dispositus ad recipiendum effectum orationis, siue orans pro seipso petat, siue pro alio. Hæc certè argumenta probabilem faciunt contrariam sententiam, in quam tandem descendit Valentia disp. 6. quæst. 2. p. 4. §. *Respondeo intelligendum:* illamque apertè docent Toletus in cap. 16. Ioannis, Annot. 30. & Suares tractatu 4. de Religione, lib. 1. cap. 27. post Sanctum Basilium in Regulis breuioribus, Reg. 261.

48. Sitne promissa impetratio orantis pro se tantum?

Secunda conditio est, vt petantur necessaria ad salutem. Per necessaria verò intelligi debent etiam vtilia, vt exponit ipsemet D. Thomas artic. suprà citato. Vtilia, inquam, non solùm quantùm est de se, sed etiam re ipsa nobis pro-

49. Et circa bona tantum necessaria ad saluté.

futura: ita vt non sint futura nobis occasio peccati; vel maiorem profectum spiritalem impeditura. Qua de causa Deus noluit Paulum exaudire petentem liberari à vexatione Angeli Satanæ, & stimulo carnis, 2. Cor. 12. Meritò autem quidquid est vtile ad vitam æternam, comprehenditur sub promissione Christi, quia petitur in nomine Saluatoris, quicquid petitur ad salutem, & petitur secundùm voluntatem Dei; qui vult omnes homines saluos fieri, 1. Timoth. 2. & cuius voluntas est sanctificatio nostra, 1. Thess. 4. quique iubet vt primùm quæramus regnum Dei, & Iustitiam eius, & cætera adjicientur nobis, Matth. 7. Nonnulli tamen latiùs hanc conditionem extendunt ad omnia de se bona, & honesta, saluti nostræ non obfutura, neque profectum spiritalem impeditura, quamvis non per se conferant ad vitam æternam. Neque hoc negat D. Aug. loco suprà cit. Sed tantùm ait, non peti in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem salutis. Non petitur autem contra rationem salutis, quod illi nullo modo obfuturum est, quamvis neque ad illam conducturum. Deinde bona honesta, naturæ rationali consentanea, possunt rectè desiderari, & peti, etiam sine ordine ad salutem, cum hac solùm conditione tacita, vel expressa, si non sint illi obfutura; vt suprà diximus num. 44. estque secundùm Dei voluntatem vt illa nobis prouideamus per media conuenientia. Quidni ergo comprehendantur sub prædicta promissione? Ita Suares lib. cit. c. 23. in fine, cuius sententiam probabilem existimo; & propter eius auctoritatem, & propter rationem allatam: quæ confirmari potest pluribus Sanctorum exemplis in Scriptura, qui multa id genus postularunt à Deo, nulla facta mentione Ordinis ad salutem æternam. Vt Abraham Genes. 15. v. 2. & 3. Et Isaac cap. 25. v. 21. & Iacob cap. 32. v. 9. & seqq. Et Dauid 2. Reg. 12. v. 22. alijsque locis plures alij.

50. Tertia conditio est, vt piè petatur. Ad quod requiritur primò vt oratio fiat ex influxu fidei, sitque coniuncta cum spe, seu fiducia obtinendi quantùm est ex parte Dei: iuxta illud Iacob. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans:* & Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis:* & v. præcedenti dixerat, *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, &c.* Fides autem illa necessaria, non est certitudo infallibilis de obtinendo absolutè quod petitur, quæ vix ab vllo viatorum, & rarissimè habetur: sicut neque requiritur spes absoluta obtinendi: sed certa persuasio de omnipotentia Dei, iuxta illud Matth. 9. *Creditis quia hoc possum facere vobis?* déque eius fidelitate in promissis seruandis: & certa fiducia in voluntate, de impetrando infallibiliter si ex parte nostra non desit aliqua conditio necessaria. Hæc enim est fiducia, de qua loquuntur Iacobus, & Matthæus locis supra relatis: quæ fiducia opponitur hæsitationi, & diffidentiæ: iuxta illud Rom. 4. *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide.* Potest autem tum fides circa Dei omnipotentiam; & promissionem, esse magis viua in quibusdam, & efficacior ad impetrandum; tum etiam maior fiducia voluntatis: ita vt oratio ex fide intensiori, maiorique fiducia procedat. Et in quibusdam vtraque valde debilis est, & remissa: tum ob exiguam apprehensionem promissionum diuinarum, eiusque bonitatis, misericordiæ, & liberalitatis: tum ob nimiam considerationem propriæ infirmitatis, & indignitatis, ita vt propter illam plus dubitent de bono euentu orationis, quàm recta ratio postulet. Deus autem magnam quandam fiduciam, & fidem viuam exigit ad impetrandum infallibiliter, locis Scripturæ suprà relatis, & speciatim Luc. 11. v. 35. & 36. ad eandémque interdum vehementer excitat, & aliquando eousque, vt omnem hæsitationem tollat. Sæpiusque contingit vt oratio non sit efficax, defectu fidei, & fiduciæ in gradu illo intensionis quem Deus exigit.

Fides ad bene orandũ, & impetrandum requisita.

Secundò requiritur vt oratio sit humilitati coniuncta, & interdum pijs alijs operibus, ieiunio præsertim, & eleemosynæ: iuxta illud Ecclesiast. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrat:* & Psalm. 33. *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & humiles spiritu saluabit:* & Isaïæ 66. *Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum, &c.* & Psal. 101. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum:* & Luc. 18. Exauditur humilis publicanus, superbus verò Pharisæus, sua ipsius bona commemorans in oratione, rejicitur. & Tob. 12. v. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.* & Isa. 58. v. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, &c. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum.* Eadémque de causa ieiunium & eleemosyna dicuntur esse duæ alæ orationis. Iuuat etiam ad impetrandum, si orans sit in statu gratiæ: Nam gratior, & efficacior est oratio, quæ ab amico procedit. Non est tamen id necessarium ad impetrandum, vt bene docet S. Thomas q. 83. art. 16. Vbi affirmat orationem peccatoris exaudiri, modò habeat quatuor conditiones à se positas art. præcedenti, quas modò explicamus. Idem etiam docet S. Basilius in Constitut. Monast. cap. 1. idque confirmat Christi verbis Luc. 11. *Dico vobis etsi non dabit illi eò quòd eius amicus sit: propter improbitatem tamen eius*, id est, propter instantiam, & perseuerantiam postulandi, *Surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Post quæ verba subjicit Christus, *Petite, & accipietis, &c. Omnis enim qui petit, accipit:* quæ postrema Christi verba generalia sunt quantùm ad personas; & æquè peccatores, ac iustos comprehendunt, vt notat Auctor operis imperfecti in cap. Matth. 7. neque debent limitari sine ratione, vel in verbis ipsis, vel in natura rei sufficienter fundata. Priora verò significant Deum exaudire orationem, non tantùm propter amicitiam orantis, sed etiam propter seipsam, si fiat instanter, & cum alijs conditionibus requisitis, semota consideratione amicitiæ. Nimirum quia vis impetrandi fundatur præcipuè in misericordia Dei, cui non obstat peccatoris miseria, dummodo aliæ conditiones bonæ orationis non desint. Confirmatur exemplo Niniuitarum, Ionæ 3. Publicani,

51. *Orationi iungenda humilitas, & pia opera.*

Sitne necesse orantem esse in statu gratiæ?

Luc. 18. Latronis, Luc. 23. & aliorum peccatorum, quos Deus exaudiuit: quos etiam frustra ad veniam petendam hortaretur, & excitaret, nisi vellet exaudire.

52. Soluuntur argumenta sententiæ affirmantis? Nec obest illud Ioan. 9. *Scimus quoniam peccatores Deus non audit.* Vt enim sit generaliter verum, accipiendum est eodem sensu, quo fuit à cæco nato pronuntiatum: nimirum quod Deus non exaudiat peccatores ad patranda miracula in confirmationem imposturæ, & falsæ eorum doctrinæ: sicuti Christus visum sibi dederat in confirmationem doctrinæ quam prædicabat. Non obest etiam illud Prouerb. 21. *Qui declinat aures suas ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Nam ibi sermo est de peccatore volente permanere in statu peccati, & malitiosè auertente animum à doctrina salutis, vt liberiùs peccare perseueret. Qui certè est indignissimus vt à Deo exaudiatur, & valde indispositus ad effectum bonæ orationis recipiendum. Similitérque de peccatoribus voluntariè perseuerantibus in continuo peccandi exercitio intelligendum est illud Isaïæ 1. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quod tamen non impedit quin audiat peccatores vel status sui non conscios, vel de illo dolentes: præsertim cùm ad resurgendum opem eius implorant. Illud vero 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,* tantùm significat munditiam cordis, & vitam bene actam, multùm iuuare ad fiduciam de bono euentu orationis concipiendam: qua de causa Sancti interdum eam in oratione commemorant; salua debita humilitate; vt Dauid Psalm. 118. *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* & Psal. 130. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei:* & Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:* & Isaïæ 38. *Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te, &c.* Verùm etiam est quòd Deus non audiat peccatores, petentes vt tales, id est, malè orantes, & malo fine petentes, vt solent petere bona temporalia, quæ malè absumant, iuxta illud Iacobi 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.*

53. Orandū attentè, & cum feruore. Tertiò requiritur vt oratio fiat attentè, & cum feruore. Et quidem oratio, si est mentalis, necessario fit cum aliqua attentione; quia voluntas non desiderat sine præuia cognitione obiecti. Potest tamen remissè, & languidè desiderare: & locutionem mentalem parum vehementem, partímque aptam ad Deum mouendum, adhibere. Vocalis etiam, vt sit propriè oratio, debet esse coniuncta mentalį, & fieri cum aliqua attentione. Triplex autem attentio adhiberi potest in oratione vocali, vt docet S. Thomas q. 83. art. 3. Prima, ad verba vt bene formentur. Secunda, ad sensum verborum distinctè, vel confusè. Tertia est attentio ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, tametsi non cogitetur de verborum sensu, neque res illa significetur per verba in vllo sensu. Et rursus quælibet illarum attentionum potest esse vel formalis, id est, actu præsens: vel virtualis, id est, priùs habita, & continuata moraliter, duránsque in aliquo effectu ex ea secuto, nonobstante aliqua distractione inuoluntaria. Prior attentio sola non sufficit ad impetrandum infallibiliter: imò nec propriè oratio est, nisi aliquatenus iungatur tertiæ, cogitando de Deo, & de aliquo, saltem confusè, postulando: ita vt saltem inchoetur, & fiat ex intentione colendi Deum, & aliquid ab ipso petendi. Alioqui enim de orantibus verbo tenus dictum est Isaïæ 29. *Populus hic labijs me honorat; cor autem eius longè est à me:* & 1. Cor. 14. *Si orem linguâ, mens mea sine fructu est:* id est, si orem linguâ solâ, ad verba tantùm attendendo: & Cyprianus lib. de Oratione Dominica, prope finem. *Quæ*, inquit, *segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & prophanis, cum Dominum deprecaris: quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, cùm rogas; quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cauere: hoc est, quando oras Deum, Maiestatem Dei negligentiâ orationis offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire.*

Attentio triplex.

Vnde collige peccare orantem, cui deest voluntariè secunda, vel tertia attentio, siue alioqui teneatur orare ex præcepto, siue non. Quamvis enim tunc leuius peccatum sit, tenetur tamen quotiescumque orare vult, conuenienter & decenter orare. Non excedit tamen peccatum veniale distractio voluntaria, quando oratio non est aliunde debita: vt bene docent Lessius cap. 37. dub. 11. n. 62. & plures alij. Sufficit verò alterutra ex duabus alijs, attentionibus, non modò ad peccatum vitandum, sed etiam ad infallibiliter impetrandum, quantùm est ex parte attentionis. Neque necessarium est vt sit semper actualis, quod humanæ fragilitati in longa oratione est impossibile; sed virtualis etiam sufficit. Aliquam tamen eius contentionem necessariam esse ad impetrandum infallibiliter, significat Christus duabus parabolis: alterâ viduæ Iudicem vehementer vrgentis, Luc. 18. v. 3. alterâ amici importuni, panes intempesta nocte magna contentione, & obstinatione postulantis, Luc. 11. v. 8. Et Apostolus Coloss. 4. v. 2. *Orationi instate, vigilantes in ea,* id est, sollicitè attendentes. Et Chrysostomus in Psalm. 129. explicans hæc Dauidis verba, *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*, sic habet: *Quid est, DE PROFVNDIS? non dixit solummodo ex ore, vel lingua: errante enim mente sæpe verba funduntur: sed ex corde profundissimo, cum magno studio, & magna animi alacritate ex ipsis mentis penetralibus. Tales enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neque subuertantur, neque concutiantur, &c. Quæ autem ex ore, & labijs procedunt, & non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere.* 54. Quæ attentio necessaria?

Quarta conditio est, vt oretur perseueranter. 55. Orandū perseueranter. Quam perseuerantiam Christus commendat Luc. 11. & 18. in parabolis viduæ, & amici, quorum vterque ob perseuerantiam, & assiduitatem petendi, impetrauit quod voluit. Additque Christus posteriore loco, *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, id est, non desistere iterum,

iterum, atque iterum petere quod differtur. Et Iacob. 5. *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua apud Deum.* Et Hieronymus in cap. 3. Threnorum Ierem. versu 9. *Qui ad cupita peruenire voluerit, reflectere mentem à studio orationis non debet; sed magis perseuerare in intentione cœpta illum oportet. Hinc est quod in lib. Reg. de Anna scriptum est, quòd postquam orauerat, vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Hinc & in Euangelio cœcus ille, qui in Iericho transeuntem Iesum audierat, misereri sibi ab eo petebat: sed cum à prætereuntibus sibi iuberetur vt taceret, ipse multò magis clamabat dicens, Miserere mei fili Dauid: vnde & lumen quod petiuit à Saluatore accipere promeruit.* Et Gregor. in Psalm. 6. Pœnitent. *De profundis clamaui ad te. Non ait, clamo, sed clamaui. Habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudieris, ab oratione non deficias, imò precibus, & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit, Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus. Caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, vt regnum cœlorum accipias: Esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, quâ Deus non offenditur; sed placatur: proximus non læditur, sed iuuatur: peccatum minuitur, non multiplicatur.*

56. Cur differt Deus dare quod petimus? Rationes verò cur Deus interdum differat dare quod petitur, hæ præcipuæ sunt: Primò, quia petens nondum est satis dispositus ad recipiendum. Secundò, vt pluris faciat quod obtinet. Tertiò, quia ad maiorem profectum eius spiritalem expedit differre. Quartò, ad exercitium fidei, spei, & patientiæ, studiúmque orationis augendum. Quæ rationes tanguntur breuiter à Chrysostomo Homil. 30. in Genes. versus finem, & Aug. Serm. 5. de verbis Domini cap. 5. Rectè autem aduertit Suares tract. 4. de Relig. lib. 1. c. 26. n. 3. non esse positiuè definitum à Deo quamdiu sit expectandum, & perseuerandum in petendo eo quod differtur: neque posse tempus illud à nobis definiri: sed solùm negatiuè dici posse, nunquam esse desistendum propter diffidentiam, aut deiectionem animi, vel quasi impatientiam: sed quando prudenter iudicatur non esse Dei voluntatem dare quod petimus, quia non expedit saluti nostræ, aut profectui spirituali.

Quomodo potest perseueranter peti perseuerantia? Quòd si objicias, inter bona quæ petenda sunt, esse perseuerantiam in gratia: ad quam impetrandam, si necessariò requiritur perseuerantia orationis, perseuerantia requiritur ad seipsam, & sibiipsi præsupponitur: quod est inconueniens, & impossibile, redditque inutilem efficaciam illius orationis: Nam sic perseuerantia debet præhaberi, vt petatur efficaciter, & obtineatur vi orationis. Respondeo aliud esse perseuerantiam in gratia, & aliud perseuerantiam in orando tantùm, quæ perseuerantia longè facilior est. Vnde licet perseuerantia in oratione requiratur ad perseuerandum in gratia, idem non requiritur ad seipsum. Verumtamen quia instari potest ipsam quoque perseuerantiam in orando petendam esse per orationem: respondeo secundò perseuerantiam vtramque non esse vnum simplex donum, aut vnam simplicem qualitatem: sed constare multis partibus, quarum vna ad aliam disponit, & iuuat, & vna per aliam impetrari potest. Nam perseuerantia hodierna iuuat ad crastinam, & crastina ad sequentem, & sic deinceps. Atque ita etiam ipsa perseuerantia in orando potest quoad vnam partem, obtineri per aliam, impetrando vnâ oratione gratiam præuenientem, & auxiliantem ad aliam.

SECTIO VII.

De Horis Canonicis.

VLtra præceptum naturale, & diuinum orandi, de quo diximus Sect. 3. datur aliud Ecclesiasticum, tum respectu aliorum fidelium ad orandum aliquando vocaliter, saltem conformando intentionem suam Ministris Ecclesiæ publicè orantibus in officijs diuinis, quibus tenentur interesse: Vt enim rectè ait D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. quæstiunc. 3. Omnibus etiam, qui Ecclesiæ ministerijs non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse, cùm ex Canonum statuto teneantur diebus Festis diuinis officijs (id est Sacrificio Missæ) interesse, vt ministris pro populo orantibus intentionem suam conforment. Tum etiam & præcipuè respectu Clericorum ad recitandas preces Canonicas, de quibus quatuor explicanda sunt. Primò, quinam ad illas recitandas teneantur, & quanta sit hæc obligatio? Secundò, quid requiratur vt satisfiat huic præcepto Ecclesiastico? Tertiò, quæ pœnæ incurrantur à non recitantibus? Quartò, quænam excusent ab illa obligatione, & à pœnis iniunctis? 57. Præceptũ orandi vocaliter.

Circa primum, dico primò, ad Horas Canonicas recitandas obligari Clericos maiorum Ordinum, & Beneficiarios, & Religiosos ad Chorum professos. Ita communiter Doctores teste Nauarro in Comment. de oratione, & Horis Canonic. cap. 7. nu. 1. & Less. c. 37. dub. 9. Et quoad Clericos maiorum Ordinum probari id solet ex cap. 1. de celebratione Missarum, & capite *Dolentes*, *eodem tit.* & cap. 9. distinct. 92. Vbi iubentur deponi Clerici, qui ad officium quotidianum psallendum non conuenerint. Sed, vt bene aduertis Lessius ibidem, isti Canones non satis efficaciter id probant de omnibus & singulis Clericis ad sacros Ordines promotis. Nam in primo sermo tantùm est de Parocho. In secundo non exprimitur qui sint illi minores Clerici, quibus ibi præcipitur vt diurnum nocturnumque officium studiosè celebrent. In tertio sermo tantùm est de Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, id est, habentibus aliquod beneficium Ecclesiasticum, vt communiter intelligunt Doctores. Quare probatur efficaciùs ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, quæ omnium consensu vim præcepti obtinuit, quæque iusta ratione innititur. Nam 58. Clerici maiorum Ordinum tenentur recitare preces Canonicas.

Diaconi, & Subdiaconi gaudent omnibus Clericorum priuilegijs: & si non habent vnde viuant, Episcopus qui eos ordinauit, tenetur eos alere, *Extra, de Prebend* cap. *Episcopus*, & cap. *Cum secundum Apostolum.*

59. Et Beneficiarij. Quoad Beneficiarios probatur ex cap. *Si quis Presbyter, dist. 92.* vbi statuitur pœna depositionis contra Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet alium Clericum Ecclesiæ deputatum, id est, habentem Ecclesiasticum aliquod beneficium, si ad quotidianum officium psallendum non conuenerit. Nec obest quod Canon loquitur de officio publicè psallendo in choro: quia si in choro non impletur, priuatim idem officium dicendum est, ad supplendum hunc defectum. Et ita legem illam consuetudo, & Doctores exponunt. Idem expresse declarauit Leo X. cum Concilio Lateran. Sess. 9. additâ pœnâ priuationis fructuum beneficij pro rata, si post sex menses ab obtento beneficio officium non recitauerint, cessante legitimo impedimento. Et Pius V. in Bulla, quam refert Nauar. c. 25. Manual. n. 112. vbi Sanctus ille Pontifex prædictam Leonis X. constitutionem exponit, & nomen beneficij extendit ad præstimonia: & præterea Clericis pensionem Clericalem habentibus præcipit vt quotidie recitent paruum officium B. Virginis. Ratio verò cur Beneficiarij teneantur ad Horas Canonicas recitandas, est quia beneficia, seu redditus Ecclesiastici dantur propter officium spiritale, quod in quibusdam ex toto, in alijs magna ex parte consistit in recitatione Horarum Canonicarum in choro, vel extra. Quod tamen regulariter, & secundùm ius commune intelligendum est. Sunt enim aliqua beneficia quæ ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas, sed ad quasdam alias preces, putà, ad paruum Officium B. Virginis, vel quinquies Pater & Aue, &c. de quibus dicemus in fine Sect. 3. num. 80.

60. Et Religiosi ad chorum professi. Quoad Religiosos verò ad chorum professos, quamvis nondum sacris Ordinibus initiatos, nullus est Canon quo obligentur, vt notant Caiet. in Summa V. *Horæ Canonicæ*, Valent. disput. 6. quæst. 2. p. 10. Lessius c. 37. dub. 9. Suar. lib. 4. de Orat. cap. 17. & alij. Neque etiam vi professionis solius, & votorum ad id tenentur, quia id non vouent: neque ob piorum eleemosynas, quibus alantur: quia non eis dantur ad hanc obligationem imponendam, sed vt viuant Religiosè secundùm suam Regulam: & si aliqua bona darentur Monasterio cum obligatione recitandi preces Canonicas; hanc obligationem contraheret Monasterium, non singulæ personæ. Sed obligantur ex consuetudine vim legis habente: vel etiam ex Regula, si in quibusdam Religionibus id per Regulam præcipitur: vt docent auctores suprà citati, & alij communiter. Et quamvis Caiet. ibidem, & Armilla eodem verbo, n. 4. dubitent de obligatione talis consuetudinis: cæteri tamen affirmant obligare; à quorum communi consensu, in re tam graui, non puto recedendum. Dixi autem, *Religiosos ad Chorum professos:* quia Nouitij non obligantur, neque Laïci, id est, Religiosi ad seruilia ministeria admissi: neque alij Religiosi non ad chorum professi, sed ad militiam, vel hospitalitatem, vel ad alia exercitia spiritualia: sicut in Societate Iesv non tenentur ad Horas Canonicas Religiosi nondum sacris Ordinibus initiati & in quibusdam Monialium Ordinibus, in quibus talis consuetudo nunquam fuit, sed ad alia munia instituti sunt.

Communis etiam sententia Doctorum est obligationem prædictam generaliter esse grauem, & sub mortali: non consentiunt tamen quanta omissio efficiat peccatum mortale. Aliqui apud Reginaldum 2. parte, lib. 18. n. 143. in fine, dicunt ad mortale requiri aliquot saltem dierum omissionem: vel vt omissio fit ex contemptu. Sed hæc sententia ab eodem Auctore, & à pluribus alijs rejicitur, tanquam planè improbabilis. Alij requirunt omissionem omnium horarum vnius diei, quam sententiam communem esse dicit, & sequitur Lessius c. 37. dub. 9. n. 52. At verò Nauar. tom. 3. in Comment. de Oratione & Horis Canonicis, cap. 7. num. 5. affirmat omittentem sine iusta causa vnam de septem Horis Canonicis peccare mortiferè. & cap. 10. num. 44. censet omissionem tertiæ partis vnius horæ, exempli gratiâ, omissionem vnius Psalmi cum Hymno, sufficere ad mortale: quam sententiam Lessius c. 37. n. 52. meritò duram esse affirmat. Alij denique censent sufficere omissionem vnius horæ, imò & cuiuscumque notabilis partis officij. Qui nihilominus docent non committi tot peccata mortalia externa omissionis, quot omittuntur horæ vnius diei, aut partes notabiles officij: sed sicut totum officium vnius diei est vnicum officium integrum, & vnico præcepto integro respondens, quod per diuersas officij partes impletur: ita vnicum esse peccatum externum omissionis, multis partibus constans, & consummatum in fine diei, quando completur omissio, & non est ampliùs tempus recitandi. 61. Obligatio illa est grauis.

Inter has sententias duæ sunt improbabiles. Prima nimirum tanquam nimis laxa: & tertia tanquam nimis seuera. Et vtraque est contra torrentem Doctorum. Aliæ duæ sunt probabiles, & quælibet earum in praxi est tuta. Magis verò mihi probatur quæ affirmat vnicam horam, præsertim verò è minoribus non esse materiam satis notabilem, sufficientem ad peccatum mortale. Notandum autem est grauiùs peccare hac in parte Clericum quo pluribus, aut maioribus titulis adstrictus est ad officium recitandum. Nam qui plura, vel pinguiora possident beneficia, magis tenentur titulo beneficij: & si vlteriùs sunt initiati sacris Ordinibus, tenentur titulo ordinis, & peccant non modò contra Iustitiam, sed etiam contra Religionem: siquidem ratione beneficij tenentur lege Iustitiæ: ratione verò ordinis tenentur lege Religionis. Nam per Ecclesiæ præceptum obligantur ad preces statutas, tanquam ad officium Religionis congruens eorum statui, & bono Ecclesiæ, cessante licet alia obligatione orta ex beneficio. 62. Quanta omissio ad P. M. sufficiat

Circa secundum, dico secundò, ad satisfaciendum huic præcepto Ecclesiastico requiri vt 63.

Horæ Canon. sunt studiosè, id est, distinctè, & suo tempore recitandæ. studiosè, & deuotè recitentur Horæ Canonicæ, quemadmodum præcipitur in Concilio Lateran. sub Innocentio III. & refertur in cap. *Dolentes, de celebrat. Miss. Studiose*, inquam, id est, distincta voce, & sine syllabarum confusione, aut elisione, atque etiam sine officij interruptione, non interposando horam, quæ recitatur, nisi sit causa vrgens, quæ cogat interrumpere. In eo tamen casu non est necessarium dicta repetere; neque graue peccatum est interruptio, modò non fiat ex contemptu. Item, studiosè, id est, maturè, & suo tempore. Quanquam neque contra hoc solum peccare, graue est, citra contemptum. Tempus autem recitandi Matutinum, & Laudes, est ex consuetudine ab hora quarta post meridiem diei præcedentis, vsque ad matutinum tempus diei sequentis inclusiuè: Prima, circa ortum Solis: Reliquæ vsque ad vesperas, circa prandium: Vesperæ & Completorium, circa finem diei: nisi quòd vesperæ tempore quadragesimæ debent in choro recitari ante prandium: vt eatenus seruetur antiqua consuetudo non prandendi ante vesperas. Particula autem, *Deuotè*, significat reuerenter, & attentè. Circa quod dubitari solet an præcepto illo Ecclesiastico præcipiatur non solùm reuerentia, & attentio externa, id est, quantùm apparet exteriùs, sine oculorum euagatione, aut alia distractione apparente, vel causâ illius externâ, ita vt nihil fiat in exteriori opere, quod attentionem debitam impediat: verùm etiam interna deuotio, & attentio veræ orationi necessaria? Affirmant Caiet. Sotus, Nauarros, & alij quos refert sequitúrque Lessius cap. 37. dub. 11. Contra verò negant D. Antoninus, Paludanus, Syluester, & alij citati à Lessio. Sed hac de re iam diximus in tract. de Legib. probabilius esse attentionem, & reuerentiam internam non deberi vi solius præcepti Ecclesiastici, quod non obligat ad actus internos, nisi quantùm necessarij sunt vt actus externi decenter, & conuenienter fiant, quantùm hominibus apparet exteriùs: sed deberi vi præcepti naturalis & diuini, quo tenetur quilibet orare reuerenter interiùs, & attentè, quotiescumque orat, etiam tunc quando nullam habet obligationem orandi aliunde impositam. Quamquam ad non peccandum mortiferè sufficere solam attentionem externam docent Durand. Paludan. Antonin. Angel. Syluest. Ioan. Medina & plures alij relati à Lessio dub. cit. num. 69. Notandum verò, iuxta eundem & alios auctores contrariæ sententiæ, sufficere ad implendum præceptum Ecclesiæ, attentionem ad verba bene formanda, & decenter pronuntianda, supposito animo orandi, & vacandi Deo. Quia, inquiunt, hic animus includit attentionem quandam saltem confusam ad Deum: qui enim vult orare, hoc ipso etiam censetur velle attentionem, & reuerentiam debitam adhibere. Multóque magis sufficit attendere actu ad verborum prolationem, & ad sensum confusè, vel ad obiectum aliquod pium, & deuotum, quamvis per verba non significatum. Optimum verò genus attentionis est de ipso verborum sensu distinctè cogitare, & affectum illis conformem habere, laudis, admirationis, adorationis, postulationis, gratiarum actionis, amoris, spei, gaudij, contritionis, timoris, &c.

Et deuotè, id est, attentè.

Circa tertium, dico tertiò, grauem pœnam contra Beneficiarios non recitantes statutam esse partim à Concilio Lateran. sub Leone X. Sess. 9. cap. 9. partim à Pio V. in Bulla declarationis, relata à Nauarro suprà, & à Suare lib. 4. de Oratione cap. 29. n. 2. Vt scilicet quicumque habet beneficium Ecclesiasticum cum cura, vel sine cura animarum, si post sex menses postquàm illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis, & temporis, suos non faciat; sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Illud autem, *Pro rata*, ita intelligendum esse declarauit Pius V. vt qui Horas omnes Canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, amittat: qui verò Matutinum tantùm, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat. Addit præterea Lateranense priuandum esse beneficio eum, qui fuerit contumax non dicendo officium post prædictum semestre transactum, id est, qui per alios qnindecim dies ne bis quidem dixerit: vt Concilium ibidem exponit. 64. Pœnæ contra non recitantes.

Circa quæ nota primò, statutum illud impedire acquisitionem, & dominium fructuum, reddendo Beneficiarium inhabilem ad iustam illorum acceptionem: quia dicit, *Non faciat fructus suos, sed tanquam iniuste perceptos erogare teneatur.* Ac proinde Beneficiarius obligatur in conscientia ad restituendum, seu non retinendum: quia non potest retinere non suum: idque ipso iure, non expectata alia sententia. 65. Non faciunt fructus suos.

Nota secundò, quod dicitur in eodem statuto, restituendum esse pro rata, intelligi debere, non vt vult Dominicus Sotus, pro rata eorum fructuum, qui recitationi officij respondent, saluis alijs fructibus, qui respondent alijs Beneficiarij laboribus pro Ecclesia susceptis: sed vt perspicuè exponit Pius V. pro rata simpliciter omnium fructuum beneficij, aut beneficiorum quæ possidet, & temporis, quo recitare prætermittit. Ita vt si totum officium omittat vno die, priuetur omnibus fructibus, qui illi diei respondent: si Matutinum, priuetur media eorum parte, &c. Quæ pœna meritò statui potuit ad extirpandam efficaciter negligentiam Beneficiariorum circa diuinum officium. Eandem verò pœnam extendit Pius V. cum eadem proportione, ad distributiones quotidianas pro his qui choro præsentes sunt, si neque ibi, neque alibi recitant preces quibus intersunt: & ad pensiones Clericales respectu officij B. Virginis, quod ex constitutione eiusdem Pontificis tenentur recitare Pensionarij Clerici. Verum, vt alibi notauimus, disput. 34. Sect. 9. hæc constitutio Lateranensis Concilij, & Pij V. non fuit cum tanto rigore recepta multis in locis.

Nota tertiò, Beneficiarium non obligari vi huius statuti ad restitutionem fructuum, qui 66.

Obligantur ad eorum recitationem vltra sex menses. respondent sex primis mensibus post adeptum beneficium. Nam expressè Concilium, & Pius V. dicunt, *post sex menses postquam illud obtinuerit.* Nimirum quia noluit Ecclesia tam graui pœna punire recens admissum ad beneficium, præsertim verò non antea obligatum, & quasi Nouitium, cui propter imperitiam recitandi, vel alias ob causas, occurrere solet maior difficultas & causa non recitandi. Debet tamen hæc clausula intelligi respectu cuiuslibet beneficij recens adepti: quippe quæ nullum excipit: atque adeo respectu etiam illorum, qui obtento iampridem aliquo beneficio, nouum aliud obtinent. Ita vt quilibet Beneficiarius non recitans officium post sex primos menses ab illo obtento, teneatur restituere fructus eiusdem, quos post illud semestre percipit: non autem quos primo semestri ex eodem beneficio percepit.

67. Sunt priuandi beneficio. Nota quartò, hanc pœnam restituendi fructus differre ab altera priuationis beneficij, latâ in eodem statuto contra contumaces: in eo quòd prior incurritur ipso facto, non expectatâ aliâ sententiâ: hoc enim sonant illa verba, *Non faciat fructus suos.* Posterior verò requirit sententiam, & executionem, quâ crimen probetur, & Beneficiarius spolietur beneficio. Non enim dicit statutum, *sit inhabilis, ad possidendum, aut retinendum beneficium:* sed solùm dicit esse priuandum beneficio. Quare potest Beneficiarius licitè retinere beneficium, donec spolietur: quæ pœna potest, & solet diu differri, aut omnino prætermitti defectu accusatorum, aut vigilantiæ Pastorum, & diligentiæ Iudicum: ita tamen vt maneat obligatus ad restituendos fructus, quos post primum semestre percepit, pro rata omissi ab illo tempore diuini officij.

68. Qui excusentur ab hac pœna? Nota quintò, ab hac pœna excusati non modò eos qui omittunt legitimo existente impedimento, quos statutum disertis verbis excipit: verùm etiam eos, qui omittunt inculpabiliter ex inaduertentia. Nam lex illa pœnalis est: ideòque restringenda potiùs, quàm amplianda; & inculpabilis inaduertentia est aliquod impedimentum legitimum: & pœna non incurritur sine culpa: & Concilium planè supponit omissionem procedere ex negligentia voluntaria: Nam addit, *si vltra dictum tempus, in simili negligentia contumaciter permanserit.* Item, iuxta sententiam probabilem quòd Ecclesia non obliget suo præcepto ad attentionem internam, non tenentur ad hanc restitutionem, quibus illa solùm defuit: quia satisfecerunt Ecclesiæ præcepto. Sufficit quoque ad implendum præceptum semel reipsa dixisse officium, quamvis recitans statuerit iterum dicere eodem die, ex toto, vel ex parte, nolueritque per primam recitationem satisfacere præcepto Ecclesiæ. Sufficit enim mutare illam intentionem, cùm iam re ipsa opus externum ab Ecclesia iniunctum posuerit. Idémque dico de eo qui sacrum simili intentione iam semel audiuit. Probabile item est excusari ab hac pœna eos qui omittunt ex culpa leui, vel qui illam ignorant: vt diximus disp. 34. Sect. 9. n. 77.

69. Nota sextò, quod dicitur in eodem statuto, restitutionem fructuum impendi debere in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas, intelligendum esse, saluis statutis peculiaribus aliter impendendi, quibus non derogat: non enim adhibet clausulam derogatoriam contra receptas consuetudines, vel statuta diuersarum Ecclesiarum, circa illorum impensam. Item, licet non possint impendi in fabricam aliorum beneficiorum, quàm illorum, ex quibus sunt fructus iniustè percepti: possunt tamen impendi in quoslibet pauperes, & non solùm earum Ecclesiarum, aut locorum, in quibus sunt beneficia. Quia statutum non dicit vt erogentur in eleemosynas pauperum huiusmodi beneficiorum; sicut ait debere erogari in fabricas huiusmodi beneficiorum. Idémque dico de restitutione facienda à Clerico pensionario, quem Pius V. statuit esse obnoxium amissioni fructuum prædicto modo, id est, simili modo, quo Beneficiarij. Hæc autem intellige, quantum est ex vi & obligatione prædicti statuti Pij V. & Concilij Lateran. Nam Trident. Sess. 23. cap. 1. de Reformat. decernit expressè vt restitutio illa fiat erogando fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci. An verò, & quomodo possint Beneficiarij ab onere restit. liberari, diximus Sect. sup. cit. n. 78. Restitutio quomodo facienda?

Nota septimò, pœnam restituendi determinatè fructus perceptos ex beneficio, propter omissionem officij, esse iuris merè positiui Ecclesiastici: præsertim cum determinatione, & rigore suprà dicto. Et quamvis, vt multi putant, teneretur etiam iure naturali Beneficiarius facere aliquam restitutionem pro omissione officij, quia, inquiunt, fructus sunt stipendium laboris recitandi, vel ex toto si Beneficiarius ad nihil aliud tenetur, vt in Canonicatibus, & præstimonijs; vel ex parte, vt in alijs beneficijs: & non potest iustè recipere stipendium pro labore, qui laborem non præstat. Attamen iure naturali non obligaretur ad restitutionem fructuum, sed ad aliquam compensationem, quam potest facere. Vt si v. g. toties recitet officium alijs diebus, quoties omisit, recitando deinceps sæpius eodem die: vel si aliud obsequium non aliunde debitum præstet, æquè Deo gratum, & vtile Ecclesiæ; vt affirmat Suar. lib. 4. de Orat. cap. 29. Verùm quid de hac naturali obligatione sentiendum sit, alibi diximus disp. 34. Sect. 9. num. 8. vbi ostendimus contrariam sententiam probabiliorem esse. 70.

Nota vltimò, extensionem ad præstimonia factam à Pio V. non esse intelligendam de illis, quæ per ipsam fundationem obligant tantùm ad officium B. Virginis, vel ad Psalmos Pœnitentiales, vel ad aliquid aliud, quàm ad Horas Canonicas. Nam Ecclesia nunquam intendit derogare fundationi beneficij, nisi id expressè dicatur in ipso Canone, vel statuto. Qua de re vide declarationem Concilij Trid. circa caput 6. Sess. 23. vbi agitur de ætate illius, qui accipit beneficium. Bulla verò suprà relata Pij V. non dicit expressè se derogare fundationi vllius beneficij. 71. Extensio ad præstimonia quomodo intelligenda?



SECTIO VIII.

Quænam excusent ab Horis Canonicis?

72. Excusantur Beneficiarij nihil percipientes. Circa quartum in titulo Sectionis præcedentis propositum, Dico quartò multa excusare à recitatione officij Beneficiarios, aut alios Clericos: & consequenter à pœna contra non recitantes statutâ. Primò enim Beneficiarij, qui non sunt in sacris, non tenentur ex se, & si nihil recipiunt ex Beneficio, nec vnquam recipient, non tenentur etiam ratione beneficij, dummodo per eos non steterit quo minùs sint percepturi: vt bene docent Nauarrus, Panormit. & plures alij, quos sequuntur Malder. tract. 10. de Iustitia, cap. 2. dub. 3. & Less. cap. 34. dub. 31. num. 168. idemque dicendum de illis qui, ideo nihil recipiunt, quia non resident, & habent iustam causam non residendi. Ratio est, quia talis perinde se habet moraliter, ac si stipendium, & ius percipiendi fructus non haberet. Nam quoad vsum adimitur illi facultas percipiendi; vel in perpetuum, vt in primo casu: vel ad tempus, vt in secundo, pro quo moraliter spoliatur illo iure. Exceptis certis casibus. Secus tamen dicendum est de eo, qui per sterilitatem, vel iniustitiam priuatur ad tempus, v. g. ad annum, perceptione fructuum, etiam sine spe recuperandi. Puto enim cum Suare lib. 4. de Oratione cap. 20. n. 15. & 16. id non sufficere ad excusandum ab officio Canonico, sicut non excusat ab administratione beneficij, & à collatione Sacramentorum, si habet curam animarum.

73. Ratio est, quia Beneficiarius accipit beneficium cum tali periculo morali: & sicut non crescit illius onus, quando per anni vbertatem, aut maiorem populi deuotionem crescunt fructus: ita non debet decrescere propter illam occasionem: præsertim si per fructus vnius anni potest alteri, prouideri, vt communiter contingit. Secus etiam dicendum est de illo qui beneficium acceptat, & totam eius administrationem, cum onere soluendi in pensionem omnes fructus resignanti. Nam sicut iste nihilominus tenetur ad alia onera beneficij, eiusque totam administrationem: ita & ad officium Canonicum. Transit enim ad illum beneficium cum toto suo onere. Et alioquin Ecclesia graue damnum pateretur ex tali resignatione, & Dei cultus notabiliter minueretur. Nam pensionarius non tenetur ampliùs ad officium Canonicum, vt omnes concedunt. Ergo si neque iste tenetur, neuter recitabit. Dixi autem, *beneficium, & totam administrationem:* quia si quis cum Pontificis consensu resignat alteri solum titulum beneficij, retenta sibi eius administratione cum fructibus; tenebitur iste ad officium, non alter merum titulum habens: vt bene docet Suares lib. 4. de Orat. c. 20. n. 5. post Nauarrum, Cordubam, & Tolerum, quos citat.

74. Et qui nondum possident pacificè. Secundò, Beneficiarius qui non est in sacris, non tenetur ad officium, nisi post acceptam possessionem beneficij, eámque pacificam: nisi per ipsum stet habere illam. Quare quandiu cogitur de illo litigare, non obligatur vi illius ad Horas Canonicas. Ita Suares lib. cit. c. 19. in fine, & alij communiter. Ratio præcipua est, quia non censetur quis habere perfectè, & consummatè beneficium donec pacificam habeat illius possessionem, vel per eum stet quòd non habeat. Quod posttemum addo, quia si quis negligenter, aut malitiosè se gerat, non debet illi prodesse fraus, vel negligentia. Nec obest quòd fortasse fructus beneficij illi adiudicabuntur. Nam etiam periculum est contrarij: & sæpe non est maior ratio, cur vnus litigantium obligetur. Non debent autem obligari ambo ad officium propter idem beneficium.

Tertiò, excusant aliqui similiter nouos Canonicos, qui primo, aut secundo anno nihil planè recipiunt ex beneficio, si illi redditus dentur fabricæ, nec illos sint vnquam recepturi: secus verò si redditus anni vnius, quos non recipiunt initio possessionis beneficij, recipiant anno integro post mortem: ita vt per Testamentum, aut aliter possint de illis disponere: quia tunc non carent illis redditibus. Et hanc sententiam probabilem esse censet Lessius c. 34. n. 171. Sed probabilius est quod alibi diximus, Canonicos illos teneri: quia id cedit in eorum bonum. Tenerentur enim singulis annis sequentibus aliquid detrahere pro fabrica Ecclesiæ, nisi primi anni redditus vnius cuiusque pro illa reseruarentur. Quin etiam licet fructus illi non applicentur in commodum Capituli, sed alterius pij operis, putâ hospitalis; existimo cum Suare lib. cit. c. 20. n. 10. & 11. teneri nouum Canonicum ad officium: quia, inquit, per illam consuetudinem iustè, & legitimè introductam, non est factum vt officium pro illo beneficio debitum minuatur: sed potiùs est factum, vt illud idem onus, & officium imponeretur Beneficiario cum illo minori lucro: ita vt fructus sequentibus annis percipiendi acceptentur pro stipendio aut subsidio seruitij à primo die possessionis exhibiti. Vt ex eo patet, quòd nouus Canonicus tenetur ab eo tempore assistere choro, & canere, atque alijs functionibus suæ præbendæ satisfacere. Hoc enim signum est non fuisse diminutam obligationem officij quoad alia munia. Ergo nec quo ad recitationem horarum, quæ non est deterioris conditionis, quàm alia, imò in Canonicis est præcipua. Non est, inquam, facta per hanc consuetudinem diminutio cultus diuini; sed diminutio stipendij, aut subsidij. 75. An etiam noui Canonici?

Quartò, Coadiutor alicuius beneficij non tenetur ad horas, nisi sit in sacris, vel professus ad chorum, vel habeat aliud beneficium: non autem si accipiat stipendium ex illo beneficio, cuius est Coadiutor: Neque qui habet tantùm Capellaniam non collatiuam. Ratio est, quia hæc non sunt beneficium Ecclesiasticum. Vocatur autem Capellania non collatiua, illa, quæ à Patronis, etiam Laïcis, conceditur sine collatione Prælati Ecclesiastici: quæque non aliter instituitur, quàm quia Laïci relinquunt bona sua cum hoc onere, vt certa pensio detur, vt fiant sacra, vel recitentur aliquæ preces. Collatiua verò dicitur illa, quæ erigitur anctoritate Episcopi, licet ex bonis Laïcorum instituta sit, & ius præsentandi sit illis tanquam 76. Vel Coadiutores Beneficij, & Capellani.

Hh 3

Patronis Laïcis reseruatum. Et hæc obligat ad officium, quia est verum beneficium Ecclesiasticum. Neque ab hoc onere excusantur, vt probabilius arbitror, nisi fortè ratione consuetudinis, in fauorem studiorum, adolescentes, qui fructus omnes Capellaniæ expendunt in alendo Sacerdote, qui Missas ex fundatione necessarias celebret: tum quia recitatio officij est onus personale, quod non potest per alium præstari: tum etiam, quia Sacerdos stipendiarius non obligatur vi stipendij Missarum, ad recitandum officium. Ergo vel perit obligatio, quod est falsum: vel manet apud Capellanum. Prior verò non obligat ad officium Canonicum: imò neque ad paruum officium B. Virginis vi Bullæ Pij V. quia non est pensio Clericalis; sed stipendium pro munere sacro in fundatione designato. Coadiutor quoque non obligatur vi eiusdem Bullæ ad paruum officium, si accipit non vt pensionem Clericalem, sed vt merum stipendium laboris in Coadiuuando. De illis verò qui non sunt tantùm Coadiutores, sed accipiunt in commendam totam administrationem beneficij, siue in perpetuum, siue ad tempus, alia est ratio. Quia licet non sint Beneficiarij: tamen obligantur ad officium Canonicum, æquè ac ad reliqua eius munia, & onera, ratione pacti, quo totum onus beneficij in se susceperunt. Præsertim verò si beneficium nondum alteri collatum est; aut si datum est infanti, qui nondum potest recitare officium. Debet enim illius recitandi obligatio penes aliquem esse. Ita Suar. tract. 4. de Religione lib. 4. c. 20. apud quem plura de his videri possunt.

77. Vel qui modicū quid percipiunt. Quintò, Beneficiarius, qui nondum est sacris Ordinibus initiatus, si tam exiguos redditus percipit, vt non superent octo aureos, non tenetur ad recitandum officium, inquit Dominicus Sotus. Imò si non suppeditat quindecim, aut sexdecim aureos, non tenetur quotidie recitare, sed pro rata illius valoris, inquit Less. c. 34. n. 169. Ratio præcipua est, quia non est præsumendum Ecclesiam velle obligare ad tantum onus in totam vitam, pro tam exiguo stipendio. Neque dicas nullam fieri iniuriam volenti, & acceptanti beneficium cum illo onere. Nam credibile non est Ecclesiam abvti paupertate hominum, & eius occasione obligare illos ad onera, & labores mercedi improportionatos. Qui autem acceptant huiusmodi beneficia, sunt pauperes, qui cùm nequeant assequi meliora, necessitate compelluntur vt hæc acceptent. Atque id, quod diximus, præcipuè verum est, si tenue illud beneficium habet obligationem præstandi alia multa officia spiritualia præter officium Canonicum: quæ tam multa esse possunt, vt nihil pro officio computandum supersit, ideóque Beneficiarius ab illo excusetur, modò alia præstet: iustéque reputari possit hæc beneficia non esse data pro munere recitandi horas, sed propter alia seruitia: vt bene dicit Suares lib. 4. cit. c. 21. n. 11.

78. An etiam qui non possunt viuere ex Beneficio? Addunt aliqui, vt ipse refert ibidem n. 2. Illum quoque non teneri, qui non habet ex beneficio vnde sustentari possit toto anno. Atque ita etiam sua ætate sensisse multos pios & doctos testatur Nauarrus in Commentario de Orat. & Horis Canonicis c. 7. n. 27. Nam, inquiunt, tam exiguum beneficium, in lege pœnali, siue onerosa, non censetur habere rationem beneficij, sicut videre est cap. 15. *cui, de Prabendis, in 6.* vt notant Glossa, & Doctores ibidem, & C. *Cum teneamur, eodem titulo,* & cap. *Postulasti, de Rescriptis.* Ideóque beneficium non sufficiens ad sustentationem, est impropriè beneficium iuxta Canones. Atqui in lege pœnali, cuiusmodi est illa quæ obligat ad Horas Canonicas, voces non sunt impropriè sumendæ, sed in proprijssima, & stricta significatione, maximéque benigna: vt dicitur *de Regulis iuris, in 6. Regulâ 49.* Confirmatur, quia Ecclesia nemini imponit onus contra naturalem æquitatem. Esset autem contra illam obligare hominem ad quotidianum opus tam difficile, idque per totam vitam, nisi det illi vnde possit commodè viuere per totam vitam. Qui enim quotidie per totam vitam laborat, debet quotidie, & totâ vitâ mercedem accipere. Atque hinc est quod olim quando omnes Clerici tenebantur ad chorum, *dist. 91. cap. 1. 3. & 5.* omnes etiam debebant ali ab Episcopo, *Extra, de Prabendis cap. 2.* Sed iam cùm soli Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ad horas obligentur, hos solos alere tenentur Episcopi, si aliunde non habent vnde viuant, *Extra, de Prabendis cap. 4. & 16.* Addunt præterea quidam recentiores, illum qui habet altare, aut Capellam, & cùm non sit Sacerdos, expendit fere omnes redditus in substitutum qui facit sacra, illius loco, debita ex fundatione, ita vt ei non restet vnde viuat, similiter non teneri ad horas. Quia ille curat fieri quæ præcipua sunt, hoc est, sacra debita: & vt hoc curet, omnia fere expendit: non censentur autem fructus beneficij, nisi illi, qui subductis omnibus oneribus supersunt; neque enim potest ali beneficiarius, nisi ex istis quæ illi restant deductis oneribus.

Sed his non obstantibus, censeo tales teneri ad officium recitandum, iuxta ea quæ suprà diximus cum Lessio & pluribus alijs: neque esse necessarium ad diuturnam & perpetuam obligationem vt beneficiarius accipiat redditus ad victum sufficientes. Cum enim labor recitandi sit exiguus, & breuis, vltráque illum multa alia præstare possit beneficiarius, vnde reliqua sibi comparet ad victum necessaria: non est iusta ratio illum excusandi à recitatione officij, ideo quia ex eo solo viuere nequit. Falsúmque est fundamentum cui nituntur assertores contrariæ sententiæ, beneficium tenue non esse propriè beneficium: nam tota definitio beneficij verè illi conuenit: & in iure Canonico vocatur simpliciter & absolutè beneficium, vt cap. *Collatio, de officio legati, in 6.* & cap. *Is cui,* de officio & potestate iudicis delegati, ibidem, iunctâ glossâ, vtriusque capitis: & confert verè spirituale ius, sufficitque ad fruendum omnibus priuilegijs, quibus fruuntur Clerici minorum Ordinum habentes pingue beneficium. Et denique Canones supponunt beneficium non excusare ab officio, licet ad victum non sufficiat, cap. *Clericus victum, dist. 91.* vbi de Clerico paupere dicitur, vt artificiolo, vel agricultura, victum & vestitum sibi paret, absque 79. Respondetur negatiuè.

officij sui detrimento. Quare sententia contraria, vt nimis laxa, rejicienda est, & in praxi non sequenda.

80. Ad quid tenentur pensionarij? Sextò, qui habent pensionem Clericalem, tenentur recitare quotidie paruum officium Beatæ Virginis, illis in locis, in quibus fuit recepta Bulla Pij V. de Horis Canonicis. Vbi verò nondum recepta est, ad nihil recitandum obligantur: quia pensio non est beneficium. Similitérque qui habent præstimonium, tenentur ad Horas Canonicas vbicunque Bulla supradicta fuit recepta, nisi aliud habeatur in fundatione. Vbi verò nondum est recepta, tenentur tantùm ad id quod in fundatione exprimitur. Neque dicas, non esse iustum vt Clerici pensionarij ad aliquam vocalem orationem non teneantur: idque meritò supponere Pium V. quando illos obligat ad paruum officium Beatæ Virginis. Quia scilicet tenentur saltem orare pro fundatoribus, aut benefactoribus; & seruire altari, cùm de altari viuant. Respondeo enim posse mentaliter pro illis orare, aut alia pia opera præstare: & cedere in bonum Ecclesiæ quòd destinentur aliqui, & disponantur per huiusmodi pensiones, ad eius obsequium & munia Ecclesiastica. Frequenter autem huiusmodi pensiones dantur, aut institutæ sunt, in fauorem adolescentum studiosorum, qui eximuntur ab onere recitandi preces horarias, vt liberiùs studeant, & aptiores euadant ad ministeria Ecclesiæ. Aliquando etiam dantur in gratitudinem, vel in eleemosynam, vel ad militiam Ecclesiæ defensioni necessariam. Possunt autem his titulis, & similibus alijs, dari conuenienter non obligando pensionarium ad onus precum aliquarum. Notandum autem est pensionem Clericalem vocari illam, quæ non potest dari nisi Clerico. Laïcam verò, quæ potest etiam Laïcis, per modum eleemosynæ, ad tempus, vel ad totam vitam assignatæ, aut stipendij pro aliquo officio temporali, aut ex gratitudine, propter seruitia parentum, Ecclesiæ præstita, vel ab ipso exhibita. Et hæc à fortiori non obligat ad officium Canonicum, neque comprehenditur in Bulla Pij V. obligante pensionarios ad officium Beatæ Virginis. Nota præterea Beneficiarium, qui simul habet pensionem Clericalem, non teneri ad recitandum officium Beatæ Virginis, vltra officium Canonicum; sed satisfacere per istud. Sicut enim beneficiarius habens duo vel tria beneficia, non tenetur recitare toties officium, sed vnicum sufficit pro omnibus, vt declarat Ecclesiæ consuetudo, quamvis vnumquodque illorum per se obliget ad officium Canonicum: ita licet pensio per se obliget ad officium Beatæ Virginis, satisfacit officium semel recitatum pro illa etiam obligatione, quæ potest à pensionarijs multò meliùs impleri per officium Canonicum. Nam Pius V. præcipiens recitari paruum officium B. V. non præcipit determinatè illud recitari cum exclusione officij Canonici, ita vt si velint pensionarij, non possint per istud, & quidem multò perfectiùs, satisfacere.

Beneficiarius habens pensionem non tenetur ad officium paruum B. Virg.

81. Ordinatus per vim, non tenetur recitare preces Canon. Septimò, qui metu cadente in constantem virum initiatur ordine sacro, non tenetur ad officium Canonicum, si nolit vti ordine collato: vt bene docent Nauar. in Manuali cap. 22. num. 51. sub finem, Sanches lib. 7. de Matrimonio, disp. 29. num. 7. & alij. Neque etiam tenetur ille qui ante pubertatem ordinatur, si vult ordinem relinquere: vt addit Sanches lib. cit. disp. 30. num. 12. Adolescentes quoque, qui metu parentum coguntur inuiti acceptare beneficia, & intendunt illa relinquere cùm primùm poterunt, neque intendunt recipere fructus, quamvis eorum parentes ipsis inuitis, illos recipiant, non tenentur ad Horas Canonicas: neque postea obligantur ad maiorem restitutionem fructuum, quàm alij fratres cohæredes, sed tenentur omnes & singuli pro rata: vt bene docet Lessius cap. 34. num. 174. Si autem consentiunt ad beneficium; tenentur recitare officium, etiamsi per vicarium illud administrent, ratione suæ incapacitatis, & fructus omnes illi dent. Sibi enim debent impedimentum illud imputare, quando voluntariè accipiunt beneficium cum tali ineptitudine: ideóque non debent liberari ab intrinseco debito beneficij, & ab onere personali quod per se possunt & debent soluere. Non enim possunt sua voluntate separare titulum beneficij ab onere illi per se annexo. Vel itaque non acceptent: vel contenti sint honore beneficij, & spe percipiendi fructus quando erunt capaces illud administrandi. Excusant tamen aliqui adolescentes qui versantur in Scholis infimis: quia studijs ita occupantur, vt non possint sine magno eorum incommodo recitare officium. Et quidem existimo id sufficere vt possit à Prælato in aliquid minus commutari. Addit Sanchez lib. 2. Consil. cap. 2. dub. 61. aliquos recentiores magistros admodum doctos asserere pueros ante annum 14. non teneri ad recitationem Officij. Alios verò affirmare non teneri ante annum 12. Quas sententias meritò negat esse probabiles: docétque puerum teneri ad recitationem officij statim atque recepit (aut saltem possidet pacificè) beneficium Ecclesiasticum: dummodo sit rationis compos, & commodè possit, ac latinè legere nouerit. Quia ius obligat omnes beneficiarios. Et certissima sententia est præcepta Ecclesiæ obligare omnes doli capaces, dempto ieiunio, & sufficientem vsum rationis habentes ad exequendum id quod præcipitur.

82. Dispensatus à Papa non tenetur recitare Horas Canonicas. Octauò, Religiosus, vel sacris Ordinibus initiatus, dispensatus à Papa vt ducat vxorem, non tenetur recitare officium, si ducat vxorem, vel si deponat habitum Clericalem: vt bene docet Sanches lib. 8. de Matrimonio, disp. 8. num. 11. Similiter degradatus à beneficio qui non est in sacris, sed tantùm habet beneficium, non obligatur ad officium Canonicum, si reipsa illo priuetur. Alioqui verò tenetur illud recitare quamdiu retinet beneficium. Degradatus quoque à sacris Ordinibus, & nullum habens beneficium, si alatur ab Ecclesia in Monasterio, vel in carcere; tenetur recitare horas, cùm sustentetur ab Ecclesia. Sed si mittatur ad triremes, vel in exilium, ita vt nihil recipiat pro sua sustentatione ex bonis Ecclesiæ; non tenetur. Et quidem omnes qui mittuntur ad triremes, liberari à recitatione ho-

An etiam degradatus? Vel missus in exilium, aut ad triremes?

rarum affirmat Lessius cap. 37. num. 45. in fine. Cur autem non teneatur neque ille qui ejicitur in exilium, neque ille qui mittitur ad triremes, ratio est, quia causa cur illi, qui sunt in sacris, teneantur ad Horas Canonicas, non est solus character, qui etiam manet in triremibus, imò & in cœlo, & in inferis: sed præterea quia illi, qui sunt in sacris, plenè gaudent omnibus Clericorum priuilegijs, & quia Ecclesia tenetur eos alere, si aliunde non habent vnde viuant, vt suprà diximus. At degradatos à sacris non tenetur Ecclesia nutrire, neque gaudent vllis Clericorum priuilegijs, siue mittantur ad triremes, siue in exilium. Adde quòd indecorum esset damnatos ad triremes præseferre illud insigne sui ordinis, recitando officium in illo statu vilissimo, & ignominiosissimo, in quo versantur. Quare non assentior Suari lib. 4 de Orat. cap. 17. in fine, affirmanti ad officium obligari Religiosum damnatum ad triremes, quia manet status Religiosus, seu vinculum professionis: similiterque teneri etiam ordinatos; quia manet status Ordinis sacri. Alia est ratio de fugitiuis tantùm Religiosis, aut alijs, per quos stat ne alantur ab Ecclesia, vel gaudeant Clericorum priuilegijs. Illi enim non debent propter suam malitiam, & fugam voluntariam, liberari ab hoc onere.


Aut Religiosus fugitiuus?

83. *Vel qui non interfuit choro?*

Nonò, Religiosi professi, ad chorum deputati, & nondum sacris Ordinibus initiati, si choro non intersunt, non excusantur ab officio priuatim recitando: nisi fortè in aliquo Ordine antiqua & legitima consuetudo esset non recitandi. Cùm enim tales Religiosi non obligentur ad recitationem officij nisi ex Regula, vel ex consuetudine, vt diximus Sect. præcedenti, num. 60. cum communi sententia Theologorum: iudicandum est ex eadem consuetudine & Regula de modo & mensura obligationis. Idémque dico de Monialibus. Puto autem apud omnes consuetudinem esse recitandi priuatim. Licet Caiet. in Summa V. *Horæ Canonicæ*, & Armilla eodem V. num. 4. hac de re dubitent, & aliqui recentiores eos sequuti censeant Monachos & Moniales, interrogantes de hac obligatione, remittendos esse ad suas Regulas, & consuetudinem suæ Religionis: sique de istis dubitant, debere dubium deponere, & eo deposito non obligari: quia in dubijs potior est conditio possidentis suam libertatem. Addit Arago quæst. 83. art. 2. dub. 4. conclus. 3. eos non peccare mortaliter, licet ter aut quater omittant priuatim recitare: quia, inquit, hæc consuetudo orta est ex statuto Regulari, quod non solet obligare ad peccatum mortale. Sed hæc ratio probaret non peccare mortaliter etiamsi semper omittant: quod tamen Arago non audet admittere, quia est contra iudicium prudentum & bonorum, à quo non puto esse recedendum, in re præsertim tanti momenti, neque in praxi sequendam esse contrariam sententiam. Omnino tamen probabile iudicio quod ait Lessius cap. 37. num. 51. 84. posse huiusmodi Religiosos dispensari à Prælato suo, quando causa subest. Cùm enim hæc tota obligatio pendeat ex Regula vel ex consuetudine; possunt Superiores in ea dispensare, sicut in alijs statutis, etiam obligatorijs. Quare si talis Religiosus, abfuturus à choro, petat à Superiore dispensationem, & obtineat; erit tutus in conscientia; præsertim cùm tales Religiosi mittantur vt plurimùm ad Scholas vt studeant. Imò si in aliquo Ordine, vel Monasterio sit consuetudo vt professi nondum ordinati, in studijs versantes, vel alijs negotijs occupati, propter quæ choro interesse nequeunt, non recitent officium; non est opus dispensatione: vt addit Less. ibid.

Religiosus potest dispensari à Prælato.





DISPVTATIO SEPTIMADECIMA.

De Adoratione, Sacrificio, & alijs Oblationibus.

DE Adoratione, & Sacrificio, alijsque Oblationibus disputat S. Thom. quæst. 84. & tribus sequentibus. In quarum prima docet Adorationem esse actum Religionis: quia Deo reuerentiam exhibet, quod est Religionis proprium. Et quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili: duplicem Adorationem Deo offerendam esse: nimirum spiritalem, & corporalem: siue internam, & externam. Quarum illa principalior est, & altera ad eam refertur: quia in omnibus actibus Latriæ id quod est exterius, refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius. Addit determinationem loci non requiri ad Adorationem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius: sed secundùm quandam decentiam, quando exhibetur per signa corporalia.

In secunda affirmat Sacrificium pertinere ad ius naturale: quia naturalis ratio dictat vt quemadmodum Dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominij: ita etiam Deo, tanquam supremo omnium Domino, res quasdam sensibiles offeramus in signum debitæ subiectionis. Cúmque Deus solus sit animarum nostrarum creator, & beatificator; illi soli Sacrificium offerendum esse. Et hunc actum, quia ad reuerentiam Dei pertinet, Religionis proprium esse. Ad quem tamen non tenentur omnes, licet teneantur offerre Deo sacrificia quædam impropriè dicta, id est, opera bona interna, & externa.

In tertia dicit teneri homines, non quidem ad legis Mosaïcæ oblationes faciendas; sed ad quasdam alias in Ecclesia consuetas. Et huiusmodi oblationes Deo factas pertinere ad Sacerdotes, non solùm vt eas in suos vsus conuertant: verùm etiam vt fideliter eas dispensent partim

in ea quæ sunt cultus diuini, partim in suam sustentationem, & partim in subuentionem pauperum. De iniustè autem acquisitis, & possessis non posse fieri oblationem: secus verò de quolibet licitè possesso, per se loquendo, id est, nisi per accidens aliquid obstet: putà, si talis oblatio vergat in detrimentum alterius: vt si filius offerat Deo id, vnde debet patrem alere: vel propter scandalum, aut contemptum, aut aliud huiusmodi. Denique teneri homines in noua lege primitias fructuum terræ offerre Deo, & soluere, secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum Ecclesiæ: sicut in lege veteri tenebantur iuxta determinationem iure diuino factam.

In quarta asserit teneri homines ad solutionem Decimarum partim ex iure naturali, & partim ex institutione Ecclesiæ. Déque omnibus possessis soluendas esse. Eas verò accipiendi ius ad solos Clericos pertinere: quamvis res ipsæ possint etiam spectare ad Laïcos, & in eorum vsum cedere. Neque modò solui debere à Laïcis: sed etiam ab ipsis Clericis: non vt Clericis, id est, quatenus habent possessiones Ecclesiasticos: sed provt aliquid aliud proprium possident vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quocunque huiusmodi modo. Hucvsque D. Thomas.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Adoratio?

1. Definitio adorationis. ADoratio, provt est actus Religionis erga Deum, definiri sic potest. Est actus quo nos Deo submittimus, & illum tanquam nobis Superiorem, & summè præcellentem honoramus cum nostri demissione, hanc ipsam demissionem illi exhibendo, seu protestando, modo aliquo conuenienti. Quæ definitio sumitur ex D. Thoma, quæst. 84. art. 1. & 2. Nam art. 1. affirmat adorationem, quâ Deus adoratur, esse actum Religionis, quia adoratio ordinatur in reuerentiam eius qui adoratur: Religionis autem proprium est reuerentiam Deo exhibere. Et art. 2. in corp. & ad 2. addit duplicem esse adorationem quam Deo offerimus: scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis demissione: id est, vt explicat paulò post, in affectu subjiciendi se Deo propter supremam ipsius excellentiam: & in corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Quarum præcipuam dicit esse adorationem internam. Quia, inquit, sicut oratio duplex est: vna mentalis, & altera vocalis, seu verbis sensibilibus expressa: quarum illa principalis est, atque primordialis: Sic adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit: secundariò autem in quibusdam corporalibus signis humilitatis, vt genuflexione, prostratione corporis, & similibus, nostram internam submissionem significare idoneis.

2. Adoratio est duplex, interna, & externa. Itaque iuxta illius doctrinam, adoratio strictè sumpta pro actu quodam peculiari Religionis erga Deum, duplex est. Vna interna, consistens in interiori mentis submissione ad Deum, propter supremam illius excellentiam: siue fiat per actum voluntatis se ipsam submittentis, Deoque suam submissionem significantis & exhibentis: siue etiam adhibito actu intellectus, aut alterius potentiæ internæ, in signum illius submissionis, & protestationem diuinæ excellentiæ. Altera est externa, quæ fit aliquo gestu corporis, vt genuflexione, incuruatione, & prostratione corporis, alijsque similibus, aptis ad significandam nostram demissionem, in reuerentiam & protestationem supremæ Dei maiestatis. Quæ tamen vt sit vera adoratio, & non simulatoria, vel apparens dumtaxat, debet esse coniuncta actui interno submissionis, & cum illo vnum moraliter actum integrum adorationis constituere. Debet etiam tum actus ille externus, tum etiam internus exhiberi illi ipsi qui adoratur. Nam qui alteri profiteretur se esse Deo, vel Rege inferiorem, & vtrique submissum, non propterea Deum, aut Regem adoraret: sed de conceptu integro adorationis est vt exhibeatur reuerentia ipsi adorato, illi se prosternendo, genuflectendo, aut quid simile mente vel corpore præstando.

3. Damasc. orat. 1. & 3. de imagin. Vnde sequitur primò, vulgarem definitionem adorationis, sumptam ex D. Damasceno, quâ dicitur esse submissionis & honoris nota: vel, Animi cedentis, & humilis, atque submissi significatio: intelligendam esse de quacunque nota conuenienti, & significatione submissionis & honoris; siue interno signo, siue externo exhibitâ. Nam ipsa interior demissio, & submissio voluntatis reuerentis Deum per affectum internum, seque illi tanquam supremo numini submittentis, & submissionem suam interiùs tantùm significantis, est vera adoratio, & quidem primaria & principalis, iuxta doctrinam D. Thomæ locis supra citatis. Quare non est adæquata definitio quam Vasques, Lessius,

& quidam alij recentiores tradunt in hæc verba, *Adoratio est honor externo corporis gestu Deo exhibitus.* Quasi verò nulla sit adoratio propriè dicta, nisi quæ per externos corporis gestus consummatur, vt per genuflexionem, prostrationem, & alia signa exteriora reuerentiæ & submissionis internæ. Nam ex doctrina D. Thomæ, interna submissio voluntatis, actui intellectus aut alteri signo spirituali coniuncta, est vera & propriè dicta magisque principalis adoratio. Neque negari potest quin illa sit verus actus virtutis Religionis, ab alijs distinctus, à deuotione, oratione, sacrificio, voto, iuramento, &c. habénsque laudem & honestatem specialem adorationis. Maximè cùm Scriptura vocem illam in hoc sensu sæpissime vsurpet, affirmans Deum adorari ab Angelis, qui tamen, per se loquendo, & in propria natura, non possunt aliter adorare, quàm per actus internos & spiritales. Essétque absurdum existimare Angelos sine commercio corporis assumpti (in quo etiam vitalem vllam operationem corporalem exercere nequeunt) non posse Deum adorare, vel alios Angelos sibi superiores honorare, illorumque excellentiæ se submittere: cùm in omni Republica, vel corpore mystico bene instituto (cuiusmodi est sine dubio societas Sanctorum Angelorum) debeant inferiores honorare superiores, & omnes Principi supremo se submittere.

Male restringitur ad corporis gestū.

4. Confirmatur ex S. Thoma.

Sanè D. Thom. non obscurè contrarium supponit quæst. 84. art. 2. c. quando rationem cur Deum gestu etiam corporali adoremus, & non solùm affectu & actu interno submissionis, vt Angeli, hanc affert: quia *ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili; ideoque duplicem adorationem Deo offerimus: scilicet spiritalem, quæ consistit in interiori mentis deuotione: & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius, refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem: vt videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo: quia connaturale est nobis vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus.* Hæc D. Thomas, clarè significans necessitatem gestus corporalis in adoratione, non esse ex natura ipsius adorationis; sed ex conditione naturæ nostræ, egentis signis sensibilibus, vt iuuetur ad habendum internum affectum submissionis. Argumenta verò quibus Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 93. contrarium suadere conatur, afferemus & soluemus in tract. sequenti de Incarnat. vbi more aliorum Theologorum fusiùs & ex professo de adoratione, eiusque varijs speciebus disputabimus.

5. Adoratio interna est actus intellectus, & voluntatis.

Sequitur secundò ex dictis, adorationem esse actum vel ipsius voluntatis, seipsam affectu interno submittentis Deo propter supremam ipsius excellentiam, suamque illi submissionem significantis & exhibentis; siue profunda veneratione admirationis, & stuporis cuiusdam, orti ex profunda contemplatione tantæ maiestatis; siue timore reuerentiali, & plena horroris veneratione, ac Religione, vt loquitur Dionys. cap. 13. de cœlesti Hierarchia, ortâ ex consideratione nostræ vilitatis, & infinitæ magnitudinis excellentiæ Dei, immensæque illius gloriæ: partim etiam esse actum alterius potentiæ internæ, quo submissio voluntatis significari Deo & exhiberi potest, v.g. intellectus recognoscentis & protestantis diuinam excellentiam locutione mentali, ipsamque voluntatis submissionem, & vilitatem nostram præ Deo, significantis. Nam actus ille intellectus, quo Deum esse supremum numen & rerum omnium Dominum profitemur, nósque totos ab illo pendere, & ex nobis nihil esse, & quidquid sumus ab illo habere, posséque solo illius nutu in nihilum redigi: ille, inquam, actus intellectus, non minùs est aptus ad protestandam nostram demissionem, & Dei excellentiam, quàm externa genuflexio, vel corporis humiliatio: Partim denique, si adoratio est externa, esse actum potentiæ motiuæ, & corporis ipsius, exhibentis gestum aliquem aptum ad significandum exteriùs, affectum internum reuerentiæ & submissionis erga Deum. *Sicut genu flectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis*, vt ait D.Thom. q. 84. a. 2. ad 2.

Externa est actus etiam potentiæ motiuæ.

6. Adoratio externa cur exhibeatur.

Porro licet Deo notissima sit per seipsam interna nostra submissio, & spiritalis adoratio: quia tamen spiritu & corpore constamus, & Deus vtriusque auctor est: debemus illum vtroque adorare, siue pro vtroque tributum illud honorarium adorationis soluere. Cúmque homines socialiter viuant; debent non solùm Deo, vel Angelis, sed alijs quoque hominibus significare suam erga Deum submissionem, séque esse veri Dei cultores, & adoratores: quod facere nequeunt per actus purè internos & spiritales, hominibus incognitos. Et hoc ipsum satis patet lumine naturali. Ideóque meritò hæc obligatio colendi Deum externâ quoque adoratione, dicitur esse iuris naturalis. Idque significat Apostolus Rom. 1. ver. 20. & 21. cùm ait Gentiles esse inexcusabiles, quia cùm lumine naturali Deum cognouissent, & scilicet intellexissent esse colendum, & adorandum, *non sicut Deum glorificauerunt*, sed, vt addit vers. 23. *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*; id est, variorum Idolorum, & falsorum numinum, quæ Dei loco adorauerunt actu etiam externo. Eandemque adorationem iure diuino positiuo fuisse præceptam patet ex cap. 20. Exodi ver. 2. & tribus sequentibus, vbi Deus iubet nullum alium Deum, præter se vnum agnosci & adorari: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me*; id est, præter me, vt vertunt septuaginta, & Chaldæus interpres: vel, vt est in textu Hebræo, *Non habebis Deos alienos mecum*: quasi dicat, Nullum alium mihi in consortium Deitatis adiunges: nullum alium vt dominum Deum tuum agnosces, quem vt talem colas & adores. *Non facies tibi sculptile, &c.* id est, non facies tibi falsorum Deorum simulacra, & vt vertunt septuaginta, Idola: *Non adorabis ea, neque coles*; sicut me colere,

Adoratio præcipitur in Script.

& adorare debes, qui sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, &c. Vbi etiam de perfecta adoratione, qualem Ethnici Idolis suis exhibebant, sermo est. Clariùs verò id patet ex Deuteron. 6. ver. 13. vbi Deus per Moïsem sic præcipit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* Nam de timore reuerentiali, proprio adorationis, Sermonem ibi esse Christus ipse significauit Matth. 4. ver. 10. cùm eadem verba sic repetiuit, *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, illisque Satanam reiecit postulantem vt pronus, & cadens in terram, adorationis cultum sibi deferret.

7. Quomodo præcipiatur? Quamvis autem neque præcepto naturali, neque diuino positiuo, præcipiatur determinatè adoratio purè interna: sufficit enim ad implendum præceptum, sine animo simul & corpore Deum identidem adoremus, qui modus adorandi nobis facilior, & connaturalior est, atque perfectior, cæteris paribus, solo interno: neque etiam determinatè præscribatur hic aut ille gestus corporis, quo submissio mentalis significetur exteriùs; sed tantùm indeterminatè vt aliquo gestu apto & decenti id fiat; neque etiam locus, aut tempus adorandi; sed illorum determinatio prudenti hominum iudicio facienda relicta sit, vel legibus humanis præscribenda: Omnino tamen actus proprius & formalis adorationis est in præcepto, sicut actus credendi, sperandi, & amandi. Si enim lege naturali & diuina obligamur parentes exteriùs, & interiùs honorare: multò magis Deum: & Deus ipse à nobis exigit honorem & timorem reuerentialem, qui ad Religionem pertinet, cùm sic ait: *Si pater ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus, vbi est timor meus?* Malach. 1. v. 6. Timor scilicet quo Deum vt supremum Dominum reueremur.

8. Debetur etiam iure naturali. Quare non assentior Suari tom. 1. de Religione, tract. 2. lib. 1. cap. 2. ipso fere initio, affirmanti, ex vi solius legis naturalis non teneri hominem colere vel adorare Deum alio cultu purè interno, quàm actibus Fidei, Spei, Charitatis, & pœnitentiæ si peccauit; etiamsi materialiter sumptis, & non ex intentione speciali colendi Deum exercitis: Quia, inquit, cùm illi nos vniant Deo sufficienter: & per fidem habeat homo conuenientem de Deo existimationem; per Charitatem verò, & Spem, illi vniatur vt summo bono, & supremæ causæ salutis suæ: nullum est principium naturale, ex quo possit colligi naturalis obligatio exercendi alios actus internos adorationis, aut etiam eliciendi actus Fidei, Spei, & Charitatis, ex imperio Religionis, ad recognoscendam diuinam excellentiam, eique debitam subiectionem exhibendam. Soluitur argum. contrarium. Ad quod argumentum respondeo, teneri hominem naturaliter præstare Deo debitam seruitutem, illúmque vt supremum Dominum agnoscere interiùs, & illi vt tali se ex animo submittere, suamque submissionem exhibere: in quo consistit actus adorationis internæ. Ac si externa adoratio est specialiter & secundùm se debita iure naturali, vt fatetur Suarez eodem cap. num. 4. in fine, & clariùs cap. 1. num. 13. par est ratio vt internâ quoque mentis submissio ei iure naturali debeatur. Nam *Spiritus est Deus: & eos qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare*, Ioan. 4. id est, non sola corporis submissione, sed mentali multò magis Deum vt verum Dominum agnoscere, illique vt tali se subijcere. Et quemadmodum non sufficit opera externa Fidei, Spei, & Charitatis exercere, sed actus etiam externus adorationis in propria specie est necessarius ex præcepto naturali & diuino vt fatetur Suares. Sic etiam vi vtriusque præcepti debet esse necessarius affectus internus, illi externæ submissioni conueniens & proportionatus, dánsque illi proprium esse virtutis, & rationem adorationis. Nam lex naturalis, & diuina non præcipiunt solum actum externum, sed verum actum virtutis. Eadémque de causa lex diuina præcipiens actus Fidei, Spei, & Charitatis, non præcipit solùm externa harum virtutum opera: sed præcipit etiam internos actus, ex speciali earum honestate exercendos. Neque sufficit exercere actum externum adorationis ex motiuo eminentiore Charitatis. Nam Deus submissionem & honorem, ac timorem reuerentialem à nobis exigit, verbis suprà relatis ex Malach. 1. ver. 6. Et hactenus de adoratione prout est actus peculiaris Religionis erga Deum.

Superest notare, nomen adorationis ex vi vocis, & ex frequenti vsu Scripturæ, Patrum, & auctorum prophanorum, sumi latiùs; quàm pro actu Religionis supradicto: nimirum generaliter pro quocunque actu, quo vnus alteri se submittit, & illum tanquam sibi præcellentem honorat, cum aliqua sui demissione, & externa illius demissionis significatione ipsi exhibita. 9. Adoratio latè sumpta quid sit? Dicitur enim adoratio, quasi ad osculatio, eò quòd olim adorantes, manum ad os proprium admouere solerent, eámque postea ad genua, vel ad pedes adorati demittere, vel illius genua osculari: sicut nunc etiam fit quando humiliter salutantur magnates. Idémque significat vox Græca προσκύνησις, & testatur VII. Synodus Act. 7. in Epist. ad Imperatores Constant. & Irenem, vbi affirmat idem esse adorare, & sic osculari: VII. Synod. *κυνεῖν enim antiqua Græcorum dialecto salutare & osculari significat*; inquit Synodus, *præpositio autem πρὸς, intensionem significat desiderij.* Hebraïcè verò adoratio dicitur à verbo השתחוה, id est, incuruare se, & profundè humiliare: qui gestus corporis aptissimus est ad nostram demissionem significandam, & protestandam alterius excellentiam. Scriptura quoque nomine adorationis sæpe significat non solùm eam demissionem quæ Deo exhibetur ad profitendam supremam illius maiestatem, nostrámque vilitatem: verùm etiam illam quæ fit creaturis excellentibus, siue Angelis, siue hominibus, ad qualemcunque illorum excellentiam protestandam.

Adoratio triplex. Vnde sicut generaliter triplex est excellentia: vna increata, diuina, & infinita, solius Dei propria: altera creata, & naturalis, consistens in virtutibus naturalibus intellectus & voluntatis, aut ciuili dignitate & potestate: tertia denique creata quidem, sed supernaturalis, consistens in virtutibus supernaturalibus, præcipuéque in gratia & gloria sanctis communicata, vel in spirituali dignitate & potestate à Deo concessa:

concessa: Ita triplex generatim est adoratio, triplici illi excellentiæ cum proportione respondens. Vna est adoratio Latriæ, soli Deo absolutè conueniens, ad protestandam supremam, increatam, & infinitam illius excellentiam: de qua dicitur Deuteron. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: & Apocal. 19. *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, &c. Deum adora*: quia genus illud adorationis neque Angelis sanctis, neque vlli alteri creaturæ absolutè tribuendum est. Altera est adoratio Duliæ, quæ exhibetur Sanctis & iustis, propter excellentiam supernaturalem: de qua intelligendum est illud Genes. 19. ver. 1. *Cum vidisset eos* (Loth scilicet duos Angelos) *surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram*: & Numer. 22. v. 31. *Vidit* (Balaam) *Angelum stantem in via, euaginato gladio, adorauitque pronus in terram*: & Iosue 5. ver. 13. & sequent. vbi Iosue, postquam audiuit Angelum, sibi apparentem, esse principem exercitus Domini, cecidit pronus in terram, & adorans ait: *Quid Dominus loquitur ad seruum suum?* & 4. Reg. 2. ver. 15. vbi de quinquaginta filijs Prophetarum occurrentibus Elisæo Prophetæ, sic dicitur, *Et venientes in occursum eius, adorauerunt eum proni in terram*. Et Act. 10. *Cum introisset Petrus, obuiam venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit*. Priùs autem audiuerat Cornelius ab Angelo Petrum esse illum à quo docendus erat quid oporteret ipsum facere vt Deo placeret, & salutem consequeretur: ac proinde illum tanquam à Deo missum, & scientia supernaturali instructum honorauit. Tertia denique est adoratio ciuilis, siue obseruantiæ politicæ, quæ exhibetur Regibus, Principibus, Magistratibus, Dominis, Parentibus, Magistris, & alijs dignitate aliqua ciuili, aut virtute, scientia, sapientia naturali, vel alio simili ornamento præstantibus, verè honore digno. De quo genere adorationis Sermo est Genes. 23. ver. 7. vbi dicitur Abraham adorasse populum terræ, filios Heth: & Genes. 33. v. 3. vbi dicitur Iacob adorasse fratrem suum Esaü, pronus in terram septem vicibus: & Exod. 18. ver. 7. Moïses adorauit socerum suum Iethro, & osculatus est eum: & 1. Reg. 25. ver. 23. Abigail, Dauidem adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius: & 3. Reg. 1. ver. 16. *Inclinauit se Bethsabee, & adorauit Regem Dauidem*: & ver. 23. dicitur Nathan Propheta adorasse eundem pronus in terram: vt Regem scilicet.

(Margin: Vna est Latriæ. — Altera Duliæ. — Tertia, adoratio ciuilis.)

10. Cæterùm differentia inter has adorationes non tam petitur ex signis externis reuerentiæ, & submissionis, quàm ex interno mentis affectu, vel ex institutione, aut consuetudine. Nam alioqui signa illa externa sunt de se indifferentia: & illa eadem quæ Deo exhibentur, solent exhiberi creaturis, excepto sacrificio, & laude Dei factâ vocibus, aut scriptis propriam eius excellentiam ex instituto significantibus: Sic enim v.g. prostratio corporis in terram (quo gestu corporis nullus humilior est, & aptior ad nostram demissionem significandam) adhibetur tamen in adoratione ciuili Genes. 33. ver. 3. vbi Iacob adorauit Esaü pronus in terram: & Ruth 2. ver. 10. vbi Ruth simili modo adorauit Boos: & Dauidem Abigail 1. Reg. 25. ver. 23. & Nathan Dauidem 3. Reg. 1. ver. 23. & Iudith Holophernem, *quæ cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum prosternens se super terram*: Iudith 10. ver. 20. Idémque dico de genuflexione, & de eleuatione manuum in modum supplicantis & implorantis auxilium: déque tunsione pectoris in modum veniam postulantis, & similibus; quæ ipso vsu quotidiano manifestum est quibusdam etiam personis excellentibus in adoratione ciuili exhiberi, vel in eorum ope imploranda, vel postulanda ab illis venia. Quare signa illa ne quidem ex consuetudine, vel institutione humanâ, determinata sunt, sed ab interno affectu animi pendet ad quam speciem adorationis pertineant. Si enim per illa intendimus nos alicui submittere tanquam Deo, illiusque supremam excellentiam protestari; pertinent ad adoratione Latriæ: si tanquam præstanti aliqua virtute supernaturali, iusto, Dei amico, & sancto; pertinent ad adorationem Duliæ: si tanquam præcellenti virtute naturali, aut ciuili aliqua dignitate; pertinent ad adorationem ciuilem, siue ad politicam obseruantiam. Plura de adoratione, quæ hîc desiderari possent, diximus tom. 4. disp. 16. Sect. 1. & seqq. quò lectorem beneuolum remittimus, ne sæpius idem repetere cogamur.

(Margin: Vnde petatur eorum differentia?)

SECTIO II.

Quid sit Sacrificium?

Sacrificium strictè & propriè dictum definiri sic potest: Est actus Religionis, quo res aliqua sensibilis, sensibili modo offertur Deo per sui immutationem, in recognitionem supremæ ipsius excellentiæ, & dominij vitæ & necis, & ad protestandum nos totum nostrum esse ipsi debere, illiúsque destructionem, si opus sit. Quæ definitio vt explicetur, nota primò, Sermonem hîc esse de sacrificio strictè & propriè sumpto, quodque homines intelligunt per nomen sacrificij simpliciter & absolutè prolatum. Non autem prout latè & impropriè sumitur pro quovis opere bono, & præcipuè pro bono opere ad Dei honorem relato. Quo sensu interdum accipitur in Scriptura; vt Psalm. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*: & Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Et Hebr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus*, id est, placatur, & propitius fit, iuxta vim vocis Græcæ εὐαρεστεῖται. Quo etiam sensu D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 6. dicit sacrificium verum esse *omne opus bonum, quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*. 11.

(Margin: Definitio sacrificij.)

Sed hanc non esse propriam vocis huius significationem (quidquid dicant Hæretici huius temporis, vt eludant argumenta in fauorem sacrificij Eucharistici ex sacris literis desumpta) patet ex eadem Scriptura, quæ alibi manifestè distinguit sacrificium ab huiusmodi operibus: 12.

(Margin: Propriè sumptum distinguitur ab alijs bonis operibus.)

vt Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Vbi vt bona sit oppositio, & diuisio, necessarium est nomine sacrificij primo loco simpliciter & absolutè prolati, aliquid aliud intelligi, quàm contritionem cordis, seu dolorem de peccatis propter Deum, quam Deus à Dauide volebat, tametsi nollet ab illo sacrificium & holocausta. Et Osee 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victima: & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum*, quibus duobus locis misericordia, & obedientia manifestè distinguuntur à sacrificio. Patet 2. ex Sanctis Patribus, qui nullum aliud sacrificium esse dicunt in lege Euangelica, quàm Eucharisticum corporis & sanguinis Christi, quod aiunt esse vnicum verum sacrificium, μίαν ἀναίμακτον θυσίαν, vt loquitur Chrysost. in Psal. 95. verum & singulare sacrificium, vt ait August. lib. de Spiritu & litera, cap. 11. & summum verúmque sacrificium, cui sacrificia cuncta falsa cesserunt, vt addit lib. 10. de Ciuit. cap. 20. Et lib. 8. cap. vlt. probat epulas illas, quæ martyrum sepulchris à quibusdam imponebantur, non esse sacrificium, eò quòd vnicum Ecclesiæ sit sacrificium, nempe Eucharisticum. Atqui si omnia bona opera, vel absolutè, vel specialiter ea quæ ad Dei honorem referuntur, essent vera & propria sacrificia; non esset in lege Euangelica illud vnicum & singulare sacrificium, sed tam multa, quot in ea exercentur opera bona, ad Dei laudem & cultum relata. Item, sequeretur omnes Christianos, viros & fœminas, & quicunque bene operantur, esse verè & propriè Sacerdotes, veréque est propriè sacrificare. Quod est absurdum, & inauditum antehac in Ecclesia. Patet tertiò ex communi hominum sensu. Nullus enim est qui cùm audit, aut legit in historijs talem aut talem sacrificasse, non aliud intelligat quàm doluisse de peccatis propter Deum, aut eleemosynam dedisse, aut Deum orauisse, aut gratias illi egisse, vel quid simile. Quare vox sacrificandi, & sacrificij, simpliciter prolata & sine addito, aliquid aliud significat iuxta communem hominum sensum, & vsitatam vocis illius acceptionem.

13. Nec obest illud suprà relatum ex D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 6. Nam cùm ait sacrificium verum esse omne opus bonum, &c. intelligit verum non quoad essentiam & perfectam rationem sacrificij: sed quoad effectum, quem perfectiùs præstat, quàm sacrificia externa animalium, quibuscum ibi comparat bona opera. Meliùs enim hæc Deum placant, nósque Deo coniungunt, & sancta societate inhærere faciunt, quàm sola externa sacrificia quoad id quod habent exteriùs, præcisum à bonis operibus internis. Et hunc esse verum sensum D. Augustini patet ex eius verbis præcedentibus cap. 5.

14. Sumitur pro oblatione, & pro re oblata. Nota secundò, sacrificium strictè sumi aliquando pro actione sacrificandi: & aliquando pro re ipsa quæ sacrificatur. Quæ secunda acceptio in Scripturis frequens est: vt Exodi 40. ver. 27. *Offerens holocaustum & sacrificia.* Et Leuit. 10. ver. 12. *Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est.* Et 4. Reg. 16. ver. 12. *Ascenditque, & immolauit holocausta, & sacrificium suum, & libauit libamina, & fudit sanguinem pacificorum quæ obtulerat super altare.* Hìc verò sumitur in priori acceptione, pro actione sacrificandi, & speciali actu Religionis ab alijs distincto, cuius natura vt meliùs intelligatur, singulæ partes definitionis explicandæ sunt.

Dicitur ergo primò esse actus Religionis: quia ex natura sua præsefert cultum Dei, & refertur ad protestandam supremam eius excellentiam, nostrámque ab illo dependentiam, tanquam à nostro & rerum omnium auctore & Domino: quâ etiam de causa continet cultum Latriæ, & soli Deo exhiberi potest. Vt enim rectè ait D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. Nemo vnquam sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit. 15. Est actus Religionis.

Dicitur secundò, *quo res aliqua sensibilis sensibili modo efficitur*: quia sacrificium est in genere oblationis, vt omnes docent cum D. Thoma quæst. 85. art. 3. ad 3. Est autem oblatio propriè, actus externus, quo aliquid sensibile offerimus Deo de nostris bonis, in recognitionem Dominij, & excellentiæ illius, nostræque ad eum subiectionis, vel ad alium eius cultum Religiosum. Cuius species præstantissima est sacrificium: sed vltra illam sunt aliæ multæ simplices oblationes; vt eorum quæ ad templi vsum necessaria sunt, fundorum, primitiarum, decimarum, & hominum ipsorum vt Deo seruiant: quo sensu dicitur Numer. 8. *Offeret Aaron Leuitas, munus, in conspectu Domini à filijs Israël, vt seruiant in ministerio eius.* Per hanc autem particulam, *res aliqua sensibilis*, explicatur materia *circa quam* actus sacrificandi: quæ quàm multiplex esse possit, liquet ex libris veteris Testamenti, præsertim Exodi, & Leuitici: animata scilicet, vel inanimata; rationalis, vel irrationalis (nam & Abraham filium suum sacrificare iussus est, & Iephte filiam immolauit) necessariò tamen sensibilis: tum quia sacrificium est actus Religionis externus & sensibilis; adeóque circa materiam sensibilem, & sensibili modo factus: Tum etiam quia alioqui sacrificium non esset humano vsui, præsertim publico, accommodatum. Qua de causa Tridentinum Sess. 22. cap. 2. affirmat Christum instituisse in Ecclesia Euangelica (quantúmvis admodum spiritali) sacrificium visibile, *sicut natura hominum exigit.* Neque vlla vnquam hominum Natio, aut Religio, legitur sacrificasse nisi circa aliquam materiam sensibilem, & sensibili modo. 16. Et externus, ac sensibilis.

Dicitur tertiò res illa sensibilis offerri Deo per immutationem, id est, immutari & destrui in Dei honorem: nam duæ illæ particulæ, *offerri*, & *immutari*, sunt intransitiuè hoc loco, & pro eodem accipiendæ: ita vt immutatio sit tantùm differentia determinatiua oblationis: neque est opus in sacrificio alia oblatione, quàm ipsâ rei oblatæ immutatione in Dei honorem factâ. Per hanc verò particulam definitionis differt sacrificium ab alijs oblationibus, quæ 17. Offerens & destruens aliquid in honorem Dei.

sine tali immutatione rei oblatæ fiunt. Consistit autem hæc immutatio, vt ego probabilius arbitror, in destructione rei, ex parte, vel ex toto; & physica, vel morali; factâ ad protestandum nos debere Deo nostrum esse, debereque, si vellet, ipsum totum impendere in eius honorem, atque, si fieri posset, in nihilum redigere. Estque modus ille perfectior offerendi Deo aliquid, cùm per eius peremptionem illud nobis subtrahimus, & in Dei honorem consumimus, qui *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Quanquam non est necessarium vt quidquid sacrificatur, consumatur omnino, vel penitùs destruatur, vt fiebat in holocaustis, quæ tota comburebantur, & in ignem & fumum sursum ad Deum ascendentem resoluebantur: sed sufficit consumi ex parte, aut destrui aliquo modo; vel physico, vt quando occiduntur animalia, fruges torrentur, thus & suffitus incenduntur: vel etiam morali tantùm, vt quando vinum & liquores funduntur, & vsibus humanis inepti redduntur: qua de re plura dicemus in tract. de Eucharistia disp. 38. Sect. 2. vbi contrariam sententiam refutabimus, eorum qui affirmant destructionem rei non esse de ratione sacrificij, contra manifestam doctrinam D. Thomæ quæst. 86. art. 1. c. vbi ponit hanc differentiam inter sacrificium, & simplices oblationes; quòd in illo res oblata consumatur in Dei cultum; in istis non.

18. Quo fiat exhibeatur? Reliquæ particulæ definitionis, *in recognitionem supremæ ipsius excellentiæ, &c.* positæ sunt ad declarandam specialem rationem cultus qui per actum sacrificandi intenditur & exhibetur. Nempe vt profiteamur Deum esse auctorem nostri esse, & Dominum vitæ & necis: illâque hostiæ destructione, quasi vice nostri oblatæ, protestemur nos quidquid sumus, illi debere, dignúmque esse vt si opus foret, & si ipse vellet, totum in eius honorem insumeretur. Cùm enim, vt rectè dicit Euseb. lib. 1. demonstrat. Euangel. cap. vlt. naturali ratione viderent homines suam se vitam Deo debere offerre: quia tamen non conueniebat, neque Deus permittebat homines ipsos sacrificari; lege naturæ introductum est vt homines, vice suiipsorum, animalia vel alias res sensibiles Deo immolarent, protestando se eodem modo vitam suam oblaturos, si oporteret.

19. Est in genere signi ex instituto. Tametsi autem peremptio animalium, vel aliarum rerum sensibilium destructio, apta est ad id significandum: non tamen id ex sola natura sua significat, sed ex hominum intentione & institutione, vel etiam ipsius Dei. Vnde obiter collige sacrificium esse in genere signi: posset enim mactatio animalium alio fine fieri: pendétque ex hominum intentione quòd eò referatur: & ex institutione libera, quòd ad hoc peculiariter significandum determinetur. Debet autem illa rerum peremptio modo aliquo decenti & Religioso fieri; tali scilicet, vt sit aptus ad Deum honorandum, & præseferat illius cultum, & reuerentiam. Qua de causa apud omnes nationes instituti sunt Sacerdotes, id est, homines peculiariter ad sacrificandum deputati nomine communitatis, & Deo consecrati specialiter: adhibitæque ad eadem sacrificia publica vestes sacræ, à vulgaribus distinctæ, templa, altaria, & variæ ceremoniæ. Quanquam in priuatis sacrificijs hæc non obseruabantur: neque sunt de essentia sacrificij generaliter sumpti, prout nunc consideratur: sed tantùm requiritur vt decenti modo fiat illa immutatio, & apto ad prædictam intentionem significandam.

Quare non assentior Lessio cap. 38. num. 11. & 18. affirmanti, ad perfectum & propriè dictum sacrificium requiri vt offerens sit Sacerdos, id est, legitima auctoritate deputatus ad offerendum sacrificium nomine communitatis: quia, inquit, cùm sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo diuinitas ab hominibus colitur; par est vt non fiat passim à quovis, sed à personis selectis, ad hoc peculiariter deputatis, vt nomine omnium faciant, per quos & cæteri censeantur numen colere, & sacrificare. Itémque requiri locum huic muneri dedicatum, qualem altare & aram vocamus: quia dignitas operis requirit locum specialem, ab vsibus humanis segregatum, vt mos omnium gentium confirmat, factumque est in lege veteri, & noua. Non assentior, inquam: quia licet ita sit quoad sacrificia publica, id est, nomine communitatis facta ab aliquo vt persona publica, offerente omnium nomine: sacrificia tamen priuata poterant à quolibet in lege naturæ fieri absque tali deputatione: sicut Genes. 4. Caïn & Abel sacrificarunt: vt confirmat Apost. Hebr. 11. v. 4. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Caïn obtulit Deo.* Et spectando ius naturale, potest quilibet priuatim sacrificare, æquè ac orare, aut adorare. Quamvis in lege veteri, & noua, postquam Deus instituit & determinauit aliqua sacrificia, non possint alia licitè vsurpari, neque ab alijs, quàm quibus ipse commisit. Hoc enim ipso quòd aliqua instituit, censetur alia excludere: sicut postquam Rex designauit homagium, quod vult sibi reddi in recognitionem suæ auctoritatis, & dominij; non licet priuatis aliud reddere, vel in aliud mutare. Item, in lege naturæ, non solùm Sacerdotes, ad id specialiter deputati nomine communitatis sacrificabant: sed etiam priuati, & pro seipsis, vt Abel & Caïn Genes. 4. idque sine altari, vel loco specialiter ad sacrificandum deputato, atque ab humanis vsibus segregato. Non enim constat fuisse talem locum à Caïno & Abele quæsitum ad sacrificandum, vel aram extructam: neque Scriptura id significat: quæ tamen expresse de Noë id notat Genes. 8. ver. 20. & de Abrahamo, Genes. 22. ver. 9. & alibi de alijs. Quare quod ait Lessius non est verum vniuersaliter de sacrificio: neque quod ait Ægid. Coninck tom. 1. de Sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 1. num. 11. debere necessariò sacrificium publica auctoritate institui, neque aliter posse: quia, inquit, est signum ex instituto: signum autem ex instituto non pendet à priuata cuiusque voluntate, sed ab institutione publica. Cui argumento respondendum est, signum quidem publicum non posse nisi publica institutione vel acceptatione institui: secus autem priuatum, quod potest quisque assumere ad exprimendum suum affectum

20. Debeatne offerens esse Sacerdos?

Deo, vel alijs quibus intentionem suam ex adiunctis satis patefacit.

21. Frustra verò respondet Lessius verum esse quod dicimus de imperfecto quodam sacrificij modo. Nam ille modus, tametsi imperfectior modo publicè sacrificandi cum tot adiunctis ceremonijs, non impedit quin sacrificium priuatim factum sit verè ac propriè sacrificium, iuxta definitionem magis receptam, & iuxta sensum & vsum Scripturæ, & Sanctorum Patrum, qui sacrificium Caïn & Abel, factum sine tot ceremonijs vocant simpliciter sacrificium, victimam, immolationem, hostiam, & alijs nominibus, quibus solent vera & propriè dicta sacrificia appellari. Quamvis etiam conuenientius sit sacrificium fieri ab hominibus specialiter deputatis, & in loco à prophanis vsibus segregato: non est propterea id necessarium, & essentiale sacrificio generaliter sumpto: vt patet exemplis.

Hebr. 11. v. 4. Exod. 12. v. 6. c. 21.

SECTIO III.

Quotuplex sit Sacrificium.

22. Diuiditur in publicum, & priuatū.

SAcrificium genericè sumptum potest multipliciter diuidi. Primò enim, ratione offerentis, vnum dicitur publicum, quod fit à persona publica, nomine communitatis, ad hoc specialiter deputata: aliud priuatum, quod à persona priuata offertur proprio nomine. Quæ diuisio ex proximè dictis probata satis & explicata manet. Tantùm addo, illam, vt & plerasque alias deinceps afferendas, non habere nunc locum in statu legis Euangelicæ, in quo Christus vnicum sacrificium Eucharistiæ instituit, perpetuò & vbique celebrandum, virtutem omnium antiquorum eminenter continens, & cætera omnia excludens; ita vt nullum aliud vsurpare nunc liceat; neque si vsurpetur, sit legitimum sacrificium, & actus virtutis Religionis, sed cultus superstitiosus. Quare non assentior Lessio cap. 38. dub. 4. affirmanti probabile esse non fore superstitionem apud Ethnicos qui legem Christi ignorant, si vero Deo alia sacrificia offerant. Quod probat primò auctoritate D. Augustini Epist. 49. quæst. 3. affirmantis eos qui Christianas literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpare in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituant Sacerdotia, & faciant sacrificia: sed quòd hæc idolis & dæmonijs exhibeant. Probat secundò ratione, quia offerre sacrificium est legis naturæ, ex D. Thoma quæst. 85. art. 1. quatenus scilicet lumen naturale vel præcipit, vel suadet Ethnicis sacrificiorum oblationem. Atqui non apparet illis alia ratio conuenientior, quàm ea, quâ offertur aliquid ex animalibus, vel frugibus terræ. Item, in statu nudæ naturæ huiusmodi sacrificia fuissent licita, quia non habuissent aptiora, aut congruentiora naturæ. Cur ergo non etiam modò sint licita apud Indos, & Iaponios, cùm alia diuinitus instituta non habeant?

Nunc non est aliud quàm publicū.

23. Non assentior, inquam: quia vt idem auctor rectè affirmat cap. cit. num. 27. hoc ipso quòd Christus nostrum sacrificium & Sacerdotium instituit, ademit Ecclesiæ potestatem alterius Sacerdotij aut sacrificij instituendi: neque licet illi aliud sacrificium vsurpare, quàm Eucharisticum à Christo institutum. Sicut in lege veteri, hoc ipso quòd Deus Iudæorum Sacerdotium & sacrificia præscripsit, ademit illis potestatem alia sacrificia adiungendi. Et eodem modo si in lege naturæ Respublica institueret Sacerdotium & sacrificia, re ipsa censeretur priuatos restringere ne alia adiungerent. Nam hæc res ad supremam potestatem propriè pertinet. Atqui lex & institutio Christi lata est pro omnibus gentibus & nationibus, ita vt omnes obliget, & teneantur omnes illam amplecti. Ergo Christus hoc vnicum sacrificium præscripsit omnibus. Ergo non magis possunt gentiles (quantum est ex natura rei) licitè vsurpare aliud sacrificium, quàm ipsi fideles & Christiani. Dico autem, *quantum est ex natura rei*; quia ex ignorantia inculpabili institutionis Christi fit vt multi inter illos non illicitè & culpabiliter vsurpent alia sacrificia, existimantes bona fide esse adhuc conuenientia, & ignorantes esse à Deo reiecta, & reprobata per institutionem sacrificij Euangelici. Atque hoc solum est quod dicit S. Augustinus loco cit. à Lessio, non culpari, id est, non damnari culpæ infideles, eò quòd ex ignorantia inuincibili institutionis & legis Christi, offerunt Deo alia sacrificia, & instituunt alia Sacerdotia: sed ideo quia idolis & dæmonijs cultum Deo debitum exhibent, in quo peccant contra lumen naturale. Ad rationem verò à Lessio allatam respondeo sacrificium esse legis naturalis in genere: id est, lumen naturale dictare vel præcipere Deum esse colendum aliquo sacrificio: verumtamen speciem sacrificij non esse lege naturæ determinatam; sed vel relictam cuiusque arbitrio, vel determinatam à publica potestate, Dei, vel communitatis; quæ potestas postquam speciem sacrificij determinauit, tollit subditis potestatem vsurpandi licitè alia. Atque inde fit vt sacrificia illa, quæ in lege nudæ naturæ fuissent licita, nondum facta determinatione à Deo, non sint licita in lege Euangelica.

Et vnicū Eucharistiæ sacrificium.

Secundò, ratione materiæ diuiditur sacrificium in victimam, siue, hostiam; immolationem, & libamen. Quando enim fiebat ex animalibus occisis aut consumptis, dicebatur victima, siue hostia: quæ nomina ab hostibus victis, aut vincendis & debellandis deriuata sunt, eò quòd ad victoriam reportandam, vel ad gratias agendas pro illa reportata, offerri solebant. Quando autem fiebat ex rebus inanimis solidis, dicebatur immolatio, nomine deducto à mola, in qua fruges terebantur: quando ex liquidis, dicebatur libamen: eò quòd vinum, oleum, & alij liquores libarentur, id est, sui effusione offerrentur Deo. Exempla huiusmodi omnium differentiarum extant in lege Mosaica. Nam animalia munda occidebantur, id est, oues, agni, boues, vituli, hædi, capræ, columbæ, passeres, & turtures. Et multæ res inanimæ solidæ offerebantur in sacrificium: nimirum panis, qui in frustra secabatur, vel ex aliqua sui parte comburebatur, re- 24.

Olim aliud erat victima, aliud immolatio, aliud libamen.

liquo cedente in esum Sacerdotum, aut offerentium; simila, quæ sartagine, clibano, vel craticulâ coquebatur: sal, quod in ignem conjiciebatur: thus, quod adolebatur: manipulus spicarum, qui torrebatur; & triticum, quod molâ vel pistillo conterebatur. Liquida quoque nonnulla, sui effusione offerebantur, vt sanguis, aqua, vinum, oleum.

Itē aliud erat cruenti, aliud incruentum.

25. Tertiò, ratione formæ, seu modi quo fiebat, diuidi potest sacrificium in cruentum, & incruentum. Prius fiebat sanguinis effusione, vt in occisione animalium: posterius, sine illa, vt in oblationibus alijs. Vtriusque generis fuerunt multa sacrificia, non modò in lege Mosaïca, vt patet ex dictis: verùm etiam in lege naturæ. Nam Abel, Noë, Abraham, sacrificarunt animalia per ipsorum occisionem, Genes. 4. 8. & 15. Melchisedech verò Rex Salem, & Sacerdos altissimi, dicitur panem & vinum obtulisse in sacrificium, Genes. 14. Valuitque hæc differentia veterum sacrificiorum ad repræsentandum duplex Christi sacrificium: vnum cruentum, in cruce peractum, secundùm quod Christus dici potest Sacerdos secundùm ordinem Aaron: alterum incruentum, in Eucharistia, secundùm quod dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vnde oritur alia diuisio sacrificij generaliter sumpti, in absolutum, & relatiuum seu commemoratiuum. Prius est, quod non fit ad repræsentandum aliud sacrificium: & huiusmodi fuit sacrificium mortis Christi. Posterius verò fit ad aliud sacrificium repræsentandum, siue futurum, siue præteritum: cuiusmodi fuerunt sacrificia legis naturæ, & Mosaïcæ, quæ referebantur ad duplex Christi sacrificium repræsentandum: cuiusmodi etiam est sacrificium Eucharisticum, institutum in commemorationem sacrificij cruenti mortis Christi. Item ex parte modi quo fiebant sacrificia, aliqua dicebantur holocausta, quæ scilicet tota comburebantur in honorem Dei: alia verò manebant aliquâ ex parte, & cedebant in esum Sacerdotum vel aliorum offerentium; vt sacrificia propitiatoria, & pacifica.

Vnū absolutum, aliud relatiuum.

Item vnū latreuticū, aliud propitiatorium, & aliud pacificum.

26. Quartò, ratione finis, aliud erat λατρευτικόν, quod non alio fine offerebatur, quàm ad Deum honorandum: aliud ἱλαστικόν, seu propitiatorium, quod vlteriùs referebatur ad Deum placandum, & propitiandum pro peccatis: aliud pacificum, quod fiebat ad impetrandum aliquod beneficium, vel ad agendas gratias pro iam impetrato, quod etiam specialiùs dicebatur εὐχαριστικόν, seu gratiarum actiuum. Primum istorum sacrificiorùm fiebat per holocaustum: quod genus sacrificij perfectissimum erat, aptissimùmque ad protestandum omnia Dei esse: quippe ad quem res sacrificata, tota in fumum resoluta, ascendebat, nihilque illius vsibus humanis supererat: ideóque sæpissime ad solum illum finem vsurpabatur: interdum tamen fiebat etiam pro peccatis Sacerdotum, & populi. Sacrificium verò propitiatorium partim cremabatur, partim cedebat in esum Sacerdotum, qui idcirco dicebantur comedere peccata populi, id est, sacrificia pro peccatis populi oblata: quo etiam sensu Christus 2. Cor. 5. ver. 21. vocatur ab Apostolo *peccatum*, quia factus est hostia pro peccato: Pacificum denique partim cremabatur, aut aliter insumebatur; partim edebatur à Sacerdotibus, & ab alijs offerentibus: vt ex Leuitico, alijsque libris veteris Testamenti notum est. Porro hæ quatuor differentiæ eminenter continentur in vnico sacrificio Eucharistico: quod est excellentissimè latreuticum, quia infinitè plus valet ad Deum honorandum, quàm omnia legis antiquæ sacrificia: & propitiatorium, quia valet ad peccata expianda, & pro illis offertur, vt Christus ipse affirmauit Luc. 22. ver. 20. & pacificum, quia valet ad impetranda Dei beneficia: & Eucharisticum, quia aptissimum ad gratias agendas. Quare meritò Ecclesia in quadam oratione sic ait: *Deus qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti*: & Tridentinum Sess. 20. cap. 1. in fine, dicit hanc oblationem illam esse, quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur; vtpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio, complectitur.

Eucharisticum eminenter continet omnia.

SECTIO IV.

Vtrum sacrificium sit de lege naturæ?

Circa controuersiam est inter Catholicos sacrificium esse de lege diuina positiua, id est, esse necessarium ex præcepto diuino, etiam nunc in lege noua, sicut fuit in antiqua. Nam Christus verbis illis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit Apostolis, quos tunc instituit Sacerdotes noui Testamenti, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt sacrificium corporis & sanguinis sui deinceps offerrent vsque ad mundi consummationem: vti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit, & contra Hæreticos huius temporis definiuit Trident. Sess. 22. cap. 1. & can. 2. De quo sacrificio, eiusque præcepto plura dicemus in tract. de Eucharistia. Tantùm aduerto in præsens, Christum ita præceptum sacrificandi dedisse; vt tamen Apostolis, & rectoribus Ecclesiæ, reliquerit determinationem temporis, loci, & aliarum circunstantiarum accidentalium, quæ in hoc sacrificio obseruari deberent. Non est quoque dubium determinationem sacrificij ad hanc speciem non esse de lege naturæ, sed esse ex libera institutione diuina & supernaturali: sicut determinatio sacrificiorum facta in lege Mosaïca, & restrictio ad certas species rerum, erat liberæ institutionis Dei, volentis his potius, quàm alijs sacrificijs coli. Spectato enim solo lumine naturali, potuissent res aliæ ad sacrificandum adhiberi: neque vi illius solius necessarium erat his rebus potiùs vti, quàm multis alijs. 27.

Est in præcepto diuino positiuo.

Sed neque etiam dubium est, lumen naturale dictare conueniens esse vt homines offerant Deo aliquod sacrificium, in recognitionem supremi eius dominij supra seipsos, & res omnes creatas. Hoc enim & per se notum est, & confirmatur experientiâ omnium gentium, quæ ipso ductu luminis naturalis Deum vtcumque 28.

Et conforme rationi naturali.

à se verè vel falsò cognitum, sacrificijs coluerunt. Quod enim non solùm ex fidelium disciplina, (si tamen illa ad omnes omnino peruasit) sed etiam naturæ instinctu id fecerint, docet Eusebius libro 1. Demonstrat. Euangel. cap. vlt. vbi affirmat homines, cùm naturaliter intelligerent se vitam suam debere Deo offerre, si opus esset: neque tamen conuenire vt seipsos sacrificarent; substituisse bruta animalia, & res alias, quas vice sui immolarent. Idem quoque docet Clemens Roman. lib. 6. Constitut. cap. 20. vbi asserit Abelem, Noë, Abraham, & plures alios deinceps, non iussos, sed lege naturæ excitatos, vltrò grato animo sacrificasse. Et Serenus Abbas apud Cassianum collat. 8. cap. 23. *Quemadmodum*, inquit, *scire potuit Abel, necdum lege mandante, quòd offerre Deo de primitijs ouium suarum, & de adipe ipsarum ad sacrificium debuisset, nisi per insitam legem naturaliter fuisset edoctus?* Atque inde fit vt sacrificium censeri debeat esse saltem de iure gentium, id est, de iure communiter apud omnes nationes, aut fere omnes recepto; cùm omnes in eo conuenerint, & leges aliquas de sacrificio tulerint; vt ex sacris, & prophanis historijs notum est.

Et de iure gentium.

29. Sitne præceptum iure naturali?

Difficultas verò est, vtrum spectato solo lumine naturali, ac vi illius, non modò conueniens sit, verùm etiam necessarium, colere Deum per sacrificium: Ita vt ratio naturalis per se solam dictet non modò id posse decenter fieri; verùm etiam debere, esséque contra rectam rationem si non fiat? Qua de re duæ sunt oppositæ sententiæ. Prima est eorum qui affirmant, cum D. Thoma quæst. 85. art. 1. c. vbi dicit *ex naturali ratione procedere quòd homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris, secundum similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificij: & ideo oblatio sacrificij pertinet ad ius naturale.* Deinde in solutione primi argumenti addit teneri homines lege naturali ad sacrificandum in communi, licet determinatio ad hanc aut illam speciem sacrificij non sit à lege naturali, sed ab institutione diuina, aut humana. Sicut lex naturalis præcipit puniri nocentes: quamvis determinatio huius, aut illius pœnæ, sit ex constitutione diuina, vel humana. Verba illius hæc sunt: *Aliqua in communi sunt de iure naturali, quorum determinationes sunt de iure positiuo. Sicut quòd malefactores puniantur, habet lex naturalis* (habet autem non tantùm dictando esse conueniens; verùm etiam præcipiendo vt necessarium) *sed quòd tali pœna, vel tali puniantur, est ex constitutione diuina, vel humana. Similiter oblatio sacrificij, in communi, est de lege naturali: & ideo in hoc omnes conueniunt* (id est, apud omnes homines sacrificia fuerunt vsurpata) *sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana, vel diuina: & ideo in hoc differunt*, id est, non ijsdem omnes sacrificijs vsi sunt. Idem etiam docent Caiet. in commentario artic. citati, vbi affirmat esse de iure naturæ quòd sit sacrificandum, non quidem vt principium per se notum omnibus, sed vt conclusionem quæ ex principijs naturalibus deducitur: & Malder. tract. 10. cap. 3. dub. 3. vbi dicit legem naturæ obligare hominem ad cultum Dei externum, & ad optimo modo profitendam cultu externo infinitam Dei maiestatem, supremúmque eius dominium, & suam ipsius subiectionem ac seruitutem. Optimus autem iste modus ex naturali quadam determinatione inuestigabili per humanam rationem, situs est in ritu sacrificandi, quo res sacrificata vice nostri destruitur in Dei honorem. Sic enim optimè protestamur nostram exinanitionem, & respectu diuinæ maiestatis submissionem, & quasi annihilationem: debetéque nos, si oporteret, nostrum esse totum in Dei cultum insumere. Sic ergo sacrificium lege naturæ præceptum est.

Sententia affirmás.

Secunda sententia præcedenti opposita negat sacrificium esse de lege naturæ, in sensu suprà explicato: quam inter alios recentiores tenet Doctissimus Suar. tract. 2. de Religione lib. 1. cap. 3. num. 3. Ratio illius est, quia licet cultus per externas oblationes vel sacrificia, generaliter sumptus, videatur esse posse naturaliter necessarius: tamen comparatus ad cultum externum in communi, iam addit determinationem aliquam iure solo naturali non necessariam: nam multi sunt cultus externi, qui non sunt sacrificia, nec oblationes rerum externarum; vt sunt genuflexio, tunsio pectoris, laudatio, & oratio vocalis, & similes. Possent igitur homines esse contenti similibus actionibus ad Deum adorandum, sine alijs oblationibus: neque hoc haberet intrinsecam deformitatem ex vi legis naturæ, vt per se constat; quia ex nullo principio ostendi potest intrinseca malitia in limitatione talium signorum ad hæc præ alijs. Ergo ex solis principijs naturæ non ostenditur necessarium præceptum talium oblationum. Ad auctoritatem D. Thomæ suprà allatam respondet Suares ibidem, num. 7. ipsum affirmantem sacrificium esse de lege naturæ, latè loqui de omni oblatione alicuius rei, facta Deo in recognitionem Dominij eius: hoc enim tantùm probat illius ratio. Nec obest, inquit, quòd idem S. Doctor quæst. 86. art. 1. differentiam ponit inter oblationes simplices, quas ibi affirmat de sui ratione habere vt voluntariè offerantur, secundùm illud Exod. 23. *Ab homine, qui offert vltroneus, accipietis eas:* & inter sacrificium, quod quæst. 85. art. 1. in c. & ad 1. dixerat esse de lege naturæ: quæ differentia stare non potest nisi loquatur de sacrificio propriè sumpto, & distincto à simplici oblatione. Nam seuera non est, inquit, talis differentia inter oblationes simplices, & sacrificium, spectato solò iure naturali. Si enim loquamur propriè & in rigore de lege naturali, prout dicit præceptum obligans ex solo discursu rationis naturalis; non magis sacrificium, quàm oblatio simplex est de lege naturæ, vt ostendit ratio suprà allata. Si verò loquamur latiùs de lege naturæ, prout solùm dicit moralem quendam vsum de se honestum, ac Religiosum, & consentaneum naturæ hominis, non minùs simplex oblatio est de iure naturæ, quàm sacrificium: imò simplex oblatio videtur esse magis connaturalis: quia sine speciali impositione, aut institutione, statim ipsâ dictante naturâ, oblatio munerum, & fructuum à Deo

30. Altera opinio negans.

receptorum, repræsentatur vt apta ad ipsius dominatum & beneficentiam recognoscendam, & protestandam. Neque D. Thomas talem differentiam constituere intendit; sed quæst. 85. art. 1. vbi asserit sacrificium esse de lege naturæ, latè loquitur de sacrificio, sumpto pro oblatione. Vnde postea art. 3. ad 3. distinctionem ponit inter oblationem, & sacrificium: deinde verò quæst. 86. art. 1. explicat quibus modis nunc contingat, interuentu humanæ voluntatis, oblationem cadere sub obligationem. Hæc Suares.

31. *Præfertur sententia affirmãs.* Vtraque sententia probabilis est: sed prima videtur præferenda, tum propter auctoritatem D. Thomæ, cui Suares non satisfacit, vt patet expendenti verba initio relata, tum & paulò post amplius confirmabitur: tum etiam propter rationem à Maldero allatam, & hoc sensu intellectam, quòd ratio naturalis dictat tanquam necessarium, & debitum ex honestate, vt homo, qui corpore & animo constat, & vtrumque Deo acceptum referre debet, non *Probatur ratione.* solùm Deo cultum mentalem exhibeat, verùm etiam externum & sensibilem, illúmque perfectissimum ex suo genere, qui est sacrificium. Et sicut naturaliter tenetur homo Deum diligere perfectissimo genere Amoris, qui est Charitatis ita probabilius videtur teneri eum colere perfectissimo genere cultus externi, qui est ritus sacrificandi.

Soluitur argum. contrar. Ex quo patet solutio argumenti à Suare propositi in contrarium. Dicendum enim est, lumen naturale dictare, tanquam necessarium, non solùm Deo offerre aliquid de nostris bonis quocunque modo, in recognitionem ipsius Dominij: verùm etiam offerre modo perfectissimo ex suo genere, illud in eius honorem insumendo, ex intentione protestandi supremum eius dominatum, nostrique esse dependentiam ab ipso. Quod ex eo confirmatur, quia omnes gentes in eo conuenerunt, vt id non modò tanquam licitum & conueniens, verùm etiam tanquam necessarium vsurpauerint, & addita lege positiua sanxerint, constituerintque Sacerdotes, qui huic debito, omnium nomine satisfacerent. Neque enim ratio naturalis dictat necessarium esse vt ab vnoquoque hominum offerantur sacrificia per seipsum; sed sufficere si à sacrorum Ministris, suo & aliorum nomine offerantur, vt apud omnes vsu receptum fuit. Quòd si aliqui gentiles hanc necessitatem non agnouerunt, vt Aristoteles 12. Metaphysicæ, si Caietano credimus loco mox citando, & Cicero apud Lactant. lib. 2. Institutionum cap. 3. & Seneca apud D. August. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. existimantes sacrificium non esse de iure naturæ, neque aliter necessarium respectu Dei, sed tantùm ad populum in officio continendum: causa huius ignorantiæ fuit partim quia hæc necessitas non statim per se apparet vnicuique solo lumine naturali: partim quia multi gentilium Philosophorum putantes se esse Sapientes, stulti facti sunt, vt ait Apostolus Roman. 1. Quod apposítè in eundem sensum vsurpat Caiet. ad art. 1. quæst. 85.

32. Quod verò attinet ad auctoritatem D. Thomæ, manifestum est ex verbis relatis & expensis num. 29. ipsum loqui de sacrificio propriè sumpto, & distincto à simplici oblatione, quando affirmat sacrificium esse de lege naturæ. Neque minùs manifestum est mentem eius esse, quòd sit de lege naturæ, non modò tanquam naturali rationi consentaneum, & eam decens; verùm etiam tanquam necessario faciendum ad vitandum peccatum, & difformitatem ipsi lumini naturali repugnantem. Idque probat illius ratio bene intellecta: quòd scilicet lumen naturale dictet offerendum esse aliquid Deo de bonis sensibilibus ab ipso acceptis, in signum debitæ subiectionis, & honoris; non quomodocunque solùm, sed modo ex suo genere excellentissimo, prout Dei dominium excellentissimum decet. Differentia verò inter oblationes simplices, & sacrificium, à D. Thoma assignata, & vera, hæc est: quòd homines solo iure naturali non tenentur ad simplices oblationes, cùm sufficienter satisfaciant debito naturali recognoscendi Deum vt supremum Dominum, per aliud genus excellentius oblationis, id est, per sacrificium naturali lege necessarium. Verba illius in eadem quæst. 86. art. 1. c. hæc sunt: *Nomen oblationis commune est ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur: ita quòd si aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, consumendum: & oblatio est, & sacrificium. Vnde Exod. 29. dicitur, Offeres totum arietem in incensum super altare. Oblatio est Domino, odor suauissimus victimæ Dei. Et Leuit. 2. dicitur, Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio. Si verò sic exhibeatur vt integrum maneat, diuino cultui deputandum, vel in vsus ministrorum expendendum: erit oblatio, & non sacrificium. Huiusmodi ergo oblationes* (secundi generis scilicet) *de sui ratione habent, quòd voluntarie offerantur, secundùm illud Exod. 25. Ab homine qui offert vltroneus, accipietis eas:* secus nimirum, ac oblatio primi generis (id est, sacrificium) quam lege naturæ necessariam esse dixerat paulò ante, quæst. 85. art. 1. Addit S. Doctor fieri tamen posse vt quis ad oblationes teneatur quatuor de causis, quas Sect. sequenti afferemus, & exponemus.

D. Thomas omnino ita sentit.

SECTIO V.

De alijs Oblationibus.

VLtra sacrificium, de quo hucusque diximus, quodque est præstantissima species oblationis: aliæ multæ sunt oblationes simplices, id est, actiones externæ Religiosæ, quibus absque ritu sacrificandi, de nostris sensibilibus bonis aliquid Deo offerimus in recognitionem supremi eius dominij, vel in gratiarum actionem, aut alium cultum Religiosum. Cuiusmodi oblationum fit sæpe mentio in Scriptura: vt Exod. 25. ver. 2. & sequentib. vbi de oblatione primitiarum sermo est, aliorúmque multorum, auri, argenti, æris, hyacinthi, purpuræ, olei ad luminaria concinnanda, aromatum, & thymiamatum, &c. & Leuit. 23. ver. 10. vbi præcipitur oblatio de manipulis nouarum spi- 33.

Oblationes in lege veteri vsitatæ.

carum : & Deuteron. 26. ver. 2. vbi iubentur filij Israël tollere de cunctis frugibus suis primitias in cartallo, & ferre ad Sacerdotem qui ponat ante altare Domini. Et Hebræor. 5. ver. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Nam per dona, quæ distinguit Apostolus à sacrificijs, intelligit simplices oblationes primitiarum, aliarúmque rerum quæ non adolebantur, aut consumebantur in sacrificium, sed integræ Deo dabantur ad vsum Sacerdotum & Templi, vt exponit Cornel. à Lapide, post Theophylact. & alios antiquiores. Neque solùm in lege veteri, sed & in noua ab initio hucvsque fuisse in vsu eiusmodi oblationes patet ex can. 3. & 4. Apostol. Clemente Rom. lib. 4. Constitut. cap. 6. & 7. Concilio Laodiceno can. 49. Cypriano lib. de opere & eleemosyna, circa medium, Iustino Martyre Apolog. 2. pro Christianis, in fine, Augustino Sermon. 215. de tempore, & sexta Synodo generali can. 8. vbi dicitur, Concurrendum esse Dominica die cum oblationibus ad Missarum solemnia. Et cap. *Omnis, de consecrat. dist. 1.* vbi statuitur vt omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid offerre.

Et in lege noua.

34. Quid intelligatur per oblationes simplices?

Quamvis autem nomine simplicis oblationis intelligi possit quidquid aliter, quàm per ritum sacrificandi, offertur Deo de bonis sensibilibus: siue Deo ipsi immediatè offeratur, tanquam illi, cui directè & per se primò donatur, quamvis postea cedat in vsum hominum : vt sunt ea quæ in templo, vel altari, & præcipuè in ipso sacrificio Missæ, offerri consueuerunt: siue tantùm offeratur Deo, tanquam illi propter quem donatur, proximè verò & directè donetur ipsius ministris; vt fit in solutione decimarum : Tamen D. Thomas quæst. 85. art. 3. ad 3. nomen oblationis strictiùs sumit, in priori sensu : eáque de causa affirmat decimas propriè loquendo non esse oblationes, quia non immediatè Deo, sed ministris eius fiunt. Et eandem ob causam disputat separatim de oblationibus quæst. 86. postea verò de decimis totâ quæst. 87. Nos oblationem in priori sensu ampliori accipimus, pro quocunque oblatione Deo facta, quæ non est sacrificium.

35. Earum vsus est Religiosus, & Sanctus.

Dico igitur primò, vsum huiusmodi oblationum esse Sanctum & Religiosum, etiam nunc in lege Euangelica. Patet ex vsu perpetuo totius Ecclesiæ, de quo constat ex testimonijs suprà citatis, & contra quem disputare insolentissimæ esse insaniæ meritò affirmat. S. August. Epist. 118. ad Ianuarium. Patet etiam ratione, quia talis actio iure naturali est licita, & de se apta, atque conueniens, ad significandum animum Deo subiectum, & gratum, rectéque sentientem de illius prouidentia. Nec obest quòd oblationes in lege veteri pertinuerunt ad cultum ceremonialem illius legis; ex quo sequi videtur non posse nunc ad cultum diuinum vsurpari, quia ceremoniæ legis iam abolitæ sunt. Respondeo enim oblationes illas habuisse aliquid ceremoniale, & aliquid morale. Ceremoniale erat, quòd fierent ex institutione legis Mosaïcæ, & ad præsignificanda mysteria in lege gratiæ futura, vel ad rememoranda aliqua beneficia temporalia, illi populo facta, præcipuéque liberationem ab Ægypto, in cuius memoriam debebant omne primogenitum Deo offerre : & ingressum in terram promissionis à Deo sibi donatam, propter quam debebant offerre Deo primitias de cunctis frugibus. Et quoad hoc cessarunt oblationes legis veteris, neque ampliùs eædem in specie, vel similes in cultum Religiosum ad eundem finem, adhiberi licitè possunt. Morale verò erat, quòd de se valerent ad cultum Dei in gratiarum actionem, aut recognitionem supremi eius dominij, vel ad sustentationem Sacerdotum, aliorúmque ministrorum Ecclesiæ : & catenus non sunt à Deo reprobatæ, ita vt non possint etiam nunc in lege gratiæ fieri similes oblationes, non vi legis Mosaïcæ, quæ abolita est, sed libera cuiusque voluntate, vel ex præcepto & institutione Ecclesiæ : quemadmodum quòd Sacerdotium & sacrificium in lege veteri fuerit ceremoniale, non impedit quò minùs in lege Euangelica sit aliud Sacerdotium, & sacrificium.

Nõ obest quòd olim fuerint ceremoniales.

Non obest etiam quòd non licet aliud sacrificium vsurpare in Ecclesia Christi, præter illud quod Christus ipse instituit, & obtulit; & quo vno eminenter omnia antiqua sacrificia comprehendit, & complexus; illiúsque institutione virtualiter cætera prohibuit : ex quo sequi videtur non licere quoque offerre aliam oblationem, præter illam, quæ à Christo ipso oblata fuit : quippe qui sua oblatione omnes consummauit, & pari ratione cæteras tam morales, quàm ceremoniales virtualiter exclusit. Respondeo enim, Christum nullam instituisse oblationem simplicem, neque vt auctorem & institutorem Ecclesiæ talem vllam obtulisse; per oblationem verò sacrificatiuam sui ipsius in cruce, & in Eucharistia, omnia quidem alia sacrificia exclusisse, & virtualiter prohibuisse : sed non propterea prohibuisse pia dona fidelium ad vsum sacrificij Eucharistici, & ministrorum eius oblata.

Neque quòd Christus eas non instituerit; sed vnicum sacrificium.

Dico secundò, simplices oblationes strictiùs sumptas pro ijs quæ Deo fiunt directè & immediatè, & prout distinguuntur ab alijs quæ proximè & directè donantur ipsius ministris, non esse necessarias ex præcepto naturali, vel positiuo diuino, vel Ecclesiastico, per se loquendo, in hoc statu legis Euangelicæ : per accidens tamen posse aliqua de causa deberi. Probatur, quia præcepto naturali sufficienter satisfit, offerendo aliquid Deo per nobilissimum genus oblationis quod est sacrificium. Diuinum verò positiuum in nouo Testamento nullum profertur : & Christus in lege Euangelica quæ est lex gratiæ, & libertatis, nullum præceptum nouum tulit præter naturalia, nisi ea quæ pertinent ad articulos fidei, vel ad Sacramento, vt docent omnes communiter cum D.Thoma 1.2. quæst. 108. art. 1. & 2. & Quodlib. 4. art. 13. Nullum etiam extat decretum Ecclesiasticum quo id præcipiatur, nisi præsupponens consuetudinem iam obligantem, & in illa fundatum : vt quod refertur ex Epist. 3. Fabiani Papæ ad Hilarium Episcopum, & repetitur in Concilio Matisconensi, can. 4. vbi statuitur vt omnibus Dominicis diebus, altaris oblatio ab omni-

36. Oblationes simplices sintne in præcepto?

bus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini: & illud Gregorij VII. cap. *Omnis, de consecrat. dist. 1. Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid offerre.* Sed è contrario in Concilio, Cabilonensi sub Carolo Magno, cap. 6. sic statutum habetur: *Animarum salutem sacerdos inquirere, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi. Oblatio enim spontanea esse debet, iuxta id quod ait Scriptura, Voluntariè sacrificabo tibi, Psal. 55. & illud Exod. 33. Omnis populus mente deuota obtulerunt munera Domino.* Atque ita censent omnes Theologi cum D. Thoma quæst. 86. art. 1. vbi dicit huiusmodi oblationes de sui ratione habere quòd voluntariè offerantur. Addens ibidem, id quod in secunda parte assertionis diximus, posse tamen contingere vt aliquis ad oblationes teneatur, idque quadruplici ratione. Primò quidem, inquit, ex præcedenti conuentione: sicut cùm alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat: quod tamen habet rationem census. Secundò, propter præcedentem deputationem, siue promissionem; sicut cùm aliquis offert donatione inter viuos, vel quando per testamentum relinquit Ecclesiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem imposterum soluendam. Quibus duobus modis manifestum est deberi ex Iustitia id quod ita Ecclesiæ donatum est, supposita donatione valida. Tertiò, propter Ecclesiæ necessitatem: putà, si ministri Ecclesiæ non haberent aliunde quo sustentarentur. Et tunc etiam debentur ex Iustitia: quia iure naturali tenentur Christiani alere eos, qui sibi diuina administrant. Quartò, propter consuetudinem, quæ scilicet iam præscripserit, & ius Ecclesiæ acquisiuerit. Cui præscriptioni sufficit tempus decem annorum, vt post Panormit. docent Suar. tract. 2. de Religione lib. 1. cap. 5. num. 21. & Less. cap. 39. dub. 6. in fine, editionis Lugdun. anni 1622.

Possunt deberi ex quatuor capitibus.

27. *Quibus de rebus fieri possint?*

Quibus autem de rebus fieri possint huiusmodi oblationes satis patet ex ipsa consuetudine, & naturali ratione: nimirum de quibuscumque bonis ministerio Ecclesiæ vtilibus, aut ministrorum eius sustentationi, vel eleemosynis in pauperes largiendis. Ita tamen vt sint legitimè ipsius offerentis, id est, ab ipso iustè possessa: nam *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata, Eccles. 34.* & dummodo talia sint, vt ex illorum oblatione non oriatur scandalum, aut detrimentum alterius: qua de causa D. Thomas quæst. 86. art. 3. ad 1. affirmat fieri non posse de mercede prostibuli, vel de eo, quo filius debet patrem nutrire: neque de rebus contemptibilibus, aliquem Dei contemptum præ se ferentibus, vt addit ibidem S. Doctor in solutione 3. argumenti: iuxta illud Malach. 1. ver. 8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est?* & ver. 12. *Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, &c.* Non possunt etiam à quolibet offerri ad altare, præsertim tempore sacrificij: sed tantùm à baptizatis fidelibus, non præcisis ab Ecclesia per excommunicationem, neque publicis peccatoribus. Vt de non-baptizatis, aut Hæreticis patet ex can. 37. Concilij Laodiceni: de excommunicatis, colligitur, ex can. 9. & 10. Apostol. & cap. 27. Concilij Nicæni primi, iuxta versionem Pisani, & can. 2. Concilij Antiocheni, & can. 28. Concilij Illiberitani. De publicis verò peccatoribus idem docet Glossa cap. *Oblationes, dist. 90.* Et cap. *De viro, 12. quæst. 2.* statuitur de quibusdam sacrilegis vt in tertio anno pœnitentiæ permittantur esse inter audientes in Ecclesia, sine oblatione. Et cap. *Latorem, 33. quæst. 2.* simile quid statuitur de matricidis, & de his qui scienter rebaptizantur cap. *Eos quos, de consecrat. dist. 4.* Dixi autem, *ad altare, præsertim tempore sacrificij:* nam aliter non prohibentur dare aliquid Ecclesiæ, aut eius ministris, per testamentum, legatum, aut donationem aliam: neque ministri prohibentur huiusmodi oblationes recipere, nisi sit vitium non solùm ex parte offerentis, sed etiam in ipsa re quæ offertur, quia scilicet iniustè possidetur ab offerente. Qua de causa cap. *Quia in omnibus, de vsuris*, statuitur ne oblatio vsurarij recipiatur, vtque talis oblatio statim restituatur: quia scilicet alienum offert. Et cap. *Super eo, de Raptoribus*, statuitur ne raptorum eleemosynæ recipiantur ab Ecclesia. Alioqui verò possunt ab illis recipi oblationes earum rerum, quas non iniustè possident: imo etiam possunt ab illis exigi, si necessariæ sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ: neque enim debet malitia sua prodesse publicis peccatoribus, illósque eximere ab hoc onere: nisi aliunde sit scandalum; vt si à meretricibus exigerentur de mercede prostitutionis.

A quibus offerri nõ possint?

Dico tertiò, de oblationibus primitiarum, id est, primorum fructuum agrorum, & arborum, quæ fiunt in templo, vel ad altare, idem sentiendum esse, ac de supradictis: comprehenduntur enim inter eas quæ Deo per se primò & directè donantur: ac proinde non sunt per se necessariæ ex præcepto; sed iisdem de causis contingere potest aliquando vt necessariò debeantur. De illis verò, quæ directè donantur Ecclesiæ ministris more decimarum, certum est non esse necessarias ex præcepto naturali, vel diuino, in lege Euangelica (nam his præceptis satisfit offerendo alia in cultum Dei, & ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ) sed tantùm ex præcepto Ecclesiastico, quod de illis soluendis latum esse ab Ecclesia docet Sanctus Thomas quæst. 86. art. 4. cui consentiunt omnes Theologi, & Canonistæ; colligitúrque ex cap. 1. 6. & 7. *de decimis*, & cap. *Decimas, 16. quæst. 7.* vbi sic dicitur: *Oportet decimas, & primitias, quas iure sacerdotum esse sentimus*, ab omni populo accipere. Notandum tamen hoc præceptum vel non fuisse multis in locis receptum, vel contraria consuetudine fuisse abolitum. In alijs obligat iuxta consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum Ecclesiæ, vt ait S. Doctor in fine corporis artic. citati. Cui indigentiæ nisi aliunde satis prouideretur per decimas, aut alias oblationes, & redditus Ecclesiasticos; non potuisset consuetudo derogare iuri primitiarum ad hoc necessariarum: quia ius alendi ministros Ecclesiæ, naturale est. Verumtamen quia sufficienter illi prouidetur aliunde, aut

38. *Oblationes primitiarũ sintne in præcepto.*

prouideri potest, vim habuit consuetudo derogandi obligationi primitiarum, & re ipsa multis in locis derogauit. Estque communis Doctorum sententia consuetudinem habendam esse vbique pro regula huius obligationis, tam quoad gradum illius, quàm quoad quantitatem soluendam, & quoad personas quæ ad primitias soluendas tenentur, quibusve de rebus obligantur eas soluere: & quoad loca, vel personas quibus reddendæ sunt: vt bene ait Suar. tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 8. in fine.

SECTIO VI.

De Decimis, & obligatione eas soluendi.

39. Decimæ sunt præcepti naturalis. Dico quartò, Decimas deberi ministris Ecclesiæ, etiam nunc in lege Euangelica, tanquam stipendium, aut sustentationem, partim iure naturali & diuino, quoad substantiam decimarum; partim Ecclesiastico, quoad Quotam. Ita D. Thomas quæst. 87. art. 1. & alij communiter. Prima pars assertionis de iure naturali, probatur quia iure naturali tenetur populus necessaria ad victum ministrare illis, qui sibi administrant necessaria ad salutem, quique deputati sunt vt nomine communitatis incumbant diuino cultui: sicut & his qui communi vtilitati inuigilant, scilicet Principibus, & militibus, & alijs huiusmodi, stipendia victus debentur à populo. Quo exemplo ad idem probandum vtitur Apostolus 1. Cor. 9. sic dicens: *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? &c. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti: &, Dignus est operarius mercede sua.* Vbi per *duplicem honorem* intelligit Apostolus duplex stipendium, id est, magnum, vt vult Chrysost. Homil. 15. in eandem Epist. *Oportet enim*, inquit, *Doctoribus necessaria affatim ministrare, ne deficiant, neque soluantur, neque minimis occupati, magnis seipsos atque alios priuent.* Nimirum quia, cùm egeant corporali sustentatione, non debent à spiritualibus, & à cultu diuino curáque animarum abstrahi, vt temporalia sibi procurent victui necessaria. Vel vt malunt Ambrosus & Haymo apud Cornelium à Lap. ibidem, per duplicem honorem intelligit Paulus reuerentiam, & sustentationem: vel denique, vt Gregor. Homil. 17. in Euangel. *subsidium conueniens in terris, & condignum præmium in cælis: vt hîc de labore prædicationis merces inchoetur, quæ ibi de veritate visionis perficitur.* Atque etiā præcepti diuini. Præceptum verò diuinum habetur in Euangelio, Luc. 10. vbi Christus Discipulis sic loquitur: *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Significans ea quæ dantur ministris Ecclesiæ ad victum, non esse tantùm eleemosynam, sed debitum stipendium, & dignam mercedem laboris. Et 1. Cor. 9. post verba suprà relata, *Quis militat suis stipendijs, &c.* addit Apostolus, *Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.*

40. Quota decimarū est tantū præcepti Ecclesiastici. Secunda pars assertionis, quòd scilicet Quota decimarum debeatur tantùm præcepto Ecclesiastico, probatur quia solo iure naturali teneretur tantùm populus Christianus dare ministris Ecclesiæ ex Iustitia & debito constanti, ea quæ sunt illis ad sustentationem honestam, & vnicuique conuenientem necessaria; quod intelligimus nomine decimarum quoad substantiam: neque ex principijs solis naturalibus deduci potest quòd debeatur illis ad hunc finem decima pars bonorum, potiùs quàm octaua, vel duodecima. Deus autem in lege veteri determinauit quidem vt decima pars bonorum daretur Leuitis, Numer. 18. v. 21. & 24. *Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi, &c. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui:* & Leuit. 27. ver. 30. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum,* id est, de fructibus generaliter *Domini sunt, & illi sanctificantur:* & ver. 32. *Omnium decimarum, bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino:* & Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui decimatis mentam, & anetum, &c. Hæc oportuit facere,* secundùm legem scilicet, *& illa non omittere.* Verùm hoc præceptum, sicut & alia positiua illius legis, non obligabat nisi Iudæos, & proselytos circumcisos, legem Mosaicam voluntariè amplectentes; fuitque cum omnibus alijs abolitum per legem nouam. Quare non obligamur nunc ad quotam decimarum vi illius legis. Non fuit autem datum aliud præceptum à Christo, quod ad eandem quotam, aut aliam determinatam obligauerit. Nullum enim profertur tale præceptum, vt patebit ex solutione argumentorum in contrarium: & Christus non addidit alia præcepta naturalibus in lege Euangelica, præter ea quæ spectant ad fidem, & Sacramenta, vt fatentur omnes cum D. Thoma 1. 2. quæst. 108. art. 1. & 2. & Quodlib. 4. art. 13. Hæc autem Quota non est præcepti naturalis, vt suprà ostendimus: neque ad fidem, vel ad Sacramenta pertinet. Superest ergo vt obligatio ad Quotam illam sit inducta iure Ecclesiastico: quod ius clarè habetur in toto fere titulo de decimis, & Causa 16. quæst. 1. cap. *Ecclesiæ*, cap. *De decimis*, cap. *Decimas*, cap. *Statuimus*, cap. *In Sacris*, cap. *In Canonibus*, cap. *Reuertimini*, alijsque pluribus. Idémque præceptum Ecclesiasticum supponit Trident. Sess. 25. cap. 12. *de Reformat.* vbi dicit decimarum solutionem debitam esse Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediuerint, res alienas inuadere. Loquitur autem Concilium de decimis prout nunc vsu recepto in Ecclesia soluuntur. Et Concilium Constantiense Sess. 8. damnat articulum 18. Wicleffi, affirmantis decimas esse puras eleemosynas, & Parochianos posse propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre. Confirmatur, quia Quota decimarum potest mutari,

& tolli per consuetudinem, vt dicitur cap. *In aliquibus, de decimis* §. *vlt.* & multis in locis est reipsa in aliam mutata. Hoc autem fieri non posset si Quota illa esset determinata iure naturali, aut diuino: nam ius consuetudinis, quod est humanum, non derogat iuri naturali, neque diuino positiuo.

41. Cõtraria sententia, quòd sit iuris diuini.

Contrarium sentiunt multi Canonistæ, affirmantes quotam decimarum deberi ipso iure diuino. Quod probant primò ex Scriptura: quia quota illa fuit ex præcepto diuino in lege Mosaïca: & hoc præceptum non fuit reuocatum à Christo, sed potiùs confirmatum, aut renouatum, Matth. 23. vbi Christus postquam dixisset, *Decimatis mentam, & anetum, &c.* subiunxit, *Oportuit hæc facere, & illa non omittere*: significans illam obligationem iuris diuini adhuc durare. Probant secundò ex iure Canonico, cap. *Parochianos, de decimis*, vbi sic habetur: *Cum decimæ non ab homine, sed à Deo sint institutæ, tanquam debitum exigi possunt.* Et cap. *Tua nobis, eodem tit.* dicitur Deum præcepisse decimas sibi reddi, in signum vniuersalis dominij sui; ideóque non posse minui: & similia habentur pluribus alijs capitibus eodem tit. & Causâ 16. quæst. 1. cap. *Decimas*, cap. *Reuertimini*, alijsque multis. Probant tertiò ratione, quia Christus Matth. 5. v. 20. sic affirmat, *Nisi abundauerit Iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Si ergo illi soluebant decimas, vt constat ex Luc. 18. ver. 12. multò magis nos debemus eas soluere.

42. Soluuntur eius argumenta.

Ad primum respondeo totam legem Mosaïcam fuisse per aduentum Christi, & nouæ legis constitutionem ac promulgationem, abolitam: quippe quæ posita erat *donec veniret semen*, id est, Christus, vt ait Paulus ad Galat. 3. ver. 19. &, *Vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo*, id est, sub lege veteri: vt addit ibidem versu 25. &, *Translato sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat*: Hebr. 7. ver. 12. Christus autem Matth. 23. non loquebatur de eo quod oportet facere in lege noua: sed de eo quod oportuit facere tempore legis veteris, quousque illa viguit: nondum autem erat abolita; neque cessauit nisi aliquandiu post mortem Christi, vt diximus in tract. de legibus.

43. Ad secundum respondeo, decimas locis ibi citatis dici esse à Deo institutas & præceptas in signum vniuersalis dominij, quia fuerunt præceptæ à Deo in lege veteri, tam quoad substantiam, quàm quoad Quotam: Et nunc in lege noua sunt præcepti diuini formaliter, quoad substantiam: per imitationem verò, quoad quotam: quia Ecclesia determinando decimam partem fructuum, imitata est exemplum Dei eandem in lege veteri determinantis.

Quo sensu decimæ dicũtur à Deo institutæ, vel præceptæ?

Sufficit autem hæc imitatio, præsertim iuncto præcepto diuino quoad substantiam, vt dicatur aliquo vero, & bono sensu, decimas esse præcepti diuini: simili modo, quo Tertull. lib. de ieiunio contra Psychicos cap. 2. Ambros. Serm. 25. August. in Psal. 110. & Leo Sermone 12. *de Quadragesima*, cap. 2. dicunt ieiunium quadragesimale esse præcepti diuini, & diuinæ institutionis: quia ieiunium quoad substantiam est in præcepto diuino; & quoad illam determinationem quadraginta dierum, Apostoli & Ecclesia Christi exemplum imitati sunt. Præterquam quòd ius præcipiendi quotam decimarum est spiritale, æquè ac ius ipsum percipiendi decimas; & à Christo datum Ecclesiæ: quo sensu potest à Patribus vocari diuinum, in iuribus citatis, sumptis ex Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Gregorio, alijsque Patribus. Eodémque sensu additur in cap. *Tua nobis, suprà cit.* non posse decimas minui, quia à Deo præceptæ sunt: id est, non posse fideles, qui eas debent, quicquam de illis sustrahere: vt faciebant illi de quibus loquitur Innocentius III. cap. cit. quemadmodum ex ipso textu manifestum est: non posse inquam licitè quicquam subducere, quia sunt præceptæ à Deo, partim per seipsum immediatè, partim per Ecclesiam, iure sibi à Deo concesso.

44. Exponitur illud Christi, *Nisi abundaueris, &c.*

Ad tertium respondeo nimis probare: ex illis enim Christi verbis, iuxta sensum aduersariorum acceptis, sequeretur teneri Christianos iure diuino soluere plus quam decimam partem fructuum suorum. Verùm non est ille sensus verborum Christi: sed, quòd Iustitia nostra debeat esse perfectior, quàm Iustitia Scribarum & Pharisæorum, tribus de causis. Primò, quia Iustitia Pharisæorum erat tantùm externa, & similis sepulcris dealbatis: nostra debet esse etiam & præcipuè interna. Pharisæi enim putabant sibi tantùm interdictum esse à prauis operibus externis, non verò à prauis desiderijs, & cogitationibus nefarijs; vt alibi ostendimus ex Iosepho Iudæo & Pharisæo: neque aliud curabant quàm externam quandam sanctitatem, vt Christus illis exprobrat Matth. 23. ver. 25. 26. & 27. Nobis autem interdicta sunt etiam desideria, & malæ cogitationes, Matth. 5. ver. 28. Deinde Iustitia Pharisæorum erat partialis, id est, manca & imperfecta, etiam quoad externa opera; vt Christus in illis reprehendit Matth. 23. v. 16. 23. & 24. Nostra debet esse omni ex parte integra & perfecta, ita vt totam Christi legem impleamus, *Qui enim peccat in vno, factus est omnium reus*, Iacobi 2. ver. 10. Tertiò, quia Iustitia Pharisæorum carebat recta intentione placendi Deo: omnia enim faciebant vt apparerent hominibus, & ab illis gloriam aucuparentur, sicut Christus sæpius illis objicit Matth. 6. ver. 1. & sequentibus, alijsque locis. Nostra autem Iustitia debet rectà ad Deum tendere, eiusque gloriam in primis quærere: iuxta illud Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite* 1. Cor. 10. ver. 31. Et illud Christi. Matth. 6. ver. 1. *Attendite ne Iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c.*

Ioseph. lib. 12. Antiqut. cap. 13. Vide suprà disp. 24. num. 119.

SECTIO VII.

Explicantur quædam alia de Decimis.

45. Ius decimarum est spiritale.

EX dictis collige primò ius decimarum esse spiritale, vt habetur cap. vlt. *de rerum permutat.* quippe annexum officio spiritali administrandi Sacramenta, regendi Ecclesiam, & prouidendi populo necessaria ad salutem: &

fundatum in potestate & obligatione ministerij spiritalis, ratione cuius debentur & dantur bona temporalia. Vnde etiam fit vt causæ decimales sint causæ Ecclesiasticæ; & bona quæ ex ipsis proueniunt, sint bona Ecclesiæ; & determinatio decimæ quoad quotam, sit actus potestatis spiritualis, residentis per se primò in Summo Pontifice, cui soli competit immediatè ex diuino iure, & Christi ipsius concessione, tota potestas Iurisdictionis Ecclesiasticæ, ad alios verò Prælatos deriuatur per communicationem ab illo; vt suppono ex dictis in tract. de legibus. Sicut tamen potest, per se loquendo, Summus Pontifex taxare quotam in tota Ecclesia, cuius supremus Rector est, & Pastor vniuersalis: ita & quilibet Prælatus in sua Diœcesi; quia potest in illa, quidquid ad eius administrationem conuenientem pertinet, exceptis illis quæ Summus Pontifex limitauit, & sibi reseruauit, vt de illis statuatur maiori consilio, & grauiori deliberatione.

Non potest vendi absque Simonia. Hinc etiam fit vt ius decimarum non possit vendi absque Simonia, loquendo de iure primario, fundato in officio spiritali, & essentialiter illi annexo: id est, de iure proprio, & per se pertinente ad decimam, vt talem, iuxta institutionem suam. Quod ius Ecclesia semper sibi retinet tanquam dominium directum, quando aliud ius secundarium statuit, separatum ab officio, velut dominium vtile, illudque Laïcis concedit, vel ad tempus, vel etiam in perpetuum, siue in feudum, cum aliqua recognitione & obligatione alicuius obsequij Ecclesiæ præstandi, & ita vt feudo extincto, deficientibus successoribus, redeat ad Ecclesiam. Quomodo potest dari in feudum? Quod nunc solus Summus Pontifex potest facere. Antea verò poterant etiam Episcopi iusta de causa, vsque ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. vt multi putant: vel potiùs, vt alij, vsque ad Vrbanum II. qui hanc potestatem sibi & successoribus reseruauit. Qua de re plura videri possunt apud Suarem tract. 2. de Relig. lib. 1. toto cap. 26.

An comprehēdat Nouales? Notandum verò est, quando per priuilegium conceduntur alicui decimæ indefinitè, non comprehendi Nouales: vt patet ex cap. *Tua 1. de decimis §. vlt.* vbi Innocentius III. sic loquitur: *Nec occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decima sint concessæ) sunt decimæ noualium vsurpandæ: cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.* Imo etiam vbi expresse comprehenduntur in priuilegio, nihilominus earum medietas adiudicatur Ecclesiæ Parochiali, vt videre est in cap. 2. de decimis, in 6. vbi sic dicitur: *Statuimus præterea, quòd idem indultum, obtentum ab ijs qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, vltra medietatem decimarum noualium nullatenus extendatur: quia non est verisimile, si tunc de plena & integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica Sedes pariter & similiter noualium decimas in tam graue Parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset.* Potestne feudum illud trāsferri? Nota præterea, posse quidem Laïcum, cum consensu Episcopi, dare alteri Ecclesiæ ius feudi quod habet in decimas: probabilius tamen esse quòd non possit, etiam cum consensu Episcopi, feudum transferre in alium Laïcum, vt bene probat Lessius cap. 39. dub. 4. num. 21. quia, inquit, posset illud in maximum damnum Ecclesiæ cedere; vt si is qui eas transfert, careat liberis: tunc enim necessariò deberent ad Ecclesiam redire. Item quia, vt idem rectè addit, in eo casu Episcopus censetur eas dare Laïco in feudum: tantundem enim facit, ac si daret in feudum: cùm de eius consensu id fiat, sine quo nihil agi potest; & secundus, in quem transferuntur, iure feudi eas accipiat: efficitur enim feudatarius Ecclesiæ, non illius prioris Laïci. At prohibitum est Episcopis in Concilio Lateran. vel ab Vrbano II. ne bona Ecclesiæ Laïcis iure feudi concedant.

Hinc denique fit vt ius decimarum non possit præscribi à Laïcis, loquendo de iure primario, & quasi proprio & directo dominio illas percipiendi: quia Laïci non sunt capaces illius iuris, vt neque spiritalis ministerij in quo fundatur. Atqui præscriptio supponit capacitatem tituli, & iustæ, siue ciuilis possessionis; sine qua non currit præscriptio, vt dicitur Regula 3. *de Regulis iuris in 6.* Possunt tamen Laïci præscribere ius secundarium, cuius capaces sunt, præscriptione longissimi temporis, siue immemorialis, introducta cum opinione & fama priuilegij legitimè concessi: vt post Felinum, Syluestrum, Couarruuiam, & alios docet Suar. tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 27. num. 4. quia, inquit, talis præscriptio, tametsi sola non det ius præscriptionis (quia tota vis præscriptionis est à lege instituente talem modum transferendi rerum dominia, vel Iurisdictionem, aut alia similia: nulla est autem lex, cuius virtute hæc facultas quoad decimas conferatur ex vi solius consuetudinis) tamen dat sufficientem auctoritatem, seu probationem priuilegio, sub cuius opinione & fama continuata est. Ideóque talis præscriptio, cum tali fama, æquiualet priuilegio. Laïci autem sunt capaces illius iuris per priuilegium, vt suprà diximus: Ergo possunt illud acquirere per talem præscriptionem. Multóque magis possunt Ecclesiastici simili præscriptione acquirere ius decimarum, per possessionem bonæ fidei immemorialem, & præsumptionem priuilegij, quæ sufficit ad dandum illis etiam primarium & proprium ius decimarum per se, & directè, sine Parochia, vel alio simili titulo alterius Ecclesiæ, cui iure ordinario debebantur. Sunt enim capaces illius iuris primarij, & potest illud ex priuilegio ab vno Ecclesiastico ad alium transferri. Ergo potest etiam transferri per talem præscriptionem æquiualentem priuilegio. Possunt etiam Ecclesiam ipsam, cum suo iure ad decimas, per solam possessionem bonæ fidei præscribere, vt fusiùs docet Suares lib. cit. cap. 30. Tempus autem necessarium ad præscriptionem decimarum vnius Ecclesiæ contra aliam, est tempus quadraginta annorum, iuxta caput *Accedentibus, de priuilegijs:* contra Romanam, spatium centum annorum, iuxta caput 1. de præscript. in sexto.

46. Ius decimarum possitne præscribi à Laïcis?

Multò magis potest à Clericis?

Collige secundò, solutionem decimarum esse partim actum Religionis, quatenus dantur propter cultum diuinum, & ad protestationem vniuersalis dominij diuini: partim verò actum Iustitiæ, 47.

Solutio decimarū est actus

Religionis, & actus Iustitiæ. Iustitiæ, quatenus debentur ex Iustitia ministris Ecclesiæ, tanquam stipendium & merces laboris, aut subsidium necessarium. Debentur autem ex Iustitia non solùm quoad substantiam, verùm etiam quoad Quotam, postquam illius determinatio ab Ecclesia facta est. Sicut postquam Princeps determinauit stipendia, & subsidia sibi necessaria, debentur integrè ex Iustitia. Estque illud debitum soluendi decimas adeo strictum & rigorosum, vt qui eas non soluunt, teneantur ad restitutionem: quemadmodum docet Trident. Sess. 25. in Decreto de Reformat. cap. 12. vbi iubet excommunicari eos, qui decimas subtrahunt, vel dantes impediunt: prohibétque ne absoluantur ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta. Hinc etiam fit vt ministri Ecclesiæ possint agere contra non soluentes decimas, non solùm actione personali, siue ex condicto per Canonem, quæ via primùm tentanda est: Verùm etiam per rei vindicationem, si prior via non succedat: quia habent ius in re, & ad rem. Et quando fructus nondum decimati, sunt alienati; habent actionem tam in emptorem, quia habet rem Ecclesiæ debitam: quàm in venditorem, quia Ecclesiam fraudauit: vt docet S. Thom. quæst. 87. art. 2. ad 4. & colligitur ex cap. *Cum non sit, de Decimis.* Notandum tamen, decimas non deberi Ecclesiæ nisi de fructibus perceptis, vel extantibus. Vnde si pereant antea; non tenetur ad earum restitutionem qui fuit causa cur perirent, iustè, vel iniustè: nisi in odium Ecclesiæ id fecerit, ne decimas inde consequatur. Tunc enim deberet compensare iniuriam Ecclesiæ factam: quia illa actio directè tendit ad eius læsionem: & Ecclesia ius habet vt id sibi non fiat. Secus verò si quis in bello segetes hostium incenderit victoriæ causâ: vel si quis ad vlciscendas priuatas iniurias, aut odij causâ, inimici agros vastauerit, vel à serendo, aut metendo iniustè impediuerit. Neque tales restitutiones sunt in vsu: vt bene ait Lessius cap. 39. dub. 3. post Molinam, & alios.

48. Quota decimarũ non est iniusta. Dices Quotam decimarum esse iniustam, adeóque non posse deberi ex Iustitia. Cùm enim Ecclesiastici non sint decima pars fidelium, imò nec quinquagesima; iniustum est decimam partem bonorum illis tribui. Respondeo primò, non vbique decimam partem solui Ecclesiasticis, neque de bonis omnibus: sed in plerisque multò minorem, & de quibusdam dumtaxat. Secundò, expedire ad decus, & honorem Ecclesiæ, vt eius ministri abundent rebus temporalibus, ne contemnantur si pauperes sint. Præsertim verò Prælati Ecclesiastici, qui egent splendore, & auctoritate, vt sint alijs venerationi. Tertiò, debere Ecclesiasticos esse patres pauperum, & hospitales: & olim distributio decimarum debebat fieri in quatuor partes; quarum vna erat Episcopi, secunda Cleri, tertia fabricæ Ecclesiæ, quarta pauperum: vt habetur cap. *Quatuor, 12. quæst. 2.* Quartò, addit Sanctus Thomas quæst. 87. artic. 1. in Cor. non fore conueniens populum Christianum nouæ legis ministris minus exhibere, quàm populus veteris legis, Ministris veteris Testamenti exhibebat. Cùm populus nouæ legis ad maiora obligetur: secundùm illud Matth. 5. *Nisi abundauerit Iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum:* & ministri noui Testamenti sint maioris dignitatis, quàm ministri veteris, vt probat Apostolus 2. Cor. 3. Optandum tamen esset meliùs à plerisque impendi decimas, & redditus Ecclesiasticos, quàm in pompam & fastum sæcularem, damnatum à Tridentino Sess. 25. cap. 1. de Reformat. & non tam multa beneficia ab vno & eodem possideri. Quamvis æquum sit magnates, & nobiles, qui Ecclesiæ cultui se deuouent, multúmque ipsius splendori & præsidio conferunt, habere vnde iuxta suam conditionem honestè viuant. Conueniens etiam fuit Ecclesiam in Quota decimarum imitari legem diuinam, & exemplum Patriarcharum, qui ante legem, naturali instinctu, vel impulsu Spiritus sancti, Quotam eandem soluerunt; vt Abraham, & Iacob. Genes. 14. ver. 20. & cap. 28. ver. 22. Vide etiã Concilium Carthagin. IV. can. 15.

49. Magna varietas quoad Quotam. Collige tertiò, quia (vt supra diximus) iuris naturalis, & diuini in lege Euangelica, illud tantùm est, vt ex Iustitia debeatur ministris Ecclesiæ id quod necessarium est ad conuenientem sustentationem, quod intelligimus per decimas quoad substantiam: Quota verò est iuris tantùm Ecclesiastici: Quota, inquam, siue portionis exhibendæ, siue rerum ex quibus exhibenda est, siue personarum à quibus soluatur: magnam varietatem circa huiusmodi Quotam contingere posse, siue per consuetudinem legi Ecclesiasticæ derogantem, siue per præscriptionem, siue per potestatem Ecclesiasticam, de illa variè disponentem, per donationem, remissionem, priuilegium, translationem, compositionem, & alijs modis, pro exigentia locorum, temporum, & personarum. Atque inde factum est vt quibusdam in locis soluatur pars decima fructuum: in alijs decima tertia, vicesima, quadragesima: Ecclesiâ sic determinante, eò quòd id sufficeret ad ministrorum sustentationem: vel consuetudine, aut præscriptione ius decimarum ita moderante. Inde quoque factum est vt plurimis in locis soluantur tantùm decimæ prædiales: in alijs etiam personales. Vocantur autem decimæ prædiales, illæ quæ sumuntur ex agris, & prædijs: personales verò, quæ ex negotiatione, artificio, militia, famulatu, quarum solutio quibusdam in locis & Rebuspublicis necessaria est, quia non sunt ibi prædia; vt in vrbe Veneta, & Genuensi. Addunt aliqui tertium genus decimarum, quas vocant *mixtas*, quæque sumuntur ex animalibus domesticis, & ex eorum fœtu, lana, butyro, &c. eò quòd partim ex pastu animalium in prædijs & agris proueniunt, partim ex aliquo humano artificio, id est, curâ & industriâ, sine qua non proueniunt. Sed hæ nomine prædialium comprehendi possunt. Nam etiam in prædijs colendis opus est humano artificio, & curâ, vt fructus ex illis nascantur, & colligantur. Decimæ prædiales, & personales.

50. S. Pontifex potest aliquos eximere. Hinc quoque fit vt Summus Pontifex possit aliquos, tum Clericos (qui decimas prædiales de bonis sæcularibus, aut temporali titulo acquisitis, æquè ac alij, debent) tum etiam Laïcos, & populum ipsum, eximere à decimis soluendis: si ex alijs bonis Ecclesiasticis, vel obla-

tionibus fidelium, sufficienter prouisum est Ecclesiæ ministris: vt post Couar. lib. 1. Variar. cap. 17. n. 9. docet Lessius cap. 39. num. 25. Possunt etiam ipsi Clerici, & Laici, per præscriptionem, aut per consuetudinem non soluendi, eximi ab earum debito. Vbi nota, ad præscribendam decimarum immunitatem requiri sine titulo tempus immemoriale: cum titulo sufficere tempus quadraginta annorum; iuxta cap. 1. *de præscript. in 6.* Vt autem consuetudo eximat ab eorum solutione, sufficit esse legitimè præscriptam, etiam sine titulo, iuxta caput finale *de consuetudine*, id est, spatium quadraginta annorum: ad præscribendum enim contra Ecclesiam in ijs quæ sunt contra ius commune, tantum temporis spatium requiritur: præscriptio autem contra decimas, est contra Ecclesiam, & contra ius commune. Differentia verò est inter præscriptionem, & consuetudinem: quia vt per præscriptionem eximatur quis à solutione decimarum, non requiritur consuetudo communis: secus autem vt eximatur vi ipsius consuetudinis. Ratio differentiæ est, quia præscriptio non abrogat legem, sed tantùm titulum dat, & ius particulari præscribenti. At verò consuetudo abrogat legem: quod vt faciat, debet ipsa vim legis habere. Sicut autem sola consuetudo communitatis (non autem vnius aut alterius particularis) potest legem inducere, seu vim legis habere: ita etiam sola potest legem abrogare. Quare non sufficit te non soluisse tanto tempore, vt vi Consuetudinis eximaris, nisi alij quoque eiusdem communitatis non soluerint. Item, ad præscriptionem requiritur bona fides ab initio temporis quo currit, iuxta Regulam 13. *de Regulis iuris in 6.* Secus autem ad consuetudinem, quæ potiùs incipit à mala fide agentium contra legem. Hinc denique fit vt de obligatione soluendi decimas, quoad Quotam, &c. iudicandum sit ex more & vsu iam pridem recepto, cui standum esse docent omnes communiter. Nimirum quia vel iam legem abrogauit, vel ortum habuit ex Ecclesiæ dispositione, concessione, relaxatione, conuentione, seu transactione, & compensatione decimarum per alios redditus.

Potest earum immunitas præscribi.

Aut induci per consuetudinem.

SECTIO VIII.

A quo, & quibus, & qua de re debeant solui Decimæ?

51. SVperest quærere quinam iure communi, & quibus, & ex quo rerum genere teneantur soluere decimas? Iure, inquam, communi; abstrahendo à particularibus dispositionibus in contrarium, per causas supradictas iuri communi derogantes. Qua de re dico primò, ad decimas personales vbicunque viget obligatio eas soluendi, teneri eos solos, qui Sacramenta recipiunt; & illi Ecclesiæ, à qua recipiunt; iuxta caput *Ad Apostolica, de decimis:* ad prædiales verò teneri eos omnes qui habent prædia alicui Ecclesiæ subiecta, & aliter quàm titulo spirituali acquisita: vt habetur ibidem cap. sequenti: Siue sint Fideles, siue Infideles, vt Pagani, Iudæi, Hæretici: quia est onus annexum prædio quod possident: siue etiam Clerici, qui ex patrimonio, vel alio titulo, quàm spirituali, prædia illa possident: vt docet S.Thom. quæst. 87. art. 4. c & ad 1. Nimirum quia eiusmodi bona transeunt ad Clericos cum suo onere. Nec obest quod dicitur cap. 2. *de decimis*, nouum genus exactionis esse vt Clerici à Clericis decimas exigant. Sensus enim est, non debere Clericos exigere decimas à Clericis eiusdem Ecclesiæ, de prædijs ad illam pertinentibus. Nam Canon loquitur de illis dumtaxat; non de patrimonialibus, aut alijs non possessis titulo spirituali: imò neque etiam de bonis ad aliam Ecclesiam pertinentibus; quæ si antea debebant decimas alteri Ecclesiæ, tenentur illi soluere. Putà, si prædium aliquod existens in territorio Ecclesiæ D. Petri, & debens illi decimas, donetur Ecclesiæ D. Pauli: non eximitur ab onere soluendi decimas Ecclesiæ D.Petri (neque enim, vt vulgo dicitur, spoliandus est Petrus vt induatur Paulus) sed ad illam transit cum suo onere; neque debet hæc donatio nocere alteri Ecclesiæ.

Quinam tenentur soluere decimas?

Dices hinc sequi quod si idem sit Parochus vtriusque Ecclesiæ, debebit sibi ipsi decimas: quod est absurdum, & impossibile. Respondent aliqui in tali Parocho distinguendam esse duplicem personam: quippe qui sustinet personam duplicis Parochi. Et quatenus est Parochus Ecclesiæ D.Petri, cuius prædium donatum est, habet ius percipiendi decimas ex eodem. Quatenus verò est Parochus Ecclesiæ S.Pauli, cui prædium idem donatum fuit, habet debitum soluendi decimas Ecclesiæ D. Petri, id est, sibi vt eius Parocho, vel cœtui Clericorum eiusdem Ecclesiæ, in quos sunt distribuendæ. Verùm quia valde impropriè dicitur vnus & idem realiter debere sibiipsi, dicendum potiùs videtur illum non sibi debere decimas prædij donati Ecclesiæ S. Pauli: sed potiùs illas ad eum pertinere, non in quantum est Parochus illius Ecclesiæ S.Pauli: sed in quantum est Parochus Ecclesiæ S. Petri, cui Ecclesiæ sunt affectatæ decimæ illius prædij. 52.

Soluitur obiectio.

Dico secundò, decimas iure communi non alijs deberi, quàm Ecclesiæ ministris, qui pro spiritualibus temporale illud stipendium aut subsidium accipiunt: cap. *Quamuis sit graue. de decimis.* Et si personales sunt, debent solui Parochis illis, in quorum Ecclesijs accipiunt Sacramenta illi qui eas soluunt, cap. *Ad Apostolica, eodem tit.* & cap. *Significauit, de Parochijs*, & cap. *Questi*, cap. *Statuimus*, cap. *In sacris, 16. quæst. 1.* Si autem sunt prædiales, debentur ordinariè Parochis illis, ad quos pertinent Ecclesiæ, in quarum territorio prædia illa sunt; quamvis Domini prædiorum ad aliam Ecclesiam siue Parœciam suum habitaculum transtulerint: vt colligitur ex cap. vlt. *de Parochijs*, & cap. *Quoniam de decimis, & cap. vlt. de restitut. spoliat. in 6.* Nimirum quia in Parœciarum institutione, & diuisione, Ecclesia vnicuique applicauit prædia in eius territorio sita: vt confirmari potest ex Causa 13. quæst. 1. cap. 1. vbi Dionysius Papa sic loquitur: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus; Parochias, & cœmeteria eis diuisimus: & vnicuique ius proprium habere statuimus: ita vt nullus alterius Parochiæ terminos,* 53.

Quibusnam debent solui?

aut ius inuadat, sed sit vnusquisque suis terminis contentus. Porro decimæ initio debebantur communitati Clericorum, Ecclesiæ seruientium: & à Prælato distribuebantur iuxta cuiusque indigentiam: vt significat Clemens Roman. lib. 2. Constitut. cap. 39. & sumitur ex cap. *Videntes*, cap. *Episcopus*, cap. *Præcipimus*, *12. quæst. 1.* & cap. *Vulteranæ*, cap. *Concessio*, cap. *Quatuor*, & seq. *12. quæst. 2.* & cap. *Decimas*, *16. quæst. 7.* vbi Gregorius Papa sic loquitur: *Decimas sub manu Episcopi fore censemus, vt ille qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat.* Deinde verò, facta diuisione beneficiorum, assignatæ sunt vnicuique suæ decimæ. Iámque ab illo tempore debetur singulis ea portio, quæ cuiusque titulo assignata fuit. Et debetur non solis Parochis, sed alijs etiam quibus Ecclesia assignauit, & quos ex decimis ali voluit, quique titulo alicuius beneficij tenentur in Ecclesia ad aliquod ministerium spirituale, etiamsi propriam animarum curam non habeant.

54. Parochi, & Vicarij sunt alendi ex decimis. Notandum tamen, rationem & Iustitiam exigere vt Parochi, aut Vicarij, qui alicui Ecclesiæ seruiunt, in eâque administrant populo Sacramenta, habeant ex illius decimis, vel alijs bonis Ecclesiasticis, quod ad sustentationem necessarium est: & alioquin fieri iniuriam subditis illius Ecclesiæ, si cogantur per oblationes, vel alias collationes, contribuere ad eorum sustentationem. Coguntur enim bis idem soluere, si, cùm dent sufficientes decimas, & plusquam sufficientes ad eorum sustentationem; aliunde tamen coguntur conferre quidquid ad eandem necessarium est: ad quod de iure non tenentur, alijs licet deficientibus: & si id faciunt, possunt exigere restitutionem, primò ab eo qui decimas recipit: deinde ab illo etiam qui eas alteri applicauit, si prior non restituat.

Peccant Parochi non-residentes. Quin etiam populo iniuriam faciunt, qui parœcias habent, & pingues decimas ex illis colligunt, neque tamen illis seruiunt, sed viliori stipendio, quo possunt, Vicarios pauperes, ignaros, incapaces, & vitiosos conducunt: ex quo sequitur magna pernicies animarum: fitque contra intentionem fundatorum, & Ecclesiæ, qui magnos illos prouentus assignarunt, vt illis viri docti & industrij allicerentur ad curam talis parœciæ suscipiendam. Porro sicut potest Summus Pontifex (& olim etiam id poterant Episcopi) dare Laïcis ius secundarium ad decimas, per concessionem ad tempus, vel in perpetuum, & in feudum, vt supra diximus: sic ipsi Clerici possunt Laïcis dare ius ad decimas sibi proprias, vel per donationem aut venditionem, donando aut vendendo fructus ex illo iure ad se pertinentes: vel etiam per locationem: possunt enim decimæ locari Laïcis, & ab illis conduci, vt patet ex cap. *Vestra, de locato & conducto*: retento earum iure principali, seu dominio directo, & iure tantùm locationis concesso ad fructus: quod non minùs distinguitur à iure illo primario, quàm ius feudi. Non possunt tamen locari in perpetuum; neque vltra triennium, vbi recepta fuit Extrauagans *Ambitiosæ, tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, quæ sub pœna excommunicationis id prohibet, & irritat omnem locationem aut venditionem longioris temporis.

Decimæ possunt donari, vendi, & locari.

Dicò tertiò, iure scripto deberi decimas ex omnibus rebus licitè partis, id est, ex fructibus prædiorum, & aliarum rerum frugiferarum, quæ vocantur decimæ prædiales: & ex ijs quæ propriâ industriâ, vel operâ proueniunt, vt negotiatione, militia, venatione, &c. quæ vocantur decimæ personales. Patet ex cap. *Non est, Extra, de decimis*, vbi sic habetur: *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Et cap. *Pastoralis*, cap. *Ex transmissa, eodem tit.* dicitur soluendas esse decimas de molendinis, piscinis, & similibus rebus fructiferis. Et cap. *Decimæ*, *16. quæst. 1.* statuitur vt de militia, de negotio, de artificio, reddantur decimæ. Consuetudine tamen, vel Ecclesiæ relaxatione, factum est vt plurimis in locis non soluantur nisi decimæ prædiales, de quibusdam frugibus, & fructibus animalium: sublatis alijs, vel quia nimis graues populo videbantur, & cum magna difficultate exigebantur: vel etiam quia ijs in locis abundè sufficiunt prædiales, præsertim additis alijs Ecclesiæ redditibus, qui fidelium liberalitate accesserunt Ecclesiæ. 55. Quibus ex rebus debeantur?

Circa prædiales verò notandum est, non debere ex illis deduci expensas quæ pro fructibus percipiendis factæ sunt ab agrorum cultoribus & possessoribus, vt habetur cap. *Pastoralis*, *supra cit.* vbi Innocentius III. affirmat de molendinis, piscarijs, & lucro venditionis, id est, negotiationis, dandas esse decimas, neque deducendas expensas quæ fiunt pro fructibus percipiendis. Secus verò dicendum est de personalibus, vt habetur eodem cap. Nam illæ tantùm debentur ex lucro propriâ industriâ vel operâ acquisito: non est autem computandum in lucro quidquid expenditur negotiando, vel aliter operando ad lucrandum: sed id solum, quod deductis expensis superest. Atque ita docet Glossa in cap. *Apostolicæ, de decimis*, Verbo *Personales*: & in cap. *Pastoralis supra cit.* dicitur expressè, in negotiatione concessum esse vt possint expensæ deduci, priusquam decimæ soluantur ex lucro. Et licet Canon non loquatur nisi de negotiatione: tamen Doctores communiter extendunt ad quascunque alias decimas personales, venationem, piscationem, artificium, &c. 56. Sintne expensæ deducendæ?

Nota præterea, decimas prædiales debere sumi ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur census, tributa, vel alia debita, vt dicitur cap. *Cum non sit*, & cap. *Tua nobis, de decimis*. Nimirum quia, sicut ius diuinum præcedit quæcunque iura humana: ita ius decimarum, quæ dantur in recognitionem supremi & generalis dominij diuini, præcedit cætera iura, & ad omnes fructus se extendit. Quare priùs illi satisfaciendum est ex omnibus fructibus. Adde quòd decimæ debentur de illis ipsis fructibus, qui in censum, vel aliud tributum, aut debitum exiguntur. Ergò illi quoque debent in decima computari. Quare tenentur ad restitutionem qui de illis non soluunt, quique eiusmodi fructus non decimatos accipiunt. 57. Vel census, & tributa.

Nota tertiò ex Suar. tract. 3. de Religione 58.

Quid possint Episcopi circa illas?

lib. 1. cap. 15. num. 11. Prælatos Summo Pontifice inferiores non habere potestatem circa iura decimarum immutanda, vel decimas aliter distribuendas, aut applicandas, quàm iure communi statutum sit, vel legitima consuetudine receptum. Quia sunt inferiores iure communi, & non possunt immutare ea, quæ per Summos Pontifices stabilita sunt, nisi in casibus sibi concessis. Hic autem nulla concessio facta illis est, neque in iure, vel in Concilijs legitur: sed tantùm in quibusdam specialibus casibus eis committitur, vt decimas, vel aliquam earum partem, aut beneficia ex illis instituta, ad aliqua opera vel loca pia applicare possint: vel vniendo beneficia, vel diuidendo, vel decimarum partem applicando: vt videre est in Trident. Sess. 7. cap. 5 & sequent. *de Reformat.* & Sess. 21. cap. 3. & quatuor sequentibus, & Sess. 23. cap. 18. & Sess. 24. cap. 13. & 15. Neque etiam possunt imponere decimas Parochis sibi subiectis, neque tributum aliquod, vel subsidium ab illis exigere, præter id quod communi iure statutum est: vt patet ex cap. *Constitutum*, cap. *Nulli Episcoporum*, cap. *Ad hoc*, cap. *Prædicator*, *16. quæst. 1.* Nimirum quia Episcopi non sunt supremi dispensatores decimarum, vt Summus Pontifex: neque illis commissa est potestas imponendi decimas, non modò Clericis, sed ne quidem Laïcis, vt constat ex capitibus citatis. Similiter non possunt Episcopi dare priuilegium non soluendi decimas; sed solus S. Pontifex. Circa quod priuilegium

59. Quomodo amittitur priuilegium non soluendi decimas?

Nota quartò tribus modis amitti posse. Primò, per enormem læsionem, vel grauamen eorum, ad quos tales decimæ pertinerent, cap. *Suggestum*, *de decimis*. Quia non fuit intentio Pontificis dare cum tanto grauamine. Quod grauamen, si est manifestum, oportet tantùm id decidi per quemcunque Iudicem competentem. Si est dubium, vel obscurum: recurrendum est ad S. Pontificem priuilegij auctorem. Secundò, per contrarium vsum soluendi decimas spatio quadraginta annorum, cap. *Si de terra*, & cap. *Accedentibus*, *de priuilegijs*. Tertiò, per conuentionem, seu pactionem partium, cap. *Suggestum*, & cap. *Dilecti*, *de decimis*.

60. Paupertas excusare potest à soluẽdis.


Nota quintò, quod idem auctor docet lib. cit. cap. 16. in fine, non esse improbabile excusari à culpa pauperem, qui propter grauem necessitatem non soluit decimas, quibus indiget ad suam & familiæ suæ sustentationem. Nam hæc necessitas illum excusat ab obligatione præcepti, & ab iniustitia. Tenebitur tamen restituere, si redeat ad pinguiorem fortunam, saltem si diues sit in spe; iuxta ea quæ diximus alibi de restitut. Qui autem nolunt iniustè & sine causa legitima soluere decimas, possunt & debent compelli per Prælatos & Iudices Ecclesiasticos; vt constat ex cap. *Omnes*, *16. quæst. 7.* vbi dicitur esse tribus vicibus admonendos; & si non paruerint, esse excommunicandos, vsque ad congruam satisfactionem: & ex multis capitibus de decimis: ac denique ex Trident. Sess. 25. cap. 12. *de Reformat.* vbi statuitur vt qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, neque ab hoc crimine sine plena restitutione secuta absoluantur.

Quid agendum erga non soluentes?

61. Possunt tamen aliquando Prælati conniuere, ad vitanda scandala, & maiora mala; vt bene monet S. Thom. quæst. 87. art. 1. ad 5. idque vel liberali remissione, vel amicabili compositione & transactione. Quod etiam possunt facere Beneficiarij ad quos decimæ pertinent: vt colligitur ex cap. *Vt super*, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & docent glossa ibidem, alijque Doctores. Quod intelligunt de præteritis decimis, non autem de futuris, remittendo aut commutando in perpetuum, vel ad longum tempus, decimas futuras, in alios fructus aut possessiones. Nam hoc expressè prohibetur in Concil. Lateran. sub Alexandro III. parte 4. cap. 1. Non possunt etiam Parochi (& idem est de similibus beneficiarijs) accipere decimas per vim, sua auctoritate, licet iniustè detineantur à subditis, vel earum solutio differatur: vt ex communi sententia Doctorum affirmat Suar. lib. 1. cit. cap. 38. num. 2. quia, inquit, hæc vis est contra pacem Reipublicæ, & potest esse origo plurium iniuriarium, & scandalorum. Ideóque iura omnia dicunt per publicam potestatem cogendos esse soluere decimas, qui eas detinent; non verò priuata auctoritate. Imò neque per vim spiritalem potest Parochus propria auctoritate cogere subditum vt decimas soluat: vt bene addit ibidem Suar. post Nauarr. consil. 2. de decimis, vbi docet non posse Parochum, negare Parochiano Sacramenta donec eas soluerit: quia hoc esset propria auctoritate illum cogere, & bonis suis, vel possessione & vsu eorum priuare: quod non licet, iuxta caput *Conquerente*, *de restitut. Spoliat.* Item, quia non potest hoc facere Parochus per Iurisdictionem forensem, seu coactiuam in foro externo, quippe quam non habet: neque etiam per generalem facultatem negandi indignis Sacramenta. Quia petentes publicè, non possunt illis priuari, nisi quando delictum est publicum & indubitabile. Potest autem negans solutionem decimarum prætendere aliquam excusationem; vel aliquod ius, propter quod opus sit sententia declaratoria criminis.

Possintne accipi per vim?





DISPVTATIO OCTAVADECIMA.

De Voto.

DE Voto disputat S. Thomas quæst. 88. & art. 1. docet tria ad Votum necessariò requiri: nimirum deliberationem, propositum voluntatis, & promissionem, in qua perficitur ratio Voti. Ad cuius confirmationem accedunt interdum pronuntiatio oris, & testium aliquorum præsentia, coram quibus pronuntiatur, vt mens ad deuotionem magis excitetur; & vt vouens non Dei tantùm, sed hominum quoque reuerentiâ moueatur ad seruandum quod promisit. 2. Votum debere fieri de meliori bono, nobisque libero, id est, voluntariè & liberè à nobis exercendo. 3. Obligare ex fidelitate vt seruetur. 4. Expediens esse vouere: quia Votum cedit in vtilitatem nostram, & non ipsius Dei, qui benignus exactor est, & non egenus: quique non crescit ex redditis, sed in se crescere facit redditores. 5. Vouere esse propriè actum Religionis, seu Latriæ: quia est quædam ordinatio eius, quod promittitur, in cultum Dei. 6. Laudabilius esse, & magis meritorium facere aliquid ex Voto, quàm sine Voto: quia per Votum additur bono operi perfectio actus Latriæ: & homo plus se Deo subiicit: id est, non solùm quantùm ad actum, sed etiam, quantùm ad potestatem. Sicut qui daret arborem cum fructibus, plus daret, quàm si fructus tantùm. Et denique per Votum voluntas immobiliter firmatur in bono. 7. Voti solennitatem adhiberi, quando aliquis per susceptionem sacri Ordinis sacro Ministerio applicatur: vel in professione certæ Regulæ, quando per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit. 8. Eum, qui alteri subiicitur, non posse per Votum se firmiter obligare in his, in quibus alteri subiicitur, sine consensu sui Superioris: quia non potest se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius: sed tantùm ad id, quod est omnino in sua potestate. 9. Pueros ante vsum rationis non posse Voto se

obligare. Et quamvis illum habeant, si vouent ante pubertatem, posse eorum Vota à parentibus irritari, quorum curæ adhuc subiecti remanent. Post pubertatem verò posse iam se Voto Religionis obligare vel simplici, vel solenni, absque voluntate parentum. 10. Sicut in legibus dispensari potest per Superioris auctoritatem, propter maius bonum: sic & in Votis fieri posse dispensationem, vel commutationem. 11. Papam dispensare quidem posse super Voto, solemnizato per receptionem Ordinis sacri, in continentiæ debito, ex statuto tantùm Ecclesiæ sacris Ordinibus annexo. Secus autem in solennizato per professionem Religiosam, cui continentia est essentialiter annexa. 12. Dispensationem, aut commutationem in Votis fieri non posse sine auctoritate Prælati, qui gerit vicem Dei, & in persona Dei determinat quid illi sit acceptum. Hucusque D. Thomas.

SECTIO I.

Quid sit Votum?

1. Votum consistit in promissione. DEfinitur Votum à D. Thoma quæst. 88. a. 2. & art. 5. c. Promissio Deo facta ad eiusdem Dei cultum: quam definitionem cæteri ferè omnes Theologi admittunt. Et quidem Votum consistere formaliter in promissione, docet Scriptura pluribus locis: vt Deuter. 13. *Cum Votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri*, id est, vouere; *absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino.* Et Ecclesiastici 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: Sed quodcunque voueris, redde. Multòque melius est non vouere, quam post Votum promissa non reddere.* Et 1. Timoth. 5. de viduis contra Votum nubentibus Paulus sic ait: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: id est, vt exponit Clemens lib. 3. Constit. cap. 1. *Rationem Deo reddent, non quia iterum nupserunt* (quasi malum per se sit iterum nubere) *sed quia suam promissionem* (aliàs *professionem*) *non seruauerunt.* Et August. in Psal. 75. explicans eundem Apostoli locum: *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt.* Et Epist. 45. *Iam vouisti, iam te astrinxisti, aliud tibi facere non licet, & tenetur apud Deum sponsio tua.*

Quid sit hæc promissio? Est autem illa promissio actus voluntatis, quo quis vult efficaciter se ad aliquid obligare in præsens, id est, manere obligatus vi illius actus, ita vt ex nunc, & ex vi actus, oriatur in ipso vinculum, & obligatio: qui actus sufficit apud Deum, vt ex illo nascatur obligatio: differtque à simplici proposito, quod est sola voluntas, & destinatio aliquid faciendi: promissio verò est voluntas obligatoria, habens pro obiecto obligationem, quam efficit. Vnde S. Thom. a. 1. q. 88. comparat promissionem cum imperio, in eo, quòd quemadmodum aliquis per imperium obligat alium, in quem habet potestatem: ita per promissionem obligat seipsum ad aliquid faciendum, vel omittendum: eadémque de causa dici solet Votum esse lex priuata, quam quisque sibi ipsi imponit, & quâ seipsum obligat ad aliquid. Nec obest, quòd promissio est opposita comminationi, quæ per se non est aliud, quàm professio inferendi malum, alicui facta absque obligatione: vnde sequi videtur, quòd similiter promissio sit professio tribuendi bonum, absque obligatione. Etenim ad malum alicui inferendum nemo potest illi se constituere debitorem: secus autem ad tribuendum bonum, aut faciendum aliquid ei gratum. Potest enim esse ius ad bonum aliquod obtinendum: ad malum verò patiendum non est ius, sed debitum.

Dicitur autem hæc promissio fieri Deo: quia licet non modò Votum coram Sanctis, & Prælatis fieri possit, vt eorum reuerentia moueat ad eius obseruationem: sed etiam promissio possit ad ipsos immediatè dirigi, atque ad eorum cultum, & obseruantiam referri. (Sicut enim possum ieiunium, aut peregrinationem, ad honorem alicuius Sancti suscipere: sic possum & illi promittere me id facturum.) Nihilominus hæc promissio, prout fit Sanctis, non habet rationem voti formaliter, sed tantùm materialiter, vt docet D. Thom. q. 88. a. 5. ad 3. quatenus vt sit verè, ac propriè Votum, debet adiungi tacitè, vel expressè alia promissio, quâ promittimus Deo nos id facturos, quod promittimus Sanctis. Et hæc promissio, quæ fit Deo, est Votum: quæ verò fit Sanctis, non est Votum per se, sed materia voti, seu alterius promissionis Deo factæ, illi superuenientis, & illi veluti materiæ rationem voti formaliter afferentis. 2. Illa promissio fit Deo. Sunt tamen, qui existiment Votum latiùs sumi posse, pro promissione ipsa facta Sanctis: quemadmodum enim oratio duplex est, vna quæ fit Deo, alia, quæ fit Sanctis: Et prior est actus latriæ, posterior duliæ: sic Votum, &c. Ita Bellarm. in Controuer. de Ecclesia triumphante, lib. 3. cap. 9. Possit ne fieri Sanctis? Cui fauet modus loquendi fidelium. Quemadmodum enim vulgò dicimus *Oro Deum, Oro Beatam Virginem, Oro Sanctos*: ita etiam, *Voueo Deo, & Beatæ Virgini & Sanctis*: sicut in formulæ professionis quorundam Religionum dici consueuit, vt de sua testatur Caiet. ad art. suprà

citatum, in qua dicitur *Voueo Deo, B. Mariæ, B. Dominico & omnibus Sanctis.* At nunquam dicimus, *Sacrifico Virgini Mariæ, vel alijs Sanctis:* quod signum est nomen voti non esse restrictum ad actum latriæ, vt nomen sacrificij; sed dici de quacunque promissione Religiosa, facta Deo, vel Sanctis. Nihilominus tamen prior modus loquendi magis placet: eique magis fauet Scriptura, vbi semper voti nomen accipitur pro promissione facta Deo. Illi autem loquendi modi possunt facilè ita intelligi: Promitto Deo, & B. Virgini, & Sanctis in honorem eius, cui primò, & principaliter promitto illud ipsum, quod promitto Sanctis: ita vt promissio facta Sanctis referatur ad promissionem Deo factam, & ab illa quodammodo informetur; iuxta doctrinam D. Thomæ suprà relatam.

3. Debet fieri ad cultum Dei. Dicitur tertiò hæc promissio fieri Deo ad eiusdem Dei cultum: quia, vt rectè D. Thom. q. 88. a. 5. c. Votum est actus Religionis, & latriæ. Vnde Votum est ordinatio quædam eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, & obsequium. Quare si quis nullo modo intenderet Dei honorem in promittendo castitatem perpetuam, v. g. sed tantùm maiorem temporalem commoditatem, aut quid aliud; ille meo iudicio non propriè voueret: neque talis promissio esset indispensabilis ab Episcopo, sicut est verum Votum perpetuæ castitatis. Atque ita docent à fortiori Theologi illi, qui dicunt de ratione voti esse, vt fiat propter bonum finem, illudque ponunt in definitione voti, vt Ricard. in 4. dist. 38. art. 3. q. 2. in fine. Et Supplem. Gabriel. eadem dist. q. 1. a. 1. not. 2. Tametsi plurimi alij censent non esse de essentia voti, vt actu referatur in cultum Dei: sufficeréque, quòd sit aptum referri, & ex se intrinsecè contineat cultum Dei, ideóque ex se postulet voluntatem, quæ hunc cultum intendat. Qua de re plura videri possunt apud Suar. tract. 6. de Relig. lib. 1. cap. 5. & 15.

Quomodo ad illum referatur? Refertur autem Votum ad Dei cultum multipliciter. Primò, quatenus vouens intendit Deum honorare opere, quod vouet. Secundò, quatenus Dei reuerentiâ intendit se magis confirmare in proposito implendi quod vouet. Tertiò, quatenus testatur Deum habere notitiam, & curam rerum suarum, qui possit & velit opem sibi ferre, & ad cuius potentiam, & bonitatem confugiendum est in necessitatibus. Possunt tamen vota ad alios fines referri: putà, ad aliquid impetrandum, ad magis Deo placendum, & similia: sed hi fines sunt extrinseci virtuti Religionis.

4. Malus finis appositus impeditne eius valorem. Notandum etiam, non omnem finem malum, appositum voto, impedire illius valorem. Potest enim dupliciter apponi. Primò, ita vt se teneat solummodo ex parte vouentis, tanquam inducens illum ad vouendum: Vt si quis voueat dare pauperibus ingentem eleemosynam, inductus ad vouendum motiuo, vanæ gloriæ, vt scilicet magis æstimetur ab hominibus, talis voti nuncupationem audientibus. Vel si quis voueat ingressum Religionis, aut emittat professionem ex desiderio vt fiat Abbas, quo Beneficio indignus est, quodve inaniter desiderat. Secundò, potest apponi finis malus, ita vt se teneat ex parte ipsius materiæ promissæ, illámque inficiat, promittendo scilicet referre illam ad malum finem, & inordinatè illam facere. In hoc secundo casu Votum est omnino irritum: quia tunc res promissa est mala, ob malum illum finem: ac proinde Votum illud est de re mala; quod omnium consensu nullum est. Nemo enim potest validè se obligare ad peccandum: præsertim Deo, cui talis promissio, & obligatio accepta esse nequit: continet enim speciem quandam blasphemiæ. In priori autem Votum est validum, dummodo malus ille finis aliunde intendatur, quàm à Deo: vt si in exemplis allatis intendatur solùm vana gloria, vt consequenda per homines, Deo ad id specialiter non mouente: aut dignitas Abbatis, vt obtinenda solo fauore: hominum errantium in electione indigni. Ratio est, quia quando malus ille finis aliunde intenditur quàm à Deo, nec est rei promissæ finis; manet res ipsa promissa immunis & pura à labe mali finis, & sic grata Deo, cùm alioqui sit de se bona, vt supponimus; quamvis in ipso actu vouendi peccetur ratione illius mali finis à vouente intenti.

Dixi autem, *dummodo malus ille finis aliunde intendatur, quam à Deo:* quia si Votum referatur ad Deum pro malo illo fine obtinendo, aut gratijs agendis pro illo obtento; Votum irritum est. 5. Nam ad valorem voti necessarium est, vt res per illud oblata possit à Deo acceptari. Deus autem non potest acceptare aliquid sibi oblatum, vt sit auctor peccati; vel in gratiarum actionem, quasi illius auctor fuerit. Quare iniquus ille ordinandi modus destruit penitùs naturam voti. Secus tamen si Votum solummodo referatur ad obtinendum à Deo bonum aliquod ex malo consurgens, non referendo ad Deum illud malum, sed tantùm id quod bonum est, & separando malum à substantia voti: Vt v. g. si quis duellum initurus voueat ingressum Religionis, si incolumis euaserit: non quatenus eius victoria fortè nocebit inimico: sed quatenus est donum Dei vtile, præseruans illum à morte. Ita Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 6. post Caiet. Sotum, Nauarrum, Toletum, & plurimos alios quos citat.

SECTIO II.

Quæ requirantur ad valorem Voti?

QVoniam vt diximus initio Sectionis præcedentis, votum est essentialiter, & formaliter promissio; idcirco ad eius valorem requiruntur, quæcunque ad valorem promissionis necessaria sunt. Dico igitur primò, non sufficere ad votum habere simplex propositum faciendi aliquid. 6. Votum non est propositum duntaxat. Quia propositum non est promissio: neque qui proponit solùm, habet animum se obligandi alteri, aut se obligatum putat. De ratione autem voti est, vt obligationem inducat. Quare falluntur, qui putant propositum absolutum, & efficax faciendi aliquid in cultum Dei, esse votum, aut inducere obligationem voti: & speciatim tale propositum

æquipollere voto simplici in vno casu, quando scilicet aliquis Religionem ingreditur cum proposito perseuerandi, & semper Deo seruiendi: imò etiam æquiualere voto solemni, quando aliquis accipit habitum Religionis cum tali proposito. Quæ sententia, licet communis Canonistarum, manifestè aduersatur capiti *Litteraturam*, *De Voto*, vbi dicitur eum, qui vltra propositum mutandæ vitæ non est progressus in voto, non teneri. Repugnat etiam Tridentino Sess. 25. cap. 15. & 16. *Decreti de Regularib.* Vbi concedit generaliter annum integrum Nouitijs, quo sint liberi ad egrediendum si velint. Repugnat denique Scripturæ, & Patribus, qui semper votum exprimunt per promissionem, vt patet ex testimonijs initio Sectionis præcedentis allatis: quibus adde illud Greg. Nyss. Hom. 2. de Orat. Dominica: *Votum est promissio alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur.*

7. Ac ne quidem propositum manendi in Religione.

Neque magni momenti sunt, quæ in contrarium opponunt Canonistæ. Nam quod dicitur cap. *Statuimus, de Regular.* Nouitios posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino seruire: intelligendum est de voluntate cum animo vouendi, & se in præsens obligandi coniunctâ, tametsi verbis, aut alio signo externo non expressâ. Similique modo intelligendum est quod ait Innoc. III. cap. *Consulti, eod. tit. Licet super hoc senserint diuersi diuersa: nos tamen credimus distinguendum: vtrum is, qui conuertitur, proposuerit absolutè vitam mutare, vt sic in habitu Regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur: An conditionaliter experiri obseruantiam Regularem: vt ita demum si intra annum ei placuerit, profiteatur ordinis disciplinam: aut si fortè non placuerit, moribus emendatis ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem Regulam pertransire.* Intelligendum, inquam, istud est de proposito non simplici, sed promissione aliquâ, tacitâ saltem, confirmato: vt exponunt Abbas, Nauar. Couarr. D. Thomas, Caiet. Syluest. Angel. & alij quos refert & sequitur Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 20. De proposito, inquam, non solùm ingrediendi Religionem, sed etiam se ad illam obligandi. Adde quòd olim ex intentione Ecclesiæ susceptio habitus Religiosi non animo solùm experiendi, sed cum absoluto proposito manendi in Religione, habuit vim voti simplicis: vt docet Panormit. in cap. *Consulti, de Regularibus num. 3.* Quod statutum postea sublatum est, vt patet ex Trident. suprà citato.

8. Perperam quoque objiciunt cap. *Beneficium, de Regularibus*, in sexto, vbi Bonifacius VIII. statuit Nouitium intra annum probationis, & ante professionem emissam, non posse spoliari Beneficio quod in sæculo habebat, nisi constet quòd absolutè voluerit vitam mutare. Ex quo inferunt aliqui Canonistæ voluntatem illam sufficere ad votum solemne, aut illi æquipollere. Alioqui non posset priuari Beneficio. Respondeo enim cum Suare tract. 6. de Religione lib. 1. cap. 2. num. 16. hanc illationem apertè repugnare textui, in quo manifestè casus ille distinguitur ab alijs, in quibus fit professio expressa, vel tacita. Itaque id tantùm voluit, & statuit Summus Pontifex, vt etiam ante professionem, & solemne votum posset Nouitius priuari Beneficio, ne fortasse illa occasione omitteret implere obligationem suam, de qua iam sufficienter Ecclesiæ constabat per ipsiusmet personæ protestationem, & habitus Religiosi susceptionem, quæ susceptio iuncta proposito absoluto manendi semper in Religione vim habebat voti simplicis, vt paulò ante diximus.

Frustra denique objiciunt, propositum absolutum faciendi aliquod bonum opus in cultum Dei, inducere obligationem voti: quia inducit obligationem in materia Religionis; nam tale propositum non potest mutari sine inconstantia, & sine culpa: præsertim in re graui, cuiusmodi est propositum Nouitij permanendi in Religione, iuxta illud Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Respondeo enim esse quidem aliquam inconstantiam, si ex mera leuitate animi, & absque vlla ratione non fiat id, quod absolutè propositum fuit: præsertim in re graui: secus autem, si propter difficultatem occurrentem, aut quid aliud, quod sufficiat ad vitandum vitium inconstantiæ: totumque istud debitum persistendi in proposito non esse à Religione, vel à promissione: sed à sola virtute constantiæ: quamquam neque illa frequenter obligat in simplici proposito: quia propositum accipiendum est secundùm sensum proponentis: sensus autem illius frequenter est se velle facere, & facturum, si commodissimè possit, aut quantum est ex affectu, & dispositione præsenti, nisi aliud deinde videatur. Ex quo etiam fit, vt, quemadmodum rectè aduertit Sanch. cap. sup. cit. num. 21. Ille qui propositum suum verbis exprimit, non teneatur, ne quidem ex virtute veracitatis ad illud exequendum. Quoniam, inquit, verba significant iuxta subiectam materiam. At propositi simplicis ea est natura, vt variabile sit: & ideo verba propositum significantia, non significant illud vt certum, sed vt variabile quoad executionem futuram, solúmque præsentem faciendi animum significant vt certum. Quando autem aliqua propositio significat aliquid vt dubium, non redditur falsa, etiam si non contingat id quod per illam significatur. Ex modo enim significandi declaratur illud posse esse, & non esse, & fortè non futurum. Verus autem sensus verborum Christi Luc. 9. est quòd ille, qui ad Christum sequendum animum applicat, & tamen animum ad negotia temporalia sollicitè conuertit, non est aptus suscepto muneri: quia sæpe à vestigijs sibi propositis deflectet, auertendo mentis oculos ad humana negotia: sicut ineptè arat, qui retrorsum respicit, vel oculos suos aliò conuertit, quàm quò rectà tendendum est. 9. Sine peccatum deficere à proposito?

Dico secundò, non sufficere quoque ad votum habere simplex propositum vouendi, aut obligandi se in futurum: sed necessariò requiri intentionem se obligandi, & voluntatem hîc & nunc se obligantem in actu exercito. Ratio 10. Propositum vouendi non est votum.

primæ partis est, quia sola voluntas promittendi in futurum, non est promissio. Votum autem formaliter, & essentialiter est promissio. Item, voluntas se obligandi tantùm in futurum, id est, contrahendi alio tempore obligationem, non obligat in præsens. Votum autem essentialiter est voluntas obligatoria, habétque obligationem inseparabiliter sibi annexam, si verum, & validum est. Secunda verò pars probatur, quia obligatio per votum contracta est voluntaria, pendétque ab intentione vouentis. Ergo non est sine illa, nec contra illam. Quare vouens non obligatur, nisi intendat se obligare, multóque minùs, si intendit simpliciter non se obligare: in quo vtroque casu non vouet verè, & propriè, quidquid verbis suis exprimat. Quia cùm de ratione voti sit promissio, quæ sine obligatione stare nequit: qui intendit vouere, & non se obligare, apponit clausulam, vel conditionem, quæ est contra substantiam actus, adeóque illum irritum reddit, siue potiùs vult contradictoria: neque potest simul hæc duo velle absolutè, sed tantùm per ignorantiam terminorum potest existimare se ita velle. Dixi, *si intendat simpliciter non se obligare*: ita nimirum vt talis intentio prædominetur, & deroget intentioni vouendi, cum illa incompossibili. Dixi præterea, *si intendat non se obligare*: Secus enim est, si tantùm intendat, non implere votum, & tamen intendat se obligare. Tunc enim votum validum est: quamvis dupliciter peccet, qui sic vouet: primò, vouendo mendaciter, id est, sine proposito faciendi id, ad quod se obligat: Secundò, non implendo votum, id est, non faciendo postea quod promisit. Rectéque notat Nauar. grauiùs eum peccare, quàm qui sincerè vouet, & postea mutato animo votum non implet. Hic enim falsò quidem promittit, sed non mendaciter: alter verò mendaciter simul, & falsò promittit. Falsò, quia non implet reipsa: mendaciter, quia non habet animum implendi, quem habere se simulat. Qui enim aliquid promittit alteri, significat se duplex propositum in animo habere. Vnum se obligandi: alterum faciendi id, ad quod sponte obligationem contrahit.

Non vouet qui non intendit obligare se.

Potest voueri validè sine animo implendi votum.

11. Soluitur obiectio ex D. Thoma.

Non sunt autem incompossibiles hæ duæ voluntates, vt malè putat Valent. disp. 6. q. 6. Punct. 1. quia voluntas se obligandi, & voluntas non implendi non sunt contrariæ, cùm habeant obiecta diuersa, & non simpliciter repugnantia; sed quæ facilè simul esse possunt: facile enim est, vt quis velit se obligare, v. g. ad seruandam perpetuam castitatem, suscipiendo ordinem sacrum, aut emittendo professionem in ordine militari: & tamen simul habeat propositum non eam perpetuò seruandi. Prior autem voluntas obligandi se sufficit ad votum: & necessariò parit obligationem, si est voluntas obligatoria in præsens, & in actu exercito. Neque Valentiæ fauet D. Thomas q. 88. a. 1. c. cùm sic ait: *Ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem deliberatio, secundò propositum voluntatis, tertiò promissio in qua perficitur ratio voti*: loquitúrque de proposito faciendi: quia dicit ibidem, promissionem sequi ex proposito faciendi: & hoc propositum sequi ex deliberatione. Respondeo enim D. Thomam solùm narrare ordinem, qui necessariò seruari debet in voto conuenienter, & rectè formando. Ita vt primò præcedat deliberatio: Secundò, propositum faciendi: Tertiò, promissio: sed non affirmat D. Thomas non posse stare vllo modo promissionem sine voluntate implendi promissum.

Oppones cum Valentia, Eum qui dicit, Promitto me facturum, videri aliquid aliud significare præter voluntatem se obligandi ad faciendum: nimirum re vera se id facturum, atque adeo ita se putare, & velle. Ergo promissio, quam formamus per actum interiorem, non consistit in sola illa voluntate obligationis; sed in voluntate faciendi, & in existimatione quòd simus facturi. Patet consequentia, quia promissio interior omnino consistit in illo actu interno, qui explicatur per illam externam enuntiationem promissoriam, & ex vi modi significandi illius: debent enim actus internus, & externus concordare. Secundò, si quis habens animum se obligandi, & non faciendi, palam & sincerè explicaret hanc sui animi dispositionem; non tam censeretur promissor, quàm illusor: neque is qui promissionem ab illo exigit, tali contentus foret, nisi planè desiperet. Ergo neque tunc, cùm animi sui dispositionem non explicat, talis verè promittit. Tertiò, omnis obligatio ad aliquid faciendum debet habere pro fundamento, quo nitatur, aliquam legem, vel vniuersalem, vel particularem: hoc est, aliquod decretum rationis, & voluntatis, vel alicuius superioris obligantis, vel ipsiusmet hominis imponentis sibi ipsi obligationem. Sed qui vult se obligare, & non implere obligationem, nullam habet legem, cui tanquam fundamento nitatur talis obligatio: non enim legem alicuius superioris, quia supponimus rem, quam vouet, non esse aliunde præceptam. Non etiam legem particularem à semetipso sibi impositam: quia talis lex deberet esse decretum rationis, & determinatio voluntatis, quibus ipsemet statueret illud esse sibi faciendum. At hoc decretum, & determinationem non habet, siquidem habet contrarium propositum non faciendi.

12. Rationes in contrarium.

Ad primum respondeo eum, qui dicit, *Promitto me id facturum*, duo significare: vnum est se habere intentionem obligandi se in præsens, seque reipsa obligare in actu exercito: alterum est, se velle id facere: promissio enim externa hoc præ se fert, quamvis fallax esse possit. Sed non desinit esse verè promissio, & obligare, quamvis istâ ex parte non sit vera. Primum ex his duobus significatis est veluti directum, & immediatum: secundum est veluti consequens, quatenus qui promittit exteriùs, significat se fideliter, & sincerè promittere, id est, ex voluntate implendi promissum. Quare admisso antecedente obiectionis, nego consequentiam: ad cuius probationem dico promissionem internam non consistere formaliter in omni actu interno, qui explicatur quomodocunque per externam enuntiationem promissoriam; sed illo qui directè & immediatè significatur, quique sufficit ad contrahendam obligationem.

13. Promittens facere, quid significet?

Ad secundum respondeo talem habendum 14.

Promissio ficta ad quid valeat? fore pro illusore, magis quàm promissore; quia non putaretur verè, & seriò, sed ioco tantùm, aut simulatoriè promittere, nolléque se obligare: sed si constaret verè promisisse; posset acceptari eius promissio ab illo, cui sponte offerretur; posséque cogi ad implendum promissum. Quamvis autem ille, qui exigit ab aliquo promissionem, exigat veram vndequaque, & fidelem: cùm illam exigat propter opus, quod ab illo obtinere vult: potest tamen sapienter acceptare promissionem vltro sibi oblatam, ab eo, quem sciret non habere voluntatem implendi promissum, vt possit ad implendum compellere. Imò frequenter creditores exigunt à debitoribus, de quorum fidelitate dubitant, aut qui culpabiliter sunt in mora, promissiones scriptas, vt possint illos suo tempore in iudicio conuenire.

15. Ad tertium respondeo eum, qui se obligat ad id, quod exequi non vult, habere pro fundamento obligationis promissionem suam, per quam sibi legem particularem imponit: tenetur enim ex fidelitate, vel ex iustitia, facere quod promisit. Hæc autem promissio, vt decenter, & honestè fiat, includit, aut præsupponit decretum rationis, & voluntatis de faciendo quod promittitur: verumtamen absolutè potest sine illo fieri: & præcisè, formaliter, & essentialiter nihil est aliud, quàm voluntas obligatoria, id est, actus voluntatis, quo quis se obligat in præsens, manétque vi illius obligatus apud Deum, cui talis actus est per se notus: quamvis ad contrahendam apud homines obligationem, necessarium sit actum illum internum eis manifestare aliquo signo externo.

16. Votum debet esse perfectè deliberatum. Dico tertiò, ad valorem voti necessarium esse vt actus voluntatis, quo quis Deo promittit, sit perfectè deliberatus, & cum sufficienti cognitione, ac libertate exercitus. Prima pars assertionis de perfecta deliberatione, est communis Doctorum affirmantium requiri, vt votum sit validum, perfectam deliberationem, &c. quæ sufficiat ad peccatum mortale in re graui. Ratio ex Less. cap. 40. dub. 1. num. 3. est, quia promissio est lex quædam, & onus, quod sibi quisque sponte imponit: Nemo autem censetur aliquod onus velle sibi imponere, nisi plenè aduertat, quid agat, & quale onus capessat. Quæcunque tamen deliberatio sufficit ad peccatum mortale, vt homo se tradat diabolo, sufficit etiam ad vouendum vt homo se tradat Deo: vt idem ait num. 2. Addit Sanches lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 8. deliberationem semiplenam, & sufficientem ad peccatum veniale, ne quidem sufficere ad votum obligans sub peccato saltem veniali: quia, inquit, vt homo disponat de suis actionibus, sibi, vel alteri obligationem imponens, necesse est vt tanquam perfectè, & absolutè dominus, de illis disponat: neque enim actibus imperfectis, & semiplenis videtur quis se obligare velle. Quod secus est, vt aliqualiter præmio, aut pœna afficiatur: Sufficit enim rectitudo in opere, aut obliquitas, quovis modo libera. Confirmatur, quia obligare se ad opus aliàs liberum, sub quacunque culpa, etiam veniali, est aliquid graue. Ergo requirit perfectam libertatem, ita vt homo nequeat illam sibi imponere absque sufficienti deliberatione vt actus sit simpliciter liber, & humanus. Ad dignoscendum verò, quando votum subitò factum sit inualidum ex defectu deliberationis, non potest tradi signum generale certum, & infallibile, sed prudenti iudicio id discernendum est. Atque vt prudenter de eo iudicetur, habenda est ratio leuitatis animi vouentis, facilitatis ad vouendum, & propensionis ad id agendum inconsideratè, passionis repentè ad vouendum impellentis, scrupulositatis, & similium, quæ sufficientem aduertentiam, & maturam deliberationem impedire solent. In dubio autem de sufficienti deliberatione, quid faciendum sit, dicemus Sect. 4. num. 31. Notandum tamen ad valorem voti non esse necessarium, vt deliberatio sit actu, & formaliter præsens, quando votum emittitur: Sufficit enim antea præcessisse, & virtualiter durare, ac moraliter continuari cum opere ex ea secuto. Vt quando aliquis deliberauit emittere professionem Religiosam, & interea dum peraguntur ceremoniæ, quas eo animo inchoauit, distrahitur.

Secunda pars assertionis, requiri scilicet ad votum sufficientem cognitionem, sequitur ex præcedenti: nam sine sufficienti cognitione non potest esse perfecta deliberatio. Aduertendum tamen est non quamcunque ignorantiam priuatiuam, aut positiuam, reddere votum irritum; sed eam tantùm, quæ versatur circa substantiam voti, vel circa conditiones accidentales adeo graues, vt in substantiam voti redundent, & moraliter existimentur ad illam pertinere. Quales autem sint huiusmodi conditiones, prudenti iudicio discernendum est. Exempla verò hæc dari possunt, ex quibus de alijs similibus iudicium simile formari poterit: Si per ignorantiam existimetur esse possibile vouente id quod promittit, cùm tamen reipsa sit illi impossibile. Si voueat ire Hierosolymam putans abesse tantùm trecentis leucis, cùm tamen distet plusquam sexcentis. Nam pars illa voti tam notabilis redundat in substantiam voti. Si voueat ingredi tale Monasterium, putans esse ordinis S. Dominici, cùm tamen sit alterius ordinis: aut si putet disciplinam in eo vigere, cùm tamen in præcipuis valde laxata, & corrupta sit. Si vouit dare ingentem eleemosynam, aut Catharinæ dotem, putans esse pauperem, cùm tamen diues sit. Aut si credens matrem graui morbo laborare, voueat pro illius sanitate peregrinationem: & tamen illa non ægrotet, sed vel sana, vel mortua iam sit. Si voueat vt fœlix matrimonium ineat, posteáque mutata voluntate, cœlibem vitam eligat. In quibus omnibus exemplis ignorantia, vel error cadit in ipsam substantiam voti ex toto, vel ex parte, vel in conditiones accidentales, aut circumstantias adeo magni momenti, vt censeantur prudenter ad ipsam voti substantiam pertinere, aut in illam redundare: adeóque illius valorem impediunt. Secus est si error vel ignorantia versetur circa aliquid accidentarium, impertinens ad votum, vel non magni momenti. Quia si est impertinens; nec obest voto, nec prodest. Si autem pertinet quidem, sed vt

17. Et cum sufficienti cognitione.

Quomodo ignorantia, vel error vota irritet?

aliquid leue, & parum considerabile; non impedit eius valorem: quia in moralibus parum reputatur pro nihilo: & alioqui nulla fere vota essent valida, vel possent facillimè irritari. Quia vix vllum est, in cuius obseruatione non contingat aliquid non præuisum à vouente, quodque se præuidisset, non vouisset. Sique ea de causa non valerent vota, deberent pari ratione non valere promissiones factæ hominibus, alijque contractus, in quibus error aliquis, vel ignorantia cuiuscunque rei interuenisset: atque ita nihil esset firmum, & stabile in humanis contractibus. Hoc autem intelligo, quantum est ex natura voti. Nam si vouens expresè determinasset suam intentionem ad huiusmodi leues circumstantias, ita vt non vouisset, nisi secundùm illas, nolletque se astringere, nisi essent reipsa, quales esse putauit; non verè voueret coram Deo, non stantibus illis circumstantijs, defectu intentionis; tametsi in foro externo censeretur vouisse, nisi de illius intentione constaret: quia spectatâ naturâ voti, debuit absolutè suo errori, vel ignorantiæ derogare circa leues huiusmodi circumstantias. Neque illi est liberum ita vouere in sacrorum ordinum susceptione, vel Religiosa professione, & si quæ alia vota sunt, de quorum circumstantijs, & conditionibus Ecclesia determinauit, vultque tali modo fieri, & cogit ad seruandum, non admissis excusationibus in contrarium ex defectu intentionis.

18. Tertia pars assertionis, requiri scilicet ad valorem voti, vt fiat cum sufficienti libertate, patet ex dictis, si loquamur de libertate indifferentiæ: ostendimus enim debere illam esse perfectam in vouente; & talem, vt sufficiat ad peccatum mortale. Notandum verò est vltra libertatem indifferentiæ, siue à necessitate, aliam esse, quæ vocatur libertas à coactione; & hæc etiam aliquo modo necessaria est. Nam metus, & coactio, valorem voti impediunt, vt de voto solemni certum est ex cap. *Perlatum, de ijs quæ vi:* De simplici, saltem est probabile, & à multis assertum (quamvis non adeo sit in iure expressum) concurrentibus simul his tribus circumstantijs, vt bene docet & fusius probat Lessius cap. 40. dub. 3. aliàs 1. Prima est, vt metus sit grauis, & cadens in constantem virum, quia metus leuis non irritat votum: Vt colligitur ex cap. 1. *De ijs, quæ vi, &c.* & cap. *Cum dilectus, eod. tit. & cap. finali Qui Clerici vel vouentes.* Secunda, vt iniustè incutiatur: nam metus iustè incussus à causis liberis, puta mortis iustè inferendæ; vel proueniens à causis naturalibus, vt à morbo, naufragio, domus ruinâ, non impedit valorem voti. Tertia, vt incutiatur ad extorquendum votum. Nam si quis v. g. captus à latronibus de voto nihil cogitantibus, versetur in periculo mortis, & voueat, vt illam euadat; tenet votum, & obligat. His, inquam, tribus concurrentibus votum irritum est: non iure naturali, sed potiùs Ecclesiastico irritante, vt dicemus alibi de matrimonio per metum iniustum contracto.

Quæ vis seu coactio votum irritet?

Sunt tamen, qui existiment esse irritum ex natura rei: quia, inquiunt, vota non vallent, nisi à Deo acceptentur: Deus autem non acceptat promissiones per iniuriam extortas, ne iniuriam approbare videatur. Et ne quidem inter homines possunt promissiones tali modo extortæ rationabiliter acceptari, aut aliquid iuris ex illis prætendi. Item talis promissio homini facta est irrita, vel saltem potest reuocari pro arbitrio promittentis: ergo, &c. Ita Less. cap. 40. dub. 3. num. 17. aliàs dub. 1. n. 6. vbi affirmat hanc sententiam esse satis probabilem: absolutè verò eam tenent Dominic. Sot. lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. ad [illegible] & Nauar. cap. 22. Manual. num. 51. §. *Septimum*, & lib. 1. Consil. tit. 39. Conf. 1. n. 7. plures alios citans. Quorum sententia minus mihi probatur: quia iuxta illam, metus etiam leuis, sed iniustè incussus ad votum eliciendum, deberet illud pariter irritare: non enim metus grauitas irritat votum, siquidem metus naufragij grauis est, & tamen votum ex eo factum tenet: sed iniuria irritat, quando est causa consensus. At hîc etiam est iniuria, & est causa consensus, vt supponimus: ergo, &c. Atqui falsum est votum leui metu factum esse irritum ex natura rei: vt ex eo satis patet, quòd Ius Canonicum ne vota quidem solemnia reprobat leui metu facta. Si autem essent nulla ex natura rei, deberent reprobari: & non possent homines iustè cogi ad illa seruanda. Neque est vlla sufficiens ratio affirmandi leuem metum irritare votum ex natura rei. Non debet autem illud sine sufficienti ratione affirmari. Quare dicendum est hanc irritationem voti esse tantùm ex iure Ecclesiastico, æquè ac matrimonij: vt de isto ostendemus suo loco. Rationes autem quas ibi afferemus idem conuincunt de voto per similem metum extorto. Præcipua est, quia talis metus relinquit libertatem, & deliberationem sufficientem ad peccatum mortale. Ergo & ad votum: nam, ex communi Doctorum consensu, non maior ad vnum istorum requiritur, quàm ad alterum, spectatâ solâ rei naturâ, & validitate voti, aut matrimonij: quamvis vt prudenter fiat, plus requiratur ad votum præsertim solenne, & ad matrimonium.

Vide cap. 1. & cap. 6. De his quæ vi. & cap. finale, Qui Clerici vel vouentes.

Tomo 5. disp. 71. Sect. 6.

Irritátne ex natura rei?

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, Deum non propterea approbare iniuriam, sed effectum illius per se bonum, ipsique vouenti vtilem & bonum. Vtilis enim est necessitas, quæ ad meliora compellit. Ad secundum, differentia est inter Deum, & hominem: quia homines non habent ius cogendi: Deus autem per se cogere poterat, & sæpe cogit homines, vt ad se per preces, & vota recurrant, immissis flagellis temporalibus: iuxta illud Dauidis Psal. 82. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Et Psal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea, holocausta medullata offeram tibi, &c.* Quare Deus in tali voto acceptando non facit iniuriam vouenti, sed vtitur iure suo. Ad tertium Dico cum Lessio sup. cit. deberi hanc reuerentiam diuinæ maiestati, vt quidquid illi quovis modo pleno iudicio promissum est, insolubiliter (nisi ipse condonet) seruandum sit. Id enim ad diuinum honorem pertinet. Postulat tamen æquitas naturalis, vt huiusmodi vota faciè per Præ-

19. Soluuntur argumenta partis affirmantis.

latos Ecclesiæ, nomine Dei promissione cedentis & condonantis, relaxentur.

10. Refelluntur opiniones contrariæ. Hinc collige non esse verum quod docent Couarr. 2. parte quarti, cap. 3. §. 5. num. 7. & plures alij ab eo citati; & à Sanche lib. 4 de Matr. disp. 13. vbi etiam probabile id esse affirmat, Votum solenne Religionis, & matrimonium esse inualida, si fiant metu graui, quamuis iustè incusso: quia, inquiunt, hæc duo requirunt summam libertatem, cui repugnat grauis quicunque metus: neque enim minùs eam tollit, aut lædit, siue iustè incutiatur, siue iniustè: & siue priuata auctoritate, siue publica. Verum quoque non esse quod aiunt Nauar. in Summa cap. 22. num. 51. & lib. 1. Consil. tit. 39. Consil. 1. num. 7. & alij ab eo citati, metum iniustum, etiam leuem, irritare votum, atque etiam matrimonium, in foro conscientiæ: quod de matrimonio docent quoque nonnulli alij relati à Sanche dispur. 17. Vbi eorum sententiam satis probabilem esse dicit: & de professione Religiosa idem tenent plerique apud Couar. cap. cit. §. 6. num. 7. affirmantes eam metu reuerentiali irritari; quam sententiam communem esse ait Couar. ibidem. Sed ex dictis patet hæc omnia minùs veritati consentire: cùm ad valorem voti simpliciter sufficiat libertas quanta requiritur ad peccatum mortale: quæ certè non tollitur per metum leuem: imò neque per grauem iustè vel iniustè incussum. Quare eo non obstante valeret votum, metu licet graui & iniusto extortum, nisi Ecclesia illud irritasset. Non irritauit autem ea quæ leui metu fiunt, vel metu graui iustè incusso: vt patet ex Iuribus suprà citatis.

Præter omnia supra dicta requiritur ad valorem voti, vt sit de materia possibili, quæque Deo conuenienter, & Religiosè promitti possit, velut ad eius cultum, & honorem conducens, quæ cuiusmodi sit, dicemus paulò post. Priùs verò de multiplici votorum diuisione disserendum est.

SECTIO III.

Quotuplex sit Votum? queve sit eius materia, & obligatio?

11. Variæ diuisiones voti. Diuiditur votum primò in Perpetuum, & Temporale. Secundò, in Expressum, quod expressis verbis concipitur: & Tacitum, quod censetur fieri eo ipso quòd aliquid aliud agitur, cui tale votum annexum est. Cuiusmodi est votum castitatis in susceptione ordinis sacri, & votum Religionis in gestatione habitus professorum post annum probationis. Tertiò, in Absolutum, quod fit nulla conditione apposita: & Conditionale, quod fit cum conditione, vt, Promitto peregrinationem, si Deus mihi tale beneficium contulerit. Quartò, in Pœnale, quo quis aliquid vouet in pœnam delicti, & Deo promittit se aliquid facturum, si in tale peccatum inciderit: & in Non-pœnale, quando id, quod vouetur, non vouetur in pœnam delicti. Quintò, in Personale, quo promittitur aliquid, quod personam solam attingit, vt propria eius actio, vel omissio: Ex. gr. peregrinatio aliqua, vel ieiunium, abstinentia à ludo, vel ab ingressu domus periculosæ: Reale, quo res aliqua externa promittitur, putà donum aliquod, vel oblatio: & Mixtum, quo vtrumque. Sextò, diuiditur in Simplex, & Solemne. Solemne dicitur illud, quod fit in susceptione ordinis sacri, vel in professione Religionis approbatæ. Simplex vocatur omne aliud. De qua diuisione plura dicemus inferiùs. Septimò diuiditur in Affirmatiuum, quod est de actu vel opere aliquo faciendo: & Negatiuum, de non faciendo. Simili modo, quo præcepta diuiduntur in Affirmatiua, quibus præcipitur vt aliquid faciamus: & in Negatiua, quibus præcipitur vt ab aliquo abstineamus. Octauò diuiditur in Internum, & Externum: Quæ diuisio duplicem sensum habere potest. Vnum ex parte actus: ita vt votum Internum dicatur illud, quod sola mente concipitur. Externum verò, quod verbis, aut alio signo externo manifestatur. Alterum ex parte materiæ: ita vt votum internum dicatur illud, cuius materia promissa est aliquis actus internus, vel illius omissio: puta oratio mentalis per semi-horam quotidie; vel abstinentia ab actu odij erga proximum. Externum verò, cuius materia est aliquid externum, vt eleemosyna, vel peregrinatio, abstinentia à ludo, & similia. Nonò, inter vota quædam sunt Reseruata, & quædam non. Quæ diuisio traditur in ordine ad dispensationem, vel commutationem: quatenus superior concedit, aut negat inferioribus potestatem dispensandi super illis, vel commutandi in aliud. Decimò diuiditur à Supplem. Gabr. dist. 38. q. 1. in votum Perfectum, & Imperfectum, nimirum accidentali quadam imperfectione: Nam alioqui votum essentialiter imperfectum non est verè votum. Potest tamen in voto vero, & valido, contingere accidentalis quædam imperfectio: quia licet cum sufficienti deliberatione factum sit; tamen non satis prudenter, vel cum aliqua ignorantia leuis circumstantiæ, vel ex timore leui, vel ex humano aliquo motiuo. Eòdemque recidit diuisio, quam aliqui tradunt, in votum Bonum, & Malum. Malum scilicet, ex mala aliqua circumstantia: non autem quia est de actu malo, & turpi: tale enim votum nullum esset, vt mox dicemus. Vndecimò diuiditur in Occultum, quod fit occultè: & Publicum, quod publice & coram alijs fit.

Denique diuiditur in Commune, & Singulare: quæ diuisio traditur à Magistro in 4. sent. dist. 38. estque celebris inter veteres Scholasticos ad eandem distinctionem, qui votum Commune vocant illud, quod putant in baptismo fieri dicendo, *Abrenuncio Satanæ, &c.* quod etiam appellant votum Necessitatis, quia est de rebus ad salutem necessarijs. Singulare autem vocant illud omne, quod quisque suo arbitrio facit de rebus alioqui non necessarijs: quod etiam ea de causa appellant votum Voluntarium. Sed hæc diuisio in duobus peccat. Primò, quia professio, quæ fit in baptismo, non est propriè votum; cùm non sit promissio, sed propositum voluntatis Christo volentis adhærere, & legem eius obseruare: Licet interdum 12.

à Sanctis

à Sanctis Patribus vocetur votum, & sponsio. Secundò, quia non est adæquata: nam præter votum illud generale, & commune omnibus Christianis impropriè sic appellatum, & præter votum singulare prædicto modo explicatum, datur tertium, quod emittitur pro arbitrio ab vnóquoque de rebus etiam ad salutem necessarijs.

23. Quæ sit eius materia?

Materia voti generatim est bonum, quod sit in nostra potestate, sitque melius, quàm eius oppositum, quod impediat fieri: siue, quàm incompossibile, & contradictorium. Ratio est, quia nemo alteri promittit, neque ius dat, nisi ad id, quod ipsi bonum est: promissio enim est boni, sicut comminatio est mali. Cùm igitur omnis promissio sit boni, oportet promissionem Deo factam esse alicuius boni ipsius; nimirum alicuius Deo grati, & placentis: hoc enim est, quod appellatur bonum Dei. Oportet insuper bonum illud esse vouenti possibile, quia non potest se obligare ad id, quod non habet in sua potestate, essétque stulta, & inanis talis boni promissio. Debet vlteriùs esse melius quàm oppositum ipsius, seu contradictorium: quia omnis promissio fit alteri, vt illi gratificemur. Gratum autem dici non debet id, quo aliquis tam caret libenter, quàm illud habet: quocirca promissionem Deo factam oportet esse boni melioris, quàm sit eius oppositum. Præsertim quoniam obligare se ad faciendum aliquid, quod nihilo gratius sit, quàm sit eius oppositum, est inutile, & vanum. Porro à perfectione boni gratioris non tantùm deficit bonum minus, vt coniugium respectu continentiæ; sed etiam bonum æquale, vt ducere hanc vxorem, respectu eius quod est ducere aliam: nam hæc possunt esse paria. Est nihilominus materia voti id cuius oppositum non placet, ipsum verò placet; vt seruare mandata.

Debet esse de meliori bono.

24. Potest fieri de re alioquin necessaria.

Et generatim quæcunque sunt Deo gratiora, possunt esse materia voti: siue ea sint consilij tantùm, & supererogationis; siue etiam præcepti: vt de prioribus fatentur omnes: de posterioribus autem negare videntur nonnulli cum D.Thoma q.88. a. 2. sed immeritò, & contra communem sententiam ratione certa, & euidenti nixam. Cum enim opera præcepta sint Deo gratissima, cur non possint Deo promitti, & nouo vinculo confirmari; sicut etiam potest quis iuramento se adstringere ad id quod facere tenebatur? Confirmatur exemplo Iacob, qui votum vouit Domino se illum solum pro Deo habiturum, & non culturum Deos alienos, verbis illis: *Erit mihi Dominus in Deum:* Gen. 28. Item, ex vsu Ecclesiæ constat voueri non modò abstinentiam à nuptijs, sed & ab omnibus illicitis voluptatibus lege diuina prohibitis. Hæc enim quoque censentur includi in voto castitatis. Posito autem quòd quis rem præceptam vouerit, peccabit dupliciter si transgrediatur: nimirum contra præceptum, & contra votum, qui verò sæpius idem vouet tantùm ad spiritum excitandum, & renouandam obligationem, non autem ad inducendam nouam; non aliud, nec maius peccatum committit, quàm si semel tantùm vouisset.

25. Ex his collige primò, votum non posse fieri de materia omnino impossibili, siue sit simplex, siue sit totum aliquod, moraliter, & secundùm ordinarium vsum indiuisibile. Secus autem de diuisibili moraliter, & possibili ex parte. Vt si quis voueat ieiunium quadragesimale, & partem illius ieiunare tantùm potest: obligatur enim vi voti ad seruandum ieiunium tot diebus, quot poterit: & votum illud æquiualet multis, quibus singulorum dierum ieiunium promitteret: nisi aliunde constet de intentione vouentis, qui voluerit indiuisibiliter totum illud quamuis diuisibile promittere: alioqui enim votum ex natura sua obligat simili modo, quo præceptum Ecclesiasticum obligat, vel obligaret in simili materia: vt bene docet Suares lib. 2. de Voto cap. 2.

Sed non de impossibili.

16. Neque de re mala.

Collige secundò, non posse Deo voueri peccatum mortale, aut veniale. Imò id vouere est grauis irreuerentia, & irrisio, vel blasphemia contra Deum; adeóque graue peccatum: vt rectè docent Caiet. in Sum. Verbo, *Voti materia*, & Less. cap. 40. dub. 5. num. 39. licet Malder. tract. 10. cap. 5. dub. 2. & plures alij censeant votum de committendo peccato veniali esse tantùm veniale; excusante materiæ paruitate à peccato mortali. Sed existimo probabilius de tali voto idem esse sentiendum, quod de iuramento leuis mendacij, quod nihilominus propter grauem erga Deum irreuerentiam, est peccatum graue, si Dei nomen assumatur, & auctoritas, ad confirmandum propositum illius committendi, vt dicemus sequenti disp. Sect. 2. num. 5. Adde quòd, vt rectè ait Lessius ibid. Vouere, seu promittere Deo te facturum aliquid quod scias esse malum, est quædam irrisio diuinæ Majestatis, vel implicita blasphemia. Quia si seriò promittis Deo te facturum aliquid ipsi displicens, quod tale esse non ignoras, irrisio Dei est, vel comminatio potiùs, quam promissio: blasphemia verò, si putas Deum acceptare & gratam habere talem promissionem.

27. Neque de nunquam peccando venialiter.

Collige tertiò, neque de nunquam peccando venialiter votum fieri posse, quoad totam illam materiam collectiuè sumptam, & indiuisibiliter: quia tale votum est de materia moraliter impossibili: multóque minùs de nunquam edendo, non dormiendo, non moriendo, &c. Neque de re indifferenti, vt de non deambulando, non studendo, non ingrediendo aliquem locum, cuius vitandi alia iusta causa non sit: de non ludendo, si ludus non sit alioqui malus, aut perniciosus. Imò si causa vitandi domus ingressum, aut ludum antea fuerit, & postea cesset, putà quia nullum est amplius periculum mali; cessat obligatio voti. Neque de re minùs bona, aut æquè tantùm bona; vt de non mutuando, aut de coniugio ineundo, aut de Paula potiùs, quàm Catharina ducenda cæteris paribus. Notandum tamen maius bonum debere sumi respectiuè. Fieri enim potest, vt quod in se est maius, sit minus vouenti. Atque ita ei, qui continere non potest, melius est coniugium, adeóque potest illud vouere. Si tamen postea fiat potens ad continendum, cessat hoc ipso obligatio talis voti.

18. Porro obligatio voti est grauis ex suo genere: est enim obligatio Iustitiæ erga Deum: iuxta

Votum per se grauiter obligat: nisi materia sit leuis.

ea quæ diximus alibi generatim de promissione data & acceptata, disp. 32. Sect. 13. Leuitas tamen materiæ excusat à mortali, siue ea sit tota materia voti, siue tantùm illius pars, quæ omittatur. Hæc autem leuitas in votis realibus, iuxta communiorem sententiam, petetur ex eo, quod talis materia in causa septimi præcepti, *Non furaberis*, non constitueret peccatum mortale: sicut materiæ grauitas, ex simili comparatione sumenda est. In votis autem personalibus id efficit peccatum mortale, quod efficeret, si talem actionem Deus expressè præciperet, aut prohiberet.

Vouens potest leuiter tantum se obligare.

Sed hæc omnia intellige ex suppositione quòd vouens intenderit se obligare iuxta naturam rei: alioqui enim probabilius est votum, quo ad vim obligandi, pendêre ab intentione vouentis, quæ efficere possit, vt votum etiam in materia graui non obliget nisi ad peccatum veniale. Primò, quia in omni lege humana qualitas obligationis pendet ab intentione legislatoris. Sed votum est quasi lex particularis, quam homo sibi ipsi imponit. Ergo, &c. Secundò, In omni promissione obligatio pendet ab intentione promittentium. Ergo & in voto. Tertiò, A quo pendet obligatio in substantia, pendet & in modo, & in qualitate non repugnante. At non repugnat hominem se obligare leuiter ad rem grauem, non alioqui necessariam: & obligatio circa rem huiusmodi pendet ab eius voluntate, quoad substantiam. Ergo, &c. Denique, Actus agentium ex intentione, non operantur vltra intentionem: cùm ab ea omnem suam vim habeant. Et sicut potestas superioris non inducit obligationem subdito, nisi prout applicatur à voluntate, ad eam mediante præcepto causandam: sic ius quod quisque in seipsum habet, non infert obligationem mediante promissione, nisi intendat eam inferre, & quatenus intendit. Vnde nec aliter, nec ampliùs, nec diutiùs, quàm intendit.

29. Non omnis voti transgressio est mortalis.

Neque obest quod objiciunt aliqui, omnem voti validi transgressionem esse infidelitatem, & perfidiam in Deum: ideóque esse graue peccatum. Præterea, quæcumque voti obligatio est lex, quam Deus imponit omni vouenti, tam lege naturali, quàm diuina. Neque enim vouens facit hanc obligationem, nisi indirectè, quatenus scilicet directe facit actionem, id est votum & promissionem, ex qua sequitur obligatio, quam solus Deus facit. Quare moderatio illius obligationis non pendet à vouente sed à Deo.

Ad primum enim respondeo, sicut infidelitas contra votum in materia leui est tantùm leuis & venialis, vt fatentur ipsimet aduersarij: ita pariter leuis tantùm & venialis est, quando vouens sponte sua non nisi leuem obligationem suscipit. Ad secundum

Respondeo primò indirectè, argumentum fieri posse contra legem, & præceptum humanum, de quo tamen nonnulli aduersariorum sentiunt nobiscum, pendere ab intentione legislatoris, aut superioris, vt rem grauem leniter præcipiat. Similiter enim ex lege vel præcepto legitimo sequitur obligatio, quam Deus imponit omni inferiori, & subdito, tam lege naturali, quàm diuina, &c. Secundò, dico obligationem, quæ sequitur ex voto, quámve Deus imponit, seu confirmat secundùm legem naturalem, & diuinam, non esse maiorem quàm sit causa, à qua primò pendet, nempe intentio vouentis. Sicut obligatio legis, aut præcepti, non est maior, quàm sit intentio legislatoris, aut superioris: neque Deus aut lex naturalis ad plus obligant.

Porrò non tantùm peccat qui non implet votum: sed etiam qui diu differt, cùm possit statim implere: maximè verò si ita differt, vt ex mora reddatur ineptus ad implendum. Si tamen ipse, dum voueret, non sibi tempus aliquod definierit, sufficit non differre cum mora nimis longa, & vituperabili iuxta prudentem æstimationem, ac sine iusta causa.

SECTIO IV.

De causis excusantibus ab obligatione Voti.

Multæ sunt causæ excusantes ab obligatione voti, etiamsi validè contracta. Prima est desitio, vel mutatio materiæ. Si id quod erat legitima voti materia, desinat esse talis, vel absolutè, vel respectu vouentis. Vt si fiat impossibilis physicè, aut moraliter: si indifferens aut inutilis: si mala, aut maioris boni impeditiua. V. g. vouit quis nunquam intrare in domum aliquam, quia mulier infamis ibi habitat: eâ mortuâ cessat votum: quia materia de bonâ fit indifferens. Vouit quis tali die ieiunium, & non potest sine graui incommodo, aut damno id seruare, quia ægrotat, aut versatur inter infideles, à quibus non expedit agnosci, & haberi pro Catholico: non tenetur ieiunare illo die, quia non potest: neque alio, quia non vouit pro alio. Adeóque cessat obligatio talis voti. Notandum verò est, quòd si per mutationem materiæ, vel subiecti, votum ex parte reddatur inualidum, & ex parte validum; valida pars implenda est, nisi vouerit totum indiuisibiliter. Ex. g. Qui vouit castitatem, & nupsit; potest quidem, & tenetur reddere debitum, ob ius arctius coniugis, quàm voti: sed non potest exigere sine dispensatione. Huc pertinet desitio conditionis, quando factum est votum si eueniat, vel duret certa conditio, & hæc non euenit, vel non durat. Vt, voueo peregrinationem si conualuero. Voueo quotidie audire sacrum, si commodè potero, aut quamdiu bene habebo. Manifestum enim est, quòd non stante conditione, tale votum non obligat.

30. Excusat 1. desitio vel mutatio materiæ.

31. Quæres, an si post votum emissum eius materia mutetur de mala, vel indifferenti in bonam, votum tunc incipiat obligare: v. g. si quis vouerit non ingredi domum fratris, quod tunc erat indifferens, sed postea ingressus fit illi perniciosus ob materiam scandali? Respondeo negatiuè: quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, *De Regulis iuris in 6. Reg. 18.*

32. 2. Dubiū an verè vouerit.

Secunda causa est, dubium an quis verè vouerit. Qui enim rationabiliter dubitat an vo-

uerit, communiter excusatur à voti obligatione: quia melior est conditio possidentis suam libertatem. Et hoc non solùm verum est, quando vouens prudenter dubitat an vouerit simpliciter: verùm etiam si dubium sit an vouerit cum sufficienti deliberatione, & alijs circumstantijs ad valorem voti necessariò requisitis: Alioqui enim sicut lex incerta, & non satis promulgata, non obligat: ita neque votum, quod est lex quædam priuata. Neque verum est, quod aliqui dicunt, Deum esse tunc in possessione voti, & debere possessionem pro illo stare. Nam hoc ipsum incertum est, & dubium, sitne Deus in possessione talis voti, quod non potest possideri si non est: & propter merum dubium non debet homo spoliari possessione suæ libertatis, grauique, & perpetuo oneri subjici, quale est communiter onus voti.

33. 3. Irritatio voti. Tertia causa est, irritatio voti, quando subtrahitur vel materia voti, vel libertas vouendi. Vnde duobus modis id fieri potest. Vno, ex parte voluntatis vouentis, quando subiecta est alicui vt superiori, & non potest vouere sine eius consensu. Altero, ex parte materiæ, quæ cùm est communis duobus, aut pendet ab aliena potestate, & ab alterius consensu; non potest voueri ab vno, sine alio. Ita vnus coniugum non potest vouere castitatem sine alterius consensu. Ratio est, quia huiusmodi vota habent hanc tacitam conditionem, Nisi superior, aut ille, cuius interest, contradixerit. Vnde non stant, neque obligant, illo contradicente. Hinc sequitur primò, ad irritandum huiusmodi vota non requiri potestatem Ecclesiasticam, sed naturalem, & ciuilem sufficere. Sequitur secundò, non requiri causam, sed sufficere voluntatem irritantis, vt irritatio validè saltem fiat. An verò & licitè, controuersia est. Pars affirmatiua videtur mihi probabilior, post Less. cap. 40. dub. 10. num. 69. Palud. Syluest. Angel. & alios, quia votum pendet omnino ab ipsius arbitrio, & libera voluntate; nec vlla lege tenetur illud approbare, vt neque tenetur ipse vouere.

34. Parentes possunt irritare vota impuberũ. Irritandi potestatem habent, primò pater vota filiorum impuberum, id est, vsque ad annum 14. expletum, & filiarum vsque ad 12. expletum. Atque etiam mater, si mortuo patre sit loco tutoris: Et tutor, qui est loco patris: Et magister vel herus, si pupillus parentibus, & tutoribus careat: quia tunc est loco patris, aut tutoris. Cùm enim impuberes censeantur non satis firmum habere iudicium, vt per vota se obligent; voluit Ius illorum vota pendere ab eorum potestate, quibus subsunt, per tacitam conditionem, quæ per iuris dispositionem ipsis apponitur. Porro vota facta ante pubertatem possunt à prædictis irritari etiam quando vouentes excesserunt pubertatem: quia conditio per tractum temporis non cessauit: nisi iam facti puberes votum ratificauerint: non renouando tantùm, putantes verum ab initio fuisse: sed volentes esse validum etiam in eo euentu, in quo antea validum non fuisset. Et hæc intelligenda sunt de votis etiam, quibus impuberes vouent se aliquid facturos post tempus pubertatis. At verò vota facta in pubertate non possunt à parentibus irritari, nisi quatenus obsunt disciplinæ familiæ, & patriæ potestati. Realia quoque irritari possunt à patre, vel à curatore vsque ad annum 25. ætatis, nisi habeant bona castrensia, vel quasi castrensia: quia ante illud tempus non habent bonorum suorum administrationem. Nisi tamen vouissent dare post annum 25. & hæc promissio non iam obesset curatorum administrationi. Quæ omnia fusiùs exposita, & confirmata videri possunt apud Less. dub. cit. num. 78. & sequentibus. Et aliqua etiam facta in pubertate.

35. Et maritus aliqua vota vxoris, ac vice versa. Secundò, vota vxoris facta sine consensu mariti possunt ab ipso irritari, non quidem omnia, vt existimant Panormit. Abul. & alij, quos sequitur Sotus lib. 7. de Iust. q. 3. a. 1. neque enim mulier tam tenuis iudicij censenda est, vt in omnibus debeat dirigi à marito, sicut impuberes à patre, vel tutore: sed ea tantùm, quæ ipsi incommodant, vel ad familiæ administrationem pertinent, in quibus vir est caput mulieris. Vxor verò potest tantùm irritare vota mariti, quæ fiunt cum ipsius præiudicio, & circa materiam ipsi subiectam: Vt si vir voueat castitatem, humi cubationem, longam peregrinationem, & similia.

Et dominus vota seruorũ. Tertiò, dominus similiter potest irritare vota seruorum, seu mancipiorum, etiam ante seruitutem facta, quatenus eius obsequio possunt afferre impedimentum: si tamen sunt perpetua, non possunt irritari, nisi pro tempore, quo domino erit subiectus: quia tunc solùm possunt illi obesse: neque ad dominum pertinet, quid seruus postea acturus sit. Ita Less. num. 82. & Malder. tract. 10. cap. 5. dub. 7. contra Syluestrum V. *Votum, q. 2. §. Quintum.*

36. Et superior vota Religiosorum. Quartò, superior Religiosorum non potest quidem irritare vota nouitiorum, quæ antea emiserunt, vel etiam in ipso Nouitiatu: quia illi nondum sunt in eius potestate: potest tamen suspendere, si eorum executio est impedimento Probationi. Aliorum verò Religiosorum vota omnia potest irritare, præter vota ipsius Religionis, & votum ingrediendi arctiorem. Primum constat ex praxi vbique recepta in Religionibus, Ecclesia vidente, & non contradicente: quod signum est eiusmodi praxim ab ipsius Ecclesiæ concessione tacita vel expressa promanare: secundum verò patet, quia superior non habet ius in vota substantialia ipsius Religionis, cui subest: neque potest etiam irritare votum ingrediendi arctiorem Religionem: quia ius Canonicum, & Pontifices Summi, hunc transitum concedunt, etiam inuito superiore. Ac proinde non intendunt tale votum illius potestati arbitrioque subjicere, sed potiùs ab illo eximere, aut exemptum declarare.

37. Et Confessarij quædam vota pœnitentiũ. Quintò, Confessarij possunt irritare vota pœnitentium facta ab illis cum hac expressa vel tacita conditione, si confessarius consenserit. Vt si quis ad vouendum proclinior statuerit coram Deo se velle nullum votum suum validum fore sine tali consensu, eique voluntati postea nec expressè, nec virtualiter derogauerit. Ita nimirum, vt etiamsi recordatus fuisset, nihilominus absolutè vouisset, & derogasset expressè priori voluntati. Multòque magis, si vouens

subiecit materiam voti iuri ipsius confessarij, vel alterius, potest ab illo votum irritari: quia materia non est ampliùs iuris solius vouentis; sed alterius, cui non potest derogare, etiam si velit expressè, aut virtualiter. Generaliter enim quando materia voti est subiecta iuri duorum, aut plurium; non potest vnus vouere validè, sine consensu alterius.

38. Et S. Pontifex vota Christianorũ; & alij Superiores vota subditorum. Sextò denique, Summus Pontifex habet potestatem irritandi vota Christianorum, in ijs, quæ Ecclesiæ administrationi officere queunt. Vt si Episcopus voueat ingredi Religionem, aut proficisci ad terras infidelium, ad prædicandum Euangelium. Parque est ratio, vt similiter Episcopi, & alij Pastores animarum, possint irritare vota suorum subditorum in ijs, quæ ipsorum gubernationi officiunt. Itemque Duces, & Præfecti possint irritare, vel suspendere vota militum suorum: & sic de alijs Superioribus legitimis.

39. Effectus irritationis. Irritationis voti tres sunt effectus. Primò, is cuius votum irritatur, non obligatur ampliùs, neque post mortem irritantis, neque cùm exijt ab eius potestate. Secundò, qui semel irritauit, si postea pœnitentiâ ductus consentiat, vouens nihilominus non tenetur ampliùs, nisi iterum voueat: quia votum non reuiuiscit per solam pœnitentiam irritantis. Tertiò, si irritans prius consentiat, & postea irritet votum, vouens est liber à voto. Et vt vouens excusetur à peccato, sufficit sola voluntas irritantis, siue sine causa id faciat, siue cum causa; quia res illius est. Potest autem ille etiam qui consensit, irritare votum, quando non solùm persona, defectu iudicij, sed & ipsa materia voti subest irritanti: vt fusiùs docet Less. cap. 40. n. 75.

40. Votum personale vnius nõ potest obligare alterum. Quæres, vtrum sicut votum vnius potest ab alio irritari; ita votum vnius possit alterum astringere? Vt votum parentis, filium: testatoris, hæredem: decessoris, successorem. Respondeo votum personale vnius non obligare alium sine proprio ipsius consensu: vota tamen realia, quibus aliqua res tantùm vouetur, obligare hæredes: quemadmodum & mixta, quâ ex parte sunt realia, non quâ personalia. Ratio primæ partis est, quia votum personale est de actionibus proprijs ipsius vouentis, & per ipsummet exercendis, ad quas sponte sese Deo adstringit speciali obligatione, ac veluti legem priuatam sibi statuit. Nec obest quòd interdum actiones illæ sunt de numero earum, quæ possunt à patre præcipi. Neque enim propterea ius habet pater ad specialem obligationem voti filio imponendam ad eas exequendas sub pœna sacrilegij. Multoque minùs ius illud habet si actiones illæ sunt de numero earum quæ non possunt à patre præcipi filio, sed debent sponte à filijs suscipi: cuiusmodi sunt ingressus Religionis, susceptio sacrorum ordinum, professio cœlibatus, &c. Hinc collige patrem non posse filium obligare ad ingressum Religionis. Si tamen illum vouit Religioni, tenetur facere quod in se est vt filius rationabiliter consentiat.

Secus quatem realia, & mixta. Secunda pars responsi, quòd scilicet vota realia, atque etiam mixta ex parte, obligent hæredes, probatur quia bona defuncti transeunt ad hæredes cum suis oneribus æque ac cum iuribus. Quare si defunctus vouerat fundare Monasterium de suis bonis: tenebitur hæres fundare. Si vouerat peregrinationem ad S. Iacobi, & offerre calicem; tenebitur dare calicem, non tamen peregrinari, vel curare vt alius eò peregrinetur (nisi vouens intendisset implere id per alium, si per se non posset: tunc enim votum hac ex parte esset reale, quatenus vellet de suis bonis sumptus ad hoc suppeditari) Neque etiam tenetur dare sumptus quos fecisset defunctus in itinere: quia sunt accessorij voto personali, neque sub votum cadunt, nisi quatenus sunt necessarij explendo voto personali, quo cessante, desinunt deberi. Solùm ergo tenebitur mittere calicem quomodocunque, etiam sine vllis expensis, si possit: vt rectè ait Lessius cap. 40. dub. 8. num. 67.

Quarta causa excusans ab obligatione voti est commutatio, quæ fit quando materia voti mutatur in aliam in fauorem vouentis: ita tamen vt obligatio remaneat vel ad priorem, vel ad posteriorem materiam, ad arbitrium vouentis. Cùm enim commutatio fiat in eius fauorem, videtur fieri sub conditione, si nolit prius votum implere. Vnde si sæpius facta sit commutatio vnius in aliud, sufficit seruare quodvis illorum & modò hoc, modò illud: vt rectè docet Malder. 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 11. & Azor. lib. 11. cap. 18. q. 12. Quod si in voti commutatione iniungatur pecunia soluenda; dicitur redemptio, aut si obligatio voti personalis transferatur ad opus reale, vt ad eleemosynam, vel ad ædificationem loci pij. Potest autem quilibet propria auctoritate commutare votum suum in id quod constat esse melius, & Deo gratius, spectatis omnibus circumstantijs: vt ait Lessius cap. cit. dub. 11. & communiter docent Theologi, probantque ex cap. *Peruenit 2. de Iureiurando:* Vbi dicitur promissum non infringere, qui in melius illud commutat. Confirmatur, quia iure naturali licitum est loco minoris boni substituere maius, & melius: neque est aliquis tam delicatus, qui non libenter accepter loco minùs grati, id quod magis gratum est. Est tantùm differentia inter Deum, & homines; quòd illi interdum non magis gratum habent id quod melius est: ideóque non semper illis satisfacit, qui loco rei debitæ in specie, aliam meliorem substituere vult. At Deus, qui æquissimus est, & omne bonum pro suo merito, & conditione gratum habet, semper magis acceptat id quod melius est omnibus pensatis: magisque gratum habet à nobis fieri id quod nobis hîc, & nunc melius est facere. Si ergo sit manifestum aliquid esse Deo gratius, quàm id, quod promissum erat, non est opus interprete. Idemque dico si constet id, in quod mutatur materia voti, æquale esse. Nam obligari ad vnum præ alio prorsus æquali, inane est. Votum autem non est vinculum inane, & inutile: ideóque debet esse boni melioris. Non est tamen desistendum à priori proposito, nec facienda commutatio, sine aliqua ratione: sufficit verò maior propensio vouentis, & facilitas illud implendi.

41. 4 Excusat etiam commutatio voti.

Quis potest commutare.

Sin autem dubium est an illud in quod muta- 42.

tur materia voti, sit æquale; non potest fieri commutatio propria auctoritate. Sed si res consultis Doctoribus adhuc obscura manet, exquirendum est iudicium Prælati per se, vel per delegatos, cuius arbitrio definiatur quid Deo sit futurum gratius, aut æquè gratum, & per quem fiat commutatio. Pro quo Nota primò, eos omnes qui habent potestatem ordinariam, vel delegatam dispensandi in votis, habere etiam potestatem eadem commutandi: quamvis non è contrario. Ratio est, quia qui potest moraliter maius, potest & minus in eodem genere. Sicut qui potest dispensare in tertio gradu consanguinitatis, potest & in tertio affinitatis. Commutatio autem est quid minus dispensatione: quia dispensatio est condonatio absoluta obligationis voti, nomine Dei facta: commutatio verò est condonatio obligationis cum onere suscipiendi aliam. Ergo qui potest dispensare, potest & commutare. Nota secundò, etiam tunc id in quod fit commutatio, debere esse moraliter æquale: quia si minus sit, non est pura commutatio, sed ex parte est dispensatio. Existimant tamen nonnulli cum Lessio cap. supra cit. num. 95. priuilegium commutandi ita intelligendum esse, vt possit fieri in minus: quia ex multorum sententia ad commutandum in æquale non requiritur priuilegium. Verùm hæc ratio non vrget: priuilegium enim est, quòd in dubio possis pro tua auctoritate decernere, quid à Deo magis, aut æquè acceptetur. Auctoritate, inquam, ab ipso Deo concessa, qui per Ecclesiæ Prælatos voluntates suas alijs patefacit.

Quicunque potest dispensare, potest commutare.

43. Nota tertiò, non tam attendendum esse laborem vouentis, quàm bonitatem operis, id est, quantùm sit opus Deo gratum hîc & nunc. Quapropter expedit commutare vota in ea, quæ sunt Deo gratissima, cuiusmodi sunt Confessio, Communio, Sacrificium Missæ, eleemosynæ, & similia, qua Deo valde placent, & nobis admodum vtilia sunt. Habenda etiam est ratio ipsius vouentis: ita scilicet, vt Deo gratius sit tale opus ab ipso fieri, quàm aliud: quia fortè est magis illi conueniens, aut necessarium: putà ad vincendam grauem aliquam tentationem. Hinc est quòd omnia vota in sæculo emissa, censentur commutari in vota Religionis, & per Professionem cessant: quia status Religiosus Deo gratissimus, & rectè vouenti vtilissimus esse solet. Præterea votum personale commutandum est in opera personalia, reale in realia, mixtum in mixta, si fieri potest. Non est tamen id necessarium. Nam personalium mutatio in realia, quæ dicitur redemptio, licita est: vt patet ex cap. 1. & 2. *de voto, & voti redemptione.* Et similiter aliæ mutationes licitæ sunt. Potest etiam votum reale factum in fauorem tertij, vt certæ Ecclesiæ, loci, &c. quamvis ab eo fuerit acceptatum, mutari etiam sine illius consensu in aliud opus personale, aut reale: quia per votum non transfertur dominium rei, cum sit tantùm promissio; sed solùm datur ius ad illam: & quia votum soli Deo fit; ideo per votum ius non acquiritur tertiæ personæ, sed satis est si satis fiat Deo. Ita Caiet. Nauar. & Less. c. 40. num. 90. alijs 104.

Quid attendendũ in commutatione?

Quod verum est etiamsi promissio facta fuerit Sancto illius Ecclesiæ patrono: Nisi promissio ad Prælatum quoque, vel ad Ecclesiam directa fuerit, vt illis quoque fieret; & ab ipsis fuerit acceptata, aut ab alio ipsorum nomine. Tunc enim per acceptationem acquirunt ius: & fit illis iniuria, si ipsis non consentientibus votum aliò deriuetur.

SECTIO V.

De dispensatione Votorum.

Qvinta causa, & vltima excusans ab obligatione voti, est dispensatio: quæ vox apud Theologos duo valde diuersa significat: nempe interpretationem, & liberalem remissionem, seu relaxationem. Interpretatio est declaratio authentica, per quam statuitur, an voti obligatio in hoc, aut illo casu cesset propter occurrentem aliquam rationem. Vt, an Deus acceptauerit votum alicuius, aut retineat eius obligationem non obstante necessitate communi, vel officio aliquo charitatis erga proximum exigente voti oppositum. Vota enim, cùm sint promissiones Deo factæ, non valent, neque obligant, nisi quatenus à Deo acceptantur. Remissio autem liberalis est, quando causa non est dissoluens obligationem, sed nihilominus potestas superior eximit aliquem ab obligatione voti, eámque nomine Dei condonat. Priori modo dispensationem accipiunt, nec aliam esse in Ecclesia potestatem dispensandi circa vota docent D. Thom. q. 88. a. 10. & 12. c. & ad 2. vtrobique, (nam dispensationem in eo constituit, quòd Prælati iudicio determinetur non esse conuenientem materiam voti; quod est interpretari tantùm, & non relaxare) Bonau. in 4. d. 38. a. 2. Palud. ibid. q. 4. art. 4. conclus. 1. Syluester. V. *Votum* 4. q. 4. punct. 3. Eodémque sententiæ adhærere debent, qui existimant ea vota, quæ non recipiunt compensationem, non cadere sub dispensationem: vt Altisiod. lib. 3. tract. 7. c. 1. q. 5. & Henric. quodl. 5. q. 28. Ratio eorum est, quia iuris diuini manifesti est reddere vota: quod etiam præceptum erat Deuter. 23. Sed quod Deus iubet reddi, nemo potest remittere. Ergo vota remittere nemo potest. Deinde, quando est causa, propter quam dicitur votum posse remitti, credibile est votum non esse acceptatum à Deo. Et cùm Deus non mutetur; si esset semel acceptatum, non desineret esse acceptatum, nisi facta mutatione in materia voti. Ergo non est opus remissione, sed interpretatione. 44.

Interpretatio voti quid sit?

Quid remissio, seu relaxatio?

Sed nihilominus dicendum est, esse quidem in Prælatis Ecclesiæ potestatem interpretandi, an vota Deo facta illi accepta sint, & obligent in tali, vel tali circumstantia: At vlteriùs habere quoque potestatem remittendi, & relaxandi voti obligationem, non ad libitum, sed cùm iusta causa. Ratio primæ partis est, quia cùm Deus non loquatur passim nobiscum, neque suam voluntatem circa promissa patefaciat: expedit vt qui Dei loco præsunt, acceperint ab 45.

Est in Prælatis potestas interpretandi.

ipso potestatem declarandi an promissum videatur acceptabile Deo, siue quando promittitur, siue postquam promissum est. Idémque docet vsus Ecclesiæ, & confirmabitur à fortiori ex ijs, quæ dicemus de potestate relaxandi. Hæc autem potestas interpretandi Prælatorum non est simplex, vt Doctoris; sed authentica, similis illi, quâ iudices leges interpretantur in ferenda sententia; secus ac patroni, aut simplices Iurisconsulti, qui nullam habent auctoritatem, & Iurisdictionem, cui deferendum sit. Ad illam verò in dubijs solùm, & obscuris recurrere necesse est. Nam in manifestis non requiritur interpretatio, sed executio, vt rectè D.Thom. ait q. 120. a. 1. in fine, & q. 147. a. 4. c. & Angest. in Moral. c. 11. post textum 1. notab. 4. in fine, Nauar. cap. 12. num. 76. Acastr. lib. 1. de lege pœnal. cap. 5. documento 3. Adrianus quodl. 6. a. 2. lit. I.

46. Nec obest quod ait S. Doctor q. 88. art. 1. præcipuè ad 2. in fine, Eum qui vouit, non posse stare iudicio proprio, quia non gerit vicem Dei; nisi fortè in casu, quo vouisset manifestè illicitum, & non posset opportunè ad Superiorem recurrere. Clarum enim est, quòd manifestè illicitum debeat omitti absque superioris auctoritate. Nam quid auctoritate opus est, quando siue velit, siue nolit superior; oportet aliquid fugere? Tale autem est quidquid euidenter est illicitum. Quare verba illa, *fortè*, & *non posset opportunè*, *&c.* redundare fatendum est; & simpliciter asserendum in manifestis non esse quærendam interpretationem, vt ipse alibi affirmat, & per se notum est. Itaque illa inquisitio est superflua, quando veritas est manifesta.

47. Et potestas dispensandi, seu relaxandi. Secunda pars de potestate relaxandi, est Victoriæ tom. 1. relect. 4. circa primam propositionem, in solutione tertij argum. in fine, Nauarri cap. 12. num. 77. & sequent. Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 37. Lessij cap. 40. dub. 12. n. 99. Probatur primò ex Matth. 16. & 18. *Quodcunque solueris, &c.* Et, *quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Quæ verba, quia generalia sunt, debent intelligi de omni vinculo erga Deum contracto, quod aliquando solui expediat ad salutem animarum, & suauem Ecclesiæ administrationem: cuiusmodi est interdum obligatio votorum, æquè ac iuramentorum, & debiti pœnarum, quas licet Deo debitas, posse tamen à Prælatis, Dei nomine remitti patet ex 2. Corinth. 2. v. 10. & alijs alibi dictis de potestate concedendi Indulgentias. (Tom. 5. disp. 63. Sect. 5.) Probatur secundò, quia de Deo in bonitate sentiendum est. Sentire autem in bonitate, seu bene sentire, est de illius benignitate, & misericordia, quemadmodum oportet, æstimare. Decet verò vt Dei benignitas, & misericordia censeatur præcellere Iustitiæ, & rigori: quia *miserationes eius super omnia opera eius.* Neque arbitrandum est Deum in exigendis omnibus promissis velle summo iure agere, cùm in cæteris rebus non agat iure summo, sed magna vtatur remissione. Ergo postquam ipse non exercet per se gubernationem exteriorem, existimandus est reliquisse in Ecclesia sua potestatem etiam remittendi vota cum ratione.

Confirmatur, quia ad liberalitatem, & gratiam promissarij pertinet remittere promissori suo debitum, si videat illum vehementer eo grauari, ne res per votum promissa, alioqui non necessaria, plus afferat incommodi promissori, quàm commoditatis promissario. Deus autem est liberalissimus, & valde gratiosus. Ergo ad eum pertinet facere promissori remissionem debiti cum ratione. Et quoniam ipse reliquit Ecclesiæ Pastoribus externum regimen; sequitur Pastores Ecclesiæ posse ob iustam causam remittere promissoribus eiuscemodi debita, quemadmodum meritò creditur Christum Dominum facturum fore, si in terris exterius regimen exerceret.

Ad primum argumentum in contrarium respondeo, esse quidem iuris naturalis, & diuini, vt votum reddatur: quod ius semper manet: 48. Satisfit argum. contr. sentent. Attamen vota, sicut alia debita, possunt remitti: & ad hoc traditam esse Ecclesiæ potestatem probabilius est; præsertim cùm Ecclesia sæpissime illâ potestate vsa sit, & passim vtatur. Remissio autem tollit obligationem reddendi. Ad secundum dico, causam sufficientem ad remittendum, non sufficere ad declarandum quòd Deus votum non acceptet, vt explicabitur paulò post: & Deum non ideo mutari, si vota pro iure suo acceptet cum voluntate tamen remittendi per ministros suos, si rogetur: quemadmodum nec mutatur, quando pœnæ debitum retinet, & postea per Indulgentiam relaxat.

Instabis, quia posita quacunque ratione, propter quam videatur votum posse remitti, 49. necesse est vt vel Deus propter illam rationem velit votum non seruari; vel, eâ non obstante, velit illud seruari. Si detur prius; non habet locum dispensatio remissiua, sed interpretatiua. Si verò detur posterius: non habet locum vlla dispensatio. Respondeo inter illa membra dari medium: quia cùm illa ratio non sit per se sufficiens ad reddendum inualidum votum, non est necesse simpliciter, vt Deus velit votum non seruari, sed potest velle vt remittatur, quemadmodum & Christus creditur remissurus, si exterius regimen Ecclesiæ per se exequeretur. Simili modo promissor inter homines, licet ex rigore sit debitor, tamen à liberali promissario liberatur debito, quo multùm grauatur. Sed non ideo erat per se liber ab illo. Quando autem est aliqua ratio reddens inualidum votum, tunc non est seruandum, nec opus est remissione. At potest esse ratio non planè inualidans votum, sed sufficiens ad mouendam benignitatem, & gratiam promissarij, vt illud remittat per suos ministros; & ita potest fieri remissio: cuius exemplum est in iure Canonico cap. 5. tit. *Qui Clerici, vel vouentes*: vbi datur potestas dispensandi super voto continentiæ, propter periculum fornicationis. Et passim in Pontificum Diplomatibus simul cum potestate condonandi debita pœnarum per Indulgentias, coniungi solet potestas condonandi debita votorum.

Vrgebis, non esse adhuc nisi interpretationem, quâ declaratur, non quòd votum sit in- 50. ualidum, aut non seruandum; sed quòd Deus

illud remittat propter occurrentem rationem. Respondeo non ita esse: sed Deum vti ministerio potestatis Ecclesiasticæ, & per eam remittere, sicut per eandem multa alia facit. Et quemadmodum qui dedit procuratori suo absolutam potestatem administrandi bona sua, consensit vt rata essent quæ à procuratore fierent cum ratione: Ita Deus, qui dedit potestatem Ecclesiasticam, consensit vt quæcunque per illam cum ratione fierent, essent rata. Sed adhuc superest, vt fiant per Ecclesiæ potestatem: quia concedere potestatem, non est facere, sed dare potestatem faciendi. Manent autem administratores Ecclesiasticæ potestatis, subiecti ad reddendam rationem Deo suæ administrationis.

51. Dispensatio debet fieri ex iusta causa.

Tertia pars, quòd requiratur iusta causa, est communis Doctorum, teste Lessio suprà num. 101. Ratio eius est, quia nulla auctoritas humana potest validè condonare id, quod Deo debetur, nisi sit iusta causa: Deus enim talem condonationem non acceptat. Item, potestas Ecclesiæ non est ad destructionem, sed ad ædificationem, teste Apostolo 2. Corinth. 10. vers. 8. Atqui dispensatio sine causa esset ad destructionem. Tertiò, Ecclesia habet tantùm hac in parte Vicariam, & procuratoriam potestatem. Sed hæc non potest esse plenissima, neque agendi ad libitum; sed agendi cum ratione, & secundùm regulas prudentiæ. Potest quidem auctor legis dispensare validè super illa per puram remissionem, sine ratione, & pro mera voluntate. Et Deus potest simili modo remittere vota, & alia sibi debita. Sed non est par ius Ecclesiæ circa illa: neque bene committeretur hominibus tanta potestas, quia facilè abvterentur illâ ad destructionem. Item, si potestas ipsa dispensandi remittendo cum ratione est dubia, & solùm habet probabilitatem: eàque Pontifices semper vsi sunt cum magna consideratione: quid testat, nisi vt potestas dispensandi ad libitum nulla sit in Ecclesia? Hinc collige dispensationes huiusmodi non valere sine iusta causa. Iusta verò causa esse potest Dei honor, & vtilitas Ecclesiæ, atque etiam ipsius vouentis: nec-non magna fragilitas, ob quam timetur sæpe transgressurus. Faciliorem etiam dispensationem reddunt leuitas vouentis: timor, perturbatio, vel inconsideratio in vouendo, & inconstantia animi: vt bene ait Lessius suprà num. 102. addens, raro tamen vtendum esse pura remissione; quia raro est iusta causa purè remittendi, ac sine vllo onere. Quare communiter commutatione vtendum est, quæ mixtam habet dispensationem.

52. Qui possunt dispensare?

Superest explicandum, quibus insit potestas dispensandi? Respondeo primò, iure ordinario competere solis Ecclesiæ Prælatis habentibus Iurisdictionem in foro externo: quia pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem: sicut potestas relaxandi leges, excommunicandi, concedendi Indulgentias, &c. Ex delegatione verò potest competere alijs, & committi: sicut ex priuilegio Summi Pontificis possunt Confessarij ordinum Mendicantium dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas, id est, vltra 40. milliaria Italica. Imò & istud conceditur Benedictinis, teste Nauar. cap. 12. num. 79. & Less. sup. num. 108. Vnde ab eo absoluere possunt alij, qui gaudent Benedictinorum priuilegijs. Non tamen singuli confessarij id possunt, sed quibus Superiores id committunt. Secundo, Summus Pontifex habet plenissimam potestatem dispensandi in omnibus votis, in quibus probatur iusta subesse causa: & illi similiter, quibus hoc Papa committit: vt eius Vicarius, Legatus, &c. Episcopus autem, & omnis, qui habet Episcopalem auctoritatem, aut quasi Episcopalem, cuiusmodi est Capitulum Cathedrale Sede vacante, & omnis Superior exemptus à Iurisdictione Episcopi (quando enim Religio, vel Monasterium eximitur à Iurisdictione Episcopi, conceduntur Prælato ea, quæ sunt Iurisdictionis Episcopalis circa suos, exceptis Monialibus) potest iure ordinario suos subditos dispensare in omni voto, exceptis quinque, Religionis approbatæ, Castitatis perpetuæ, & trium peregrinationum, Hierosolymitanæ, Compostellanæ, & ad limina Apostolorum: quæ quinque reseruantur, non vi vilius Canonis qui extet, sed tantùm ex praxi Ecclesiæ.

Quare potest dispensare in voto Religionis non approbatæ, & in voto castitatis quocunque, non perpetuo; & in perpetuo non fornicandi, non nubendi, seruandi virginitatem, si vouens tantùm intendat puritatem virginalem, & non perpetuam castitatem, omissa virginitate: quia hæc non sunt vota castitatis integræ, sed partis tantùm. Item in eo, qui post votum contraxit matrimonium, vt possit petere debitum: quia hoc non est simpliciter dispensare, seu remittere votum, sed suspendere. Vnde talis, mortua coniuge, tenebitur seruare castitatem. Item in voto suscipiendi ordines, quia non est votum castitatis, licet sit ei annexum. Et illi, qui vouit Religionem arctiorem, potest concedere vt ingrediatur laxiorem: quia hoc non est dispensare in substantia, sed in qualitate voti. Similiterque potest dispensare, vt qui vouit peregrinari pedibus, peregrinetur equo, aut naui. Item, si Papa votum sibi reseruatum commutauit in non reseruatum, potest Episcopus dispensare super eo, in quod est commutatum: quia nouum est votum, nouumque onus impositum sine reseruatione. Si quis autem voueat, se non petiturum dispensationem, votum erit illicitum: quia est de re mala, vel indifferenti. 53. Quæ vota sint reseruata.

54. Quid possint Episcopi circa illa?

Item Episcopus in quinque votis reseruatis potest dispensare, aut commutare in sex casibus. Primò, quando est dubium vtrum votum sit validum: vel vtrum sit reseruatum. Secundò, quando votum reseruatum adijcitur tanquam pœna, vt cùm quis dicit, *Si fornicatus fuero, voueo Religionis ingressum.* Ratio est, quia cùm istæ reseruationes sint contra potestatem ordinariam Episcoporum, strictè sunt interpretandæ, & potestas dispensandi vota est latissimè interpretanda: vota autem reseruata sunt strictissimè accipienda pro votis verè talibus, & circa talem materiam propriè versantibus: qualia non sunt huiusmodi vota pœnalia, vel

conditionalia: quia propria materia voti est illud tantùm, in quod voluntas vouentis directè fertur ex deuotione, & pio affectu erga Religionem, castitatem, &c. quod non inuenitur in istis: cùm animus potiùs à tali bono abhorreat, neque voueat ex istius affectu, sed solùm in pœnam, vt illius metu caueat à peccato. Tertiò, quando votum reseruatum pendet à futura conditione: ita vt affectus vouentis non feratur directè in materiam reseruatam principaliter, sed in conditionem, quam optat consequi, vel euitare. Vt cùm aliquis dicit, Si euasero naufragium, ingrediar Religionem: aut, Voueo castitatem perpetuam, si ab hoc morbo conualuero. Ratio eadem est, quæ supra. Item, quodcunque votum conditionale, quomodocunque emissum, pendente adhuc conditione: quia quandiù pendet conditio, votum est imperfectum. Pontifici autem non censetur reseruatum, nisi votum absolutum, & perfectum. Imò etiam post impletam conditionem potest adhuc Episcopus dispensare: quia tale votum & obligatio non est de tali re simpliciter, putà de ingressu Religionis, vel de perpetua castitate; sed tantùm secundùm quid, nempe sub conditione: vt bene docent Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 99. & plures alij. Quartò, quando votum est disiunctiuum, & partem vnam disiunctionis reseruatam habet, aliam non: ac vouens nondum se determinauit ad reseruatam. Vt si quis vouit se ingressurum Religionem, aut futurum Sacerdotem. Quintò, cùm adest iusta causa, cur dispensetur, & vouens non potest adire Summum Pontificem. Putà quia est pauper. Sextò, quando votum reseruatum mutatur in melius, aut æquale. Quod si euidenter constat, propriâ quisque auctoritate hoc facere potest: si est dubium, opus est declaratione Episcopi.

SECTIO VI.

An dispensatio possit cadere in Votum solemne?

55. Sensus quæstionis est, an possit iusta causa occurrere, propter quam Summus Pontifex dispensare possit in voto etiam solemni? Respondeo affirmatiuè. Pro quo suppono, solemnitatem voti non esse pompam, & celebritatem, quæ maior adhiberi potest in votis etiam simplicibus publicè factis: sed in eo consistere, quòd votum certo quodam modo fiat, & cum circunstantijs quibusdam vel adiunctis ab Ecclesia præscriptis. Nam vt rectè ait Sanches (qui clariùs, meo iudicio, hac de re philosophatur) lib. 5. in Decalog. cap. 1. num. 11. De solennitate voti sentiendum est eodem modo, quo de alijs contractibus, ac testamentis, quæ in iure solennia appellantur. Sicut enim cæteris contractibus, ac testamentis accidentalis est solemnitas: ita & votis, vt probabimus paulò post. Sicut ergo cæteri contractus dicuntur solemnes, quando solennitatem iure requisitam habent, & vt tales in Iure recipiuntur: ex. gr. testamentum dicitur solemne, quando fit à Tabellione, cum certo numero testium, & alijs conditionibus in Iure requisitis, atque in eo tantùm solemnitas sita est: Ita votum dicitur solemne, quòd vt tale acceptatur ab Ecclesia, emittitúrque cum quibusdam ceremonijs, vel adiunctis, ab ipsa præscriptis. Huiusmodi sunt dumtaxat votum castitatis tacitè emissum in susceptione Ordinis sacri, & vota quæ fiunt in Professione Religionis approbatæ à Sede Apostolica, statuto tempore, & modo ab eadem Religione præscripto: iuncta vi & energia, quam habent ex constitutione Ecclesiæ, ad irritandum matrimonium subsequens, & quicquid aliud contra eiusmodi promissiones Deo factas conuentum contractúmque fuerit. Atque in his duobus indiuisibiliter consistit solemnitas voti: quòd scilicet emittatur in susceptione Ordinis sacri, aut Professione Religiosa: quódque vim habeat adiunctam irritum & inane reddendi quicquid contra illorum obseruantiam attentatum fuerit. Falluntur enim qui putant solemnitatem voti consistere in sola illa virtute & energia. Nam vota quæ à Scholasticis Societatis IESV, alijsque Nouitijs eiusdem post biennium probationis priuatim emittuntur, quæque à Coadiutoribus formatis diu post fiunt publicè, habent vim irritandi matrimonium, neque tamen solemnia sunt: vt patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino:* sed ea sola quæ fiunt à Professis in ipsa professione: quæ sola etiam inferunt obligationem vtrinque perpetuam, id est, tam ex parte vouentis, quàm ex parte Religionis Professionem admittentis, quæ tunc se illis in perpetuum obligat.

Quid sit voti solemnitas? / Quæ sint vota solemnia?

56. Porro vis illa & energia voti solennis ad irritandum quidlibet contrà attentatum, in qua consistit partialiter solemnitas voti, non est ex sola natura voti, sed ex Ecclesiæ constitutione, quæ quibusdam votis vim illam annexuit. Etenim vota ex natura sua, & per se, sunt tantùm promissiones faciendi aliquid, aut omittendi. Promissio verò est quasi præambulum quoddam eius quod est exhibere, seu mittere, & dare. Quocirca per promissionem manet quidem obligatus promissor ad exhibendum, præstandúmque promissum: sed nihilominus id quod promissum est, manet in promissoris potestate ad transferendum illud validè in alium; vel ad agendum oppositum eius, quod promisit. Non enim idem est agere validè, & agere licitè: sed multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Atque ita qui vouit simpliciter castitatem; potest tamen validè, quamvis illicitè, inire matrimonium: Et qui vouit paupertatem, potest validè acquirere diuitias: Et qui vouit obedientiam, potest se alteri donare ad seruiendum. At solemnitas voti efficit vt vouens ne validè quidem possit contrahere matrimonium, aut acquirere ius ad bona, vel se donare alteri validè: non vi solius promissionis Deo factæ, sed vi, & energiâ tali voto superadditâ per Ecclesiæ constitutionem, quæ reddit irritum & inane, quidquid fit in contrarium. Quod vlteriùs confirmatur ex cap. vnico *de voto, & voti redemptione*, in sexto, vbi expressè dicitur quòd voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta. Et paulò inferiùs defi-

Solemnitas voti oritur ex sola constitutione Ecclesiæ.

nitur, illud solum votum, quantùm ad irritandum matrimonium, quod post illud contractum fuerit, esse solemne quod solemnizatum fuerit (id est, solemne factum) per Ordinis sacri receptionem, aut per professionem expressè, vel tacitè factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Idémque habetur expressè in Constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*. Vnde sequitur, si voti solemnitas ex Ecclesiæ constitutione est inuenta, Votum per se non habere hanc solemnitatem, neque vim illam, quæ in eadem solennitate inclusa est, vel, vt aliqui volunt, est ipsamet solemnitas. Nam si votum hanc solemnitatem haberet per se, & vi sua; certè solennitas voti non esset inuenta ex sola Ecclesiæ constitutione, sed votum per se illam attulisset: votum autem ab Ecclesia inuentum non est, cum sit iuris naturalis.

57. Quomodo oritur ab illa? Ad prædictam autem voti solemnitatem statuendam non satis fuit vt Ecclesia eos, qui sacrum ordinem reciperent, obligaret ad continentiam seruandam; neque etiam, vt quomodocùnque approbaret Religiones, & earum vota: sed necesse fuit vt constitueret votum ordinationi sacræ adiunctum irritare matrimonium: alioqui solennitas voti non esset inuenta ex constitutione Ecclesiæ: quia non est consequens necessariò vt votum approbatum ab Ecclesia irritet matrimonium: quemadmodum non est consequens, vt votum approbatum à Deo, & admissum, irritet matrimonium. Præterea, quamvis Ecclesia præcepisset, vt qui sacrum ordinem reciperent, vouerent continentiam: & instituisset ordines Religiosorum: tamen non ideo votum annexum sacro ordini, neque votum Religionis, irritaret matrimonium. Quia Deus, qui Ecclesiâ infinitè maior est, præcepit & iure naturali, & positiuo, obseruationem votorum: & tamen vota non ideo irritant matrimonium. Necesse ergo fuit vt Ecclesia constitutione sua propria, & directa, tribueret quibusdam votis eam vim, vt irritarent matrimonia, quæ post illa contracta essent. Vlteriùs, quamvis vota in sacra ordinatione fierent, non haberent inde vim irritandi matrimonium, quoniam sacræ ordinationi non repugnat matrimonium: nam olim, quamvis esset eadem per se ordinatio Subdiaconi; tamen Subdiaconi poterant vxorem ducere, vt colligitur ex cap. 9. *de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*: & ex Concilio Romano, sub Syluestro, act. 1. can. 8. in quo primùm Subdiaconis præceptum est vt vxorem non ducerent; sicut nonnulli affirmant; vel in Concilio Eliberino, siue Illiberitano, vt malunt alij cum Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 248. cap. 3. Quòd si sacra ordinatio non tribuebat vim voto irritandi matrimonium; emissio votorum facta congregationi Religiosorum, non habuisset eam vim propter congregationem Religiosam, quam non habuisset propter ordinationem, quæ maior est, & altioris iuris, quàm congregatio Religiosa. Debuit ergo aliunde sumi hæc vis solennitatis votorum; nimirum, vt aiunt supradicti Pontifices, ex Ecclesiæ constitutione irritante quamlibet conuentionem repugnantem illorum obseruationi: quamvis de sola matrimonij irritatione in iure sit sermo.

Hinc sequitur posse votum solenne, per Ecclesiam relaxari, quantum est de se, dummodo causa relaxandi non desit. Etenim quidquid ex sola constitutione Ecclesiæ inuentum est, illud per Ecclesiæ constitutionem consistit, & est. Ecclesia autem potest relaxare suam constitutionem. Ergo, &c. Quòd autem causa iusta possit occurrere, probatur, quia fieri potest, vt v. g. sit valde necessarium ad bonum commune, vt deficiente Regis familia, Princeps, qui restat vnicus, sed Sacerdos, aut etiam professus, succedat, & ineat matrimonium ad relinquendos regni successores, eximatúrque simul à voto paupertatis, & obedientiæ, ob periculum frequens peccandi contra illam in statu Regio. Atque ita legitur apud Volaterr. lib. 4. Historiæ, Alexander tertius dispensasse cum Nicolao Iustiniano Monacho Professo, vt posset vxorem ducere; ne familia tam illustris extingueretur. Quod ipse fecit, & susceptis ex ea filijs redijt ad Monasterium, vixitque miraculis clarus. Itémque cum Rege quodam Aragoniæ, qui vt habetur in Annalib. Hispaniæ, patre mortuo fine alijs liberis superstitibus, ex Monacho Professo Rex est factus, & votis solutus Cœlestinus quoque III. teste Platina in eius vita, dispensauit cum Constantia Regis Siciliæ filia professa, vt nuberet Henrico VI. Et frequenter dispensatur aliquo modo in voto obedientiæ cum ijs, qui ex Religiosis Professis fiunt Episcopi, vel Cardinales. 58. Potest relaxari ab Ecclesia votum solenne.

D. Thomas q. 88. art. 11. docet super voto quidem solenni castitatis quod ordinibus sacris annexum est, posse dispensari: tamen id negat omnino de solenni vota Religionis. Sequuntur illum Syluester V. *Votum 4. q. 5.* Sotus lib. 7. de Iustit. q. 4. art. 2. Aragon. ad art. citatum, & quidam alij. Primum argumentum D. Thomæ est, quia solennitas voti consistit in consecratione, seu benedictione. Quidquid autem semel consecratum est, non potest verti in alios vsus repugnantes ei, ad quod ista fit consecratio, & benedictio, iuxta Leuit. cap. vlt. Iam verò, licet in collatione ordinis sacri non fiat consecratio ad aliquid, in quo essentialiter includatur continentia, ideóque continentia non sit inseparabilis ab eo, qui constitutus est in tali ordine: Tamen in professione Religiosi benedictio fit ad aliquid, in quo essentialiter includitur continentia, scilicet ad statum Religiosum, consistentem in perfecta separatione à rebus humanis, vt possit vacare Deo. Igitur Religiosus non potest applicari ad vsus repugnantes continentiæ. Confirmatur ex cap. 6. *de statu Monachorum*, vbi hæc leguntur: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachi, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Secundò, sic argumentantur alij. In voto solenni est traditio sui: & D. Th. q. 88. art. 7. solennitatem voti constituit tum in traditione, tum in consecratione, seu benedictione. In voto autem simplici est solùm promissio. At id, quod semel traditum est, non potest vnquam repeti. Ergo, &c. Confirmatur exemplo Matthæi Apostoli, qui 59. Contraria opinio D. Thomæ, eiusque probatio. 60. Aliorum argumenta.

noluit dispensare cum Iphigenia Regis Æthiopum filia, vt nuberet Hirtaco promittenti conuersionem suam, & regni vniuersi. Tertiò, si posset Religiosus transferri ad statum coniugij, sequeretur posse accidere, vt qui matrimonium olim inter se contraxissent, inuenirentur ambo alijs coniuncti. Etenim demus vnum Principem, post ratum matrimonium, & ante consummationem, ingredi Religionem: & in eo casu mulierem derelictam nubere alteri: ac postmodum Principem illum pro necessitate publica reuocari ad coniugium, viuente priore. Tunc ambo coniuges erunt alijs coniuncti: quia prior coniux non redderetur illi Principi, postquam cum alio consummasset matrimonium, nec postquam cum alio contraxisset legitimè: quia prius matrimonium erat omnino dissolutum. Quartò, si super votis Religiosi posset fieri dispensatio, posset etiam fieri super matrimonio non consummato, atque etiam super consummato: quia sicut in matrimonio est traditio, ita & in professione. Quintò denique, nihil est melius continentiâ, quo possit pro ea fieri compensatio, aut super ea dispensatio: iuxta illud Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.*

61. Soluitur argumentum D. Thomæ. Ad primum argumentum D. Thomæ respondeo primo, solemnitatem voti non consistere in benedictione. Imò Religiosum non necessariò benedici: siquidem ex cap. vnico *de Voto, & Voti redempt. lib. 6.* tacita professio potest constituere Religiosum. Secundò, quamvis Religiosi benedicerentur ad seruandam continentiam, & alia quæ vouent: tamen non fieret benedictio ad illa seruanda in omni casu; etiam contra maiorem Dei gloriam, & contra bonum maius. Quia hoc malum esset. Et locus Leuit. nihil obstat: nam lex vetus non ampliùs obligat: & multa exigebantur in illa, quæ non exiguntur in noua: iuxta id quod notat ipsemet S. Thomas in addit. 3. p. quæst. 64. art. 6. ad 2. Deinde quod erat sanctificatum ad aliquem sacrum vsum, non poterat quidem passim, & liberè, & sine causa conuerti in alium vsum: sed in necessitate poterat: quia Deus misericordiam mauult, quàm sacrificium, Matth. 12. Sicut & aurum, vel argentum sanctificatum Deo, potest conuerti in alimenta pauperum, & in redemptionem captiuorum. Idem enim bene mutatur ex vno vsu in alium magis necessarium, aut Deo gratiorem. Quocirca aut dicendum est non posse contingere, vt Religiosus sit vnquam necessarius ad vsum Deo gratiorem: aut fatendum est posse illum conuerti in talem vsum. Prius autem membrum est falsum. Nam Sacerdos per se, eò quòd sit ad sacrificandum, absoluendum, baptizandum, & similia, est per se ad vsum meliorem, quàm vllus simplex Religiosus per se. Quapropter si Sacerdos potest in alium vsum magis necessarium conuerti, vt fatetur D. Thom. poterit & Religiosus: id est, poterit contingere vt sit alius vsus expetibilior, quàm ille ad quem est Religiosus.

62. Idémque dicendum esset, si voti solennitas consisteret in traditione Deo facta: quod tamen verum non esse, ostendemus paulò post: Et quamvis illam adiunctam habeat, vt mox dicemus de Religiosis: tamen quia traditio nequit esse perfecta sine acceptatione: Deus autem non acceptat aliquam traditionem contra maius bonum: idcirco traditio illa non impedit quin iusta de causa Religiosus transferri possit ad alium statum Deo gratiorem. Quamvis etiam in professione Religiosa, siue vi voti solennis, siue aliunde ex intentione & institutione Ecclesiæ, fit traditio Religiosi facta Religioni in manu Prælati, & acceptatio Religionis per eundem Prælatum; quo fit vt Religiosus transeat in Dominium Religionis: Tamen hæc traditio & acceptatio non obstat quin pro maiori bono communi possit supremus Ecclesiæ Pastor, cuius est illud procurare, & cui subsunt iura Religionum, aliter de illo disponere: præsertim verò sponte consentientibus illis quorum interest.

Ad confirmationem sumptam ex cap. 6. de statu Monach. respondeo non posse dari licentiam Monacho contra paupertatem, aut contra continentiam, sine causa necessaria: neque in illo casu posse aliquem simul manere Religiosum, & liberum à voto aliquo, sine quo status Religiosi stare non posset: de quo tantùm loquitur Pontifex in cap. cit. vt patet ex verbis sequentibus in textu. Sed eum qui Monachus est, posse licitè transferri ad alium statum Deo gratiorem, iustam ob causam. Quod non est dare licentiam Religioso contra votum: sed transferre personam ad alium statum: seu determinare quod subsit causa necessaria relinquendi statum illum propter Deum. Et quia non est verum quòd status Religiosi in omni casu sit melior, & Deo gratior, quàm vllus alius: imò sunt aliqui status per se meliores, vt status Episcopi, iuxta cap. 18. de Regularib. à quibus statibus potest nihilominus aliquis ob maius bonum transferri ad alium: similiterque à statu Religiosi potest transferri aliquis ad alium statum. Quod etiam docent Ricard. in 4. dist. 38. art. 1. Maior ibid. q. 6. Durand. q. 2. num. 8. Nauar. cap. 12. Manual. num. 75. Valent. disp. 6. q. 6. p. 7. Less. cap. 40. dub. 14. Couarr. de Testam. ad cap. 2. num. 11. Contra Dominic. Sotum, Aragonium, Turrerrem. Catharin. & plures alios. 63. Soluuntur aliorum probationes.

Ad secundum arg. Respondeo 1. Si generaliter intelligatur de quocunque voto solenni, nimis probat. Nam inde sequeretur non posse dispensari cum non religioso qui suscepit ordinem sacrum: quod tamen aduersarij fieri posse non inficiantur. Secundò, si loquatur de voto solenni in Religione approbata, dico vota etiam simplicia emissa in Societate IESV post biennium probationis, continere quoque, vel potiùs adiunctam habere sui traditionem, vt rectè docet Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2. & probat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, vbi inter alia declarat Scholares in Societate approbatos, & tria vota substantialia emittentes, esse verè Religiosos: *Quippe qui*, inquit, *per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant.* Respondeo 3. Votum, etiam solenne, non esse per se traditionem, sed promissionem, tantùm sicut & votum simplex: 64.

vt patet ex verbis ipsis quibus vtrumque concipitur: Nam in voto etiam solenni nihil amplius dicitur, quàm, *Voueo*, & *Promitto*. Itémque ex eo, quòd Cœlestinus III. cap. 6. *Qui Clerici vel vouentes*, ait votum simplex non minùs apud Deum obligare, quàm solenne. Id enim euidenter falsum esset, si votum simplex esset promissio pura, & votum solenne esset traditio. Nam traditio fortiùs adstringit, quàm
65. promissio. Fateor tamen professionem Religiosam, & emissionem trium votorum simplicium post Biennium probationis in Societate Iesv, adiunctam habere actualem traditionem sui ex parte Religiosi, & actualem acceptationem ex parte Prælati: quo fit vt ille transeat in actuale dominium Religionis: vt paulò ante dixi, & fusè probat Suar. cap. cit. Nihilominus tamen id non impedit quin pro maiori bono communi Ecclesiæ possit Religiosus ad alium statum transferri ab eo, cui illud procurare incumbit, cuiúsve supremæ potestati subsunt Religionum iura; id est à Supremo Pontifice. Neque Religiosus se tradens, vel Religio illum acceptans potest huic iuri supremo derogare. Quin potius illi se submittunt expressè ij, qui ad maiorem stabilitatem vouent se nullam Prælationem, aut dignitatem Ecclesiasticam extra Religionem acceptaturos, nisi præcepto obedientiæ compellantur à Summo Pontifice: vt fit à Professis Societatis Iesv, & à RR. PP. Carmelitanis rigidioris obseruantiæ.

66. Quod verò attinet ad exemplum Iphigeniæ; Respondeo cum Caiet. & Lessio cap. 40 dub. 14. num. 115 incertum esse an Hirtacus petierit cum illa dispensari. Et si petijt ac promisit conuersionem: non sincero animo id fecit: Aut alia de causa non est visum Apostolo id expedire.

Satisfit alijs tribus argumentis. Ad tertium respondeo nullum esse incommodum in eo quod objicitur. Nam postquam prius matrimonium dissolutum est per ingressum Religionis, ita vt posset mulier derelicta nubere alteri; nullum est impedimentum, quò minùs post legitimam reuocationem possit vir ducere aliam: perinde ac si aliquis post mortem reduceretur ad vitam, & inueniret vxorem coniunctam alteri, vel non coniunctam, posset aliam ducere.

67. Votum solenne non est æquè indispensabile, ac matrimonium consummatum. Ad quartum respondeo posse dispensari super matrimonio rato tantùm, & nondum consummato, vt ostendemus tom. 5. disp. 72. Sect. 4. Si autem Christus statuit, vt matrimonium consummatum Christianorum esset penitùs insolubile, verbis illis Matth. 19. *Erunt duo in carne vna, &c. quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, vt est communis sententia Catholicorum: non inde sequitur votum solenne non pati dispensationem vllam: Etenim maius est matrimonij vinculum à Deo vel à natura institutum, quàm voti solennis, quod ab Ecclesia inuentum est. Et sola traditio non reddit siue matrimonium, siue votum solenne, indissolubile, sola sua vi: vt antea ostensum fuit. Sed si matrimonij consummati lex nullam recipit interpretationem, pendet illud à libera Dei institutione. Quemadmodum verò potest fieri vt propter maius bonum possit transferri aliquis à statu Monachi ad alium statum: ita potest contingere, vt per se à parte rei expediat matrimonium aliquod consummatum dissolui. Vt si Rex aliquis non possit suscipere liberos ex coniuge: &, si moriatur sine prole, futuræ sint lites, & contentiones æternæ de successione, cum infinitis cædibus, & multis alijs malis communibus. Verùm si Christus de matrimonio consummato inter Christianos aliter statuit, vt certè creditur statuisse; parendum est simpliciter, cùm sit omnium dominus, & prævidérit omnes casus futuros. At nihil tale statuisse creditur de voto solenni; super quo etiam Summi Pontifices interdum dispensarunt: nunquam super matrimonio.

Ad quintum respondeo, continentiam non esse præstantissimum bonum: imò præcipuam eius laudem, & vtilitatem, præstantiámque supra coniugium, in eo consistere, iuxta Apostolum 1. Corinth. 7. quòd iuuet ad liberiùs vacandum Deo, & ad orandum, aliáque bona opera, quibus ipsi placeamus, obeunda faciliùs. Quamuis autem continentia plurimùm valeat ad meliùs seruiendum Deo, & ad exercenda præstantiora opera tum actionis, tum contemplationis, liberiúsque incumbendum saluti propriæ, & aliorum: tamen potest incidere tempus, quo melius sit, & Deo gratius non seruare continentiam: vt si hoc sit necessarium ad pacem regni alicuius, & ad grauissima mala vitanda: quod exemplum recipit D. Thom. q. 88. art. 11. Locus autem citatus Ecclesiastici non loquitur de omni alia re, sed de ponderatione auri, & argenti, & similium, cui anteponitur pudicitia, & continentia mulieris etiam coniugatæ, de qua ibi sermo est. Similique sensu de amico fideli dicitur Ecclesiast. 6. v. 15. *Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Atque, vt rectè affirmat D. Thomas art. cit. contemplatio, & oratio, & similia sunt meliora, quàm continentia, quam etiam Paulus loco supra cit. commendat propter illa. Denique ad dispensationem non est opus alio sæpè æquali, sed tantùm ad commutationem. Quare licet nihil esset æquale, aut maius continentiâ; non sequeretur eius votum non posse dispensari. 68.



DISPVTATIO NONADECIMA.

De Iuramento, & Adiuratione.

DE Iuramento, & Adiuratione disputat S. Thomas quæst. 89. & 90. Quarum priore docet, Iurare idem esse, ac Deum in testem assumere: siue assumatur ad asserendum præsentia, vel præterita: quod dicitur iuramentum assertorium: siue ad confirmandum aliquid futurum, quod dicitur Iuramentum promissorium. Et hoc per se quidem licitum atque honestum esse: non tamen sine aliqua necessitate faciendum. Deberéque tres addi comites Iuramento: videlicet Iudicium, seu necessitatem, Iustitiam, & veritatem. Esse verò actum Religionis: quia eo ipso quòd homo Iurat, profitetur Deum esse indefectibilis veritatis, & cognitionem habere vniuersalem. Non esse tamen frequenter vsurpandum, nec extra terminos necessitatis: quia non est de ijs quæ sunt per se appetenda: sed inter ea quæ sunt necessaria ad subueniendum alicui defectui, quo scilicet vnus homo alteri discredit. Porro Iuramentum quod fit per simplicem contestationem, referri principaliter ad Deum ipsum, cuius testimonium inuocatur: secundariò autem assumi ad Iuramentum aliquas creaturas, non secundùm se, sed inquantum in eis diuina virtus manifestatur; sicut Iuramus per Euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur; & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruarunt. Quando autem Iuramentum fit per execrationem, inducitur creatura aliqua, in qua Deus Iudicium suum exerceat. Sicut homines Iurare solent per caput suum, per filios, aut per aliam rem, quam diligunt. Addit S. Doctor Iuramentum assertorium obligare ad dicendam veritatem: promissorium obligare vlteriùs ad faciendum id quod promittitur, vt Iuramenti veritas impleatur: modo tamen alij duo comites adsint, Iudicium, & Iustitia. Et obligationem voti maiorem esse, quàm Iuramenti: quia voti obligatio oritur ex fidelitate, quam Deo debemus,

mus, vt scilicet ei promissum soluamus. Obligatio autem Iuramenti causatur ex reuerentia, quam ei debemus, quæ nos obligat vt verificemus id quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet: sed non vice versa. Videtur enim infidelitas erga Deum esse maxima irreuerentia. Sicut autem potest in voto dispensari propter aliquam necessitatem: ita & in Iuramento. Neque pueri ad illud admittendi sunt, quia non afferunt debitam reuerentiam: neque periuri, ob eandem causam: meritò enim præsumuntur non allaturi: neque Sacerdotes, & aliæ personæ magnæ dignitatis, quibus sine Iuramento credendum est. Excepto casu magnæ necessitatis & vtilitatis, præsertim in negotijs spiritualibus.

Posteriori quæst. affirmat licitum esse Adiurare; id est, diuini nominis, vel alicuius rei sacræ interpositione; alium ad quidpiam agendum, vel omittendum prouocare. Neque tantùm erga Deum, vel homines posse nos vti Adiuratione: sed etiam erga dæmones: non quidem per modum deprecationis, vel inductionis ob reuerentiam alicuius rei sacræ: sed per modum compulsionis, eos per virtutem diuini nominis, tanquam inimicos repellendo ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter. Atque etiam erga creaturas irrationales: ita tamen vt Adiuratio non ad eas referatur secundùm se: id enim vanum esset: sed ad illum, à quo irrationalis creatura mouetur: id est, vel ad Deum, per modum deprecationis: vel ad dæmonem, per modum compulsionis, quando in nocumentum nostrum vtitur irrationalibus creaturis. Hucvsque D. Thomas.

****

SECTIO I.

Quid sit Iuramentum, & quomodo licitè fiat?

1. Iuraméti definitio.

Vramentum est vsurpatio nominis Dei ad aliquid confirmandum. Dicitur primo, *Vsurpatio*, nimirum per modum attestationis, ita vt Deus adducatur in testem. Hæc autem vsurpatio debet non tantùm voce, & verbis fieri; sed præcipuè mente, & intentione. Quacunque enim forma verborum quis vtatur; si non habeat intentionem iurandi, non iurat coram Deo, qui non respicit verba tantùm, sed præcipuè intentionem. Hinc collige modos illos loquendi vulgares, Per fidem meam, per fidem boni viri, vel hominis Christiani, vel Sacerdotis, Per meam conscientiam, In conscientia, & similes, non esse iuramenta, vt vulgò accipiuntur. Quia qui sic loquuntur, non intendunt iurare, sed tantùm affirmare se loqui ex virtute fidelitatis, veritatis, & ex conscientia. Item nec verba ista, Coram Deo loquor, Deus videt, aut scit me verum dicere, videt meam conscientiam: si qui sic loquuntur, intendunt tantùm affirmare Deum ista scire. Secus autem si intendant vocare Deum in testem, vt vulgò accipi solent, ideóque censentur esse iuramenta. At ista multò minùs, Verè, Ex corde, In veritate, Amen amen dico vobis, &c. Absit enim vt tam sæpe iurauerit Christus, qui à iurando, quantum fieri potest, abstinere nos docuit Matth. 5. v. 14. *Ego autem dico vobis non iurare omnino, &c.* Ista verò, Inuiso Deo, In despectum Dei, Per ventrem Dei, & similia, quibus aliqua vilia, aut pudenda Deo tribuuntur in eius contemptum, & contumeliam, blasphemiæ sunt, quæ à Prælatis & Principibus Christianis deberent seuerè puniri, penitúsque extirpari: sunt enim prorsus intolerabilis.

Dicitur secundò, *diuini nominis*: Ita nimirum vt Deus ipse in testem vocetur. Iuramentum enim propriè est actus Religionis, quatenus Deum respicit, & ad cultum latriæ pertinet. Quare iurare per creaturas sine ordine ad Deum, non est propriè iuramentum. Et quidem creaturæ inanimæ, & irrationales non possunt esse testes veritatis. Rationales verò licet in testes vocati possint; non est id actus Religionis, sed obseruantiæ, vel etiam Duliæ erga Sanctos. Quare vt iuramentum per creaturas sit propriè iuramentum, debet spectari, & in testem vocari Deus, quatenus in illis elucet, aut inhabitat: vt significauit Christus Matth. 5. verbis supra relatis, *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia Scabellum est pedum eius, &c.* Alioquin est potiùs imprecatio, cuius sensus est, Pereat talis creatura si ita non est. Quod est vitandum, quamuis in his non sit periurium, nec peccatum mortale, nisi ex animo, & deliberatè graue damnum optetur creaturæ rationali. At verò qui dicit, Per fidem Catholicam, Per sanctum Euangelium, Per Christi crucem, &c. iurat: 2. Non iuratur sine ordine ad Deum.

quia prioribus verbis Deum inuocat eorum auctorem, specialiter in illis eluceptem; & postremis, Christum in cruce triumphantem de dæmone.

3. Dicitur tertiò, *ad aliquid confirmandum:* nimirum aliquam veritatem, vt fit in iuramento assertorio, aut promissionem aliquam, vel comminationem, vt fit in iuramento promissorio, vel comminatorio. Triplex enim est iuramentum, loquendo generatim. Assertorium, quod adhibetur ad confirmandam propositionem aliquam, siue affirmatiuam, siue negatiuam; & siue de præsenti, siue de præterito, siue de futuro. Vt si quis iuret legitimas esse merces quas vendit, aut se debitum persoluisse, aut ægrotum postridie conualiturum: aut si iuret se tale depositum non habere, vel nunquam accepisse, vel fore vt nunquam reddatur ab illo qui habet. Promissorium est, quo confirmamus nostram promissionem, & nos alteri obstringimus, ita vt reuerentiâ diuini numinis obligemur ad non resiliendum. Comminatorium, quo pœnam aut malum aliquod minamur alteri, constringimusque nos vt reuerentiâ diuini numinis non audeamus condonare, vel à malo inferendo desistere. Quia verò hæc iuramenta variè fieri possunt, ex hac varietate oriuntur aliæ iuramenti diuisiones in absolutum, & conditionatum: simplex, & solenne: Contestatorium, & execratorium: Absolutum est, quod fit absque vlla conditione tacita, vel expressa. Conditionatum, contra. Potest autem conditio tacitè, vel expressè, apponi iuramento, vel ab ipsa iurantis intentione, vel à iure, & voluntate superioris. Solenne est, quod fit cum aliqua notabili circumstantia externa, vt tactis Euangelijs, aut Sanctorum reliquijs, vel coram Notario, & testibus, vel in tribunali. Simplex, quod fit sine huiusmodi circumstantijs. Contestatorium denique est, quod fit per simplicem contestationem, vocando simpliciter Deum in testem. Execratorium, quando non tantùm vocatur in testem, sed in vindicem, vt puniatur qui iurat, si fallit: puniatur inquam, vel in sua persona; vt quando iurat aliquis per animam suam, per caput suum, aut vitam, &c. vel in alijs sibi coniunctis, vt quando iurat per vitam filij, vel vxoris, Per salutem Regis, per incolumitatem regni, aut Reipublicæ.

Iuramentum triplex est.

Aliæ eius diuisiones.

4. Vt autem iuramentum licitum sit, tria requiruntur, quæ iuramenti comites appellari solent: Veritas, necessitas, & reuerentia. Iuxta illud Ierem. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Id est, de re vera; non temerè, sed maturo iudicio, cúmque attentione, & reuerentia debita; & iustâ, ac necessariâ de causa. Sed vt fiat sine peccato mortali, sufficit veritas, quæ in iuramento assertorio vnica est: nempe illa quæ expressè asseritur: rem scilicet ita esse vt affirmatur. In promissorio autem, & in comminatorio est duplex. Vna præsens, quòd scilicet habeas animum exequendi: altera futura, quæ consistit in executione. Prior est principalis, & necessariò requisita ad vitandum peccatum mortale. Posterior est secundaria, & iuxta multorum sententiam, potest abesse absque peccato mortali, quando materia sub iuramento promissa est leuis, vel leue quid omittitur: vt videbimus Sect. 6. Atque, vt fatentur omnes, potest etiam sine peccato veniali non fieri id quod verba sonant, quotiescunque est iusta causa non faciendi. Tunc tamen non fit propriè contra veritatem iuramenti, sed apparentèr, vt ostendemus ibid.

Iuramenti comites, veritas, necessitas, & reuerentia.

Quæ vt melius intelligantur, nota veritatem multis modis deficere posse in iuramento. Primò, cùm aliquis iurat falsum sciens esse tale: aut quando iurat id quod in se quidem verum est, sed ipse falsum esse credit. Et hoc periurium est, quia iuratur mendacium. Estque peccatum mortale, quamuis materia iuramenti sit leuis: neque enim excusat materiæ leuitas, neque intentio, neque vlla causa siue temporalis, siue spiritalis. Ratio est, quia Deo grauem iniuriam facit, qui eum facit testem falsi: sicut & qui eundem faceret auctorem, vel approbatorem, & fautorem peccati. Nec refert quòd materia sit leuis: quia veritas consistit in indiuisibili, & omnes veritates in ordine ad testimonium diuinum sunt eiusdem rationis: Vnde etiam omnes sunt æquè credibiles, dummodo constet fuisse Dei testimonio confirmatas. Grauisque semper Dei iniuria est, quòd fiat testis falsitatis. Qui enim iurat falsum, & Deum in testem eius vocat: Deo attribuit vel ignorantiam, vel improbitatem. Nam testis falsus vel ignorans, vel improbus est. Et sine dubio magna in Deo esset turpitudo, & imperfectio, si mentiri posset, aut falli, etiam in re leui: sic enim esset ignarus, vel improbus: & consequenter non esset Deus. Quare magna irreuerentia, & iniuria est eum in testem falsitatis vocare, etiam in re leui; quam sine ignorantia, vel improbitate non potest suo testimonio confirmare. Denique Hussitæ hæretici, dicentes tale periurium in leui materia; esse tantùm peccatum veniale, damnati fuere velut hæretici hac in parte, à Martino. V. in Concil. Constantiensi. 5.

Deficit veritas, quando scienter iuratur falsum, aut contra mentem.

Secundò, deficit veritas quando aliquis iurat falsum, putans esse verum. Et hic, si debitam diligentiam adhibuit, non peccat: si mediocrem tantùm, peccat venialiter: si nullam, peccat mortaliter. Tertiò, quando iurat id, de quo non est certus. Et hic etiam peccat mortaliter, si absolutè iurat illud esse: tum quia iurat mendacium: affirmat enim certum esse, & confirmat iuramento tanquam certum, id quod certum non est: tum etiam quia exponit se periculo faciendi Deum testem falsi in re ipsa, si non est id quod iurat. Dixi autem, *si iuret absolutè:* quia secus est, si iuret cum modificatione, esse probabile, vel ita sibi videri, sicut reipsa videtur, & probabile est. Quartò, quando ambiguè iurat, vt alium iniustè decipiat: quia talis non dicit veritatem respectu eius cui iurat, neque secundùm sensum, quo verba debent accipi. Et hic etiam peccat quando iniustè id facit, & sine causa. Alioqui enim, si cogitur iurare ab eo, qui non habet ius exigendi iuramentum, aut illud exigit contra ordinem iuris: potest iurare ambiguè: vel vtendo verbis æqui- 6.

Et quando iuratur incautè falsum, aut incertũ.

Et quando iuratur ambiguè sine causa.

uocis, vel retinendo in mente partem propositionis: Non feci, supple, notoriè, ita vt teneat fateri. Neque tunc talis iurat falsum: quia responsio adiuncta tali interrogationi, & coactioni, potest, ac debet prudenter in hunc, aut similem sensum accipi. Non iurat etiam mendacium, seu contra mentem: quia qui vnam tantùm sententiæ partem ore profert, & aliam retinet in mente, non dicit contra mentem, sed inadæquatè solùm illam verbis exprimit. Quod tamen fieri non debet, nisi quando est causa legitima decipiendi, & vim vi repellendi: & alioqui iurat falsum secundùm sensum, in quem verba debent accipi: neque potest ipse licitè in eo casu aliter vsurpare.

Sitne tūc periurium, aut peccatum mort.

Excusant tamen aliqui tale iuramentum à periurio, & à peccato mortali, quantum est ex parte iuramenti: Esto, mortale sit aliunde ex parte scandali, vel grauis nocumenti proximo illati, vel inobedientiæ erga Superiorem iuridicè interrogantem, aut legitimè exigentem iuramentum: quia alioqui non deest, inquiunt, tali iuramento nisi iudicium, seu discretio. Hic autem defectus non sufficit ad peccatum mortale, si non desit veritas, & iustitia iuramenti. Ita Suar. lib. 3. de Iuram. cap. 9. 10. & 11. & Sanch. lib. 3. in Decal. c. 6. n. 22. Vbi etiam multa proferunt exempla casuum, in quibus licet iurare amphibologicè, vel cum retentione mentali: & hæc sententia probabilis est. Contrarium tamen censent plures alij: quia licet non desit veritas iuramento illi secundùm sensum, quem iurans intendit affirmare: deest tamen secundùm sensum, quem verba debent habere, & talis simpliciter existimatur ab audientibus dicere falsum. Vnde est occasio grauis scandali, si iurat: adeóque secundùm communem hominum sensum existimatur grauiter peccare, grauémque Deo iniuriam facere. Probabile autem est quod ait Lessius cap. 42. dub. 9. num. 46. iustam esse causam excusandi eos mercatores, qui ambiguè iurant rem tanti sibi stetisse, eo solùm animo quòd aliter iustum eius pretium recipere non possint: quia scilicet iurant adacti emptorum auaritiâ. Hi quatuor modi locum habent etiam in iuramentis assertorijs: duo verò, qui sequuntur, locum habent tantùm in iuramentis promissorijs, & comminatorijs.

7. Et quando iuratur impossibile, aut illicitum.

Quintus ergo modus est, quando aliquis iurat se facturum aliquid impossibile: siue sit physicè impossibile, siue moraliter tantùm, quia non potest licitè fieri & absque peccato. Et qui scienter & liberè tale quid iurat, peccat mortaliter si non intendit facere quod iurat: quia iurat mendacium. Neque potest intendere & velle efficaciter facere id, quod nouit esse physicè impossibile: potest tamen ex ignorantia id velle. Potest etiam absolutè & efficaciter velle aliquid facere, quod sine peccato fieri nequit. Tuncque si intendit facere peccatum mortale, & obstringere se iuramento ad illud faciendum, vocando Deum in testem suæ intentionis, peccat mortaliter. Si verò id de quo iurat est peccatum veniale, peccat tantùm venialiter, ex fere communi sententia: quia non facit Deum testem falsi, sed tantùm suæ intentionis, malæ quidem, sed veræ: neque facit Deum approbatorem peccati, quia testis non approbat, nec spondet, sed tantùm veritatem confirmat. Hæc tamen sententia difficilis est.

Sitne P. M. iurare aliquid venialiter illicitū?

Quia si iurans se facturum peccatum veniale, tantummodo facit Deum testem intentionis suæ veræ, ideóque non peccat grauiter: ergo nec ille qui iurat verè intendens facere peccatum mortale. Quòd si dicas, grauem esse irreuerentiam quòd iste iuramento & auctoritate diuina velit se confirmare in proposito peccandi mortaliter: videtur esse quoque grauis (licet non æqualis) in eo qui eâdem auctoritate vult se confirmare in proposito peccandi venialiter: quasi Deo placeret: & quasi Deus vellet auctoritate sua voluntatem peccandi fouere & corroborare. Et vterque imponit sibi necessitatem faciendi Deum testem falsitatis: quia tenetur non facere id, quod iurat se facturum. Quandoquidem non potest id facere absque peccato: &, si non faciat, iurauit falsum.

8. Vera sententia.

Propter hæc censeo speculatiuè loquendo probabilius esse eandem esse vtriusque rationem: quod etiam probabile iudicat Lessius cap. 42. dub. 4. num. 18. quia si vterque tantùm intendit Deum vocare in testem suæ intentionis, vt confirmet se illam habere, idque magis persuadeat alteri, cui promittit, aut minatur: non videtur esse grauis irreuerentia, nec peccatum mortale ratione iuramenti: licet intentio ipsa peccandi mortaliter sit peccatum mortale. Sin autem intendit confirmare iuramento suam intentionem peccandi, séque Dei reuerentiâ obstringere ad peccandum: videtur esse grauis irreuerentia, licet tantùm intendat peccare venialiter. Si denique intendit iurare absolutè se facturum peccatum, nulla tacita conditione admissa, putà, nisi intentionem mutauero, vt debeo mutare, aut quid simile; peccat vterque mortaliter: quia astringit se ad faciendum Deum testem falsitatis; cùm debeat non facere id, quod se facturum absolutè iurat. Potest autem prima intentio à duabus alijs separari, iurando scilicet dumtaxat ad persuadendum se habere talem intentionem, relicto loco conditionibus, & non intendendo ipsam peccandi intentionem confirmare, sed tantùm firmitatem eius iam conceptam patefacere, sicut multi iurant ad iram suam patefaciendam. In praxi tamen recedendum non puto à fere communi sententia.

Peccatur etiam contra veritatē, si non fiat quod iuratur.

Sextus denique modus est, quando aliquis iurat se facturum id, quod deinde non præstat. Et hic etiam peccat mortaliter, saltem si res promissa, quæ non impletur, sit grauis, (an verò etiam in re leui sit peccatum mortale, dicemus Sect. 6. num. 53. & sequentibus) & est periurus: nisi excusetur à causa legitima, quæ quàm multiplex sit dicemus Sect. sequenti.

SECTIO II.

De causis excusantibus ab obligatione iuramenti.

9. Excusat materia, si est

MVltæ sunt causæ excusantes ab obligatione per iuramentum contractâ. Prima sumitur ex parte materiæ: quando scilicet non est capax obligationis iuramenti, quia est mala

mala, vel indifferens. & illicita: vt cùm iurauit quispiam se facturum aliquod peccatum. Aut quando materia iuramenti est inanis, vel indifferens: quia iuramentum non est vinculum rei malæ, aut vanæ & inanis. Imo nec eius, quam fieri non sit melius: excepto casu quo sit iuramentum in fauorem tertij, de re non mala, sed illi grata, licet alioqui minùs bona, vel de indifferenti per se. Tunc enim obligat, nisi ille remittat: quia in promissione facta homini consideratur quid sit illi gratius: non autem quid simpliciter, spectatis omnibus, melius sit; vt fit in promissione facta Deo, qui semper habet gratius, id, quod est melius: neque gratum habet nisi quod reipsa est bonum. Ideóque in iuramentis illis quæ non alteri obligant quàm Deo, nemo obligatur ad id quod est indifferens, aut quod melius est non fieri. Quia tale iuramentum non obligat nisi in modum voti. Votum autem de tali re non obligat. Vnde si quis iuret simpliciter se non egressurum ex vrbe, tota hebdomada, vel non lusurum honesto aliquo ludo, non ex aliquo bono motiuo, sed ex indignatione, aut propter commodum vel incommodum merè naturale, sine honestate vel turpitudine opposita, non obligatur tali iuramento. Neque propterea Deum facit testem falsitatis: quia in talibus iuramentis subintelligitur conditio tacita, si obliger, & sententiam mutare licitè non possim: vel, nisi aliter expedire videbitur: qua de re plura paulò post.

10. 2. Euentus mutans materiam. Secunda causa excusans est euentus rei, per quem interdum materia iuramenti quæ antea bona erat, fit mala, vel indifferens: quæ possibilis, fit impossibilis. Et generatim quotiescunque post iuramentum aliquis casus euenit quem prudenti iudicio non censetur iurans voluisse sua promissione comprehendere, quique sufficit ad promissionem reuocandam, siue pro nulla habendam; non censetur qui promisit, esse obligatus ex vi iuramenti: quia non intendit ad hoc se obligare, sed potiùs iurauit cum tacita conditione, & intentione apposita; nisi scilicet hoc aut illud eueniat. Exempli gratiâ, iurauit se ieiunaturum tali die; & illo die ægrotat: iurauit peregrinationem; & negotia grauia accidunt quæ non debet relinquere, quæque si præuidisset, non iurasset. Huc pertinet dolus, aut error grauis circa substantiam rei, vel conditionem magni momenti, qui iuramento promissorio causam dedit. Nam ex communi sententia Doctorum, non censentur res manere in eodem statu, quando aliquid tale postea se aperit, quod antea latebat: & in iure paria sunt aliquid superuenire, & apparere seu incipere cognosci. Quare in huiusmodi iuramentis deest intentio promittendi in tali circunstantia, & tacitè inest intentio opposita. Ex. gr. iurasti puellæ matrimonium, putans esse virginem: postea deprehendis fuisse fornicatam: non teneris iuramento. Iurasti emere equum, putans esse sanum & integrum: posteáque deprehendis esse cæcum: & sic de alijs similibus promissionibus ex graui errore procedentibus, quamvis iuramento firmatis.

Et dolus, aut error grauis circa substantiam rei.

11. Tertia causa est conditio tacita, vel expressa, iuramento apposita, siue ab ipso iurante, siue à superiori potestate, aut ordinatione iuris, siue ex consueto modo loquendi. Nam vt rectè ait Lessius cap. 42. dub. 4. num. 22. ex communi sententia Doctorum, quando promissio, vel propositum de re bona, habet conditionem, vel restrictionem aliquam tacitam, siue ex mente loquentis, siue ex dispositione iuris, vel ex recepta consuetudine; iuramentum illi appositum censetur habere eandem conditionem, vel restrictionem. Quia accessorium sequitur naturam principalis: & iuramentum non additur contractui, nisi intellecto eo modo, quo solet, ac debet, eúmque in tali sensu confirmat, vt non possit reuocari. Exempla sunt: Iurasti puellæ matrimonium: subintelligitur, nisi in fornicationem cum alio, vel in paupertatem, aut morbum incurabilem incidat: vel ipse Religionem ingrediaris; vt à iure permittitur. Iurasti te alteri daturum centum aureos: subintelligitur, si ipse validè promissionem acceptauerit, neque postea relaxauerit. Iurasti te filium castigaturum: subintelligitur, nisi orando veniam impetrauerit, aut aliud magis expediens visum fuerit. Iurasti te non præcessurum alterum: subintelligitur, nisi ipse coegerit, vel, quantùm in te est. Iurasti seruare secretum: subaudi, nisi vergat in damnum alterius. Iurasti seruare statuta Capituli, vel Academiæ: scilicet ea quæ nunc sunt in vigore, & maioris momenti. Iurasti obedientiam alicui, nimirum saluo iure superiore, dispensante aut eximente ab obedientia in quibusdam casibus. Ita fere Lessius loco suprà citato.

3. Conditio apposita.

12. 4. Si iurauit ficto animo. Quarta causa est, si quis iurauit ficto animo, non intendens iurare, aut se obligare per iuramentum ad implendum quod iurat. Talis enim, quamvis peccet, si sine causa legitima fingat & decipiat: tamen non tenetur vi iuramenti, quod verè nullum fuit. Neque enim iurat, qui non intendit iurare: neque etiam ille, qui non intendit se obligare per iuramentum promissorium in materia capaci obligationis. Quia intendere iurare, & non se obligare in tali materia, sunt intentiones contrariæ & incompossibiles. Quare qui simpliciter & absolutè intendit non se obligare, non intendit iurare. Adeóque non tenetur vi iuramenti: licet possit obligari ratione scandali, ne periurus habeatur, & Dei nomen inhonorari censeatur: vel ratione contractus, præsertim onerosi, qui seruari debet secundùm quod verba sonant exteriùs. Si tamen aliquis intenderet verè iurare, & se obligare; sed solùm fingeret & deciperet intendendo non exequi: peccaret mortaliter: quia iuraret mendacium: & teneretur nihilominus exequi: quia talis intentio non illum eximit ab obligatione iuramenti promissorij quæ ab illo est inseparabilis in materia capaci.

13. Sitne hoc peccatum graue? Dixi, peccare illum qui sine causa legitima fictè iurat: quia scilicet Dei nomen assumit in vanum: & illo abutitur ad decipiendum, si aliquid alteri sub iuramento fictè promittit. Probabile tamen est quod dicunt aliqui Recentiores cum Suare lib. 3. de iuramento cap. num. 6. esse tantùm peccatum veniale fictè iurare sine causa, modò fiat sine iniuria proximi, & sine scandalo. Quia talis, inquiunt, non

iurat falsum, cùm nihil planè iuret. Quandoquidem nemo verè iurat sine intentione iurandi. Imò nullum peccatum est fingere, si iuramentum iniustè extorqueatur: vel si verba sumantur tantùm materialiter, vt in comœdia vel ioco fit, propter bonum finem, & sine detrimento alterius: vt Ioseph Patriarcha iurauit Genes. 42. ver. 15. vel quando fit vt quis vitet periculum verè iurandi & peierandi, propter consuetudinem: quia qui iurat sine intentione iurandi, re vera non iurat. Confirmatur ex dictis supra num. 6. de iurante amphibologicè sine iusta causa, quem multi & graues Theologi excusant à mortali, secluso scandalo, vel graui detrimento proximi, vel inobedientiâ erga Superiorem exigentem legitimè iuramentum. Par enim, aut maior est ratio istum excusandi à graui peccato. Nam iste non habet intentionem iurandi. Alter verò iurat ex animo; & iurat falsum secundùm sensum quem verba debent habere hîc & nunc, quemque ipse pro libito mutare non potest in communi vsu. Quare si eo non obstante potest iste excusari probabiliter à peccato mortali: multò magis alius, qui simulat tantùm se iurare. Vitanda tamen est occasio grauis scandali, ratione cuius frequenter graue peccatum est fictè iurare.

14. Certum verò est non peccare illum, qui ficto animo iurat, non intendens iurare, & habens causam legitimam fingendi. Cuiusmodi esset, si v.g. latro compelleret iurare & promittere aliquid ad vitam conseruandam: si quis cogatur iurare se nunquam ampliùs arma pro iusta patriæ defensione sumpturum; vel se rediturum ad carcerem iniustum; vt dimissionem impetret: & ob similes casus, in quibus licet vti æquiuoco contra vim iniustam.

Excusáine metus grauis non ficte iurantē? Sed quid si talis metu iniusto, præsertim graui, adactus, iuret verè & ex animo? Respondet Lessius cap. cit. dub. 6. certum esse obligari, si materia sit licita. Quia tenetur facere quod iurauit, ne Deum reddat testem falsitatis, quæ grauis diuinæ maiestatis iniuria est, morti ipsi præponenda. At hæc responsio non omnino placet. Cùm enim multæ sint causæ legitimæ excusantes ab obligatione iuramenti promissorij; dubitari iure potest num metus, præsertim grauis & iniustus; sit causa legitima: & an Deus velit iuramento confirmari promissionem iniustè extortam; ac non potiùs relaxet aut impediat iuramenti obligationem: sicut fatentur omnes posse ab Episcopo relaxari, ob illam causam per se sufficientem. Neque improbabile est non teneri iuratum redire ad carcerem iniustum, præsertim si mors inde immineat: vt absolutè docent Nauar. Panormit. Andreas, Baldus, Couar. & alij plures; licet ex alio fundamento; quia scilicet putant tali illicitum esse redire, ne morti suæ iniustæ cooperetur. Confirmatur ex cap. *Quamuis pactum, de pactis in 6.* vbi sic dicitur, *Pactum si iuramento, nec vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit, omnino seruari debet.* Ergo à sensu contrario, si vi, vel dolo præstitum sit, non debet seruari. Item, votum ex tali metu factum, non obligat: & quidem probabiliter ex natura rei, aut saltem ex iure Ecclesiastico, vt ostendimus disput. præcedenti num. 17. Ergo neque iuramentum, vt videtur satis declarari cap. cit. Neque obest caput *Debitores, de iureiurando*, vbi dicitur teneri soluere vsuras, eum qui sub iuramento promisit soluere. Ibi enim de metu iniusto non est sermo, sed de spontaneè promittente.

Quinta causa est relaxatio iuramenti. Quatuor autem modis relaxari potest iuramentum promissorium. Primò, renunciatione, quando non acceptatur. Secundò, remissione, quando etsi acceptatum, condonat is, cui fiebat. Vbi nota neminem alium id posse, præter eum cui fit. Vnde si pluribus fiat, debent omnes remittere: si Deo, Deus. Tertiò, irritatione, quando materia iuramenti subest alterius potestati, vt alibi diximus de voto. Vnde qui possunt irritare vota possunt eâdem auctoritate irritare iuramenta circa eandem materiam. Excipit Lessius dub. 12. num. 61. iuramenta minorum, quæ ait non posse irritari à Curatoribus, licet possint irritare vota ipsorum realia, quatenus officiunt eorum administrationi, ex lege 1. & 2. *Cod. Si aduersus venditionem*, vbi non conceditur illis restitutio, etiam si ex contractu læsi sint, si iuramento illum confirmarunt: quia scilicet iuramentum supplet defectum ætatis, eósque legis dispositione efficit maiores. Sed hæc probatio est inefficax. Quia licet non detur actio circa talem contractum; non sequitur iuramentum minoris non posse à Curatore irritari. 15. 5. Excusat relaxatio iuramenti. Quot modis relaxetur?

Quartò, relaxari potest iuramentum commutatione, vel dispensatione. Vbi nota, si iuramentum sit factum in fauorem tertij, & ab eo sit acceptatum; posse ab illo commutari, aut dispensari, vt volet: & non posse ab alio sine eius consensu. Quia nemo potest alterius ius ab eo auferre sine ipsius consensu. Nisi in duobus casibus. Vno, quando superior id facit in pœnam peccati admissi. Altero, quando id expedit ad bonum commune. Sic excommunicato, iuxta communem Doctorum sententiam, non debetur ampliùs obedientia & fidelitas, licet cum iuramento promissa: neque latroni pecunia sponsa, dispensante saltem Episcopo. Si autem iuramentum non est factum in fauorem tertij, sed Deo solùm obligat: de illo, vt de voto sentiendum est. Quare qui habent potestatem commutandi, aut dispensandi vota; habent etiam potestatem dispensandi, aut commutandi iuramenta, super eâdem materia: quippe quæ habent rationem voti quando soli Deo fiunt. Vnde Episcopi possunt omnia commutare, aut dispensare, exceptis quinque, castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis Compostellanæ, Ierosolymitanæ, & ad limina Apostolorum: quia sola vota de quinque rebus illis reseruantur Summo Pontifici. Idémque dico de habentibus priuilegium commutandi, aut dispensandi vota. Ratio præcipua est, quia obligatio iuramenti promissorij per se definit, sublatâ promissione. Atqui talis promissio, quæ soli Deo fit, potest ab eo tolli, qui potest tollere obligationem voti: cùm sit similis, imò sit minor, iuxta doctrinam D. Thomæ, vt videbimus paulò post. Atque illud etiam docent Aragon. Lopez, Viuald. & plures 16. Quis potest super eo dispensare, aut commutare? 17.

alij. Quamvis Lessius dub. cit. num. 60. cum Nauar. & Azor. contrarium sentiat, quia est magis conforme stylo curiæ Romanæ: solet enim tanquam speciale, & distinctum priuilegium, concedi facultas commutandi, & dispensandi vota. Sed ad hoc fundamentum responderi facilè potest id fieri ad maiorem cautelam, & propter scrupulosos, vel contrarium sentientes.

SECTIO III.

Soluuntur variæ quæstiones de Iuramento.

18. Sitne maior obligatio iuramenti, quam voti? SVperest quærere primò, vtra sit maior obligatio, iuramenti, an voti? Respondet D. Thom. quæst. 89. art. 8. magis obligare votum, quàm iuramentum præcisè sumptum citra promissionem Deo quoque factam, si ipsi promittatur simul & iuretur. Ratio est, inquit, quia magis tenemur esse fideles Deo in promissis, quàm reuerentes in verificando quod per nomen eius promisimus. Qui enim est infidelis Deo, peccat contra reuerentiam, & fidelitatem. Qui autem non verificat quod per Deum iurauit, peccat contra reuerentiam tantùm. Hæc D. Thomas: cuius opinio ex eo confirmari potest, quòd Ecclesia, quando vult maximam inducere obligationem, & indissolubilem, id facit per votum, non per iuramentum: vt patet in votis solemnibus Sacerdotum, & Religiosorum.

Contrarium tamen videtur probabilius Maiori, Michaëli Medinæ, Nauarro, & alijs quos sequitur Lessius cap. 42. dub. 11. num. 53. Primò, quia, qui non facit id quod iurauit, facit Deum testem falsi: quod grauius est, quàm non seruare promissum. Secundò, quia periurus solet grauius puniri, & magis esse infamis, quàm transgressor voti. Ergo ex sensu communi periurium censetur esse maius peccatum, & contra maiorem obligationem. Tertiò, periurium non solùm est contra Dei reuerentiam, sed etiam contra summam Dei perfectionem, quia eum facit testem falsi: quod grauius est, quàm irreuerentia & infidelitas transgredientis votum.

19. Resolutio quæstionis. Respondeo quæstionem parui esse momenti, & ad praxim nihil referre: probabilius autem videri iuramentum per se loquendo magis obligare, & cæteris paribus; ob rationes pro secunda opinione allatas. Licet in multis casibus, propter materiæ grauitatem, & perfectionem deliberationis, aliásque circunstantias, transgressor voti alicuius peccet grauius, quàm aliquis periurus, maiorisque scandali causa sit, atque maiori pœnâ dignus communiter censeatur, eâque per leges afficiatur: vt Apostatæ à Religione, vel à Sacerdotio. Ratio est, quia infidelitas, & irreuerentia potest adeo crescere, ex parte materiæ, vel deliberationis, aut circunstantiarum, vt superet irreuerentiam & turpitudinem periurij in re leui, ex fragilitate, & semideliberatione. Quamvis hæc, si plenè aduertatur, videatur semper esse grauior infidelitate transgredientis votum, propter summam irreuerentiam quâ periurus Deo tribuit ignorantiam, vel improbitatem, eum adducendo in testem falsitatis. Sed distinguenda est obligatio quæ oritur præcisè ratione voti, ab ea quæ potest aliunde inesse ipsi materiæ, si quis ex. gr. voueat non peierare, non adulterari, non sumere vindictam de inimicis. Nos de priori loquimur in præsenti: posterior verò potest sine dubio æquare, & superare obligationem iuramenti: vt si quis voueat non peierare, non blasphemare, non odisse Deum.

Quæritur secundo, an liceat iuramentum exigere ab eo, quem scis peieraturum esse, aut iuraturum per falsum Deum? Respondeo primò, non posse ab vllo licitè peti determinatè vt peieret, vel vt iuret per falsum Deum. Quia non licet ab vllo petere id, quod ipse non potest sine peccato præstare. Hoc enim est directè & per se ad peccandum inducere. Secundò, esse quoque malum & illicitum petere iuramentum simpliciter, sine necessitate, vel vtilitate alicuius momenti, ab eo quem scis peieraturum esse, aut iuraturum per falsum Deum. Quia tenemur lege Charitatis impedire peccatum proximi, & ruinam eius spiritalem, quando commodè possumus. Tertiò, licitum tamen esse, exigente aliqua necessitate, vel vtilitate notabili, petere ab vtroque iuramentum. Quia potest quilibet, vtens iure suo, petere ab alio id, quod ille potest, si velit, sine peccato præstare: quamvis pro sua malitia sit malè præstiturus. Quemadmodum ille qui mutuo indiget, potest licitè petere ab vsurario, quamvis iste præuideatur non daturus sine vsura: idque non modò in casu grauis aut extremæ necessitatis; sed etiam magnæ vtilitatis. Sicut autem potest vsurarius dare mutuum conuenienti modo, si velit: ita potest ille, de quo disputamus, licitè iurare in veritate, & iudicio, & iustitia, id est, iurare verum, & per verum Deum; non temerè, sed cum reuerentia; & ex aliqua necessitate, vel iusta de causa. 20. Possitne licitè peti iuramentum à malè iuraturo?

Exempla huiusmodi necessitatis, vel vtilitatis sufficientis ad petendum licitè iuramentum ab eo qui præuidetur esse peieraturus, aut iuraturus per falsos Deos, hæc sunt; si iudex, ad seruandam formam iuris, debet exigere iuramentum, defectu aliarum probationum. Si actor ad suum ius tuendum, illo indiget. Si in aliquo contractu exactio iuramenti necessaria est, vel vtilis, vt resiliens possit per iudicem cogi ad implendum quod promisit. Si iuramentum est vtile, vel necessarium ad pacem, aut aliam conuentionem cum Principe infideli per falsos Deos iuraturo firmandam. In quo casu potest non solùm admitti iuramentum ab infideli offerente: sicut Abraham & Isaac admiserunt à Rege Abimelech, Genes. 21. & 26. verùm etiam potest exigi; vt patet exemplo & doctrina Sanctorum. Nam Sanctus Ludouicus, Rex Christianiss. captus ab infidelibus, petijt ab illis iuramento confirmari conuentionem cum ipsis initam. Et D. August. Epist. 154. ad Publicolam, initio, *Qui vtitur*, inquit, *fide illius, quem constat iurare per falsos Deos, & vtitur non ad malam rem, sed ad licitam, & bonam: non peccato eius se sociat, qui per dæmonia iurauit:* 21. Quibus in casibus id liceat?

sed bono pacto eius, qui fidem seruauit. Est tamen notanda differentia inter exigere, & admittere. Nam admitti potest etiam determinatè iuramentum per falsos Deos ab infideli, si illud offerat, & nolit aliud offerre. At verò non potest ab illo exigi determinatè vt iuret per falsos Deos. Ratio differentiæ est, quia in primo casu permittitur tantùm illius malum, quod cum graui nostro damno non tenemur impedire, sed illo vti possumus in nostrum commodum. In secundo, inducitur positiuè infidelis ad peccandum, quod non licet, etiamsi ille sit paratus ad malè iurandum.

21. Non est facilè exigendum. Notandum etiam, neutrum ex prædictis iuramentis, de quibus suprà, num. 20. esse facilè, & sine graui causa exigendum. Vnde in cap. *Clericos, de cohabitatione Clericorum, & mulierum,* prohibetur Episcopus exigere iuramentum à Clericis de dimittendis concubinis; propter periculum periurij, & quia non desunt aliæ viæ quibus efficaciùs cogi possint dimittere. Eadémque de causa expediret corrigi formulas quasdam iuramentorum seruari solitas in promouendo, vel admittendo ad gradus, vel ad officia quædam, aut beneficia, quando constat ipsâ experientiâ non seruari id quod iuratur. Quamvis enim iurantes non teneantur seruare nisi statuta quæ sunt in vigore, & iuxta morem receptum, quo seruantur; quia iuramentum sic debet intelligi ex intentione iurantium, vt suprà diximus: nihilominus non debet promitti verbo tenus sub iuramento, id quod non volumus implere. Hoc enim est nomen Dei in vanum assumere, quod nulla potest consuetudo excusare à peccato, cùm sit contra ius naturale.

22. Soluitur obiectio. Objicies: Non liceret inducere infidelem ad sacrificandum, si scires sacrificaturum Idolo, quamvis Deo vero sacrificare possit. Ergo neque licet ad iurandum inducere, si scias iuraturum per idolum. Respondeo differentiam esse inter sacrificium, & iuramentum. Nam inducendi ad sacrificandum non est necessitas, vel vtilitas: sicut est inducendi ad iurandum, iuxta consuetudinem receptam confirmandi iuramento pacta, & conuentiones humanas. Vnde sicut in simili dicit Tertul. lib. de Idololatria cap. 20. necessitas humanæ conuersationis quodammodo extorquet vt liceat ab idololatra iuramentum exigere.

24. Iuramentum non obligat contra votum, vel aliud iuramentum licitum. Quæritur tertiò, vtrum iuramentum obliget, factum contra prius votum, vel contra aliud iuramentum? Respondeo negatiuè, si votum illud fuit validum, aut iuramentum licitum. Ratio est, quia tale iuramentum est de re mala, nempe de faciendo contra obligationem contractam ex voto, vel ex iuramento præcedenti. Nullus autem potest obligari ad malum. Dixi tamen, si votum fuit validum, & nimirum eius valor hucvsque durat: &, si iuramentum fuit licitum. Nam alioqui non obligant: ac proinde non est ratio cur iuramentum subsecutum non inducat obligationem. Eoque sensu cap. *Tua nos, de iureiurando,* dicitur, ex duobus iuramentis posterius præualere, quia primum non obligauerat, vtpote iuri contrarium: quemadmodum glossa ibidem rectè notauit, V. *Primo præiudicat.* Quòd verò iuramentum subsequens non deroget priori contrario validè emisso, habetur expressè in cap. *Sicut, de sponsalibus,* vbi Innocentius III. respondet, eum qui cum duabus successiuè contraxit sponsalia, debere compelli ad seruandum primum iuramentum licitè factum: de secundo verò, debere illi pœnitentiam iniungi.

Dices, actum qui fit contra votum simplex, aut contra iuramentum præcedens, non esse inualidum, quamvis malè fiat. Ergo iuramentum contrarium præcedenti non est propterea inualidum: ac proinde non desinit obligare. Respondeo actum quidem qui fit contra votum, aut contra iuramentum, non esse inualidum vi solius prioris voti, aut iuramenti; id est, si alioqui potest subsistere, & non lege aliqua naturali vel positiua sit irritus; possitque validè fieri, licet malè & cum peccato fiat. Nam qui donat v. g. rem, alteri sub iuramento promissam, donat validè. Et qui contrahit matrimonium contra fidem alteri datam, & iuratam; contrahit validè, vt patet ex cap. *Sicut,* supra cit. Idémque dicendum est, si contrahit contra votum simplex castitatis. Nam iure Ecclesiastico non est illi annexa irritatio, æquè ac solemni: exceptis illis quæ à Religiosis Societatis IESV emittuntur post Biennium probationis. At iuramentum non potest subsistere si fiat de re mala; sed est irritum iure naturali. Quare non potest validè fieri de faciendo contra obligationem præcedenti voto vel iuramento contractam: sed est irritum defectu materiæ, quia per prius votum, aut iuramentum, effecta est mala & peccaminosa, ac proinde incapax quæ iuramento firmetur. 25. Responsetur arg. contr.

Addo, ne quidem valere iuramentum factum contra simplicem promissionem antea validè contractam, & nondum extinctam. Quia talis promissio verè obligat in conscientia, siue ex iustitia, siue ex fidelitate. Ergo iurare facere aliquid contra illam, est iurare de re mala, & incapaci iuramenti. Nec obest caput *Veniens, de iureiurando:* quia non est ibi sermo de iuramento subsecuto promissionem contrariam: sed de mandato subsecuto promissionem iuratam: quod mandatum dicit Pontifex non esse seruandum, si priori iuramento licitè facto repugnet. 26. Non obligat etiam contra promissionem simplicem.

SECTIO IV.

Quatuor aliæ quæstiones de Iuramento enucleantur.

QVæritur quartò, vtrum iuramentum obliget in casu dubio? Respondeo non obligare in dubio an fuerit emissum, necne: quia in tali dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. Idémque dico si quis certus quidem est se protulisse verba ambigua, id est, quæ diuersum sensum habere possunt, & sub vno continent iuramentum, sub alio non: cuiusmodi sunt ista, Deus scit, Dico coram Deo, &c. sed incertus est in quem sensum protulerit. Nam etiam tunc melior est illius con- 27. Non obligat quando est dubiū fueritne emissum.

ditio: & in dubio tam grauis obligationis sequenda est benignior interpretatio. Quod potest confirmari ex cap. penult. *de iureiurando* vbi Pontifex simile dubium in hunc sensum benigniorem interpretatur, respondens eum qui dixerat, *Promitto per idem iuramentum*, non contraxisse per illa verba obligationem noui iuramenti, neque veteris obligationem extendisse ad præsentem materiam: quod tamen illa verba poterant significare in aliquo sensu. Hæc autem omnia intellige, nisi talis habuerit obligationem iurandi, ad hoc adactus per legitimam potestatem. Nam in eo casu iudicandum esset iurasse: quia in dubio non est censendus peccasse, vt dicemus de casu sequenti. Idémque sentiendum est de dubio an quis vouerit, in eo casu, in quo non poterat sine peccato non vouere; putà in professione Religiosa post annum probationis.

28. Quid si dubitatur solùm de intentione? Si verò certum est aliquem verba iurandi protulisse sine ambiguitate, & dubitatur solùm an protulerit ex intentione iurandi, existimant aliqui obligari, quia tunc iudicandum est in fauorem ipsius iurantis & iuramenti simul. Est autem fauor iurantis quòd in dubio non præsumatur peccasse, fictè iurando, siue simulando se iurare, quod non fit sine aliqua Dei irreuerentia. Fauor quoque iuramenti est, quòd vbi oppositum non probatur, iudicetur fuisse factum cum illa intentione quam verum iuramentum postulat, & quam verba iuramenti de se significant. Neque par est ratio istius casus, & duorum præcedentium. Nam quòd iuramentum fuerit factum, vel non; aut quòd verba ambigua probata fuerint, vel non fuerint in sensum proprij iuramenti; non est contra reuerentiam Dei, vel honorem iuramenti: neque est peccatum non iurare, aut proferre verba ambigua in sensum quo non significant iuramentum.

Respondetur cum distinctione. Censeo tamen distinctione vtendum esse. Nam qui dubitat de intentione, certus alioqui de prolatione verborum non ambiguorum, vel habuit iustam causam simulandi, vel non habuit. Si secundum; iudicandum est illum verè iurasse, & obligari iuramento. Idque solùm probat argumentum allatum pro priori sententia. Si primum: iudicandum est non obligari: vt si iniustè adactus fuit ad proferenda illa verba. Nam cùm in eo casu potuerit licitè non habere intentionem iurandi, & prudenter dissimulare, vel vti retentione mentali: non præsumitur peccasse, quamvis præsumatur caruisse intentione iurandi. Neque honor iuramenti postulat vt in eo casu censeatur habuisse intentionem proferendi verba in eo sensu, quem præ se ferebant.

29. Quid si dubitat an impleuerit? Si denique aliquis certus est de iuramento, sed tantùm dubitat an impleuerit quod promisit, vel an fuerit de re licita & capaci iuramenti, vel vtrum iam possit sine peccato impleri. Si non potest, re diligenter expensa, formare iudicium saltem probabile quòd impleuerit, tenetur implere. Quia quando obligatio est certa, & solutio nulla ratione apparet saltem probabilis, tenetur debitor soluere: & ad hoc cogitur in foro externo. Si etiam omnibus bona fide perpensis manet dubium an iuramentum fuerit de re licita, vel nunc licitè possit impleri, recurrendum est ad interpretationem superioris. Hoc enim postulat reuerentia debita iuramento: & colligitur ex cap. *Venerabilem*, *de electionibus*, vbi sic dicitur: *Nec valet ad plenam excusationem ipsius* (qui iuramentum dubium non impleuerat) *si iuramentum illud dicatur illicitum; cum nihilominus super eo nos priùs consulere debuisset, quàm contra ipsum propria temeritate venire.* Potest tamen hæc interpretatio fieri etiam per Episcopos, vt deducitur ex cap. *Nuper*, *de sententia excommunicat.* quia non reseruatur vllibi S. Pontifici, & est valde necessaria ad ordinarium regimen animarum. Nec obstat quod in capite *Venerabilem*, *suprà cit.* dicitur *super illo iuramento debuisse prius consuli Romanam Ecclesiam.* Nam ibi sermo erat de negotio quodam Imperij, vniuersali, & valde difficili: cuiusmodi negotia reseruantur Summo Pontifici, cap. *Maiores*, *de baptismo*. Ita Suar. lib. 2. de Iuramento cap. 33. apud quem plura de hac difficultate videri possunt. Vel an fuerit de re licita, vel vtrùm iam impleri possit?

30. Possitne mutari in æquivalens? Quæritur quintò, an iuramentum homini factum possit impleri per aliquid æquiualens? Exempli gratiâ, promisit aliquis alteri determinatè hoc prædium sub iuramento: sufficitne dare ei pecuniam æquiualentem prædio? Respondeo non posse, sine consensu illius cui facta est promissio, vel sine auctoritate Superioris commutantis. Prima pars responsi probatur, quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adiungitur. Ergo quando adiungitur promissioni, sequitur naturam promissionis. Atqui promissio facta homini, debet impleri in propria specie, vt dicitur lege 2. §. 1. ff. *Si certum petatur.* Confirmatur, quia nemo ius habet commutandi priuatâ suâ auctoritate rem alienam. Ergo neque commutandi rem alteri promissam, ad quam ille accepit ius. Item, tenetur quisque reddere iuramentum verum. Ergo tenetur facere idipsum quod iurauit, eo sensu quo iurauit. Non implet autem, nisi det idipsum quod promisit alteri non consentienti in commutationem. Ergo, &c.

Secunda pars responsi probatur ex §. 1. Institut. *Quibus modis tollatur obligatio*, vbi dicitur obligationem tolli soluto eo quod debetur, vel dando aliud pro alio, consentiente creditore. Probatur secundò, quia in omni promissione tacitè subintelligitur illa conditio, Nisi promissarius condonauerit, aut alio contentus esse voluerit. Quare sicut potest absolutè promissionem relaxare, cedendo toto iure sibi per eam acquisito: ita potest commutare in aliud, non modò æquiualens, sed etiam minus. Idémque potest superior, cui res promissa, vel ius promissarij, maiori quadam auctoritate subiecta sunt iure naturali, aut positiuo; vel qui ius habet relaxandi promissionem, aut iuramentum.

31. Commutatio non tollit obligationem iuramenti. Notandum verò est, quando fit tantùm commutatio vnius rei in aliam, siue ex consensu partium, siue auctoritate Superioris, manere nihilominus obligationem iuramenti: ita vt illud, in quod commutatur, debeatur vi illius. Nam alioqui non esset commutatio iuramenti,

sed extinctio; siquidem tota illius obligatio periret. Neque est intentio promissarij contentum esse minori obligatione, quando consentit in commutationem: sed potiùs intendit applicare obligationem iuramenti ad materiam substitutam per virtualem eius repetitionem. Hoc enim iuris ipsius interest. Et si hac de re interrogaretur, omnino ita responderet. Neque intendit cedere iure quod acquisiuit, nisi alterutrum è duobus fiat, vel scilicet illud quod in specie fuit promissum, vel aliud in quod facta est commutatio. Idémque iudicandum est de Prælato commutante sua auctoritate; qui si nihil aliud significet, non est censendus voluisse derogare huic iuri promissarij. Confirmatur, quia si promissarius in commutatione non haberet animum implendi illud in quod fit commutatio, censeretur esse periurus. Ergo signum est voluntatem illud implendi pertinere ad iuramentum, ipsiusque obligationi subesse. Item, quando fit commutatio voti, materia substituta debetur ex voto, vt diximus disp. præcedenti: debetur inquam, vel determinatè, vel alternatiuè: ita vt hæc vel illa debeat fieri: & alioqui peccetur contra votum. Ergo idem dicendum est de iuramento, cuius obligatio similis est obligationi voti: siue illius commutatio fiat determinatè in aliud, siue alternatiuè.

32. Objicies primò, iuramentum non esse vinculum rei indifferentis. Est autem indifferens dare hoc in specie, vel aliud prorsus æquiualens; eàque de causa potest votum impleri solutione alterius rei, non solùm melioris, & Deo gratioris; sed etiam æquiualentis. Secundò, in cap. *Clericus, de iureiurando*, dicitur Clericum, qui iurauit seruare statuta iam edita, posteàque promisit per idem iuramentum seruare statutum de nouo conditum, non obligari vi iuramenti ad seruandum nouum statutum, sed tantùm vi promissionis. Nimirum quia non potest iuramentum transferri ab vna materia ad aliam, vel ad illam extendi; sed præcisè alligatum est ad id, in quod determinatè cadit de præsenti. Ergo similiter iuramentum priùs factum non potest transferri, vel extendi ad materiam, in quam fit commutatio.

Cur si fiat homini, non potest mutari in æquiualens. Ad primum respondeo non esse indifferens respectu hominis, sed illius interesse, vt detur illi res promissa, in specie; putà, prædium, & non pecunia quâ possit aliud emi. Si tamen nihil omnino interesset vt detur res eadem in indiuiduo, vt hic nummus aureus præ alio planè simili & æquiualente quoad omnia: non puto iuramentum ad hoc obligare: quia vana esset huiusmodi obligatio. Est autem differentia inter iuramentum promissorium homini factum, de quo loquimur in præsenti quæstione, & inter votum. Quia in voto si promissio fit soli Deo, potest generaliter impleri per quodcunque æquiualens, & æquè Deo gratum. Deus enim, qui spectat solam rei bonitatem, censetur meritò consentire in hanc commutationem, vt alibi diximus. At homines spectant vtilitatem, & commoditatem, aut delectationem, quam ex vno potiùs, quàm ex alio capiunt, licet alioquin æquè bono & honesto, aut etiam meliori.

Ad secundum respondeo, in cap. illo sermonem esse de extensione iuramenti ad aliquid noui, non comprehensum sub priori iuramento. Quam extensionem fatemur non posse fieri, sed opus esse nouo iuramento vt materia noua vi illius debeatur. At in commutatione iuramenti non fit illius extensio ad nouam materiam: sed tacita quædam repetitio; cùm res noua promittitur sub pari obligatione, quâ prior debebatur, secundùm intentionem commutantium, ex proprio consensu, vel interposita superioris auctoritate. 33. Aliud est, iuramentum cõmutari; & aliud extendi.

Quæritur sextò, an possit iuramentum impleri per compensationem? Ex. gr. promisisti cum iuramento centum aureos Petro: & ille totidem mutuò acceptos tibi debet, aut merces æquiualentes: potésne debitum illud condonando, seu potiùs substituendo pro re promissa, satisfacere iuramento? Respondeo cum Suare lib. 2. de Iuramento cap. 37. num. 11. posse licitè id fieri, modò compensatio fiat in eadem specie rei debitæ, aut alia functionem istius recipiente, id est, quæ vice illius fungi potest: & modò debitum sit liquidum; & subsit causa rationabilis: neque iurando intenderis adimere tibi compensandi facultatem. Ratio est, quia iuramentum potest recipere quamcunque legitimam & rationabilem interpretationem, quam verba pati possunt, nisi iurans sua intentione, ad vnam se determinauerit, & alias excluserit: cúmque sit stricti iuris, debet, quoad fieri potest, explicari benigniùs. Atqui verba iuramenti promissorij possunt rationabiliter admittere hanc interpretationem, Dabo hoc tibi, nisi debitum quod contraho, condonatione, vel aliâ viâ extinguatur ante tempus solutionis: id est, nisi vel tu remiseris, aut alius, habens potestatem remittendi; vel ego alia ratione satisfecero pro illo debito. Dabo tibi centum aureos, vel de nouo tribuendo, vel condonando quos mihi debes. Patétque experientiâ huiusmodi explicationes admitti in foro externo, tanquam legitimas & rationabiles. 34. Possitne impleri per compensationem?

Dixi autem primò; dummodo compensatio fiat in eadem specie: vt pecuniæ per pecuniam, tritici per triticum: vel in alia specie recipiente functionem, id est, inter res quarum vna potest fungi vice alterius: cuiusmodi censentur esse quæ consistunt in numero, pondere, & mensura: vt dicit Suar. cap. cit. num. 12. post Panormit. in cap. vlt. *de deposito*; num. 12. Quæ tamen conditio non mihi videtur esse adeo necessaria, vt non possit fieri compensatio inter res alias in eo casu, quo debitum non potest aliter recuperari. Vt si promisisti sub iuramento prædium valens mille aureos, alteri totidem tibi debenti, quos non potes recuperare. Existimo enim locum esse iustæ compensationi in eo casu; posséque prædium non dari, donec alter soluerit debitum pecuniarium. Nam promissio de se non ad plus obligat in tali casu: neque in foro externo cogetur ille aliter facere. Iuramentum autem sequitur naturam promissionis, cui additur, & tantùm illam firmat. 35. Sitne cõpensatio facienda in eadem specie?

Dixi secundò, *dummodo debitum sit liquidum*. &, *subsit causa rationabilis*: quia non potest debitum certum iustè compensari per donatio- 36. Debitum certum esse debet.

nem debiti incerti, vt habetur expressè, lege vlt. Cod. *de compensat.* nimirum quia non tenetur ille soluere debitum incertum, quod non satis probatur. Ergo non potest iustè cogi ad soluendum. Cogitur autem, si per illud compensatur ius & debitum certum, acquisitum per promissionem iuratam. Debet etiam subesse aliqua causa substituendi vnum pro alio promisso, præsertim propria auctoritate. Alioqui enim natura promissionis postulat vt detur simpliciter illud ipsum, quod promissum fuit. Iuramentum autem sequitur naturam promissionis, cui adiungitur, & firmat illius obligationem, vt iam sæpius diximus.

37. Addidi tertiò, *dummodo etiam iurans non intenderit adimere sibi facultatem vtendi compensatione:* nam si intendit actu soluere illud ipsum, quod promittit, & non vti compensatione: veritas iuramenti exigit vt eâ non vtatur. Cúmque licitè possit tale iuramentum implere, quia non est de re mala, per se loquendo, neque prorsus inutili, vt suppono (alioqui iuramentum non obligaret) tenetur ad illud implendum, in sensu quo iurauit.

38. Actus potest dupliciter præcipi. Quæritur vltimò, an iuramentum sit in præcepto? Vt respondeam suppono actum aliquem posse dupliciter esse in præcepto. Primò, quoad speciem actus, siue modum quo faciendus est: ita vt si fiat, debeat necessariò fieri tali modo ad vitandum peccatum. Secundò, quoad exercitium: Ita vt sit necessitas moralis exercendi aliquando hunc actum, neque licitè possit ab illo semper abstineri. Prius præceptum est conditionatum, & virtualiter negatiuum: hunc enim habet sensum, Si facies talem actum, facies cum his conditionibus: vel, Non exercebis talem actum nisi cum his conditionibus. Secundum verò est absolutum, & affirmatiuum. Hoc supposito:

39. Iuramentum est in præcepto quoad modū actus. Dico primò, iuramentum esse in præcepto naturali & diuino, quoad speciem seu modum actus. Patet quia contra rationem naturalem est iurare vel per falsos Deos, vel contra veritatem, vel contra reuerentiam Deo debitam, aut temerè & absque causa rationabili, vel necessitate iurandi. Deus quoque pluribus Scripturæ locis id prohibet: vt Exodi 23. *Per nomen externorum Deorum non iurabis.* Et Deuteron. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis;* id est, non iurabis, nisi in nomine illius. Et Ierem. 4. vers. 2. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ:* id est, si iurabis, non aliter iurabis quàm per Deum viuum & verum: in veritate, id est, ad verum confirmandum assertiuè, aut promissoriè: & in iudicio, id est, cum matura & prudenti deliberatione, & ex causa rationabili: & in iustitia, id est, non promittendo rem iniustam aut illicitam, neque alteri iniustum nocumentum afferendo tua assertione. Similique modo intelligendum est illud Matth. 5. *Reddes Domino iuramenta tua:* id est, si iuraueris, facies quod iurasti te facturum: sicut & illud Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Non enim præcipit absolutè vouere: nam votum est consilij, & supererogationis, non præcepti: sed præcipit conditionatè, vt si vouemus, reddamus quod promisimus.

Dico secundò, aliquando occurrere casum, in quo iuramentum est necessarium quoad exercitium, præcepti naturalis & diuini obligatione: frequentiùs verò obligationem illam oriri ex præcepto humano positiuo, quo iuramentum à superioribus legitimis exigitur. Prima pars probatur, quia potest occurrere necessitas iurandi ad purgandum seipsum ab aliqua suspicione perniciosa, non tantùm nobis ipsis, sed etiam communitati ad quam pertinemus, & cuius iuri renunciare non possumus: vel ad nocumentum graue alterius auertendum, quod aliter auerti nequit. Lex autem naturalis & diuina obligat vt malum alteri impendens auertamus, quando commodè possumus. Ratio verò secundæ partis est, quia superiores, tam ciuiles, quàm Ecclesiastici, ius habent exigendi ab inferioribus actus de se honestos, qui ad bonum regimen communitatis expediunt. Iuramentum autem est actus de se honestus: & sæpe conueniens, aut necessarium est ad bonum commune: vt ad veritatem eliciendam præsertim in iudicijs, à reis, vel à testibus: ad subditos in fidelitate confirmandos, ad publicos ministros magis obligandos vt rectè fungantur munere ipsis imposito. Ideóque iuramentum solet ab illis omnibus exigi, partim per præceptum superioris, in necessitatibus extraordinariè occurrentibus, & pro occasione nata: partim per leges id statuentes in certis casibus ordinarijs pro talibus causis, vel officijs, & generibus personarum. Neque hoc est contra Christi præceptum, aut consilium, Matth. 5. *Dico vobis non iurare omnino:* & Iacob. 5. *Nolite iurare quodcunque iuramentum.* Est enim hoc intelligendum de non iurando absque necessitate. 40. Aliquando est in præcepto quoad exercitium.

Dico tertiò, necessitatem iuramenti quoad exercitium posse aliquando esse ex ipsa virtute Religionis: si nimirum contingat necessarium esse ad illius detrimentum auertendum, aut bonum illius procurandum: alioqui verò esse tantùm necessarium ex Charitate, vel ex obedientia erga superiores, vel ex alijs virtutibus, quarum officium exigit vt in tali earum necessitate iuremus. Ratio est, quia alioquin sufficit virtuti Religionis quòd Deum alijs modis colamus: & consilium Christi est, verbis suprà relatis, vt non iuremus, per se loquendo, id est, nisi aliunde cogat aliqua necessitas. Vnde necessitas iuramenti non est ab ipso, quasi per se sit necessarium: neque à virtute Religionis, nisi in casu supradicto: sed est, exempli gratiâ, à Charitate, quando necessarium est ad auertendum graue malum proximi: & ab obedientia erga superiores, quando ab illis exigitur legitimè. Quare testis iussus à Iudice iurare, non peccat contra Religionem, si non iurat: neque sacrilegus aut irreligiosus esse censetur: sed inobediens erga iudicem, & deficiens in Charitate erga proximum, cuius causâ iurare deberet. In quo differt iuramentum ab alijs quibusdam actibus Religionis, qui per se, & ex ipsiusmet præcepto necessarij sunt, propterea quòd Deus talem cultum determinatè à 41. Vnde oritur hæc necessitas?

nobis exigit: vt adoratio, oratio, & sacrificium.

SECTIO V.

Notantur aliqua de periurio.

41. Periuriũ quid propriè sit? PRæter ea quæ Sectionibus præcedentibus obiter diximus de periurio, hæc de illo in præsenti notanda sunt. Primò, nomine periurij intelligi propriè iuramentum falsum, vt notat Gratian. 22. quæst. 2. initio, id est, illud cui deest veritas, siue in præsens, quia iuratur falsum assertoriè: siue in futurum, quia sine iusta causa non fit quod iuratum fuit. Quare pœnæ in periuros statutæ in vtroque iure, de illo intelligendæ sunt: quia in pœnalibus & odiosis voces sunt propriè & strictè accipiendæ: licet aliquando sumatur latiùs periurium pro quocunque iuramento cui deest aliqua de tribus conditionibus necessarijs, veritas, aut iudicium, aut iustitia: iuxta illud Hieronymi in cap. 4. Ierem. relatum causâ 22. quæst. 2. cap. 2. v. 2. *Animaduertendum quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.* Secundùm quam acceptionem diuidi potest periurium, in illud quod fit sine veritate, id est, falsum; quod est propriè periurium: & illud quod fit sine iudicio, id est, sine necessitate, & causa rationabili; quod dicitur iuramentum vanum: & illud quod fit sine iustitia, id est, iniustum & nocens proximo, vel de re aliter illicita: vt si quis cum iuramento affirmet crimen alterius, verum quidem & certum, sed occultum, & non detegendum. Quæ omnia peccata repugnant Religioni, quia Deo debetur vt eius nomen & auctoritas non assumatur, non modò ad confirmandum falsum: verùm etiam neque temerè, vel ad confirmandam veritatem quæ cum iniustitia & turpitudine morali reuelatur, aut cum peccato implenda promittitur. Differunt autem inter se tres istæ species periurij, etiam moraliter, & in ordine ad confessionem; ita vt speciatim exprimenda sint. At verò omnia periuria propriè dicta, id est, illa quæ sunt contra veritatem (non contra solam reuerentiam, vt vana; vel contra solam bonitatem, vt iniusta) sunt eiusdem speciei moraliter, & in ordine ad confessionem, si sunt tantùm contra veritatem, ita vt solummodo falsum iuretur: id est, nisi adiunctam habeant speciem iniustitiæ, nocendo proximo: vel idololatriæ, iurando per Idolum: vel alterius malitiæ, vt iurando se aliquid mali facturum. Potest enim idem iuramentum esse simul falsum, & proximo nociuum, & alijs modis illicitum.

42. Est graue peccatũ. Nota secundò, periurium propriè & strictè sumptum (de quo deinceps loquemur) esse sine dubio graue peccatum: vt patet ex eo quòd grauis in Deum irreuerentia & iniuria committitur, quando in testem falsitatis adducitur. Qua etiam de causa cap. *Prædicandum, 22. quæst. 1.* vocatur *grande scelus, in Lege, & in Prophetis, & in Euangelio prohibitum.* Ibidémque comparatur cum adulterio, & homicidio sponte commisso. Patet etiam ex pœnis grauissimis contra peccatum illud statutis. Nam Iure Canonico, & ciuili statuitur contra periuros pœna infamiæ, lege *Si quis maior, Cod. de transact.* & cap. *Constituimus, 3. quæst. 5.* cap. *Infames, 6. quæst. 1.* cap. *Si quis conuictus, 22. quæst. 5.* Quæ pœna vt incurratur, supponit fuisse commissum peccatum mortale in tali iuramento. Nam inaduertentia, vel difficultas implendi promissum, aut alia causa excusans à mortali, excusat etiam ab hac pœna. Supponit præterea periurium esse notorium. Quia per nullum crimen occultum, incurritur infamia iuris, nisi fortè iura specialiter tali modo imponant. Nullum autem profertur ius, quo tali modo imponatur. Item, licet ad incurrendam infamiam Canonicam sufficiat crimen periurij esse notorium notorietate facti, ita vt nullâ possit tergiuersatione celari; vt colligitur ex cap. vlt. *de temporibus ordinationum*, significante notorietatem sufficere ad infamiam: nihilominus ad incurrendam infamiam ciuilem requiritur plerunque sententia iudicis: neque ad illam sufficit quodcunque periurium, sed illud solum per quod humana pacta violantur. Ita Doctores communiter, vt testatur Couar. in cap. *Quamuis, 1. parte, §. 7. num. 4.* Ratio est quia ius ciuile non aliter hanc pœnam periuris infligit; vt patet ex lege suprà cit. *Si quis maior,* verbis illis, *Non solum notetur infamia, &c.* quæ verba significant actionem & sententiam iudicis: imponitúrque solùm ibi hæc pœna pro violatione pacti iuramento firmati: nec alibi in toto iure ciuili imponitur alijs periurijs. Ius verò Canonicum non inflixit specialiter infamiam ciuilem periurio, sed tantùm leges ciuiles de illo latas confirmauit, cap. *Infames, 6. quæst. 1.* vbi dicitur omnes illos esse infames, quos sæculi leges pronuntiant. Quomodo inducit infamiam?

44. Alia pœnæ periurij. Porro quia infames sunt irregulares ipso facto; idcirco periuri manifesti, non vi periurij solius, sed vi infamiæ, quando per illud contracta est, sunt inhabiles ad noua beneficia obtinenda, & possunt antea obtentis priuari per sententiam iudicis. Vlteriùs iure Canonico, cap. *Quicunque, 6. quæst. 1.* & cap. *Paruuli, 22. quæst. 5.* statuitur vt *Qui semel peierauus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum,*) id est, solemne iuramentum) *accedat, nec in sua causa, vel alterius, iurator existat:* id est, possit & debeat à iudice repelli: neque ad testimonium ferendum, & ad iurandum recipiatur; vt exponit caput *Quicunque*, referendum paulò post. Et cap. *Si Episcopus dist. 50.* cap. *Presbyter dist. 81.* cap. *Cùm non ab homine, de iudicijs,* statuitur, vt Clerici periuri deponantur: siue totali & perpetua depositione, quæ pro grauissimo quodam periurij scelere imponi iustè potest: siue tantùm ad tempus, & secundùm quid, quæ propriè vocatur suspensio. Pendet autem ab arbitrio Iudicis hanc aut illam imponere, iuxta criminis grauitatem: neque incurritur hæc pœna nisi per sententiam. Denique iure Canonico statuitur etiam vt periuris imponatur grauissima pœnitentia; *qualis de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitijs,* cap. *Prædicandum, 22.*

quaest. 1. Et cap. *Qui peierat*, cap. *Si quis coactus*, cap. *Si quis peierauerit*, cap. *Si quis conuictus*, cap. *Si quis Laicus*, *22. quaest. 5.* statuuntur aliae quaedam poenae, quae nunc in vsu non sunt: vt neque illud, quod praecipitur cap. *Quicunque*, *6. quaest. 1.* quodque ad huius delicti grauitatem declarandam multum facit; vt scilicet *quicunque sciens peierauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos poeniteat sequentes, & nunquam sit sine poenitentia, & nunquam in testimonium recipiatur: communionem tamen post haec percipiat.*

45. Periuriũ non est grauissimum omnium peccatorum. Notandum tamen tertiò, periurium non esse grauissimum omnium peccatorum. Nam peccata directè opposita Fidei, Spei, & Charitati, sunt ex suo genere grauiora, & pleraque etiam in specie & in indiuiduo, vt Apostasia, desperatio totalis & absoluta, odium Dei formale & expressum. Quaedam etiam alia sunt peccata Religioni opposita, periurio grauiora: vt blasphemia, idololatria, iuramentum per falsos Deos, aut sacrificium illis oblatum. Videtur etiam probabilius aliqua peccata opposita praeceptis secundae tabulae, esse illo grauiora in specie: vt homicidium voluntarium: quemadmodum rectè docent Lessius cap. 42. dubit. 14. num. 45. & Suar. lib. 3. de Iuramento cap. 4. sub finem: tum propter grauissimum damnum & irreparabile, quod proximo infert, & à quo maximè natura abhorret, quodque idcirco valde scandalosum est, & grauius per leges punitur: tum etiam quia ordinariè difficiliùs, propter naturalem horrorem, & cum maiori deliberatione committitur. De adulterio quoque idem probabile censeo cum Suare ibidem: quia, inquit, malitia adulterij maiori conatu, affectu, & duratione committi solet: & peccatum illud multiplex est: continet enim malitiam iniustitiae, vltra malitiam fornicationis, & irreuerentiam contra Sacramentum matrimonij. Vnde ordinariè habet plures malas circunstantias adiunctas, quàm periurium. Ideòque probabile est, omnibus pensatis, grauiùs apud Deum puniri.

Homicidium, & adulteriũ sunt illo grauiora.

46. Satisfit obiectioni. Nec obest quod opponunt aliqui ad probandum periurium esse grauius peccatum homicidio: finem omnium controuersiarum esse iuramentum, vt dicitur Hebr. 6. ver. 16. & homicidae deferri solere, vt se purget ab homicidio. Hoc enim non ideo fit quia putatur periurium esse peccatum grauius homicidio: alioquin esset etiam grauius blasphemia, & idololatria, quod tamen illi meritò negant (nam etiam defertur aliquando iuramentum vt quis se purget ab istis criminibus) sed quia speratur fore vt interrogatus, si est innocens, confirmet veritatem: si autem reus est, vereatur aliud crimen grauissimum praecedenti adiungere, & timeat Dei vltionem, quae interdum manifestè se prodit contra periuros.

47. Altera oppositio diluitur. Non obest etiam quòd periurium opponitur secundo praecepto primae tabulae: homicidium autem opponitur secundo praecepto secundae tabulae. Quia licet peccata opposita praeceptis primae tabulae sint ex suo genere grauiora, quippe directè repugnantia virtutibus nobilioribus: non tamen quaelibet species peccatorum oppositorum praeceptis primae tabulae, & virtutibus nobilioribus, sunt deteriores quibuscunque speciebus aut indiuiduis peccatorum directè oppositorum praeceptis secundae tabulae, & virtutibus ad illam pertinentibus: Alioqui vel minimus defectus in obseruatione voti, aut in oratione, esset grauius peccatum proditione vrbis, parricidio, Sodomia, bestialitate, & alijs vitijs execrabilibus, oppositis praeceptis secundae tabulae: quod supra modum est absurdum, & euidenter à ratione alienum. Sufficit actum nobilissimum virtutis superioris, excedere actum nobilissimum virtutis inferioris: & peccatum grauissimum, oppositum virtuti nobiliori, excedere peccatum grauissimum quod est oppositum virtuti ignobiliori. Sed non est necessarium, neque verum, quemlibet actum virtutis superioris, excedere in specie, & in indiuiduo, omnes actus virtutis inferioris: & peccatum quodlibet contra vnam, excedere omnia peccata contra alteram.

Nota quartò, periurium assertorium strictè & propriè sumptum, semper esse peccatum mortale, si fiat cum plena aduertentia & libertate: neque fieri veniale ex leuitate materiae, vt iam alibi diximus: quia scilicet illius malitia in eo consistit, quòd Deus fiat testis falsitatis: haec autem malitia semper est grauis irreuerentia & iniuria contra Deum. Quamvis enim mendacium sit in se leue: tamen sicut in Deo maxima foret imperfectio dicere vel leuissimum mendacium, aut quippiam falsum: sic enim vel non summè bonus esset, si mentiretur: vel esset ignarus, si falleretur, affirmans ex animo tanquam verum, id quod re ipsa falsum est: ita maximè Deo iniuriosum est facere illum, quantum in se est, assertorem mendacij & falsi. Potest tamen excusari à mortali, si fiat cum leui inaduertentia, vel ex leui negligentia sufficientis considerationis de certitudine rei quae vt certa affirmatur sub iuramento: vel ex passione, aut subito motu praeueniente aut impediente plenum vsum libertatis. Sed non excusat consuetudo iurandi temerè & indiscriminatim verum aut falsum, sine inquisitione veritatis. Quin potiùs talis consuetudo, quandiu non retractatur efficaciter per contrarium propositum, constituit hominem in statu peccandi perpetuo, facitque vt omnia illa iuramenta, scienter & plena libertate commissa, imputentur ipsi ad peccatum mortale: quia ex vi talis consuetudinis homo est in continuo graui periculo peierandi, seu morali occasione proxima: & quotiescunque iurat; vel peierat reipsa, vel exponit se graui periculo peierandi. 48. Sitne sẽper peccatum mortale?

Consuetudo iurãdi non excusat.

Non est tamen illa consuetudo nouum peccatum mortale, distinctum à singulis ex quibus constituitur: sed est multi actus repetiri. Neque facit vt assuetus iurare incautè, & indiscriminatim, peccet mortaliter quando illâ durante iurat falsum ex naturali inaduertentia, & sine libertate per se sufficiente ad peccatum mortale in alio non assueto: sed tantùm facit vt haec iuramenta possint illi imputari in causa, in qua voluntariè & liberè acceptantur: id est, in ipsa consuetudine, quae contracta est, & tolerata, à praeuidente fore vt ex ea sequerentur multa

Illa non est nouũ peccatũ.

multa periuria indeliberata: vt post D. Thomam, D. Bonauenturam, Durandum, Syluest. & plures alios, bene docent Suarez lib. 3. de Iuramento cap. 7. num. 3. & sequent. & Sanches lib. 3. in Decalog. cap. 5. num. 28. Probatur, quia vel iuramentum illud falsum indeliberatum prouenit ex consuetudine; vel non, sed alio modo quo contingit non assuetis iurare; putà ex præcipitatione, aut passione vehementi, plenum vsum libertatis impediente. Si hoc secundum dicatur: consuetudo respectu istius iuramenti perinde se habet, ac si non esset; quippe in quod nullo modo influit. Si verò primum dicitur: illa consuetudo tollit de facto actualem vsum rationis, per se necessarium ad peccatum mortale. Ergo non facit vt iuramentum indeliberatum sit peccatum mortale, sed potiùs illud impedit.

49. Neque facit vt sit in se peccatũ, quod est indeliberatum. Neque dicas illam indelibertationem, vel ignorantiam, & inaduertentiam, esse tantùm concomitantem: quia si adesset deliberatio, iuraret ille nihilominus, propter consuetudinem. Respondeo enim Deum non imputare ad peccatum id quod esset in aliqua occasione vel circunstantia, quæ tamen non est: & peccatum non committi sine actu, aut quasi actu voluntario & libero: id est, sine commissione, vel omissione libera: neque consistere in habituali solùm dispositione voluntatis, quæ in actum non exit, nec habet in præsens actualem affectum exeundi, sed exiret dumtaxat, si esset aliquid aliud, quod non est.

Sed in causa tantùm. Non obest etiam quòd tale iuramentum est illi voluntarium in causa, nempe in consuetudine: quia illam contrahendo ad eum vsque gradum, in quo foret illi moralis occasio proxima sæpiùs peierandi, acceptauit voluntariè periuria ex illa consuetudine secutura: sicut ille qui se inebriat præuidens mala ex ebrietate secutura, voluntariè illa acceptat. Respondeo enim hoc non facere vt iuramentum indeliberatum sit nouum peccatum mortale, distinctum ab illo quod fuit commissum in acceptanda consuetudine, addénsque illi nouam malitiam formalem & mortalem: sicut nec ea, quæ contingunt in ebrietate, sunt noua peccata mortalia, vel addunt nouam malitiam formalem, ei quæ contracta fuit in voluntariè se inebriando, & admittendo periculum talium euentuum malorum, liberéque ponendo eorum causam. Quare tota malitia formalis fuit commissa in contrahenda consuetudine incautè iurandi, ad eum vsque gradum, vt fuerit coniuncta graui periculo talium iuramentorum, & moralis occasio proxima; atque in eadem consuetudine scienter & liberè continuandâ, seu non-retractandâ per efficax propositum, & conatum abstinendi à falsis & incautis iuramentis.

50. Quæ cõsuetudo iurandi cõstituat in statu peccati mortalis? Rectè autem aduertunt Doctores supra citati, primò, hæc omnia esse intelligenda de consuetudine iurandi indiscriminatim, & incautè verum vel falsum: non autem de consuetudine iurandi dumtaxat sine necessitate, attendendo sufficienter ad veritatem. Nam ista non constituit in statu peccandi mortaliter; cùm iuramenta vana dumtaxat, id est, quibus non deest veritas, neque alioqui sunt grauiter iniusta, & perniciosa proximo, vel de re mala, non sint peccatum mortale. Secundò, quotiescunque peccatur incautis iuramentis, & sine aduertentia ad veritatem aut falsitatem emissis, æquè peccari, quod attinet ad periurium, siue vera, siue falsa illa sint. Quia tota malitia formalis, & ratio culpæ, consistit in periculo peierandi, cui iurans incautè se exponit: & per accidens prætérque opinionem iurantis contingit iuramentum esse quandoque verum. Quippe quia modus iurandi inaduertenter, est æquè expositus veritati, & falsitati. Sicut qui se per ebrietatem exponit proximo periculo blasphemandi, verberandi, occidendi: æquè peccat formaliter, siue illa peccata contingant in ebrietate, siue non. Tertiò, quando consuetudo ad eum gradum peruenit, vt constituat hominem in statu peccandi, tanquam moralis occasio proxima sæpius peierandi in posterum: tunc attingere gradum peccati mortalis, & teneri hominem, sub peccato mortali ad illam expellendam. Quod si non facit; tenetur explicare in confessione tempus illius consuetudinis, & quoties noua cum aduertentiâ, & quasi repetitâ voluntate deliberatâ iurans, in ea permanere decreuerit: nisi inter huiusmodi actus fuerit moralis vnitas, aut continuatio: iuxta ea quæ diximus alibi de vnitate, & distinctione numerica peccatorum, tom. 2. disp. 16. Sect. 1. & tom. 5. disp. 50. Sect. 7. Non tenetur tamen explicare iuramenta indeliberata, quæ toto illo tempore admisit. Quia quando actus externus non est in se voluntarius, sed in causa dumtaxat; sufficit exprimere causam. Secus verò quando actus externus est in se volitus, & proinde est in se peccatum, constituitque vnum integrum actum cum actu interno: vt furtum, adulterium, blasphemia, homicidium, & similia. Tunc enim non sufficit solum actum internum voluntatis exprimere, sed debet explicari peccatum illud integrum, & prout fuit actu externo consummatum, vt diximus alibi in tract. de pœnit. & in tract. de actibus humanis. Quandonam attingit gradum P. M.

Quartò, sicut consuetudo agendi in alia materia, facit interdum, vt citiùs de illa possimus sufficienter deliberare: ita fieri potest vt assuetus iurare, citiùs deliberet sufficienter circa iuramentum, quàm non-assuetus. Ad quod etiam iuuat promptitudo ingenij, & perspicacitas, siue ad inspiciendam citiùs veritatem rei iuratæ; siue ad habendum sufficientem vsum libertatis circa actum iurandi. Quæ consideratio prodest ad excusanda, vel damnanda iuramenta assuetorum. Si enim sufficienter aduerterunt ad veritatem rei iuratæ, excusandi sunt à mortali. Sin autem non satis aduertendo ad veritatem, habuerunt tamen vsum libertatis sufficientem circa actum iurandi; damnandi sunt peccati mortalis. Quintò nota, quando periuria reseruantur, vel subiacent excommunicationi, intelligendum id non esse de periurijs indeliberatis, & voluntatijs tantùm in causa. Nam hæc non sunt peccata in seipsis, propriè & formaliter, sed in alio tantùm: & potiùs sunt effectus peccati, nempe malæ consuetudinis, in qua est tota culpa, vel ad summum dicuntur tantùm peccata denominatiuè à causa Assueti iurare quomodo excusandi vel damnandi P. M.

voluntaria in qua fuerunt præuisa & acceptata. Pœnæ verò, & reseruationes, vtpote odiosæ, debent restringi ad verborum proprietatem, & in sensum benigniorem explicari.

SECTIO VI.

Quibusnam in casibus periurium promissorium est peccatum mortale?

51. Iuramentum promissu est P. M si deest veritas assertiua de præsenti. Constat ex supradictis periurium promissorium sufficienter deliberatum semper esse peccatum mortale, quando illi deest veritas assertiua de præsenti, id est, quando iuratur sine intentione faciendi id quod promittitur. Qui enim promittit, significat se habere hanc voluntatem. Quam si non habet, mentitur. Et si iuramentum addit, iurat assertiuè falsum & mendacium. Ac proinde de iuramento promissorio iudicandum est hac ex parte, vt suprà diximus de assertorio: tam quoad singulos actus iurandi, quàm quoad consuetudinem per illos contractam. Et in hoc omnes Doctores consentiunt. At verò grauis controuersia est sitne idem dicendum quando solùm illi deest altera veritas de futuro, id est, de implendo reipsa id quod promissum fuit. Vt autem certa ab incertis separemus,

52. Non peccatur si ex iusta causa non fiat quod promissum fuit. Conueniunt omnes, & pro certo habent, non esse peccatum mortale, ac ne veniale quidem, non facere rem iuramento promissam, quotiescunque est iusta causa non implendi: vt si per iuramentum promissa fuit res illicita, ad quam non potuit obligare: vel si materia mutata est de bona in malam, vel indifferentem; aut de possibili in impossibilem: tunc enim cessat iuramenti obligatio; quia non est vinculum rei vanæ, vel illicitæ, & impossibilis: vel si iuramentum fuit relaxatum, aut dispensatio obtenta. In quibus casibus, & similibus, non deest propriè & metaphysicè loquendo veritas iuramenti: neque assertiua, seu de præsenti; quia iurans habet reipsa intentionem faciendi quòd promittit: neque promissoria, siue de futuro; quia sensus illius est: Obligo me, quoad possum, ad faciendum quod promitto; & faciam reipsa, nisi aliqua legitima causa impediuerit, aut excusauerit. Quando autem promissio fit de re mala, vel indifferenti, vel impossibili, non obligat. In alijs verò casibus obligat quidem, sed adest causa legitima impediens executionem, vel ab illa excusans. Quare Deus non fit testis falsitatis in tali iuramento, tametsi non impleatur id, quod iuxta sonum verborum promitti videtur. Neque etiam verè & propriè violatur tunc iuramentum in vero sensu quem habuit.

53. Sitne P. M fallere promissum iuratum in re leui. Deinde conueniunt pariter omnes Doctores esse peccatum mortale non facere, sine causa excusante, id quod per iuramentum promissum fuit, quando fides fallitur in re graui, & de se sufficiente ad peccatum mortale, id est, quam fallere, etiam sine iuramento, esset mortale. Sed controuersia est, an etiam fallere in re leui mortale sit? Qua de re tres sunt sententiæ.

Sententia negans. Prima simpliciter & absolutè negans est D. Antonini, Syluestri, Nauarri, & plurium aliorum, quos citant & sequuntur Sanches, lib. 3. in Decalog. cap. 4. num. 23. Suar. lib. 3. de Iuramento, cap. 16. num. 9. & sequent. Malder. tract. 10. cap. 6. dub. 5. Ratio illorum præcipua est, quia qui promittit cum animo implendi, & postea mutato animo non implet; non est mendax, sed est infidelis, vt rectè ait D. Thomas quæst. 110. art. 3. ad 5. & patet quia non loquitur contra mentem. Ergo iurando non facit Deum testem mendacij, ac proinde, non est grauis irreuerentia in hoc defectu, sicut est in defectu veritatis assertiuæ. Hîc enim est defectus solùm fidelitatis, qui in re leui, venialis tantùm est. Confirmatur, quia mendacium est semper illicitum, & nulla de causa potest excusari. At in multis licitum est non facere id quod promissum fuit. Ergo istud non est mendacium. Ergo qui non implet quod recta intentione iurauit, non facit Deum testem mendacij, sed solùm peccat, quia infideliter agit in re promissa sub diuina auctoritate. Item, cùm homo assumitur vt testis promissionis, assumitur solùm vt testetur de contractu præsenti, & obligatione inde orta, vt illi præstet auctoritatem per modum cuiusdam fideiussoris. At non assumitur vt testis rei futuræ: neque enim homines testari possunt de futuris contingentibus, sed de præsentibus, aut præteritis sibi notis. Ex quo etiam fit vt si promissio non seruetur, nullus adscribat testibus falsitatem, sed damnet tantùm promissorem infidelitatis. Ergo neque Deo potest adscribi falsitas, si non seruetur promissio iuramento firmata. Deus enim per iuramentum inuocatur in testem modo hominibus accommodato. Et quamvis Dei honor lædatur quando non seruatur promissio cuius ipse testis fuit, quæque propter reuerentiam eius auctoritati debitam seruari deberet: hæc tamen læsio parua est, quando infidelitas, siue defraudatio promissionis est leuis ratione materiæ. Non enim læditur nisi per infidelitatem, & frustrationem promissi. Non inducitur, inquam, Deus vt testis rei futuræ: sed tanquam testis præsentis promissionis, vt illam firmet sua auctoritate, obligétque promissorem ad seruandum: simili modo quo Rex, quamvis ignarus futuri contingentis, assumitur tamen in testem promissionis, non vt testis futuri, cuius non est præscius; sed vt sua præsentia & maiestate dans auctoritatem promissioni, obligánsque vt seruetur, ne ipsius honori aliqua fiat iniuria, néve ipsius auctoritas contemnatur.

Secunda sententia est Caietani 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 1. & Couar. lib. 1. Variar. cap. 1. num. 2. qui vtuntur distinctione. Nam si parum illud quod non impletur, est tota materia iuramenti, dicunt peccari mortaliter, non implendo: quia iuramentum fit omnino vanum & falsum. Si verò est tantùm pars exigua materiæ iuramenti, peccari solùm venialiter: quia tunc iuramentum non fit simpliciter falsum, moraliter loquendo, & humano modo, in quo parum pro nihilo reputatur: vt si quis iurauit se daturum centum aureos in eleemosynam, & dat postea quidquid promisit, excepto vnico denario. 54. Altera opinio distinguens.

55. Vera sententia affirmans.

Tertia sententia, cui tanquam probabiliori subscribo, affirmat generaliter esse peccatum mortale, non implere id quod per iuramentum promissum fuit, nulla excusante causa legitima. Ita Caiet. re meliùs considerata, in Summa V. *Periurium*, Armilla ibid. num. 2. Tabiena V. *Iuramentum, num. 11.* Gabriel in 3. dist. 39. quæst. 2. art. 2. concl. 4. & 7. Lessius cap. 42. dub. 5. & Valentia disp. 6. quæst. 7. puncto 3. concl. 3. qui fusiùs & accuratiùs hac de re disputat. Probatur primò, quia grauis irreuerentia in Deum est facere illum testem falsi. Atqui non implere id quod sub iuramento promissum fuit, nulla excusante causa legitima, est facere Deum testem falsi: ergo, &c. Maior conceditur ab aduersarijs: propter hoc enim conueniunt omnes esse peccatum mortale iurare falsum assertiuè, etiam in re leui. Minor verò probatur destruendo fundamentum contrariæ sententiæ: quia scilicet iurans non tantùm iurat se promittere ex animo: sed etiam iurasse facturum, tacitè subintelligendo, *nisi excuset causa legitima.* Ergo non assumit Deum in testem promissionis dumtaxat, sed etiam in testem rei futuræ. Antecedens probatur, tum ex verbis ipsis iuramenti, quæ hoc sonant, Iuro me daturum centum aureos in eleemosynam, Iuro me nunquam lusurum aleâ, &c. tum etiam quia, omnium consensu, iuramentum promissorium, vt sit verum, duplicem debet habere veritatem: vnam de præsenti, quæ in eo consistit, quòd iurans verè & ex animo promittat, vt verba significant: alteram de futuro, quæ in eo consistit vt faciat id quod promisit, eo sensu quo promisit. Ergo quæcunque istarum veritatum desit, iuramentum est falsum: ac proinde adducitur Deus à iurante in testem falsitatis. Probatur secundò, quia, vt rectè argumentatur Lessius dub. cit. tenetur homo sub peccato mortali diligenter curare vt veritas non desit iuramento assertorio, ne Deum faciat testem falsitatis, quantum in se est. Ergo eodem modo tenetur diligenter curare vt veritas non desit iuramento promissorio: nam etiam tunc facit Deum testem falsitatis, si eius negligentia vel malitia est causa vt promissio falsa sit: neque minùs dedecet Deum esse testem falsi de futuro, quàm de præsenti. Et eiusdem rationis est falsum reddere id, quod antea Deus testatus est; & facere vt Deus in præsenti falsum testetur. Perinde, inquam, est esse causam vt Deus fuerit testatus falsum; & esse causam vt Deus falsum testetur in præsenti. Quod, omnium consensu, graue peccatum est, etiam in re leui. Confirmatur, quia id valde repugnat fini iuramenti promissorij, qui est fidem facere adducto testimonio diuino. Quod autem grauiter repugnat fini iuramenti, graue peccatum est, vt bene affirmat Caiet. supra; quia grauiter repugnat rei valde necessariæ, & magni momenti.

56. Soluitur argum. primæ sententiæ.

Ad primum argumentum primæ sententiæ respondeo, tametsi Iurans non mentitur, iurat tamen falsum, & Deum facit testem falsi, vt iam ostensum fuit. Ad secundum, patet ex dictis Deum non assumi solùm à iurante in testem promissionis, sed etiam rei futuræ. Neque enim iurat solùm quòd promittat, sed etiam quòd facturus sit: alioqui iuramentum promissorium contineret tantùm vnam veritatem, & esset vndequaque verum, dummodo iurans, ex animo promitteret. Est autem differentia inter Deum, & homines, quando sumuntur in testes promissionis: quòd isti, qui non sunt præscij futurorum contingentium, non possunt assumi vt testes veritatis de futuro, sed solùm vt testes præsentis contractus: quemadmodum neque possunt assumi vt testes occultorum per se, vel actuum purè internorum, qui sunt ipsis incogniti. At verò Deus æquè nouit veritatem de futuro, ac de præsenti; & assumitur in testem, vt Deus, totius veritatis per iuramentum significatæ, vt eam optimo, quo potest, modo confirmet. Neque verum est, propriè loquendo, Deum esse fideiussorem promissionis (non enim illius obligationem in se recipit, vt soluat loco promissoris) sed tantùm potest dici metaphoricè se habere vt fideiussorem: quatenus sicut fideiussor solet facere creditorem certum, se loco illius obligando: ita Deus facit euentum promissionis certum sua auctoritate, quando in eius confirmationem adducitur diuinum testimonium.

Ad fundamentum secundæ sententiæ dico veritatem consistere in indiuisibili: & falsum esse simpliciter, quidquid non est à parte rei prout affirmatur. Quare si iurans intendit illud minimum comprehendere suo iuramento, & non est causa legitima id omittendi; falsum est quod iurauit. Ac proinde facit vt Deus fuerit testis falsi, siue parum illud fuerit tota iuramenti materia, siue tantùm illius pars. Dixi autem, *si iurans intendit minimum illud comprehendere suo iuramento, & non est causa legitima id omittendi:* quia sæpissime homines non intendunt se obligare præcisè & mathematicè, ad id totum quod verba significant, neque in omni rigore ea accipiunt, sed moraliter: Ex. gr. Dabo circiter centum aureos. Interdum etiam non curat promissor illud minimum, sed expressè vel tacitè relaxat eatenus promissionem: & tunc est causa sufficiens ad minimum illud omittendum, tacitè subintellecta à iurante. Interdum denique iurantes loquuntur hyperbolicè, sufficitque vt impleant id quod per hyperbolem significare voluerunt: vt quando parentes iurant se confracturos ossa filiorum, aut flagris excoriaturos: sufficit enim si grauiter puniant; quod solum affirmare voluerunt exaggeratoriè. 57. Euertitur fundamentum secundæ. Iuramenta promissoria intelliguntur moraliter.

Ex dictis collige discrimen esse inter votum, & iuramentum. Quia votum de re leui obligat tantùm leuiter, vt præcedenti disput. diximus: & si violetur votum de re graui omittendo aliquid leue, peccatur tantùm venialiter. Quia in voto habetur tantùm ratio fidelitatis, & reuerentiæ Deo debitæ, spectatúrque solùm qualis & quanta sit materia voti in ordine ad honorem Dei, qui non censetur grauiter violari in transgressione promissionis de re leui. At in iuramento habetur ratio veritatis, & omnino requiritur sub graui obligatione vt id quod iuratur sit verum, ne alioqui Deus adducatur in testimonium falsitatis. Veritas enim consisti, in indiuisibili: & si deficit, Deus fit testis falsi: 58. Differentia quoad hoc inter votum, & iuram.

quod sine graui eius iniuria, & irreuerentia fieri nequit.

SECTIO VII.

De Adiuratione.

59. Adiurare sumitur interdum pro, adigere ad iurandũ. ADiurare aliquando in Scriptura sumitur pro, inducere ad iurandum: vt Genes. 24. vbi postquam dixit Abraham seruo suo Eliezer, *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te:* significatur paulò post adiurationem illam fuisse exactionem iuramenti: *Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham, & iurauit illi super sermone hoc.* Idque clariùs ostendit textus Hebraïcus, vbi pro *Adiurem te*, habetur, *asçbihacha*, ואשביעך *iurare te faciam.* Itaque adiurare hoc loco non significat, per sacra obtestari aliquem, sed adigere eum ad iuramentum, & hoc iuramento eum astringere ad aliquid promittendum, aut faciendum: vt bene exponit Cornel. à Lapide ad cap. cit. ver. 3. Nec obest quòd Abraham iussit seruum manum subter femur suum ponere, quasi illum hac ceremonia adiurans, id est, obtestans per Christum inde nasciturum; vt nonnulli existimant. Nam dato quòd illa ceremonia pertinuerit ad Christum designandum; potuit Abraham illam adhibere vt seruus per Christum iuraret: sicut interpretatur S. Gregorius Magnus, à Cornelio relatus, cuius verba hæc sunt: *Manum sub femore iubet ponere, quia per membrum illud descensura erat caro eius, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & Dominus eius ex diuinitate. Quasi dicat: Tange filium meum, & iura per Deum meum.* Deinde, si Hebræis credimus, fuit potiùs ille simplex Iurantium ritus, inter eos vsitatus, ob significationem & reuerentiam circumcisionis: sicut inter nos solet manus in altum iurando leuari, vel pectori apponi. Vel etiam, vt alij malunt, iussit manum subter femur poni iurando, quia femur apud Iudæos erat symbolum generationis & vitæ, & pro illius causa sumebatur: vnde passim filij in Scriptura dicuntur *egressi de parentum suorum femore:* ideóque iurando manum femori apponebant, ad significandum Deum esse vitæ auctorem, & tacitè ita dicendum, Si verè & fideliter iuro, Deus mihi præstet vitam longam, quæ per femur significatur: sin minùs, illâ me priuet. Eodémque sensu adiurare sumitur pro inducere ad iurandum, lib. 1. Esdræ, cap. 10. v. 5. vbi sic dicitur: *Surrexit, ergo Esdras, & adiurauit Principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundùm verbum hoc: & iurauerunt.*

Cur manus posita super femur Iurando?

60. 2. Sumitur pro obtestari. Secundò, sumitur *adiurare*, pro obtestari aliquem, siue adigere ad aliquid faciendum, vel ad quippiam omittendum, per amorem, reuerentiam, aut timorem alicuius alterius: siue Dei, siue creaturæ: & siue rei sacræ, siue prophanæ. Possumus enim, latè loquendo, per hæc omnia adiurare. Et de Deo quidem res manifesta est: quippe cuius est summa dignitas, auctoritas, & maiestas: & cuius amor, timor, aut reuerentia, debet esse multò magis potens & efficax ad quemcunque permouendum. Atque ita sæpe legimus in Scriptura adiurationes per Deum factas: vt Matth. 26. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus.* Marc. 5. *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Et 1. Thessal. 5. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur Epistola hæc.* Posse tamen fieri etiam per creaturas patet ex eadem Scriptura, Cantic. 2. ver. 7. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadvsque ipsa velit.* Et Danielis 3. ver. 34. & 35. *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum: neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Patet etiam ex communi vsu. Solemus enim homines adiurare non solùm per Deum; sed etiam per res alias, non modò sacras, vt per sanctissimam Christi Domini humanitatem, per B. Virginem, per alios Sanctos: verùm etiam per res prophanas, vt quando amicos obsecramus per eorum parentes, filios, patriam, spes, fortunas, aut per propriam ipsorum vitam, & quidquid illis charum est. Vnde adiuratio, tam latè sumpta, diuidi potest in ciuilem, siue humanam; & in sacram, siue Religiosam aliquo modo, ex parte eius, per quod fit. Et hæc iterum potest subdiuidi in adiurationem Latriæ, quæ fit per Deum: & Duliæ, quæ fit per sanctos, vel alias res sacras. Simili modo, quo alibi diximus adorationem latè diuidi in ciuilem, & Religiosam latriæ, vel duliæ.

Tertiò, sumitur strictiùs adiuratio in præsenti, 61. 3. Sumitur pro actu Religionis quo per Deum obtestamur.
pro actu Religionis, quo aliquem obtestamur ad quippiam faciendum, vel ad omittendum, per Deum ipsum; vt eius amor, timor, aut reuerentia, efficaciter eum permoueat, ne alioqui videatur non satis magni facere supremam eius maiestatem; vel vt eius timorem illi incutiamus. Et hunc actum pertinere ad Religionem patet, quia per se facit ad cultum Dei, quem honoramus hoc ipso, quòd maiestatem eius reuerenter interponimus, vt alius eius respectu, vel terrore moueatur. Esse verò specialem eius actum, & distinctum ab alijs, dubitari nequit, nisi de duobus; iuramento scilicet, & oratione. Differt nihilominus à iuramento: quia iuramentum vsurpamus ad nos ipsos obligandos, vel ad aliquid confirmandum per Dei veracitatem, & auctoritatem: adiuramus autem, vt alium obligemus, aut adigamus ad aliquid faciendum, vel ad quippiam omittendum, propter reuerentiam, aut terrorem diuinæ maiestatis. Ab oratione verò differt, quia adiuratio fieri potest imperando, non deprecando: Et tunc saltem est actus specialis, & omnino diuersus ab oratione. Quando verò fit deprecando, addit simplici orationi obtestationem, constituitque speciem orandi distinctam, quam multi putant intelligi ab Apostolo nomine obsecrationis, cùm sic ait 1. Timoth. 2. ver. 1. *Obsecro igitur vos primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Quanquam alij malunt per *obsecrationes*, Græcè, *δεήσεις*, id est, *deprecationes*, intelligi debere orationem, quâ mala præterita, præsentia, vel futura deprecamur: per orationes autem, intelligi petitiones quas pro se quisque facit: per postulationes,

Quomodo differt à iuramẽto; & ab oratione?

eas quas facit pro alijs: per gratiarum actiones sibi & alijs communes, illas quas facit pro beneficijs sibi vel alteri collatis.

62. Fieri potest vel precādo, vel imperando.

Dupliciter autem fieri potest adiuratio. Nimirum vel precando: atque ita debet necessariò fieri, quando superior ab inferiore adiuratur. Vel imperando: vt quando Superior adiurat inferiorem. Vtque actus iste conuenienter & Religiosè fiat, tria requiruntur. Primò, vt fiat ad obtinendum aliquid bonum & honestum, dignumque propter quod Dei maiestas interponatur. Nam si interponitur ad aliquid indifferens, assumitur nomen Dei in vanum. Si autem ad aliquid malum & inhonestum, graue peccatum est velle Dei reuerentiâ mouere aliquem ad peccandum. Secundò, vt fiat ex causa rationabili, & ex sincera intentione, obtinendi id, quod petitur per adiurationem: non autem temerè & leuiter, absque vlla necessitate, & vtilitate: nam tunc etiam nomen Dei in vanum assumitur: multóque magis peccatur, si fiat animo ficto, ex intentione decipiendi, aut nocendi proximo. In quo genere peccauit Caïphas, Matth. 26. quando Christum adiurauit per Deum viuum, vt diceret essetne ipse Christus filius Dei: non ex animo agnoscendi veritatem, sed illum accusandi, & damnandi blasphemiæ. Tertiò denique requiritur vt fiat conuenienti modo, quique deceat adiurantem, adiuratum, & id per quod adiuratur. Hæc enim in omni adiuratione interueniunt. Et adiurans quidem distinguitur necessariò realiter ab eo quem adiurat, quemque mouere conatur, imperando aut precando, & interponendo Deum, vt per illum obtineat, quod per se non potest. Interdum tamen adiuratus non distinguitur ab eo per quod adiuratur. Possumus enim adiurare Deum per ipsius misericordiam & bonitatem: vt Daniel. 9. *Ne moreris propter temetipsum Deus*: & Psal. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo* Et Ecclesia in Litanijs Christum orat per eius incarnationem. Potest etiam adiurans, alium obtestari & adiurare per semetipsum: vt mox patebit exemplo Dei.

Conditiones requisitæ vt bene fiat.

63. Qui possunt adiurare?

Adiurandi capaces sunt omnes & solæ naturæ intellectuales, Deus, Angeli, & homines. Quòd solæ, patet, quia adiuratio, siue fiat per imperium, siue per petitionem, est actus rationis: præsertim verò si honestè & Religiosè fiat, seruatis omnibus circunstantijs debitis. Quòd autem omnes, probatur quia Deus potest nomen suum interponere imperando creaturis, & suæ maiestatis commemoratione eas mouere ad obtemperandum. Qua de causa imperans aliquid in Scriptura, addit subinde, *Ego Dominus*. Idem quoque facere possunt sancti Angeli, & homines, siue beati, siue viatores. De dæmonibus autem patet ex Marc. 5. vbi dæmon dicitur sic Christum adiurasse: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas*. Et de damnatis par est ratio. Quanquam istorum obduratio, & status miserrimus non permittit vt sanctè & Religiosè adiurent, ex vero affectu reuerentiæ erga Dei maiestatem, & cum omnibus alijs circunstantijs debitis ad verum & perfectum actum virtutis exercendum, vt patet ex dictis tom. 1. disp. 44. n. 69.

Adiurari verò possunt omnes eædem, & solæ naturæ intellectuales: sed non omnes eodem modo. Nam Deus non potest adiurari nisi petendo: vnde omnis adiuratio, quæ ad illum dirigitur, debet esse obsecratio, & species quædam orationis. Idémque dico de adiuratione, quam ad Christum, siue vt Deum, siue vt hominem dirigimus: & ad sanctos Angelos, aut homines beatos. Neque enim habemus potestatem illis imperandi, tanquam eorum superiores: sed illi potiùs, ratione sui status beatifici, supra nos sunt, & à nobis colendi, & orandi cum reuerentia. Homines verò mortales & viatores, possunt partim orando, partim imperando adiurari. Orando quidem, ab æqualibus aut inferioribus: Imperando verò, à superioribus respectiuè, id est, habentibus legitimam potestatem imperandi illis, quos adiurant. Alioqui enim peccant per iniustam vsurpationem: sicut peccauit Caïphas præsumens Christum adiurare veluti illius superior & iudex, Matth. 26. Est autem differentia inter hos duos adiurandi modos. Nam prior, qui orando fit, nullam imponit obligationem: tametsi conueniens est vnumquemque moueri Dei maiestate interposita, & illius intuitu facere quod rogatur, si commodè potest. In quo iterum differt adiuratio à iuramento, quod, si promissorium est, imponit necessariò obligationem faciendi. Posterior verò, qui fit imperando, obligat subditum, saltem ex obedientia & iustitia, magis quàm simplex imperium: atque etiam, vt aliqui existimant, ex virtute Religionis, constituendo actum præceptum, in illa specie: sicut res iuramento promissa, constituitur in eadem specie: &, si non fit, peccatur non modò contra iustitiam, aut fidelitatem; verùm etiam contra Religionem. Alij tamen, inter quos est Suares lib. 4. de iuramento, cap. 4. num. 16. censent superiorem adiurantem non obligare ex Religione. Quia, inquit, potestas superioris, aut iudicis, non ordinatur ad cultum Religiosum, sed ad præcipiendum pro iure quod habet. Et licet habeat potestatem interrogandi veritatem, & præcipiendi vt subditus illam declaret, & iuramento confirmet, vel vt aliquid aliud faciat, aut promittat: tamen secluso iuramento non potest actionem illam constituere in materia Religionis, nec obligationem imponere atendi confessione illa veritatis, vt signo diuini cultus & honoris. Alioqui posset etiam Prælatus constituere confessionem illam in materia fidei, & exigere illam vt fidei confessionem de diuina præsentia, & scientia rerum omnium humanarum: quod est absurdum.

64. Quinam possunt adiurari, & quomodo? Deus & Sancti, non nisi obsecrando adiurari licitè possunt.

Homines partim obsecrādo, partim imperando.

At verò dæmones (& de damnatis par est ratio) non possunt adiurari nisi imperando per potestatem à Deo datam Marc. vlt. *In nomine meo dæmonia ejicient*: & Luc. 10. *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, &c.* Imperando, inquam, cum quadam execratione, & interpositione diuinæ maiestatis, non vt Religiosè moueantur illius reuerentiâ, quod propter suam obstinationem, & perpetuum Dei odium non

65. Dæmones, & damnati, non nisi imperando.

faciunt: sed vt eius terrore adigantur ad id, quod imperatur. Cùm enim oratio sit signum subiectionis, & beneuolentiæ ac societatis cuiusdam: non possunt conueniênter, & sine graui peccato dæmones à nobis orari, & tractari vt superiores, & amici. Quippe qui sunt iurati hostes Dei, omniúmque Deo adhærentium, quibuscum omnis societas & beneuolentia interdicta nobis est: neque possunt sine iniuria erga Deum beneuolè tractari. Sicut in Regis iniuriam cedit, grauemque offensam, si hosti eius iurato atque proscripto beneuolentia ciuilis exhibetur. Non possunt etiam quæcunque illis imperari, sed ea solùm, ad quæ nobis super illos potestas data est, vi cuius solius potestatis nobis subsunt: nam alioqui naturaliter nobis præcellunt. Potestas autem illa non est data, nisi ad eos pellendos, & calcandos, id est, ad comprimendam eorum virtutem, vt nocere nobis nequeant, aut desistant. Vnde Ecclesia in exorcismis non aliud imperat, quàm quod ad illorum expulsionem, aut compressionem conducit. Estque peccatum energumenos curiosè de alijs non eò pertinentibus interrogare. Quanquam materiæ leuitas potest hanc curiositatem excusare à mortali, vt post Caiet. & Nauar. docent Suares lib. 4. cit. cap. 2. num. 9. & Lessius cap. 42. dub. 13. num. 71. quia, inquit, quando dæmon non aduocatur, sed sponte se offert in corpore assumpto, vel obsesso; non censetur talis collocutio signum societatis & beneuolentiæ, præsertim notabilis. Quòd si aliqui sancti quippiam aliud dæmoni interdum iusserunt: non est trahendum in exemplum id quod ab illis extraordinariè, & impulsu speciali Spiritus sancti factum est. Tametsi neque illud in propriam vtilitatem, sed in publicum aliquod bonum spiritale, & ad maiorem ipsius dæmonis confusionem fecerunt.

Quænã possunt illis imperari?

66. Mos & modus adiurandi dæmones in antiqua Ecclesia.

Neque alius fuit olim adiurandi dæmones modus in antiqua Ecclesia vsitatus: vt videre est apud Tertullianum in Apologetico cap. 32. *Demones*, inquit, *adiurare consueuimus vt illos de hominibus exigamus.* Et lib. de anima cap. 57. *Spiritualia nequitiæ non quidem sociâ conscientiâ, sed inimicâ scientiâ nouimus: nec inuitatoriâ operatione, sed expugnatoriâ dominatione tractamus multiplicem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis animæque vastatorem.* Et D. Cyprianus ad Demetrianum, *O! si audire velles eos* (dæmones scilicet) *quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, & adiurati per nomen Dei veri, protinus fugiunt*, vt addit Lactant. lib. 4. Institut. cap. 27. & August. lib. 10. de Ciuitate cap. 22. *Vera pietate homines Dei* (inquit) *aëream potestatem, inimicam contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando: omnes tentationes aduersitatésque eius vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam.* Paulus quoque 1 Cor. 10. vetat nos fieri socios dæmoniorum. Et Leuit. 19. & Deuteron. 28. prohibet Deus consulere magos, & sciscitari ariolos: quia abominatur Dominus hæc omnia. Nimirum quia, vt rectè inquit Origenes Homil. 16. in Numer. *Non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonum: neque vult vt si quid volumus discere, discamus à dæmonibus. Melius enim est ignorare, quàm à dæmonibus discere.* Nimirum propter rationem suprà allatam, & Dei prohibitionem, atque etiam quia nihil tale faciunt, nisi in animarum perniciem, quarum odio insatiabili & perpetuo flagrant: atque vt ait D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 24. in fine, beneficia præstando magis nocent, quia magis decipiunt; quàm apertè malè faciendo.


Cùm autem duobus modis adiurari possint dæmones: nimirum publicè, vel priuatim; notandum est publicam & solemnem adiurationem pertinere solùm ad eos qui sunt in ordine Exorcistarum constituti, & ad hoc specialiter ab Ecclesia deputati. Priuata verò potest à quolibet Christiano adhiberi, quando à dæmone tentatur, aut vexatur inuisibiliter; illum terrendo, & conando abigere, per Dei inuocationem, & signum crucis Christi; Deique opem contra ipsum implorando: quod quàm multis vtile fuerit, patet ex sanctorum Historijs. Aggredi verò dæmonem visibiliter vexantem, & obsidentem, aut possidentem, pertinet ad exorcistas ad id deputatos, nisi necessitas obliget, vel instinctus Spiritus sancti moueat aliquem ad id præstandum. 67. Non omnes possunt adiurare dæmones publicè.

Ex dictis constat sufficienti enumeratione posse omnes substantias intellectuales adiurari. Iam quòd etiam solæ, patet quia solæ illæ sunt capaces imperij propriè dicti, vel orationis, & apprehensionis diuinæ maiestatis, cuius intuitu moueantur ad aliquid. Quare non possunt adiurari creaturæ irrationales per se, & directè: sed tantùm indirectè, & in alio: quatenus vel Dei permissu, vel dæmonum immissu, nobis nocent, aut nocere possunt. Et sic possunt duplici modo adiurari. Vel scilicet orando directè Deum vt ne permittat eas nobis nocere, aut dæmonem abigat à quo immittuntur. Vel etiam directè imperando dæmoni cum execratione, vt nocere desinat. 68. Solæ creaturæ intellectuales possunt adiurari.

Quod denique attinet ad id, per quod adiurare possumus, notandum est posse adiurationem non modò fieri directè & immediatè per Deum ipsum: sed etiam per aliquid aliud ad ipsum pertinens, quatenus eius maiestas in illo elucet aliquo modo: non secus atque iuramentum potest per tale quid fieri. Atque ita Ecclesia Christum adiurat, id est, obsecrat, per eius aduentum, natiuitatem, passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem: & in Scriptura Deus interdum obsecratur per sanctos, Exod. 32. ver. 12. & 13. & Daniel. 3. ver. 34. & 35. & vt testatur Lactant. lib. 4. Institut. cap. 27. initio, veteres Christiani solebant dæmones adiurare per signum passionis, id est, per signum crucis. Nisi tamen, quando per sanctos, vel per alias res sacras adiuramus, tacitè saltem ipsum diuinum numen interponamus, eiusque sanctitatem participatam à sanctitate creata; sed præcisè in ista sistamus; non est huiusmodi adiuratio cultus latriæ, de quo loquimur in præsenti, sed pertinet ad cultum duliæ. Potestque conuenienter & vtiliter adhiberi non modò erga homines, sed etiam erga sanctos, & Deum ipsum: imò & circa dæmones, adiurando eos 69. Per quid adiurare possumus?

per sanctos qui specialiter illis terrori sunt, vt de sancto Antonio refert Athanasius in eius vita, & Hieronymus de S. Hilarione.

70. Adiuratio sitne aliquando necessaria? Superest notare actum adiurationis non esse per se necessarium ex præcepto naturali, aut diuino ad Deum colendum: quia potest sufficienter coli alijs actibus. Potest tamen esse per accidens necessarius propter aliud, si contingat aliquid necessarium non posse sine illo obtineri: vt si quis in extrema necessitate Sacramenti existens, nequeat illud à Parocho, vel alio ministro obtinere nisi per adiurationem: vel si quis fame pressus, non possit aliter obtinere eleemosynam, vel habere vnde viuat, nisi adiurando diuites, vt solent facere pauperes petendo eleemosynam propter Deum, seu propter eius amorem, aut honorem. Præcepto verò Ecclesiastico tenentur ministri Sacramenti baptismi vti adiurationibus, siue exorcismis, in Rituali præscriptis. Et similiter in benedictione aquæ, olei, salis, & similium, obseruanda sunt illis, quibus ex officio, id incumbit, ea omnia quæ in eodem Rituali præscribuntur. Tenentur quoque Parochi, vel Prælati, subuenire energumenis sibi subditis, & iuuare illos, quando est opus, solemnibus exorcismis. Et hactenus de adiuratione.



DISPVTATIO VIGESIMA.

De Vitijs oppositis Religioni: & primò de Superstitione, & varijs eius speciebus.

DE Superstitione disputat S. Thomas q. 92. & quatuor sequentibus. In quarum prima docet Superstitionem esse vitium Religioni oppositum secundùm excessum, quo quis diuinum cultum exhibet cui non debet; vel eo modo, quo non debet. Et varias esse illius species. Nimirum cultum indebitum veri Dei, Idololatriam, Diuinationem, & varia obseruationum genera. In secunda dicit posse aliquid perniciosum in veri Dei cultu esse: tum ex parte rei significatæ, à qua discordet significatio cultus: vt si quis nunc vsurparet ceremonias Iudaïcas significantes Christum venturum. Tum ex parte ipsius colentis: vt si minister Ecclesiæ cultum nomine ipsius exhiberet Deo, contra modum diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum, & in ea consuetum. Posse quoque aliquid superfluum in diuino cultu vsurpari: quod scilicet ad debitum illius finem non referatur: aut fiat præter Dei & Ecclesiæ con-

stitutionem, vel contra communem consuetudinem. In tertia affirmat Idololatriam esse speciem Superstitionis, & graue peccatum, tam in interno, quàm in externo opere: omniúmque peccatorum grauissimum secundùm se: partim ab hominibus, partim à dæmonibus excogitatum, atque perfectum. In quarta asserit diuinationem esse peccatum, quo quis sibi vsurpat cognitionem, & prædictionem liberè futurorum, sine Dei reuelatione, ad quem propriè pertinet ea præscire. Et esse speciem Superstitionis, quia fit per auxilium dæmonum: vel quia dæmones expressè inuocantur ad futura manifestanda: vel quia dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate. Porro vtrumque multipliciter fieri: videlicet per Præstigia, per Somnia, per Necromantiam, per Pithones, siue Arreptitios, per Geomantiam, Hydromantiam, Aëromantiam, Pyromantiam, Haruspicium, Astrologiam iudiciariam, Augurium, Auspicium, Omen, Chiromantiam, Spatulamantiam, & per sortes. Quæ omnia quantùm & quatenus sint illicita docet S. Thomas art. 4. & sequentibus quæstionis 95. Ac demum q. 96. dicit illicitum esse vti arte notoria: cùm sit falsa, & Superstitiosa. Quippe quæ vtitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent in se virtutem illius causandæ: sicut inspectione figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & alijs huiusmodi; quæ non sunt etiam signa diuinitus instituta, sed ex pacto & placito dæmonum. Illicitas esse pariter obseruationes causarum, relatas ad eos effectus, quos producendi vim non habent: vt & illas quibus vtuntur aliqui ad futurorum euentuum, siue bonorum, siue malorum notitiam; non vt causis, sed vt signis nulla auctoritate diuina introductis, sed humana vanitate; cooperante dæmonum malitia, qui nituntur homines huiusmodi vanitatibus implicare. Non tamen esse illicitum suspendere ad collum verba diuina, vel alia scripta, velut amuleta sacra: dummodo nihil contineant pertinens ad inuocationem dæmonum, vel ignota nomina sub quibus lateat aliquid mali, vel aliquid falsitatis: neque cum verbis sacris admisceantur aliqua vana, putà characteres aliqui inscripti, præter signum Crucis: neque spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacunque huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineat. Hucvsque D. Thomas.

SECTIO I.

Prænotantur aliqua de vitijs Religioni oppositis.

1. Religioni opponũtur duo genera vitiorũ.

Religioni duo genera vitiorum opponuntur. Vnum priuatiuè, in eo consistens, quòd honor Deo non tribuatur, qui ei tribuendus est ex speciali debito virtutis Religionis. Alterum positiuè, in eo consistens, quòd Deus colatur contra ipsius voluntatem cultu aliquo Superstitioso: vt si quis nunc vellet more Iudaïco sacrificare: vel in eo quòd Deus positiuè inhonoretur in seipso, vel in rebus diuinis & sacris ad eum pertinentibus; vt fit per tentationem Dei, blasphemiam, periurium, transgressionem voti, sacrilegium, simoniam, & similia vitia. Vel denique in eo quòd honor Dei propriè alij tribuatur: vt fit per idololatriam, & per magiam, diuinationem, & obseruationes vanas, si illi qui in huiusmodi rebus tacitè vel expressè vtuntur operâ dæmonum, eos quasi Dei loco habent, & cultum aliquem diuinum eis; tribuunt, aut in alijs rebus vim vllam diuinam, præter vnum Deum, esse credunt, eámque venerantur.

Pro quo nota primò, Religionem esse in voluntate, & in affectu. Quapropter vitia illi opposita, siue priuatiuè, siue positiuè & contrariè, debent esse in voluntate: nam vtrorumque oppositorum debet idem esse subiectum. Quisquis igitur peccat contra Religionem, debet liberè, & propria voluntate, aut Deo non tribuere honorem debitum, aut inhonoratio- 2. Vitia illa sunt in voluntate, sicut Religio.

nem inferre, aut aliter colere, quàm ipsi gratum sit, aut eius honorem cùm alio communicare. Quod autem fit libera voluntate, debet semper priùs esse notum: quia nihil est volitum, quod non sit præcognitum. Quare vt quis peccet formaliter contra Religionem, debet aduertere se non tribuere Deo honorem debitum, aut ipsum inhonorare, vel colere aliter quàm ipsi placeat, aut honorem eius proprium alteri exhibere. Vnde si quis inculpabiliter ignorans Deum esse, non ipsi debitum honorem tribuit: laborat quidem vitio inculpabili intellectus, ignorantiâ scilicet puræ negationis, aut etiam prauæ dispositionis, si existimet non esse Deum. At non habet in voluntate peccatum formale Religioni priuatiuè oppositum, cùm omissio cultus diuini non admittatur ab illo scienter & liberè contra debitum. Idémque dico de eo, qui ex errore inculpabili existimaret aliquem cultum superstitiosum Deo placere, putà circumcisionem, aut sacrificium taurorum, & arietum, eúmque ex tali errore exhiberet: aut credens inculpabiliter plures esse Deos, singulos coleret. Talis enim in eo casu haberet quidem errorem in intellectu, & in voluntate peccatum materiale Religioni contrariè oppositum. At non formaliter contra eam peccaret, defectu aduertentiæ & vsus libertatis circa malum inculpabiliter ignotum, vt supponimus. Quæ suppositio non est impossibilis. Quia licet naturaliter notum sit Deum esse, & vnicum esse; id est, sint rationes naturales quibus id sufficienter ostendi possit: non tamen illæ rationes, statim ab omnibus deprehenduntur: sed aliqui sunt tardi, hebetes, & obtusi, ac planè barbari: qui nisi doceantur ab alijs, aut diuinitus illustrentur, earum vim non capiunt; ac si contrarium doceantur, possunt facilè decipi.

3. Possuntne homines inculpabiliter ignorare Deum?

Dices, vt homines ignorent sine culpa verum Deum, debent illum ignorare, quamvis fecerint quidquid in ipsis est, quæ ignorantia vocatur inuincibilis. Sed talis ignorantia impossibilis est: Ergo non possunt homines sine culpa ignorare verum Deum. Respondeo, quamvis non contingat vt homines rationis vsum habentes, ignorent verum Deum sine culpa, saltem remota, quatenus si facerent naturaliter quod in ipsis est, neque per peccata contra legem naturalem admissa, ponerent impedimentum, à Deo illustrarentur: tamen inde non sequitur culpam ipsam versari circa ignorantiam Dei, quæ nec præuisa fuit, nec cognita vllo modo: adeóque nec volita: Sed possunt priuari illustratione diuina in pœnam aliorum peccatorum, in quibus committendis non agnouerint se hanc pœnam incurrere, ponerénque impedimentum gratiæ ad Dei notitiam eos vocaturæ. Quare tales possunt laborare Dei ignorantiâ nullo modo voluntariâ, neque per negligentiam quæ illam attingat, neque per affectationem; & neque in se, neque in causa, quæ tanquam causa illius cognita sit. Hæc autem intelligo de ignorantia ad tempus. Nam, vt alibi dixi, nullus est homo ratione vtens, qui non aliquando vocetur à Deo sufficienter ad sui cognitionem, vel per inspirationem aliquam, vel per aspectum creaturarum; ita vt diu, & perpetuò viuat in ignorantia Dei inuincibili.

4. Quomodo potest voluntas colere vt Deum, id quod existimat non esse Deum?

Instabis ex opposito, quia fieri non potest vt quis scienter & liberè tribuat ex affectu voluntatis id quod Dei proprium est, alicui quod existimet non habere diuinitatem. Hæc enim attributio ex interno mentis sensu pendet. Mens autem non potest iudicare simul contradictoriè, & agnoscere diuinitatem in eo quem existimat non habere diuinitatem. Respondeo primò, sicut peccatum hæresis est voluntarium in causa, quatenus contra conscientiæ remorsum respuit aliquis sufficientem propositionem fidei, & animum flectit & obfirmat ad errorem contrarium: sic formale peccatum idololatriæ voluntarium esse, quando contra stimulum conscientiæ, respuuntur rationes naturales, aut argumenta supernaturalia, quibus ostenditur vnicum esse Deum; inducitúrque animus per imperium voluntatis ad deferendas huiusmodi rationes, & adhærendum errori opposito, quo diuinitas alicui falsò tribuatur, & ille pro Deo agnoscatur, & colatur.

5. Idololatria potest esse sine errore intellectus.

Respondeo secundò, id quod soli Deo conuenit, posse exteriùs cum alio communicari scienter & liberè, sine vllo errore intellectus. Vt si Christianus idolo sacrificet, metu tormentorum; vel alia ceremonia, iure diuino vel humano soli Deo reseruata, exhibeatur alteri, qui tamen Deus non putetur. Et licet actus externi ab internis varientur, neque sint planè ijdem si cum diuerso affectu & sensu fiant: tamen externus qui Deo astrictus est, non potest ad aliquid aliud transferri. Ideóque ceremoniæ ad Deum singulariter colendum iure diuino aut Ecclesiastico restrictæ, non possunt cum aliquo alio communicari. Non quòd non possit esse aliquis cultus exterior qui Deo & alijs communiter exhibeatur, vt genuflexiones, inclinatio corporis vel prostratio: sed quoniam si Deo aliquid singulariter est attributum, vt olim thymiama, Exod. 30. & sacrificia in lege veteri & noua: non potest illud communicari cum alio & si communicetur, pertinet hæc communicatio ad idololatriam: quamvis propriè & perfectè idololatriæ peccatum formale non sit, si non illi vt Deo communicetur ex affectu voluntatis: qui affectus supponit iudicium intellectus agnoscentis pro Deo id quod non est Deus. Posset etiam quis optare per voluntatem vt id, cui talem cultum tribuit, Deus esset, si fieri posset: & ex tali affectu proprium Dei cultum externum ei tribuere: quod peccatum magis ad formalem idololatriam accederet.

6. Quomodo peccatur propriè contra Religionem?

Nota secundò, cùm Religio strictè sumpta versetur prosecutiuè circa cultum Deo conuenientem, & auersatiuè circa eius oppositum: vitia quæ Religioni propriè opponuntur, debere circa idem obiectum, sed contrario modo, versari. Ita nimirum vt vel cultus debitus Deo, non ei tribuatur: aut tribuatur disconueniens: aut ipse positiuè inhonoretur: aut honor eius proprius alijs communicetur. Quocirca qui dæmones honorant scientes illos non esse Deos, sed angelos malos; neque honorem aliquem Dei proprium illis tribuunt, sed inferiorem,

habentes solummodo pactum cum illis vt talibus; non peccant propriè contra Religionem strictè sumptam prout ad cultum diuinum restringitur, sed contra duliam, vel obseruantiam, quando illis deferunt honorem illum inferiorem, quo digni non sunt in quo grauiter peccant: atque etiam in eo quòd dæmonibus amicè vtuntur, & ad eos confugiunt: quia cum sint Dei hostes, in æternum reiecti, atque damnati; non est cum illis agendum nisi hostiliter: quemadmodum & ipsi per omnia sunt Dei hostes. At illi, qui propter dæmones execrantur Christianismum, vt magi & sagæ communiter faciunt, & eos in supremos Principes eligunt, vel inuocant tanquam supremum præsidium: peccant directè per voluntatem contra cultum & honorem, quem Deo debent. Idémque dico de somnijs, & alijs quæ superstitiosè obseruati solent. Si quis enim vel in nobis, vel in rebus alijs, vim vllam diuinam, præter vnum Deum, esse credit, errat. Sique per somnia, & alios euentus Deum semper aliquid significare credit, similiter errat. Sed non peccat formaliter contra Religionem strictè sumptam, nisi vitio voluntatis malæ credat diuinitatem aliquam huiusmodi rebus inesse, eámque veneretur. Quod non est necessarium, neque semper fit. Quare non omnia quæ solent à Summistis, & alijs enumerari vt vitia Religioni opposita, opponuntur illi propriè omni ratione, præsertim strictæ sumptæ: licet ex occasione explicentur ab illis huiusmodi peccata secundùm eas rationes quæ non sunt propriè Religioni oppositæ, vt nimirum plena eorum notitia tradatur.

7. *Vitia quædam Religioni opponũtur primario, alia secũdario.*

Nota tertiò, vltra hanc diuisionem, quâ vitia Religioni opposita distinximus in duo membra generalia, in ea scilicet quæ priuatiuè opponuntur Religioni, & in ea quæ positiuè seu contrariè: posse aliter diuidi eadem vitia in ea quibus positiuè aut priuatiuè peccatur circa cultum Deo debitum immediatè in seipso: & in ea quibus peccatur immediatè circa cultum debitum rebus sacris creatis, specialiter ad Deum pertinentibus. Sicut enim virtus Religionis versatur circa vtrumque obiectum, illiúsque actus quidam primarij sunt, quibus Deus in seipso immediatè colitur, vt adoratio, sacrificium, iuramentum: alij secundarij, quibus quæcunque aliæ res sacræ, id est, specialiter Deo dicatæ, & eius cultui destinatæ, tractantur cum honore debito: ita ex opposito irreligionis quidam sunt actus quibus Deus ipse immediatè inhonoratur, vel cultus ei debitus in seipso illi negatur, aut incongruè exhibetur, vel alteri defertur: vt tentatio Dei, blasphemia, periurium, superstitio, idololatria. Alij, quibus res sacræ ipsi dicatæ violantur, aut indignè tractantur: vt Sacrilegium, & Simonia. Quæ diuisio traditur penes magnam diuersitatem quæ reperitur in obiecto tam materiali, quàm formali Religionis. Longè enim differunt Deus, & creaturæ aliquo cultu Religioso dignæ eo quòd sint sacræ, & specialiter ad Deum pertineant. Excellentia quoque increatæ sanctitatis, propter quam Deus immediatè in seipso colendus est, plurimùm differt à sanctitate relatiua, propter quam immediatè coluntur creaturæ, quia sunt Deo specialiter dicatæ & consecratæ: vel, si honorantur propter ipsam excellentiam increatam; hæc longè perfectiùs in Deo ipso est, quàm a rebus creatis participetur.

8. *Superstitio & Irreligiositas sunt vitia generatim opposita Religioni.*

Est & alia celebris diuisio, tradita à D. Thoma quæst. 92. initio, & ab omnibus communiter recepta: quâ distribuitur vitium Religioni contrarium in superstitionem tanquam excessum, & irreligiositatem tanquam defectum. Superstitio est, quando vel aliud colitur vt Deus, quod Deus non est: vel Deus verus colitur aliter, quàm ipse velit. Irreligiositas verò est, quando vel Deus verus non colitur: vel etiam in se, aut in suis inhonoratur positiuè: vt quando tentatur Deus; id est, quando sine causa legitima quæritur aliquod experimentum illius prouidentiæ, sapientiæ, bonitatis, potentiæ, aut alterius attributi: quando blasphematur, quando interponitur eius nomen ad confirmandum aliquid falsum, aut turpe: quando res sacræ violantur per prophanationem, simoniam, & alijs modis. Quod vitium non ita consistit in defectu, quasi nihil agatur: sed quia non tribuitur Deo honor conueniens per huiusmodi actiones positiuas, dicitur in illis peccari contra Religionem per defectum. Attamen non in eo tantùm consistit hoc vitium; sed in eo etiam quòd Deus in se, vel in suis positiuè inhonoretur. Qua ratione irreligiositas partim priuatiuè opponitur Religioni, partim contrariè: at superstitio, contrariè tantùm.

9.

Iuxta hanc diuisionem, quam in huius vitij explicatione sequemur, exemplo D. Thomæ, & aliorum Theologorum, dicemus primò de superstitione, & varijs eius speciebus, idololatria, diuinatione, vanis obseruationibus, & magia. Secundò, de tentatione Dei. Tertiò, de sacrilegio. Quartò, de simonia. Nam de blasphemia sufficiunt quæ diximus cum D. Thoma in tractatu de Fide: & de periurio præcipua quæque notauimus disputat. præcedenti Sect. 5. & 6. De peccatis etiam quæ in votorum transgressione committuntur diximus, disp. 38. agendo de voto, & eius obligatione. Cætera vitia Religioni opposita faciliora sunt, quàm vt egeant explicatione.

SECTIO II.

Quid sit Superstitio, & quotuplex?

10. *Vnde dicta superstitio?*

Svperstitio dicitur vel primò à voce *superstes*: propter eos qui nimij erant in precando & sacrificando, vt filios haberent superstites: iuxta Tullium lib. 2. de natura Deorum: vel ab eo quòd relicto vero Deo, aut veteribus Dijs, homines memoriam maiorum suorum superstitem colere cœperint: iuxta Lactant. lib. 4. Institut. cap. 28. quo videtur spectare illud Poëtæ, 8. Æneidum *Veterumque ignara Deorum Vana superstitio*, aut etiam quòd à finibus vsque ad delirium superstitibus profecta sit: iuxta Isidorum lib. 8. Ethym. cap. 3. Vel secundò, à voce *supersto*, vt vult Lucretius apud Isidorum loco citato, & Seruius in lib. 8. Æneid. eò quòd

homines Deos superstantes, id est, superintendentes actionibus hominum, vel eorum iram superstantem, id est, superimpendentem nimis timerent. Vel tertiò, iuxta Isidorum ibidem, à voce *superstatuo*: eò quòd sit superflua, & superstatuta obseruatio in Dei cultu: nimirum superstatuta Maiorum, & modum colendi ab illis traditum. Vel quartò, à voce *supersedeo*, vt vult Nonnius Marcellus: eò quòd superstitiosi, propter nimium Deorum cultum, à cæteris curis supersedeant. Quæ omnes ethymologiæ excessum quendam cultus in superstitione denotant; vel ex parte rei cultæ, vel ex parte modi colendi: quibus duobus modis peccatur per superstitionem, vt patebit ex sequentibus.

11. Eius definitio, & diuisio. Definiri autem potest ex D. Thoma quæst. 92. art. 1. Vitium Religioni oppositum per excessum, eò quòd vel cultum Religiosum deferat cui non oportet, vel eo modo quo non oportet. Dupliciter enim contingit excessus in cultu Religioso. Nimirum vel deferendo illum cui non congruit: & hic modus superstitionis vocatur superstitio ex parte rei cultæ: diuiditúrque in tres species; Idololatriam, diuinationem, & obseruationem superstitiosam, sub quâ magia comprehenditur. Vel secundò, colendo quidem verum numen, sed modo disconuenienti; id est, assumendo ad Deum honorandum aliquid, quod non conuenit. Neque enim verum est quod dixit Lactant. citato cap. 28. cultum veri Dei non posse superstitiosum esse: & *omnino quid colas interesse, non quemadmodum colas*: quasi in cultu veri Dei non possit esse excessus, aut aliqua deordinatio. Nam licet Deus non possit nimis coli vero cultu, vel maiori quàm dignus sit: sed potiùs quicunque potest à nobis exhiberi, sit infinitè minor ipsius maiestate, iuxta illud Eccles. 43. ver. 32. *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis, maior enim est enim omni laude. Quis magnificabit eum sicuti est?* Tamen potest esse excessus in modo colendi, adhibendo aliquid ad eius cultum, quod ei non conuenit, neque ipsi gratum & honorificum est: vt si quis velit nunc Deum colere ceremonijs & sacrificijs Iudaicis, per eum reprobatis. Et hic modus superstitionis vocatur superstitio cultus incongrui: subdiuiditúrque in superstitionem cultus falsi, & in superstitionem cultus superflui, id est, cuiuscunque alterius non falsi.

12. Superstitio cultus falsi. Cultus falsus dicitur, vel quia continet falsam aliquam significationem, vt ceremoniæ Iudaicæ, si nunc vsurpentur ad significandum Messiam esse venturum: vel quia simulat verum cultum, vt si quis fictis miraculis velit honorem Dei promouere: vel prætextu colendi Deum mutet substantiam Sacramentorum, aut sacrificium celebret aliter quàm Christus instituit, falsúmque sacrificium locò veri substituat: Vel simulet se esse Sacerdotem publicúmque Ecclesiæ ministrum, cùm non sit: quod continet mendacium perniciosum in Dei cultu. Vt enim rectè ait D. Thom. quæst. 93. art. 1. in Cor. Cultus falsus, & mendacium perniciosum continens, dupliciter contingit. Vno quidem modo ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus. Et hoc modo, tempore nouæ legis, peractis iam Christi mysterijs, perniciosum est vti ceremonijs veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura. Sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum. Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consuetum. Vnde Ambrosius dicit: *Indignus est qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit.* Ambros. in 1. Cor. 11. super illud, *Quicunque ederit.*

13. Superstitio cultus superflui. Cultus verò superfluus dicitur, quando ponitur Religio in quibusdam ineptis, & inutilibus, atque ab Ecclesiæ more discrepantibus, licet alioqui mendacium & falsum non significent. Nam vt ait D. Thom. art. 2. quæst. citata. Superfluum dicitur dupliciter. Vno modo secundùm absolutam quantitatem: & secundùm hoc non potest esse aliquid superfluum in diuino cultu: quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo quod Deo debet: id est, quod non sit longè infra Dei dignitatem. Alio modo potest esse aliquid superfluum secundùm quantitatem proportionis: quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem diuini cultus est, vt homo Deo det gloriam, & ei se subjiciat mente, & corpore. Et ideo quidquid homo faciat quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis subjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrænationem concupiscentiarum, secundùm Dei & Ecclesiæ ordinationem, & consuetudinem eorum quibus homo conuiuit; non est superfluum in diuino cultu. Si autem aliquid sit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quòd mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænentur, aut etiam si sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, quæ secundùm August. pro lege habenda est: totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum: quia in exterioribus solùm consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Vtrumque vitium Christus reprehendet verbis illis, Ioan. 4. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*: vt subtiliter notauit Caiet. in Comment. art. cit. Falsus enim cultus opponitur veritati: superfluus autem, spiritui. Nam qui colit Deum eo modo qui non seruit spiritui, exhibet cultum superfluum: & non adorat in spiritu, quia externis rebus solùm insistens, nihil ad cultum internum proficit. Hoc secundo vitio solent præcipuè rustici & idiotæ laborare, quando suam deuotionem, præter Ecclesiæ morem receptum, in certo numero precum, candelarum, stationum, gyrationum, ieiuniorum, vigiliarum, & similibus constituunt: ita vt existiment nihil fieri, si numerus ille deficiat, aut excedat. Eodem quoque laborarent, qui vellent in officio Missæ, vel Canonico, August. epist. 86.

relictis ceremonijs, vel ordine ab Ecclesia præscriptis, aliud quippiam maioris deuotionis prætextu substituere, quamuis nihil falsi significarent.

14. Quæ superstitio sit graue peccatũ, & quæ non? Prima species superstitionis, quæ dicitur *ex parte rei cultæ*, graue peccatum est. Est enim capitale crimen Deum falsum pro vero agnoscere; & honorem Dei proprium, alteri deferre. Sicut crimen læsæ maiestatis est aliquem Regis loco habere, qui non est; honorésque Regios illi tribuere. Idémque dico de secunda, quæ dicitur *superstitio cultus falsi*. Continet enim graue mendacium perniciosum, fidei contrarium. Neque potest nisi per ignorantiam, inuincibilem excusari à mortali: quâ ratione excusantur multi inter Æthiopes, circuncisione vtentes, non vt Christum venturum significent, sed vt per hoc vulnus in carne receptum, Christo conformentur. Possunt enim simplices & Idiotæ laborare ignorantia inuincibili, cùm sic à suis Prælatis, & Maioribus doceantur, neque errorem agnoscant per seipsos, vel contrarium ab vllo doceantur. Tertia verò, quæ dicitur *superstitio cultus superflui*, est tantummodo peccatum veniale ex suo genere: quia non continet grauem irreuerentiam, & bona intentione fit, & sine contemptu, ex zelo exorbitante & non secundùm scientiam, vt loquitur Apost. Nisi aliunde grauem aliquam turpitudinem contineat; vt siquis velit hominem Deo immolare; vel bona iniustè acquisita offerre Deo ad eius cultum, & veluti rapinæ participem eum facere. Adeo verò differunt inter se species illæ superstitionis, vt singillatim sint explicandæ in confessione, quando malitiam peccati mortalis attingunt.

15. Quid superstitio iuxta Hæreticos? Superest notare, hæreticos huius temporis superstitionem aliter definire, vt illius insimulent Ecclesiam Catholicam. Dicunt enim omnem cultum Religiosum, & omnem ceremoniam non præceptam ab ipso Deo, & non contentam in verbo Dei scripto, esse superstitionem. Quod præcipuè probant ex Deuteron. 12. ver. vlt. vbi Moïses sic loquitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Et Coloss. 2. ver. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Et inferiùs ver. 18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.* Qua etiam de causa volunt superstitionem ibidem vers. vlt. vocari ἐθελοθρησκείαν, id est, cultum voluntarium, non à Deo institutum, sed propria voluntate assumptum; addunt aliqui ex modernis hæreticis, præcinente Caluino lib. 1. Inst. cap. 11. num. 8. & seqq. omnem cultum sine Dei verbo & mandato vsurpatum, tametsi alioqui sit cultus veri Dei, ex intentione colentis, non solùm esse superstitionem, sed etiam verè & propriè idololatriam: indéque concludunt Catholicos esse idololatras, cùm Deum & Sanctos per imagines colunt, quod Deus non mandauit.

15. Sed de hoc secundo errore dicemus Sect. sequenti. Contra primum dico, esse manifestè contra rectam rationem, & contra Scripturam, existimare omnem Dei cultum, qui non est præceptus à Deo, esse malum, superfluum, & superstitiosum. Nam potiùs recta ratio dictat Deum esse colendum non modò cultu præcepto sub pœna peccati, præsertim mortalis, qualia illi putant esse omnia peccata: sed etiam voluntario, dummodo conuenienti & rationabili. Sicut Reges, Magistratus, Parentes, Prælati, alijque Superiores, possunt laudabiliter honorari à subditis plus quàm ex præcepto necessarium sit. Meritóque parum obsequiosus, & affectus ad honorem Principis existimaretur ille, qui nollet alium honorem ei deferre, nisi quem sine graui peccato & pœna, ipsiúsque indignatione non potest omittere. Sicut autem plurimi actus aliarum virtutum sunt boni, quamvis non sint ex præcepto necessarij: ita & Religionis. Vt manifestè patet ex Apostolo 1. Cor. 7. Nam abstinentia à coniugio, vel ab illius vsu, ad meliùs orandum, & liberiùs seruiendum Deo, non est à Deo præcepta: & tamen illi grata & bona est, meliórque coniugio, vt Paulus ibi docet, ideóque ibidem illius consilium dat. Et Christus Matth. 19. dat consilium omnia nostra vendendi, & dandi pauperibus, vt ipsum sequamur, & spretis mundi curis obsequio Dei vacemus; quod tamen non præcipit: neque illud, si fiat, desinit esse bonum, quamvis non præceptum. Et Leuit. 23. ver. 38. significat Deus grata sibi fore dona quæ offerent Iudæi ex voto, vel quæ sponte tribuent Domino. Itaque Dei cultus non est malus, quamvis non sit à Deo præceptus, nisi aliunde sit disconueniens. — Omnis cultus à Deo non præceptus non est superstitiosus.

17. Deus non prohibet omnem cultum non præceptum. Neque Deuteron. 12. prohibet Deus omnem cultum non præceptum: sed eum solummodo qui diuino præcepto aduersatur: Vt ceremonias Gentilium, de quibus ibi loquitur, quemadmodum patet ex verbis immediatè præcedentibus. Et verò, si Deus verbis illis prohibuisset vllum alium cultum addi, præter eum, quem iam eousque instituerat: peccassent contra illam prohibitionem Iudæi, quando aliquos dies festos instituerunt in memoriam beneficiorum insignium multò post acceptorum, Esther 9. Iudith 15. & 2. Machab. 10. Et Paulus consulens virginitatem, & abstinentiam ab vsu coniugij, ad meliùs orandum, & seruiendum Deo, malè id consuleret, si omnis cultus non præceptus à Deo, est illicitus & superstitiosus.

Exponitur locus Apost. Coloss. 2. v. 8. Idem verò Apostolus prioribus verbis relatis in obiectione ex Coloss. 2. ver. 8. solùm monebat Christianos, vt cauerent à fraudibus hæreticorum illius temporis, quorum errores plerique ex Philosophorum, Platonicorum præcipuè, libris & falsis opinionibus deprompti erant: vel etiam cauerent ab ipsis Philosophis, Christi fidem impugnantibus per Philosophicas ratiocinationes vanas, & falsas: vt exponunt Ambrosiaster ibidem, & August. lib. 8. de Ciuitate cap. 9. Vel, vt mauult Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum, damnat specialiter Philosophiam Epicuri tollentis prouidentiam, & voluptatem Dei loco habentis. Vel potiùs simul omnes caueri iubet. Vt enim rectè ait Tertull. lib. de Anima cap. 3. Apostolus fuerat Athenis,

Athenis, ibique *expertus linguatam ciuitatem, cum omnes illic sapientes, atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium istud edictum, videlicet, Nemo vos decipiat sublimitate sermonum: &, Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam.* Et lib. de præscript. cap. 7. *Hæreses*, inquit, *à Philosophia subornantur. Inde Æones, & formæ nescio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis venerat. Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obseruatur. Et vt carnis restitutio negetur, de vna omnium Philosophorum Schola sumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eadem materia apud hæreticos voluntantur, ijdem retractatus implicantur.*

18. Quæ sit Religio Angelorum à Paulo vetita? Posteriori loco Paulus per Religionem Angelorum intelligit legem Mosaïcam, per Angelos Moïsi traditam, vt idem ait ad Galat. 3. ver. 19. præcipientem certam distinctionem ciborum mundorum, & immundorum; & Neomenias, & Sabbatha, quæ erant vmbra futurorum, vt Paulus affirmat immediatè antea, loco citato in obiectione. Eandemque vocat ἐθελοθρησκείαν, id est, cultum non iam ex Dei præcepto & institutione, vel secundùm rectam rationem vsurpandum; sed potiùs à Deo reprobatum, & abolitum, iamque ex mera voluntate, & pro arbitrio, contra Dei voluntatem rectámque rationem assumptum. Vel, vt mauult Cornel. ad versum Pauli citatum, loquitur Apost. de hæreticis Angelicis, quorum error à Philosophis ortus erat, nimirum à Platonicis, qui Deos medios animarum purgatores finxerunt, vt testatur D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 12. & sequent. Qua de causa præmisit Apostolus ver. 4. *Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum*: Et ver. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam.* Eorum autem error, inquit, in eo consistebat, quòd dicerent Angelos esse Christo præstantiores, & maiori cultu dignos; eò quòd non Christus, sed ipsi essent mediatores hominum. Qua de causa addit Paulus versu sequenti, *Non tenens caput*, Christum scilicet, *ex quo totum corpus* Ecclesiæ *per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in templum Dei.* Et vt addit Theodoret. ad locum Pauli cit. docebant, excluso Christo, Angelos esse habendos & colendos quasi mediatores hominum, modosque eos inuocandi, & per ieiunia & abstinentias superstitiosas sibi conciliandi præscribebant. Propter quod subiungit Apostolus eos dixisse, *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis.* Patet etiam ex Concilio Laodic. can. 35. viguisse Laodiceæ, quæ Colossis propinqua erat, hæresim Angelicorum, cultum quendam idololatricum Angelis exhibentium: de quo Canone, eiusque expositione videri possunt Baron. ad annum Christi 60. num. 22. Perron. in Replica, lib. 5. cap. 20. pag. 1055. & sequentibus, & Barrault. tom. 2. Clypei, cap. 4. §. 41. 42. & 43.

19. Sed hæc expositio Cornelij minùs mihi placet, quàm præcedens. Quia non bene illi conueniunt verba illa Pauli immediatè præcedentia, *Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut in parte diei festi, aut Neomenia, aut Sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.* Manifestum enim est significari verbis illis legem Mosaïcam, quam sæpius vocat figuram & vmbram legis Euangelicæ, & ipsius Christi, veluti corporis. Videtur autem de eadem loqui immediatè post: tum quia series textus ita magis cohæret: tum etiam quia id indicant quæ addit paulò post, *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis*, quæ ad Iudaïcum ciborum delectum attinent, & ad prohibitionem tangendi quædam veluti immunda. Dicere autem Angelicos illos hæreticos, Apostoli contemporaneos idem seruasse, nulli nitendo alteri testimonio, quàm his Pauli verbis, est prorsus diuinare. Nec obest, quod præcipuè opponit Cornelius, nusquam alibi legem Mosaïcam vocari ab Apostolo Religionem Angelorum. Fuit enim causa specialis sic eam appellandi hoc loco, vt eam deprimeret infra legem Euangelicam traditam immediatè ab ipso Christo, cuius excellentiam supra Angelos prædicauit toto cap. præcedenti. Eandémque ob causam dicit, *Nemo vos seducat in humilitate, & Religione Angelorum*, id est, per hendyaden, in humili Religione, & lege illa seruili, posita in carnalibus victimis, ceremonijs, & lustrationibus corporalibus.

SECTIO III.

Quid sit Idololatria?

Qvatuor de idololatria explicanda sunt: quid sit, & quotuplex; quæ fuerit eius origo; & quantum sit peccatum. Circa primum: Idololatria sumitur interdum metaphoricè pro nimia æstimatione & affectu cuiuscunque rei creatæ, quæ quodammodo Dei loco habeatur. Quo sensu auaritia vocatur ab Apostolo idolorum seruitus, Ephes. 5. v. 5. Propriè verò idem est, quod Idoli latria, vt ipsa vocis ethymologia indicat. Est autem latria strictè & propriè sumpta, seruitus quæ singulariter ad Dei cultum pertinet. Vt enim rectè notauit S. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 1. *Latria, secundum consuetudinem, quâ locuti sunt qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter vt pene semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et ita Sapient. 13. & 14. & Rom. 1. alijsque locis, Scriptura explicat vitium idololatriæ per hoc, quòd homines creaturas Dei loco habuerint, cultúmque Dei proprium illis exhibuerint. 20. Idololatria propriè est idoli latria.

Idolum verò dupliciter sumitur. Primò, pro statua, vel imagine destinata ad tribuendum illi, vel alicui per eam repræsentato, cultum diuinum ipsi indebitum. Quo sensu Sapiens cap. 14. ver. 15. dicit Idololatras sibi fecisse mortuorum hominum imagines, & eos tanquam Deos colere cœpisse, & constituisse illis sacra, & sacrificia. Et Paulus Rom. 1. ver. 23. dicit illos mutasse gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Et 21. Idolum quid sit? Sumitur 1 pro statua, vel imagine destinata ad cultū diu. indebitum.

D. August. lib. 7. quæstionum, q. 41. in lib. Iudicum, fere initio, affirmat Idolum esse cuiusdam falsi Dei simulacrum. Eodémque sensu intelligendum est illud 1. Cor. 8. ver. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus*: id est, scimus idolum nihil tale esse, quale existimatur. Nam existimatur esse Deus, cùm non sit: quia præter vnum verum Deum, nullus alius est. Neque enim est sensus Apostoli quòd idolum nihil omnino sit, vel quòd sit tantùm repræsentatio rei fictæ & chimericæ, id est, nec existentis, nec possibilis, vt nonnulli in locum Pauli citatum existimarunt: cùm ex Scriptura constet idola fuisse interdum repræsentationes rerum aliquarum existentium, hominum, volucrum, quadrupedum, serpentum, Rom. 1. & Sapient. 13. & 14. idque testentur omnes Gentilium historiæ.

22. 2. Pro creatura quæ colitur vt Deus. Secundò, sumitur idolum, per quandam vocis extensionem, pro quacunque creatura, quæ tanquam Deus colitur, vel colenda proponitur: siue colatur vt imago falsi Dei: siue ipsamet adoretur vt Deus, quamvis non sit imago. Sicut olim Gentiles aliqui Solem, Lunam, & Stellas pro Dijs coluerunt, vt Sapiens testatur cap. 13. Nam idololatræ, iuxta communem huius vocis vsum, appellantur non solùm qui statuas & imagines Dei loco habent: sed etiam qui rem quamlibet aliam. Ergo Idolum sumptum provt est obiectum adæquatum idololatriæ, non est solùm imago ad cultum diuinum ipsi disconuenientem assumpta: sed etiam res quælibet, cui indebitè cultus diuinus tribuitur. Addunt aliqui idolum etiam dici posse statuam vel imaginem alicuius, qui pro sancto colatur, cùm non sit: vel personam ipsam, cui velut sanctæ cultus sacer indebitus tribuatur: & peccatum quod in eo cultu committitur, tametsi non est proprie idololatria, dici tamen posse Idolo duliam. Verùm hæc idoli acceptio impropria est, & metaphorica: vt & illa quâ Idolum appellatur. Pastor officio suo non satisfaciens, Zachar. 11. ver. 17. *O Pastor, & idolum!* & quilibet alius, qui non est qualis apparet exterius, vel qualem ex officio & debito morali esse oportet, eodem sensu metaphorico idolum dici potest.

23. Error hæreticorũ huius temporis. Malitiosè verò hac voce abvtuntur Caluinistæ, in odium Romanæ Ecclesiæ, quando cum Caluino lib. 1. Institut. cap. 11. num. 8. & seq. contendunt quemcunque cultum, etiam veri Dei, sine ipsius verbo & mandato vsurpatum, esse idololatriam. Quod ineptè probant primò, quia Iudæi vitulum aureum adorantes in deserto, intendebant adorare in illo verum Deum, illúmque præsentem habere in imagine, vt prævium & ducem itineris: qui tamen damnantur idololatriæ, quòd id fecissent per imaginem, sine Dei mandato. Secundò, quia Pagani non aliud volebant, quàm verum Deum habere præsentem per imagines, & in illis eum colere: qui nihilominus damnantur Idololatriæ. Addunt tertiò, populum Israël dici fornicatum fuisse in Ephod, Iudic. 8. id est, in Sacerdotali veste magnifica, quam Gedeon ex auro fecerat; ideo solùm, quòd populus illâ vsus esset ad sacrificandum extra Dei tabernaculum: quod Deus prohibuerat. Nomine autem fornicationis intelligitur in Scriptura passim idololatria.

Sed hic error Caluini contra ipsam vocis significationem manifestè pugnat. Idololatria enim, ex vi vocis, est Idoli latria, id est, cultus & seruitus idoli. Deus autem verus non est Idolum. Ergo cultus veri Dei, non est idololatria. Secundò, pugnat etiam manifestè contra conceptum idololatriæ datum à Sanctis Patribus: vt à Gregorio Nazianz. orat. 38. in Christi natiuit. post medium, vbi dicit Idololatriam esse translationem adorationis à Deo ad creaturas: & Tertul. lib. de Idololat. cap. 1. *Idololatria*, inquit, *Deo fraudem facit, honores illi suos negans, & conferens alijs, vt fraudi etiam contumeliam coniungat.* Et Ambros. vel alius apud illum auctor Comment. in Epist. ad Ephes. cap. 5. *Idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat creatura.* Et August. lib. 1. de Trinit. cap. 6. *Idololatræ*, inquit, *dicuntur, qui simulacris eam exhibent seruitutem, quæ debetur Deo.* Tertiò, pugnat etiam hic error contra Scripturam, quæ quoties loquitur de idololatria propriè sumpta, significat se loqui de honore Dei translato ad creaturas: vt Psal. 105. *Mutauerunt gloriam suam*, id est, Dei, *in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Sapient. 14. *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Rom. 1. ver. 23. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, &c. Commutauerunt veritatem Dei in mendacium*, id est, in falsum Deum; *& coluerunt, & seruierunt creaturæ, potiùs quàm creatori.* Imò quoties loquitur metaphoricè de idololatria, loquitur de peccatis illis, per quæ tantopere diligitur creatura, vt quodammodo habeatur loco Dei, Coloss. 3. ver. 5. Philippens. 3. ver. 19. alijsque locis.

24. Repugnat ipsi voci Idololatriæ, & SS. Patribus.

Quartò, euidenter contra Scripturam est quod dicit Caluinus, Iudæos adorantes vitulum aureum, intendisse verum Deum adorare, & voluisse tantùm in imagine illum præsentem & præcedentem visibiliter, quasi ducem itineris, habere. Nam contrarium expressè dicitur Psal. 105. *Mutauerunt gloriam suam*, id est, Dei, *in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* Deuter. 32. ver. 16. *Prouocauerunt eum in Dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt Dæmonijs, & non Deo, Dijs quos ignorabant. Noui recentésque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est.* Falsum ergo est quod ait Caluinus, Israëlitas non fuisse oblitos Dei, à quo recens fuerant liberati, totque beneficijs continuò afficiebantur; sed voluisse solùm, habere illum præsentem in illo vitulo, tanquam corporeo vultus eius symbolo. Et verò, cùm illi Deum visibiliter quodammodo præsentem haberent atque ductorem in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, vt dicitur Psal. 77. & 104. non indigebant alio symbolo corporeo in quo eum præsentem haberent, neque vitulum conflauerunt ad Deum repræsentandum, qui sub ea specie numquam

25. Repugnat etiã Scripturæ.

illis apparuerat: sed ad Apim in illo adorandum, Deum præcipuum Ægyptiorum, formâ bouis depingi solitum. Quintò, euidenter quoque Scripturæ repugnat dicere Paganos verum Deum voluisse colere in idolis, velut eius imaginibus. Nam contrarium docet Apostolus Roman. 1. ver. 25. *Seruierunt creaturæ, potius quàm Creatori.* Et 1. Cor. 10. ver. 20. *Quæ immolant gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo.* Et Sapiens cap. 13. & 14. dicit Gentiles verum Deum ignorantes, coluisse tanquam Deos & rectores orbis terrarum, Solem, Lunam, Stellas, &c. imò & ipsos homines, quorum memoriam diligebant, Dei loco post mortem habuisse, & eorum idola finxisse. Neque dicas gentiles adorantes idola, existimasse illa esse verum Deum, aut veram diuinitatem in illis residere, vel per illa repræsentari: atque ita ex ipsorum intentione cultum illum directum fuisse in verum Deum. Respondeo enim Gentiles vel non habuisse notitiam veræ diuinitatis, sed tenuem illius speciem & vmbram, nescientes quid esset, & cui tribuenda: vel eam temerè & irrationabiliter applicasse idolis contra lumen naturale, & rectam rationem. In quo grauiter peccarunt: similes illis, qui relicto vero Rege, temerè quempiam de plebe eligerent, quem Regis loco haberent.

26. Exponitur locus Iudic. 8. de fornicatione in Ephod. Quod autem vltimò obijcitur ex Iudicum 8. duplici modo exponitur à D. August. lib. 7. quæst. q. 41. in librum Iudicum. Primò, quòd Iudæi vestem illam erectam, & instar idoli stantem, tanquam Deum quendam, siue idolum, adorauerint, rapti illius splendore, & pulchritudine. Secundò, quòd populus illâ vtendo ad sacrificandum extra tabernaculum, peccauerit grauiter contra Dei præceptum: non peccato idololatriæ propriè dicto (quod Augustinus non affirmat) sed alio peccato mortali, quod quia mentem polluit & corrumpit, fornicatio in Scriptura vocari solet: vt Psal. 72. *Qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te:* vbi non tantùm de idololatria sermo est; sed de quouis alio peccato, quo Deus propter creaturam relinquitur, vt D. August. in fine enarrationis eiusdem psalmi exponit, & significat Psalmista, cùm addit, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Potest & alius esse sensus illius loci, qui magis literalis mihi videtur: quòd scilicet Israëlitæ veste illâ abusi fuerint ad sacrificandum Dijs gentium. Additur enim paulò post, filios Israël post mortem Gedeonis auersos fuisse à Deo, & fornicatos in Baalim, percussisséque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum: & ex cap. 18. eiusdem libri apparet vestem illam ad sacrificandum Dijs vsurpari consueuisse. Atque ita hunc locum exponit Valentia disp. 6. quæst. 11. Punct. 1. apud quem leues quædam aliæ hæreticorum obiectiones solutæ legi poterunt.

Idem error refellitur ratione. Denique error ille Caluini repugnat manifestè rationi, & communi hominum sensui. Nam longè aliud peccatum est colere verum Deum cultu aliquo superfluo; & colere creaturam loco veri Dei. Sicut longè diuersum peccatum est colere verum Regem cultu aliquo incongruo: & habere Regis loco eum, qui verè Rex non est. Quod crimen est longè deterius. Et hoc secundum intelligunt omnes, præter Caluinum & eius asseclas, nomine idololatriæ: ideóque nullus Iudæos, aut Turcas vocat idololatras, quamvis verum Deum colant cultu disconuenienti.

Ex his patet quàm iniustè accusent Nouatores idololatriæ Romanam Ecclesiam in cultu Eucharistiæ, & Sanctorum. Nam præsupposito quòd Christus verè, realiter, & substantialiter in hoc Sacramento contineatur, vt fatentur Lutherani, & nos suo loco contra Caluinistas probauimus; honor latriæ, qui Christo in Eucharistia exhibetur, non defertur idolo, aut creaturæ, loco Dei: sed ipsi Christo, qui verus Deus est, & vbicunque sit, adoratione dignus; in cœlo, in præsepi, in cruce, in Eucharistia. Cultus verò, qui à nobis exhibetur Sanctis, vel eorum reliquijs, & imaginibus, non est cultus latriæ, qui Dei proprius est; sed duliæ, proportionatus eorum excellentiæ supernaturali. Quare in neutro committimus peccatum idololatriæ, ad quod committendum necessarium est vt honor Dei proprius tribuatur creaturæ: sed antiquæ Ecclesiæ, in fide & moribus puræ, consuetudinem sequimur. Nam quòd illa Christum in Eucharistia adorauerit, patet ex luculentis Sanctorum Patrum testimonijs, Cyrilli Hierosol. Cathechesi 5. Mystag. Chrysost. Homil. 24. in 1. ad Corinth. prope finem, Theodoreti Dialog. 2. Ambrosij lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. August. in Psal. 98. ad versum illum, *Adorate scabellum pedum eius.* Quòd verò etiam Sanctos, eorúmque reliquias & imagines venerata sit, patet ex auctore libri quæstionum & responsionum ad orthodoxos, apud Iustinum mart. quæst. 28. Origene Hom. 3. in diuersos, prope finem, Cypriano Epist. 34. ad Clerum & plebem, & Epist. 37. ad Clerum, Basilio in Psal. 115. & Orat. in quadraginta Martyres, Nysseno in Orat. de Laudibus S. Theodori, Nazianz. Orat. 4. aduersus Iulianum, Hieron. Epistola 53. & libro proximè sequenti aduersus Vigilantium, & Epistola 19. ad Eustochium, & in caput 4. Epist. ad Galatas, circa illa verba, *Dies obseruatis, & annos*, Ambros. lib. de Viduis, post medium, & lib. 10. Epistolarum, Epist. 85. in qua loquitur de inuentione corporum Sanctorum Geruasij & Prothasij martyrum; Chrysost. Homil. 41 ad populum, & Homil. 32. in Epist. ad Rom. & in lib. de S. Babyla, August. lib. 20. contra Faustum cap. 21. & in Psal. 44. & lib. 22. de Ciuit. cap. 8. vbi de reliquijs SS. Stephani, Geruasij & Prothasij, déque miraculis per eas editis: & passim in sermonibus de Sanctis; quorum omnium, & aliorum plurium testimonia luce clariora, videri possunt collecta fideliter & accuratè apud Gauter. in Tabul. Chronogr. veritate 2. & 3. & Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 13.

27. Cultus Eucharistiæ, & Sanctorũ non est idololatria. *Vide tom. 4. disp. 30.* Fuit vsitatus in antiqua Ecclesia.

Perperam verò instant Caluinistæ, cum Petro Molinæo in Clypeo fidei, circa art. 24. tametsi honor Dei proprius non tribuitur Sanctis: tamen aliquid detrahi de honore diuino, & transferri ad Sanctos: & eo ipso quòd honor aliquis Religiosus illis tribuitur, incurri pecca- 28. Argumẽta hæretic. in contrarium.

tum idololatriæ : eàque de causa Christum repulisse Dæmonem, Matth. 4. his verbis, *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies* : tametsi Dæmon cultum latriæ ab eo non petebat : & Act. 10. Petrus noluit à Cornelio adorari, vt neque Angelus à Ioanne, Apocal. 19. ver. 10. & cap. 22. ver. 9. quamvis neque Cornelius Petro, neque Ioannes Angelo, vellent adorationem Dei propriam, deferre.

Honor Sanctis exhibitus non præiudicat honori Dei.

Nam contra : primò, sicut honor quem Scriptura ipsa præcipit reddi parentibus, Dominis, Regibus, alijsque Superioribus, nihil detrahit honori diuino : ita nec honor qui Sanctis redditur, ratione ipsorum excellentiæ & Sanctitatis supernaturalis ; qui potiùs in Deum refunditur, tanquam auctorem illius Sanctitatis, quique non minùs est proportionatus, & conueniens ipsorum excellentiæ, quàm honor ciuilis conueniat potestati, aut dignitati ciuili, vel naturali præcellentiæ, eorum qui ciuiliter coluntur. Secundò per se notum est conueniens esse honorare eos, quos Deus ipse honorat, & quos viri Sancti, & in Scriptura laudati, coluerunt : neque in sequendo Dei, & Sanctorum exemplo, timendum esse præiudicium honoris Dei. Atqui Scriptura testatur Deum ipsum honorare Sanctos, 1. Reg. 2. v. 30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum* : & Ioan. 12. v. 26. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Idémque patet ex miraculis, & operibus supernaturalibus, quæ Deus in eorum gratiam frequenter operatus est. Vt quando per corpus mortuum Elisæi, hominem à latronibus occisum, & in eius sepulchro depositum suscitauit, 4. Reg. 13. v. 21. Et per reliquias SS. Geruasij & Prothasij, & Protomartyris Stephani ea miracula operatus est, quæ D. Augustinus testis oculatus recenset lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. Viri quoque pij, & in Scriptura laudati, Angelos, Prophetas, & alios Sanctos, cultu Religioso honorauerunt : vt de Abraham, Loth, Iosüe, Elisæo, & pluribus alijs, ostendimus disput. 37. Sect. 1.

29. Sathan voluit à Christo adorari vt Deus.

Ad primum testimonium adductum in contrarium ex Matthæi 4. respondeo Caluinum ipsum in Harmon. ad versum 9. cap. 4. Matth. apertè fateri Dæmonem à Christo petijsse adorari cultu latriæ, vt Deum ; sibique intolerabili superbia, & audacia, totius vniuersi dominationem & imperium arrogasse, Deóque abstulisse, cùm dixit : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me : mea enim sunt omnia, & cui volo, do illa.* Neque mirum debet videri, dæmonem sibi : honorem illum tunc expetijsse, quem iam pridem à multis alijs expetierat, & obtinuerat, per adorationes, & sacrificia sibi in varijs idolis oblata (Quæ enim gentes immolabant, Dæmonijs immolabant, & non Deo, vt ait Paulus 1. Cor. 10.) quémve, iuxta probabilem aliquorum sententiam, iam ab ipso mundi initio affectauerat, cùm dixit, *Similis ero Altissimo.* Isaïæ 14. ver. 14. id est, efficiam vt homines me pro Deo habeant, adorent, & colant.

30. Cur Petrus adorationem Cornelij recusauit.

Ad secundum respondeo, vel Cornelium existimasse diuinum aliquid inesse Petro, & honorem Deo debitum illi deferre voluisse, ideoque iure fuisse ab illo reprehensum, vt exponit Hieron. aduersus Vigilantium, longè post medium : vel potiùs, vt mavult Chrysost. Homil. 23. in hunc locum Actor. Cornelium Piè & Religiosè fecisse, Petrum honorando ; Petrum verò modestè & humiliter se gessisse, honorem illum, quamvis sibi conuenientem, recusando, & monendo se hominem mortalem esse, similem alijs.

Ad tertium respondeo similiter, vel Angelum Ioanni ita apparuisse, vt pro Christo ab ipso haberetur, cuius personam gerebat, & in cuius persona sic loquentem audiuerat, cap. 1. Apocal. *Ego sum primus, & nouissimus : & viuus, & fui mortuus : & ecce sum viuens in sæcula sæculorum : & habeo claues mortis, & inferni.* Atque ita fuit mouendus & corrigendus adorator, propter errorem personæ. Quo sensu D. Augustinus locum illum exponit quæst. 61. in Genes. vbi sic habet : *Nec moueat quòd in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet vt Dominus potiùs adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari : & ideo fuerat corrigendus adorator.* Vel potius, vt ait Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitud. cap. 14. post Gregorium, Bedam, Anselmum, Ricardum, Rupertum, & Scholia Græca, locis ab eo citatis, Ioannes rectè voluit Angelo cultum debitum exhibere, sicut meminerat fecisse Abraham, & Loth, atque alios maiores suos : quem tamen Angelus prohibuit ob reuerentiam humanitatis Christi. Nam ante Christi aduentum Angeli se ab hominibus adorari patiebantur : at posteaquam Deus homo factus est, & omnes Angeli hominem in Christo adorare cœperunt ; noluerunt ipsi ab hominibus adorari, & præcipuè ab Apostolis, alijsque summis viris. Neque tamen sequitur nos malè facere, si Angelos adoremus. Nam & nos rectè illos adoramus (id est, duliæ cultu honoramus) & ipsi rectè adorari recusant. Itaque Ioannes ipse cùm cap. 19. semel audiuisset, *Vide ne feceris, &c.* tamen cap. 22. iterum voluit eundem Angelum adorare. Intelligebat enim & se rectè facere adorando, & Angelum rectè facere recusando : nec enim suspicari licet Ioannem aut obliuiosum, aut indocilem fuisse. Cætera quæ objiciunt hæretici sunt minoris momenti.

31. Et Angelus adorationem Ioannis Apostoli.

SECTIO IV.

Soluuntur aliæ quæstiones de Idololatria.

Circa secundum initio Sectionis præcedentis propositum : Idololatria diuiditur à D. Thoma, quæst. 94. art. 1. in eam, quâ colebantur vt Deus ipsamet statuæ & simulacra, existimando aliquid diuinitatis illis inesse, ac proinde cultum diuinum illis deberi : & in eam, quâ exhibebatur cultus proprius diuinitatis, non ipsis statuis, sed creaturis quarum erant imagines. Prior, tametsi valde stolida, locum tamen habuit apud Ethnicos, vt testatur Scriptura pluribus locis, & patet ex Gentilium scriptis & historijs. Vt autem homines faciliùs in hanc insaniam inducerentur, vel in ea con-

32. Idololatria duplex. Vna erga statuas.

firmarentur, Dæmones interdum, se in statuas illas insinuabant, & in illis edebant oracula, vel aliquid aliud mirabile operabantur, quo persuaderent hominibus aliquid diuinitatis eis inesse. Et vt refert D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 23. ex Mercurio Trismegisto, existimabant Ethnici visibilia & contrectabilia simulacra, velut corpora Deorum esse. Inesse autem his quosdam spiritus inuitatos, qui valerent aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eorum implenda, à quibus diuini honoris & cultus obsequia sibi deferrentur. Atque hæc spirituum inuitatio, & veluti coniunctio cum simulacris, fiebat per quandam artem consecrationis, vt significat ibidem D. Augustinus, addens sequenti cap. 24. Paulum ea de causa affirmare 1. Cor. 10. *Quæ immolant gentes, Dæmonijs immolare*. id est, malis illis spiritibus in simulacris existentibus.

33. Altera erga creaturas idolis repræsentatas. Posterior verò modus idololatriæ, adorans creaturas per idola repræsentatas, tametsi minus habebat stoliditatis, quàm præcedens; neque vt ille, nomen Dei incommutabile lapidibus ipsis & lignis imponebat, diuinitatem illis tribuendo: errabat tamen multipliciter: tum creaturam Dei loco habendo; tum Deorum multitudinem pene infinitam fingendo, maiorum, minorum, parium: neque solùm spiritus creatos, seu dæmones pro dijs habendo; verùm etiam homines, & brutas animantes, & plantas, & arbores, & res quasdam inanimas. Vbi notandum est, vltra duos istos modos adorandi statuas ipsas vt Deos, & adorandi in statuis falsa numina per eas repræsentata; tertium fuisse, quo res aliquas colebant in seipsis vt Deos, quamvis non essent imagines, neque per eas repræsentarentur: vt dracones, Daniel. 14. ignem, ventum, aërem, stellas, solem, & lunam, Sapient. 13. Crocodilum, bouem, leonem, arietem, vt de Ægyptijs testatur Athanasius in oratione contra Idola. Et hæc species Idololatriæ potest quadrupliciter subdiuidi, iuxta quadruplicem differentiam rerum adoratarum. Vna enim erat, quâ colebantur Dæmones: alia, quâ homines, vel eorum animæ, velut diuinitatis participes effectæ: alia, quâ brutæ animantes vel plantæ: alia, quâ res quædam inanimæ.

Alia species erga res non repræsentatas, pro Dijs habitas.

34. Aliæ diuisiones idololatriæ. Secundò, diuiditur idololatria ab eodem D. Thoma art. cit. post D. August. lib. 6. de Ciuit. cap. 5. qui hanc diuisionem sumpsit ex Varrone, in Physicam seu naturalem; politicam, seu ciuilem; & Mythologicam, siue fabulosam. Physica dicebatur illa, quæ ortum habuit ex falsa opinione Philosophorum, existimantium mundum ab ipso Deo animari, vel à quibusdam Dijs inferioribus: qui Pseudophilosophi hac de causa mundum colebant, & adorabant tanquam Deum, & partes eius præcipuas, solem, lunam, stellas, &c. easque varijs Deorum nominibus intelligebant: Apolline Solem, Dianâ lunam, Vulcano ignem, Ioue aërem, Neptuno aquam, Dite seu Plutone aut Cerere terram: vt ex Varrone refert S. August. lib. citato cap. 5. 6. & 8. & lib. 4. de Ciuit. cap. 10. & 11. Ijdemque Philosophi, præcipuè Platonici, adorabant præterea Angelos ipsos, quos minores Deos esse credebant: postque illos ponebant animas cœlestium corporum, & sub his, Dæmonas, quos dicebant esse aërea quædam animalia: & sub his denique constituebant animas hominum, quæ per virtutis meritum ad Deorum, vel ad Dæmonum societatem assumebantur: & his omnibus cultum diuinitatis exhibebant: vt dicit S. Thom. eodem artic. 1. quæst. 94. post D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 14. Hæc igitur idololatria dicebatur ab Ethnicis naturalis seu Physica Theologia, eò quòd à Philosophis orta, ab ijsdem consideraretur in mundo, & doceretur in Scholis. Ciuilis verò dicebatur illa, quæ per Pontifices celebrabatur in templis, & propter cuius vsum Sacerdotes instituebantur, templáque, & altaria ædificabantur. Et hæc præcipuè versabatur circa simulacra ab hominibus facta, tum ea quæ ratione sui colebantur velut in seipsis diuinitatem quandam habentia, propter hominum stoliditatem, vel Dæmonum præstigias; tum alia in quibus adorabantur Dæmones, & aliæ res creatæ, per ea repræsentatæ. Fabulosa denique illa erat, quæ non ex Philosophicis ratiocinationibus, vanis tamen, & falsis, ortum acceperat, vt prima; neque ex hominum stoliditate, & Dæmonum præstigijs, vt secunda; sed ex Gentilium Poëtarum fabulis, qui multa Deorum figmenta inuexerunt, Deos ex hominibus facientes, vt Saturnum, Iouem, Herculem, Iunonem, Venerem, Palladem, Cererem, propter singularem potentiam, aut aliam excellentiam, vel beneficia quædam eximia, hominibus ab ipsis collata.

Idololatria Physica.

Idololatria Ciuilis.

Idololatria Fabulosa.

Circa tertium, de origine Idololatriæ: duplicem eius causam assignat D. Thomas quæst. 94. art. 4. Hominem scilicet, & Dæmonem. Homines autem fuerunt illius causa, partim ex ignorantia veri Dei, cuius excellentiam non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem seu virtutem, diuinitatis cultum exhibuerunt, iuxta illud Sapient. 13. *Neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt*. Partim etiam ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem alium vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem diuinum ei impenderunt; iuxta id quod ait Sapiens cap. cit. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit*: & paulò post addit, homines aut affectui, aut Regibus deseruientes, incommunicabile nomen (scilicet diuinitatis) lapidibus, & lignis imposuisse. Dæmones verò fuerunt causa Idololatriæ quatenus se hominibus colendos exhibuerunt in idolis, dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo; atque ad cultum idololatricum alijs modis eos impellendo. Ex primo capite ortum videtur accepisse idololatria Physica, vt indicat Sapiens capite 13. ver. 1. 2. & 3. Ex secundo, ciuilis & fabulosa, vt idem significat cap. 14. ver. 15. & sequentibus. 35.

Causa idololatriæ: Homines, & dæmones.

Quænam verò illarum antiquior fuerit, & à 36.

Origo Idololatriæ. quo cœperit, obscurum & incertum est. Existimant plerique nullam ante diluuium idololatriam fuisse, propter recentem & viuam eò vsque memoriam creationis mundi, & vnius veri Dei: quod etiam docet S. Thomas quæst. 94. art. 4. ad 2. neque contrarium ostenditur vllo certo indicio, aut antiquorum testimonio fide digno. Non multò vero post fuisse idololatras, patet quia Iudic. 24. dicitur Thare, Pater Abrahæ, seruijsse Dijs alienis: & Nachor similiter, cuius filius Laban habebat idola domestica, quæ Rachel suffurata est, Genes. 31. Refert autem D. Thomas, nec improbat, in secundo argumento artic. citati, dixisse aliquos idololatriam fuisse inuentam secunda ætate mundi à Nembroth, qui, vt dicitur, cogebat homines ignem adorare. Vel à Nino, qui imaginem patris sui Beli adorari fecit. Sapiens verò cap. 14. ver. 15. idololatriam cœpisse dicit ab aliquo, qui filij defuncti imaginem præ nimio eius amore fabricauit, *& illum tanquam Deum colere cœpit: & constituit inter seruos sacra, & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex, custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Sed quis ille fuerit, quove tempore vixerit, non designat Sapiens, neque aliunde constat. Quod enim scribit de Cyrophane Ægyptio auctor Mythologiæ attributæ S. Fulgentio, lib. 1. cap. *Vnde idolum dicatur*, illum scilicet statuisse filij mortui simulacrum in ædibus suis, cui familia vniuersa, in Domini adulationem aut coronas plectere, aut flores offerre, aut odoramenta succendere consueuerat: nonnulli etiam seruorum culpabiles, Domini furorem vitantes, ad simulacrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori, florum aut thuris offerebant munuscula, timoris potiùs effectu, quàm amoris affectu. Hoc, inquam, nullius est auctoritatis: neque S. Fulgentius eius libri auctor est, sed Grammaticus quidam Placiades Fulgentius, vt Molanus notauit.

Physica præcessit ciuilem. Existimo autem Sapientem ibi loqui tantùm de idololatria ciuili, quæ fit per simulacra: esséque probabile multis saltem in locis præextitisse ciuili Physicam: vt de Romanis testatur Plutarchus in vita Numæ, vbi affirmat templa Romæ fuisse sine idolis centum & septuaginta annis ab vrbe condita. Et Eusebius lib. 1. de præparat. Euangel. cap. 6. dicit Ægyptios primos omnium Solem & Lunam Deos putasse, & terram ipsam vt Deum adorasse; neque hoc tempore fuisse vsos simulacris, aut templis: quia neque pingere, neque fingere, aut cælare, sed nec ædificare adhuc sciebant. Neque obest illud Sapient. 14. ver. 12. quod in contrarium opponit Suar. tract. 3. de Relig. lib. 2. cap. 5. num. 13. *Initium fornicationis, exquisitio idolorum: & adinuentio illorum, corruptio vitæ est:* Nam ibi loquitur Sapiens de idololatria per simulacra, vt patet ex verbis immediatè sequentibus: Tantúmque sibi vult idololatriam esse causam & originem omnium peccatorum; id est, omnia vitia ex idololatria oriri posse, & solere: iuxta id quod ibidem ait ver. 24. *Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat, &c. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis:* id est, omnia solent ab illa proficisci; & ad illam, quasi ad extremum apicem, & peruersitatis fastigium euadunt. Non quòd idololatria sit adæquata causa huiusmodi vitiorum: sæpe enim aliunde oriuntur, & idololatriam præcedunt, illique occasionem præbent: Sed quòd omnia [...]nt ex idololatria oriri, & maximam occa[...] in illa habeant; vt ait ipsemet Suar. cap. 6. lib. cit. num. 16. in fine.

Quod denique ad quartum attinet, D. Thomas quæst. 94. art. 3. docet idololatriæ peccatum esse grauissimum ex parte ipsius peccati: licet ex parte dispositionis ipsius peccantis possit aliud peccatum esse grauius idololatriâ. *Sicut enim*, inquit, *in terrena Republica grauissimum esse videtur quòd aliquis honorem Regium alteri impendat, quàm vero Regi* (quia quantum in se est, totùm Reipublicæ perturbat ordinem) *ita in peccatis quæ contra Deum committuntur* (quæ tamen sunt maxima) *grauissimum esse videtur quòd aliquis honorem diuinum creaturæ impendat: quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum diuinum. Ex parte tamen ipsius peccantis fieri potest vt aliqua alia peccata sint grauiora, propter maiorem contemptum peccantis, vel propter ignorantiam committentis peccatum idololatriæ.* Quibus verbis D. Thomas significare videtur idololatriæ peccatum, esse de se omnium grauissimum absolutè, & vniuersaliter, id est, facta comparatione cum omnibus alijs, illis etiam quæ opponuntur virtutibus Theologicis. Dicit enim peccatum istud secundùm se, & ex parte ipsius peccati, esse grauissimum inter omnia peccata quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima. Et in solutione primi argumenti, quo sibi obiecerat, pessimum esse id, quod opponitur optimo: Cultus autem interior, qui consistit in Fide, Spe, & Charitate, est melior quàm cultus exterior: Ergo infidelitas, desperatio, & odium Dei, quæ opponuntur cultui interiori, sunt grauiora peccata, quàm idololatria, quæ opponitur cultui exteriori: Respondet idololatriam præsupponere interiorem infidelitatem, & adjicere exteriùs indebitum cultum. Si verò sit exterior tantùm idololatria, absque interiori infidelitate; addere culpam falsitatis, exhibendo exteriùs cultum diuinum ei, quem in corde credit non esse Deum. In quo damnabiliùs agit, vt de Seneca dicit S. Augustinus lib. 6. de Ciuit. cap. 10. Atque ita D. Thomam interpretantur Thomistæ, præsertim Caiet. ibid. affirmans summam & perfectam idololatriam esse grauius peccatum infidelitate, & odio Dei, quia vtrumque includit, & vtriusque est protestatio. Colens namque idola, inquit, quantum in se est, tollit à Deo suam singularem excellentiam, quâ solus Deus est: hæc autem est sua deitas: quod ad odium Dei spectat: Et negat huiusmodi singularitatem: quod ad infidelitatem spectat.

37. Sitne idololatria grauissimũ peccatorum.

Odium Dei est grauius peccatũ. In contrarium verò est, quod idem S. Doctor quæst. 10. art. 3. iuncta q. 20. art. 3. expressè

docet peccata quæ directè opponuntur virtutibus Theologicis, esse ex suo genere grauiora alijs peccatis. Nimirum quia directè opponuntur virtutibus excellentioribus. Inter quas sicut excellentissima est Charitas, ita formale odium Dei est grauissimum absolutè & vniuersaliter inter omnia peccata, velut directè contrarium virtuti nobilissimæ, vt docet etiam S. Thomas quæst. 34. art. 2. Quare ne sibimetipsi videatur apertè contradicere his locis specie tenus pugnantibus, dicendum est sensum illius esse quæst. 94. art. 3. quòd Idololatria sit grauissimum peccatorum, non præcisè sumpta, sed ratione adiunctorum quæ habere solet quando est vera & perfecta. Quamvis enim consistat formaliter & præcisè in eo solùm quòd honor diuinus per affectum, & per signa quædam externa, tribuitur creaturæ: solet tamen habere adiunctam formalem infidelitatem in ijs qui ex animo colunt idola, credentes esse Deos: & odium in illis qui non errantes per infidelitatem, tamen per affectum internum & ex animo tribuunt honorem diuinum illi, quem Deum non esse credunt.

38. Idololatria tripliciter committi potest.

Notandum enim est peccatum idololatriæ tripliciter posse committi. Primò, credendo Deum esse id, cui falsò tribuitur interiùs & exteriùs honor diuinus: Vt faciebant pleríque Ethnicorum, arbitrantes esse Deos idola, vel creaturas, quas ex affectu colebant. Secundò, credendo non esse Deos, & tamen interiùs & exteriùs honorando vt Deos. Potest enim voluntas pro sua libertate peccare contra dictamen intellectus: & cultum internum, atque externum, deferre illi, qui eo indignus agnoscitur. Tertiò, exhibendo tantùm exteriùs cultum diuinum, absque interno errore, & sine affectu interno submissionis: vt fecerunt aliqui eruditiores inter Ethnicos, vanitatem suorum Deorum agnoscentes: sicut de Seneca scribit D. August. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. & de Cicerone Lactant. lib. 2. Institut. cap. 3. Vt etiam contigit aliquibus Christianis, qui vi, aut metu tormentorum adacti, simulabant tantùm exteriùs, se colere idola. Et hic postremus modus, tametsi graue peccatum est contra Religionem, & contra fidei professionem: tamen per se loquendo est minus peccato idololatriæ alijs duobus modis commisso. Deterius enim est aliquem vt Deum interiùs agnoscere & colere, quàm exterius tantùm simulare cultum internum: neque est vera & perfecta idololatria, quæ formaliter consistit in eo, quòd idolum, vel alia creatura interiùs & exteriùs honoretur vt Deus: sed tantùm imperfecta, & simulata. Dico autem, *per se:* quia per accidens, ratione ignorantiæ, fieri potest vt minùs peccet Ethnicus aliquis colens idolum ex animo, quàm Christianus simulans: vel etiam ratione grauissimi scandali, propter conditionem personæ. Quo sensu intelligendum est quod D. Augustinus dixit de Seneca loco supra citato, *Eò damnabilius coluisse idola, quò illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret.* Inter alios verò duos idololatriæ modos secundus grauior est in ratione idololatriæ. Quia licet

Quænam grauius peccatū est?

prior supponat infidelitatem: formalis tamen idololatria, consistens in cultu interno & externo, peior est, & magis culpabilis, quando ex certa scientiâ, & absque ignorantia, vel errore intellectus, tribuitur honor interiùs & exteriùs falso Deo, cognito vt tali. Solétque hæc idololatria ex odio Dei procedere; quamvis etiam ex adulatione, vel alio affectu inordinato possit oriri. His suppositis, D. Thomas in hunc sensum intelligendus est, quòd idololatria considerata cum adiunctis, vel infidelitatis, vt in primo modo; vel odij, vt in secundo, sit respectiuè grauius peccatum infidelitate, & odio Dei: non præcisè sumpta & formaliter, sed extensiuè, quatenus addit infidelitati, & odio, rationem formalem idololatriæ. Iuncto etiam quòd, vt addit D. Thom. quæst. cit. art. 4. ad 1. Idololatria est occasio & finis omnium aliorum peccatorum, partim ex natura talis vitij, partim etiam Dei permissu, in pœnam tam grauis peccati; vt docet Apost. Rom. 1. vers. 26. & Sapiens cap. 14. ver. 27.

39. Idololatria perfecta non includit infidelitatem, & odium Dei.

Ex dictis patet non esse verum quod ait Caiet. infidelitatem, & odium Dei includi in idololatria perfecta & summa. Tum quia, vt dixi, vera & perfecta idololatria consistit solùm in cultu interno & externo idoli, aut creaturæ, loco Dei: qui cultus sine infidelitate, & odio Dei esse potest. Tum etiam quia, quando idololatria est illis coniuncta, non sunt hæc illius pars & ratio intrinseca; sed causa efficiens & extrinseca, vel motiuum externum. Quod autem dicit Caiet. idololatriam adimere Deo suam deitatem, quod ad odium spectat, & eandem negare, quod spectat ad infidelitatem: non est verum, nisi de odio, & negatione virtuali, & interpretatiua, respectu idololatriæ præcisè & formaliter sumptæ: quod odium virtuale & interpretatiuum, & negatio, reperitur aliquatenus in omnibus alijs peccatis mortalibus, quæ sunt auersio à Deo, & conuersio ad creaturam aliquam, saltem ad propriam voluntatem, constituendo in illa virtualiter quodammodo & interpretatiuè suum vltimum finem.

Est grauissimum peccatū inter opposita virt. moralibus.

Porro licet idololatria non sit peccatum grauius illis omnibus quæ opponuntur virtutibus Theologicis: est tamen grauissimum inter ea omnia quæ opponuntur virtutibus Moralibus: quia directè opponitur Religioni quæ inter omnes virtutes Morales præstantissima est: & est grauissimum inter omnia peccata Religioni opposita, vt communiter docent Theologi, teste Suare lib. 2. cit. cap. 6. num. 9. quia est crimen læsæ maiestatis diuinæ, maximè contrarium summæ illius excellentiæ, & honori.

40. Pœnæ Eccles. contra idololatras quomodo incurruntur?

Quod verò attinet ad pœnas Ecclesiasticas statutas contra idololatras in iure Canonico, dico breuiter nullas incurri ipso facto, nisi idololatriæ sit adiuncta interna hæresis, vel apostasia à fide: ratione cuius, iunctæ cum actu externo idololatriæ quo infidelitas interna manifestatur, incurruntur sine dubio pœnæ omnes contra Hæreticos & Apostatas latæ, de quibus diximus disp. 14. Sect. 8. num. 80. & sequentibus. Nullæ verò aliæ, quæ ipso facto incurrantur, iure Canonico statutæ sunt contra

idololatras. Perperam autem Caietanus ad art. 1. quæst. 94. extendit pœnas supradictas ad eos, qui exteriùs tantùm simulant idololatriam: quia, inquit, tale peccatum habet verè malitiam infidelitatis, & apostasiæ externæ: quare sicut incurreret excommunicationem latam contra furantes ille qui ex metu furaretur, propterea quòd verè furtum committeret: sic, &c. Respondeo enim discrimen esse: quia iste verè & formaliter committeret peccatum furti: ille verò qui exteriùs tantùm simulat idololatriam, non committit verè & formaliter peccatum infidelitatis, & apostasiæ à fide, quod consistit & consummatur in errore intellectus opposito fidei, quem iste non habet. At illæ pœnæ Ecclesiasticæ, sunt latæ contra peccantes per hæresim, vel apostasiam: & sunt iuxta proprietatem verborum explicandæ de vera & perfecta hæresi, vel apostasia; non autem de ficta & simulata.

SECTIO V.

De Superstitiosa diuinatione.

41. Idololatria tacita duplex. PRæter expressam idololatriam, de qua hucvsque diximus, quâ scilicet aliquid aliud Dei loco expresè colitur, alia duplex est tacita, quâ quippiam ope alterius, veluti Dei loco, cognosci vel fieri appetitur & tentatur. Nam vt rectè ait D. Thomas quæst. 92. art. 2. in corp. Dei cultus non ordinatur solùm ad reuerentiam Deo exhibendam; verùmetiam ad hoc, quòd homo instruatur à Deo quem colit; & ad quandam directionem humanarum actionum, secundùm instituta Dei qui colitur, opémque ab ipso implorandam ad operandum. Contra primum peccatur per idololatriam expressam, quâ creatura Dei loco expresè colitur. Contra secundum, per superstitionem diuinatoriam, quâ, vt occulta cognoscantur, consuluntur dæmones per aliqua pacta cum eis inita tacitè, vel expresè. Contra tertium peccatur per superstitionem vanarum obseruationum, quâ homines conantur ope dæmonum effectus aliquos operari: siue effectus illi sint externi & sensibiles: siue interni, vt affectus voluntatis, aut appetitus sensitiui, vel imaginationis & phantasiæ impressiones, & perturbationes. Quæ tria genera superstitionis attigit D. August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. dicens superstitiosum esse quidquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda idola pertinens: vel ad consultationes, & pacta quædam significationum, cum dæmonibus placita atque fœderata: vel ad ligaturas, & cætera huiusmodi.

42. Inuocatio dæmonũ ad sciendum, aut operandum, quomodo idololatrica? Dixi autem, quando id quæritur ope alterius, veluti Dei loco: quia nisi qui dæmones consulunt vt per illos occulta discant, vel illorum opem implorant ad effectus quos optant virtute illorum operari; habeant illos quodammodo Dei loco; non peccant propriè per idololatriam tacitam, neque per superstitionem strictè & propriè dictam: sed per vitiosum commercium cum dæmonibus. Dupliciter autem possunt illi tacitè habere dæmones Dei loco: Primò, quatenus tacitè vim illis tribuunt occulta quæque, etiam futura libera, cognoscendi: quod solius Dei proprium est: vel independentiam, & potentiam agendi quidlibet pro arbitrio: quod Deo quoque soli conuenit. Secundo, quatenus licet interdum ab illis petant reuelari, aut fieri, quæ naturali eorum virtute cognosci, aut fieri possunt: tamen consentiunt dæmoni diuinam excellentiam in eiusmodi reuelationibus, & operationibus mirabilibus affectanti: & ad illum se conferunt, qui Dei gloriam, quantum potest, minuere conatur, séque illius publicum hostem profitetur: quod dum faciunt, tacitè saltem malæ illius intentioni consentiunt: vt ille qui transiret ad partes hostis Reipublicæ denuntiati, illique faueret. Et denique Deo relicto, atque quodammodo inuito, recurrunt ad dæmones, illisque se subjiciunt velut egentes eorum auxilio, quod implorant, & in quo confidunt: atque ita dæmonem Dei loco substituunt: iuxta illud 4. Reg. 1. *Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Et 1. Reg. 28. ver. 15. *Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.*

Dixi præterea inesse in diuinatione, & magia seu vana obseruantia, tacitam idololatriam: non quòd interdum expressa esse nequeat, sed quia diuinatio & magia non id requirit ex natura sua: sicut neque idololatria requirit habere diuinationem aut magiam, quamvis sæpe adhibeatur ad illarum effectus consequendos. Itaque malitia huius duplicis superstitionis in eo consistit, quòd relicto vero Deo, recurratur ad dæmones, illorúmque disciplinæ homines se submittant, vel vt occulta discant, vel vt per artem ab illis traditam, aut eorum interuentum, operentur effectus magicos: atque ita cum illis societatem & communicationem habeant: contra illud Apostoli 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum:* Et Deuter. 18. ver. 10. *Non inuenietur in te qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria: nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos: aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Et Leuit. 20. ver. 6. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui:* Et paulò pòst, ver. 27. *Vir, siue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.* 43. In quo consistit malitia huius peccati?

Potest autem diuinatio superstitiosa ita definiri: Est cognitio, vel inquisitio occultorum, indebitis modis, miniméque à diuina prouidentia constitutis, neque per eius speciale auxilium, sed per interuentum dæmonis, tacitè vel expresè inuocati, & Dei loco quodammodo habiti. Dixi, *occultorum:* id est, eorum, quæ naturali via & modo cognosci nequeunt ab hominibus: siue futurorum, siue præsentium, siue præteritorum. Dixi etiam, *modis indebitis, &c.* vt discernatur diuinatio à Pro- 44. Diuinatio superstitiosa quid sit?

phetia, vel à naturali inquisitione, quæ vel Dei instinctu, vel debitis alijs modis, occultorum notitiam assequuntur. Dixi tertiò hanc cognitionem, vel inquisitionem fieri per dæmonis interuentum tacitè vel expressè inuocati: quia si ad occulta cognoscenda recurreretur solùm ad Deum, quamvis inordinatè, vt discipuli Actor. 1. à Christo reprehensi, quando eum interrogarunt si in tempore hoc restitueret regnum Israel: non pertineret hoc peccatum ad diuinationem: sed ad tentationem Dei, vel aliam ineptam curiositatem. Idémque dico si ad sanctos Angelos, vel ad homines cum Christo regnantes recurreretur. Si verò ad media, & signa naturalia veritatis occultæ: esset tantùm discursus naturalis. Quare necessarium est vt diuinatio superstitiosa nitatur semper dæmonis auxilio, illiúsque opem tacitè vel expressè imploret. Expressè quidem, quando verbis explicitis inuocatur dæmon, vel vsurpantur signa ad id ab ipso instituta, non ignorando talem institutionem. Tacitè verò, quando vanis medijs & obseruationibus inutilibus seriò procuratur inquisitio occultorum, adhibendo fidem talibus signis. Nam hoc ipso quòd quis seriò vtitur talibus medijs, quibus dæmon se facilè immiscet, & cum animo adhibendi illis fidem; tacitè quærit ab illo doceri. Neque illum excusat, quod dicat se non intendere dæmonis opem implorare. Nam contrarium re ipsa facit, dum seriò vtitur talibus medijs ad illum finem, ad quem vtilia esse nequeunt, nisi per dæmonis interuentum. Non est quoque necessarium ad hanc tacitam inuocationem, quòd dæmon aliàs pactum cum aliquo inierit de occultis detegendis per talia media, à quibuscunque adhibeantur: sed sufficit quempiam illis seriò vti, & dare occasionem dæmoni se immiscendi, vt solet, huiusmodi vanitatibus: sic enim illum quodammodo inuitat. Cùm enim neque ex natura sua significent, aut naturalem habeant connexionem cum occultis quorum notitia quæritur, vt supponimus: neque à Dei institutione & reuelatione expectetur illa cognitio, & consequenter neque à Sanctis Angelis, vel hominibus beatis: sequitur vt eam velit & expectet à dæmone, in eiusque doctrina, & instructione tacitè fundetur. Quia, vt bene ait Suares tract. 3. de Religione lib. 2. cap. 9. num. 12. non potest acquiri cognitio alicuius rei occultæ per aliquod signum, quod illam ex natura rei non significat, nisi quia significare creditur ex impositione alicuius habentis auctoritatem. Sed signa illa, de quibus nunc loquimur, non sunt naturalia. Ergo qui illis vtitur tanquam vtilibus, credit esse imposita ad significandum ab aliquo habente auctoritatem, cui credendum sit. Non sunt autem imposita à Deo, & consequenter neque à Sanctis Angelis, aut beatis spiritibus: ergo à dæmone. Ergo vti illis signis, est tacitè & virtualiter saltem velle à dæmone discere, & illi credere: Et hoc ipsum est aliqua societas, aut pactum implicitum cum illo.

Nititur dæmonis auxilio.

45. Dixi autem, *si quis seriò vtatur:* quia secus est si ioci tantùm & vanitatis causâ vtatur, credens esse vana & inutilia: vel pueriliter, & ex mera stultitia. Sunt verò signa, quæ adhibentur ad diuinandum, inutilia, quando neque diuinitas ad hunc finem instituta sunt: neque naturalem habent connexionem cum tali cognitione, vel tanquam causæ rei occultæ, cuius cognitio quæritur; vel tanquam illius effectus; vel tanquam necessariò connexa in aliqua causa, quæ sit communis vtrique. Quorum modorum primo ignis est signum naturale caloris: secundo, fumus est signum ignis: tertio, matutinus color cæruleus Solis, est signum pluuiæ; igneus verò, est signum ventorum: quia eadem cœli vel aëris dispositio quæ est causa illius coloris, est etiam causa pluuiæ, & ventorum.

Signa vtilia, vel inutilia ad diuinandum.

Dixi præterea, *dæmonis inuocati:* quia si tantùm conuenienti modo adiuretur, vt fit ab exorcistis interrogantibus eius nomen, vt per illud compelletur, & nominatim maledicatur, increpetur, vrgeatur; vel causam ingressus, vt amoueatur; vel socios, vt exire cogantur: non est diuinatio, neque dæmonis inuocatio & honoratio: sed potiùs iusta coactio, & inhonoratio. Addidi denique, *& Dei loco quodammodo habiti:* propter rationem allatam num. 42.

Adiuratio conueniens dæmonis non est inuocatio.

46. Est autem notandum discrimen inter diuinationem illam, quæ fit cum pacto expresso cum dæmone, siue verbis, siue ipso facto: & illam, quæ fit per tacitam solùm & virtualem eius inuocationem, modo iam explicato: quòd illa semper est peccatum mortale, in quacunque materia; propter nefarium commercium cum dæmone. Ista verò potest interdum excusari à mortali, vel propter ignorantiam, quia non ita semper nota est eius malitia: vel quia somnia, astra, auguria, sortes, & similia, non obseruantur habendo illis certam fidem, sed suspicionem tantùm, aut timorem ex illis concipiendo. Vnde etiam non est graue peccatum aliquoties facere quippiam, vel omittere, propter hunc vanum timorem: secus autem velle ad eorum quasi normam suas omnes actiones dirigere: vt bene docent Sanches lib. 2. in Decalog. cap. 38. num. 21. & 22. & alij quos iste citat. Qui etiam monent periculosum esse actiones tuas secundùm illa dirigere, licet illis minimè credatur. Quia Deus iustè permittit talium obseruatores malè perire: & dæmon sensim ad peiora trahit: & hac via solent homines duci ad infidelitatem, aliáque grauia peccata.

Virtualis inuocatio dæmonis quale peccatum est?

47. Aduertendum enim secundò est, solere multa alia peccata cum diuinatione coniungi. Vnum est, periculum deceptionis perniciosæ vel consulenti, vel alijs; vt experientiâ patet, & notauit D. August. lib. 2. de Genesi ad literam cap. 17. nimirum quia dæmon vel ignorat id quod quæritur, vel mendax est, & viam nocendi libenter arripit. Alterum est, fides habita dæmoni, & captiuatio intellectus siue submissio in illius obsequium, similis illi, quæ Deo datur in obsequium fidei. In quo est species quædam idololatriæ, vel infidelitatis, si dæmon apprehenditur vt numen infallibile, vel si credatur non esse mendax, & tutò illi fidem haberi posse. Tertiò, solet etiam coniungi cum diuinatione quæ fit cum pacto expresso, seu formali dæmonis inuocatione, cultus illius expressus: siue

Peccata diuinationi iungi consueta.

duliæ, quali solent honorari Sancti propter suam excellentiam supernaturalem: siue etiam latriæ, per sacrificia, & alias ceremonias cultus diuini proprias: in quo est expressa idololatria. Quartò, solent etiam illi adiungi blasphemiæ contra Deum, abnegatio Christianismi, sui deuotio, & animæ suæ donatio, promissio nunquam redeundi in gratiam cum Deo, neque Sacramentis vtendi, sed dæmoni in perpetuum adhærendi, & similia, ad quæ dæmones solent diuinos, & magos adigere, quæque ab illis debent inquiri à Iudicibus, & à Confessarijs, in vtroque foro.

48. Quomodo possunt dæmones scire futura? Quamvis autem dæmones non possint per se, & solis viribus naturalibus, cognoscere futura libera: ex quo fit vt in illis reuelandis sæpe fallantur, sæpe etiam ambiguè loquantur, vt videantur verum dixisse, quicunque euentus contingat: possunt tamen aliqua cognoscere multis de causis. Primò, quia cognoscunt inclinationes hominum, & affectiones, longâque experientiâ nouerunt quò eorum voluntates valde probabiliter in his aut illis circunstantijs declinaturæ sint. Secundò, quia sæpe instigant fortiter homines ad ea, quæ ipsi futura prædixerunt, alijsque modis procurant vt eueniant: & ipsi homines ex prædictione fiunt audaciores, magisque conantur ad assequendum id, quod prædictum fuit, si bonum illis & optabile videtur: vel è contrario timidiores, si malum & detestabile. Tertiò, quia quædam huiusmodi per seipsos præstant. Vt si dæmon, acceptâ à Deo potestate nocendi Iob, prædixisset mala, quæ illi in se, & in rebus suis erat illaturus: vel si morbus per maleficum sit illatus ad tempus, potest illius finem prædicere, quem fore præuidet cessante maleficio. Quartò, ex clandestinis hominum consilijs, verbis, & scriptis, possunt futuras deliberationes, vel earum effectus solertissimè conjicere. Vt fore cras talem occidendum: bellum esse breui ineundum: talem intra aliquod tempus esse regno deponendum. Quintò, possunt etiam aliqua doceri per Deum, & Angelos bonos, quoad ea, in quibus Deo seruiunt tanquam ministri iustitiæ ipsius. Sextò, meliùs intelligunt, quàm homines communiter, reuelationes in Scriptura contentas. Norunt quoque multas prædictiones factas viris sanctis, diuersis temporibus, quarum etiam aliquæ in eorum libris continentur.

Faciliùs cognoscunt præterita, & præsentia. Præterita verò facilè possunt cognoscere per species, vel alia vestigia ab illis relicta: & præsentia, per seipsa, vel per eorum indicia sufficientia, quamvis longè à nobis dissita. Possunt enim ob incomparabilem motus sui celeritatem, promptissimè denuntiare quæ geruntur in locis remotissimis. Loquor autem de futuris liberis. Nam futura necessariò à causis naturalibus, sunt illis certò nota in causis iam ad illa dispositis: vt sitne futura sequenti anno vbertas frugum, an sterilitas? sitne tali die futura tempestas in mari, aut serenitas aëris? & similia.

49. Dæmones varijs modis reuelant occulta. Varijs quoque modis possunt dæmones reuelare occulta, siue futura, siue præterita, aut præsentia longè à nobis distantia, vel aliter extra nostram cognitionem posita: ex quibus variæ species diuinationis existunt, materialiter saltem distinctæ. Primò, per se immediatè formando & edendo voces, vel alia signa, quibus cognoscantur: siue visibiliter apparendo in corpore assumpto; siue inuisibiliter, seipsis solùm (id est, sine visibili forma assumpta) signa illa exhibendo. Secundò, per homines viuos, quos inspirant, vt suo instinctu occulta cognoscant, & detegant, qui Pythones, & gastriloqui appellantur. Tertiò, per statuas, quæ à Paganis dicebantur oracula. Quartò, per mortuum, quem fingunt suscitari, vel per eius spiritum reducem; quæ Necromantia dicitur; vel Craniomantia, quando dæmon respondet per caput hominis mortui. Quintò, per speciem aliquam præstigiosam, oculis obiectam, vel auribus, quæ præstigium dicitur. Sextò, per varia visa in imaginatione; quæ si in somnis contingant, dicitur Oniromantia: si in vigilia, vocari potest Pseudoprophetia. Septimò, per signa quædam externa, quæ si appareant in extis animalium, vocatur aruspicium: si in auium cantu, aut volatu, aut motu aliorum animalium; appellatur augurium, omen, auspicium: si in terra, Geomantia, si in aqua, Hydromantia: si in aëre, Aëromantia: si in igne, Pyromantia; si per cribrum, Coscinomantia: si per peluim aquâ plenam, Lecinomantia: si per speculum, Ispotromantia: si per sortes consultorias, aut diuinatorias, sortilegium. Item, si diuinatio fiat per astra, vocatur astrologia iudiciaria: si per inspectionem lineamentorum vultus, Physiognomia: si frontis, Metoposcopia: si dorsi & scapularum, Notomantia: si manus, Chiromantia. His enim modis omnibus solent homines, ope dæmonum, occulta quædam reuelare, nullam cum huiusmodi rebus naturalem connexionem habentia, quæque per illa media non possunt naturaliter cognosci à Diuinatoribus. (Hinc variæ species diuinationis.) Quod addo, quia non est superstitiosum cognoscere ex somnijs, verbi gratiâ, ea quæ pertinent ad temperamentum corporis, quæque Medici ex illis naturaliter cognoscere possunt: vt quòd corpus abundet melancholiâ, si tristia somniet, mortem, caliginem, profundas tenebras: pituitâ, si aquas, pluuias, niues, grandines: Cholerâ, si ignem & incendia: sanguine, si somniet se volare, aut celerrimè currere: grauetur humoribus, si è contrario somniet se premi graui pondere, aut versari in locis angustis; vel quod abundet putridis humoribus, si somniet se in fimo, & cœno versari. (Quæ possint naturaliter cognosci ex somnijs? aut ex physiognomia, vel ex astris, &c.) Similiter non est superstitiosum conjicere ex lineamentis vultus, aut frontis, aut manus, temperamentum corporis, & alia quædam, quæ sunt naturaliter cum illis lineamentis connexa: vel ex astris, ea quæ naturaliter sequuntur ex ipsorum influentijs, vt pluuias, ventos, aëris serenitatem, abundantiam frugum aut sterilitatem, naturalem complexionem, & inclinationem hominum ad hæc vel illa opera, aut studia: quæ omnia pertinent ad astrologiam naturalem: vel ex auium cantu, aut volatu, aliorúmque animalium motibus, nonnulla quæ cum illis esse naturaliter connexa docet experientia, propterea quòd ab eadem causa naturali sequi solent: & per aliquam corporis sui immutationem præsentiuntur ab animalibus

talia signa edentibus immutationis suæ, & consequenter alterius effectus naturalis, ab eadem causa procedentis, vt venti, pluuiæ, serenitatis, tempestatis, &c.

50. Quæ non nisi superstitiosè? Sed superstitiosum est velle per media supradicta acquirere cognitionem earum rerum, ad quam non deducunt nisi per instructionem & doctrinam dæmonum. Cuiusmodi est in primis certa cognitio futurorum liberorum, quæ Dei propria est, iuxta illud Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dij estis vos*: quæque non habent vllam necessariam connexionem cum huiusmodi medijs, siue vt causis, siue vt signis naturalibus. Quare si sunt aliter illorum signa, debent esse ex instituto alicuius causæ cognoscentis. Cúmque non sint ex institutione Dei, vt supponimus; & consequenter neque Angelorum, vel Sanctorum, ad quos etiam Diuini non recurrunt; neque etiam ipsorum hominum, quorum naturalem intelligendi vim superat certa prænotio liberè futurorum: superest vt sint ex institutione dæmonis, qui vtcunque illa nouerit aliquâ viâ ex recensitis suprà, num. 48. Huiusmodi etiam est cognitio rerum per se occultarum, quæ in præsenti tempore fiunt; vt cogitationum, & affectionum cordis humani, nullo externo indicio patefactarum. Vel eorum quæ per se quidem sensibilia sunt, sed per accidens adeo sunt occulta, vt sub humanum sensum & cognitionem cadere non possint eo tempore, & modo, quo illorum notitia quæritur: vel quia nullis sensibilibus signis nobis indicantur, vt thesauri in terra, vel in mari latentes, & proprietates multarum herbarum, plantarum, & lapidum: vel in locis remotissimis fiunt, ad quos sensus nostri non pertingunt: vel iamdiu præterita sunt, & nullum habemus eorum vestigium: vel denique licet talia sint, vt possit eorum cognitio naturali labore & diligentia acquiri; volumus eam sine labore & studio, momento assequi, vel breuiori tempore, faciliori modo, & maiori certitudine, quàm viribus solis naturalibus possimus.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.

51. Argumenta pro diuinatione malè excusanda. FRustra vero Diuini, ad tegendam artis suæ improbitatem & superstitionem, objiciunt primò illud Iob 37. *Qui in manu omnium hominum signat, vt singuli nouerint opera sua*: ex quo inferunt posse per Chiromantiam cognosci naturaliter quidquid homines liberè facturi sunt, quia Deus eorum opera per lineamenta & configurationem manus designauit, & veluti descripsit. Secundò, ex astris posse cognosci temperamentum hominis, cuius sunt causæ: & consequenter naturalem inclinationem ad hæc & illa vitia, vel opera bona: vnde saltem valde probabiliter conjici potest quid sint liberè facturi, cùm soleant homines naturalem propensionem sequi, & pauci ac rarò illi resistant. Tertiò, eadem astra, si non vt causas, saltem vt signa futurorum valere posse ad ea prænoscenda. Sunt enim diuinitus ad id instituta, iuxta illud Genes. 1. *Sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: meritóque Origenes apud Euseb. lib. 6. de præparat. cap. vlt. dicit potuisse fieri cœlum tanquam librum à Deo conscriptum, ad futura significanda. Ad quod confirmandum adducit illud Isaiæ 34. *Complicabuntur cœli vt liber*: cui simile est quod dicitur Apocal. 6. *Cœlum recessit sicut liber inuolutus*: & ex libro quodam, cui titulus erat, *Narratio Ioseph*, refert Iacob dixisse, *Legi in tabulis cœli, quæcunque contingent vobis, & filijs vestris.* Quartò opponunt præterea Diuini, multa futura præsignificari per somnia: vt patet ex somnijs Ioseph, Pharaonis, eiúsque Pistoris, & Pincernæ, & Nabuchodonosoris, aliorúmque plurium in Scripturæ: & Iob. 33. sic dicitur: *Per somnium in visione nocturni, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit* (Deus scilicet) *aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ.* Quintò, Sanctos quoque, in Scriptura laudatos, vsos esse augurijs, & ominibus: vt Noë visâ columbâ ramum oliuæ deferente, Genes. 8. & Eliesérem seruum Abrahæ, in eligenda vxore Isaac Genes. 24. & Ioseph, quide se ipso dixit, Genes. 44. *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* & paulò ante dixerat eius œconomus, *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Vir autem ille Sanctus non fuisset vsus augurijs, neque laudem illam captasset, si essent superstitiosa. Et Gedeon vsus est omine in interpretatione cuiusdam somnij, Iudic. 7. & Ionathas in explorando num deberet aggredi Philistæos, 1. Reg. 14. Sextò denique addunt, Sanctos quoque viros in Scriptura sortibus vsos esse ad aliquid occultum cognoscendum: vt Iosue cap. 7. ad furtum Achan detegendum: & Samuelem, ad eligendum Saülem in Regem, 1. Reg. 10. & Apostolos, ad substituendum Matthiam loco Iudæ, Act. 1. & Prouerb. 16. sic dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Ionas etiam sorte agnitus fuit, Ionæ 1. & Luc. 1. dicitur de Zacharia, *Sorte exijt vt incensum poneret*: & Leuit. 16. sorte eligebatur quid esset offerendum Deo.

Ad primum respondeo, verum illius loci sensum esse, vt bene exponit Suar. tract. 3. de Religione lib. 2. cap. 10. in fine, post Pinedam, & alios; Deum præcipiendo niui vt descendat in terram, & hyemis pluuijs, & imbri fortitudinis suæ, vt dicitur versu præcedenti; per has temporum varietates, & iniurias, sæpe impedire homines ab operibus agriculturæ, & quasi claudere eorum manus, ne laborare possint (sumitur enim ibi *signare*, pro *claudere*) vt nouerint singuli opera sua, id est, vt singuli sibi prospiciant, quid quovis tempore debeant agere, & curam habeant suorum operum, neque tempus opportunum laborandi otiosè sinant effluere, cùm tam facilè mutatâ cœli dispositione impediri possint. Cui explicationi bene cohærent quæ sequuntur, *Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur*, coacta scilicet cœli intemperie, vt vitet aëris iniurias. 52. Exponitur locus Iob.

53. Notitia temperamenti ex astris est valde incerta.

Ad secundum respondeo primò, cognitionem illam temperamenti, & inclinationis cuiusque ex astris, esse valde incertam & fallibilem: tum quia instans natiuitatis, ex quo astrologi capiunt eius notitiam, est illis valde incertum: & tamen, vt aiunt, vel breuissimi temporis differentia magnam affert varietatem, ob celeritatem motus astrorum. Tum etiam quia cuiusque complexio non pendet solùm à puncto natiuitatis, sed multò magis à puncto conceptionis, & à toto tempore, quo infans manet & fouetur in vtero: verùm quia punctus conceptionis est illis ignotus, idcirco horoscopum petunt ex sola natiuitate; cùm tamen astra multò magis antea in corpus infantis influxerint. Item, quia præter astra, multæ sunt aliæ causæ illius temperamenti: & virtus astrorum, atque influentia non est astrologis bene perspecta: vnde fit vt ne temporum quidem varietates prædicant sine frequentissimis hallucinationibus, quemadmodum experientiâ notissimum est. Ac denique eodem temporis momento nascuntur multi temperamento & moribus valde dissimiles, vt contra Astrologos argumentantur D. August. lib. 5. de Ciuit. cap. 1. & sequentibus, & Gregor. Homil. 10. in Euangelia.

54. Multa libere fiunt præter & contra inclinationem.

Respondeo secundò, multa sæpe fieri liberè, ad quæ non fert inclinatio, vel non est maior in hanc partem, quàm in illam: multa etiam fieri contra inclinationes, quibus homines virtutis studiosi, & Deum timentes, sæpe resistunt. Vnde non potest de huiusmodi certa notitia præhaberi ex aspectu astrorum, quam tamen profitentur astrologi iudiciarij: imò neque probabilis, sine magno periculo deceptionis in casibus particularibus, & singillatim prænuntiandis. Qua de causa talis prædictio est vana, & Reipublicæ perniciosa, meritóque interdicta à Sixto V. in Bulla quæ incipit, *Cœli & terræ creator*, vbi damnat *Exercentes aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid futurum affirmare audent, etiamsi non certò se id affirmare asserant aut protestentur.* Ibidémque statuit vt contra illos inquiratur, & procedatur, & seueriùs pœnis Canonicis animaduertatur. Scriptura quoque eandem artem improbat pluribus locis, vt Isaiæ 47. *Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* Et Ierem. 10. vers. 2. *Iuxta vias Gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere quæ timent gentes: quia leges populorum vana sunt.* Eandem quoque damnant Sancti Patres, vt Anastasius Nicænus quæst. 18. in Script. Basilius Homil. 6. Examer. Ambrosius lib. 4. Exameron cap. 4. Et August. lib. 4. Confess. cap. 3. cuius est hæc celebris sententia, relata in cap. *Illos, 26. quæst. 2. Planetarios, quos Mathematicos vocant, Christiana & vera pietas repellit, & damnat:* & lib. 2. de Genesi ad literam, cap. 17. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 21. 22. 23. 24. & lib. 5. de Ciuit. cap. 1. & sex consequentibus fusiùs contra illos disputat.

Astrologia diuinatoria damnatur à Sixto V.

Et à Scriptura & Patrib.

55. Ad tertium respondeo, prædictionem futurorum liberorum, qualem profitentur Mathematici, non posse fundari in astris, neque vt in causis, neque vt in signis. Non primum: quia profitentur se illa ex astris certò prænoscere: quamvis nonnulli inter eos, vt inuidiam, aut forum externum declinent, probabilem tantùm notitiam & coniecturalem se profiteri simulent. Atqui vt possent ex astris veluti causis certò prænosci futura, oporteret astra esse causas, ex quibus necessariò sequantur. Hoc autem est adimere hominibus liberum arbitrium, & dicere illos fatali quadam necessitate astrorum facere quidquid videntur liberè operari bene, vel male. Non etiam secundum: quia non possunt esse signa naturalia, cùm neque sint causa necessaria talium euentuum, vt iam diximus; neque illorum effectus, vt est per se notum; neque necessariò connexa in causa vtrisque communi, ratione cuius vnum ex alio cognoscatur. Superest ergo vt sint tantùm signa ex institutione alicuius significantia. Atque ita quæritur per illa instructio, non viâ inuentionis & discursus naturalis, ad quem non sunt apta: sed viâ disciplinæ, quæ cum non sit à Deo per se, aut per bonos spiritus, neque possit esse ab hominibus ipsis, ignaris futurorum; debet esse à dæmone: atque ita tacitè vel expressè quæritur ab illo prænotio futurorum per astra cognitorum, iuxta ea quæ diximus num. 44. Quod verò astra non sint signa euentuum liberè futurorum ex institutione diuina, probatur, quia non debet prætendi talis institutio sine sufficienti fundamento. Nullum autem profertur illius fundamentum ab aduersarijs, sed vana sunt quæcunque ad illam probandam adducunt.

Prædictio futurorũ liberorũ non potest fundari in astris, vt eorum causis.

Neque vt in eorum signis naturalibus.

Vel vt signis diuinis.

56. Nam quod dicitur Genes. 1. Deum posuisse luminaria in firmamento cœli, vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos; nihil aliud sibi vult, quàm Deum astra illa posuisse vt sint signa temporum, quæ tempora sunt dies; & anni. Vel vt sint signa æstatis & hyemis, serenitatis & pluuiæ, sementis & messis, & aliorum quæ naturaliter sunt cum illis connexa. Quod verò additur ex Isaïa, & Apocalypsi, metaphoricum est, & parum efficax ad probandum sensum intentum ab aduersarijs. Deinde quamvis cœlum esset quasi liber in quo aliqua legi possent, ea scilicet quæ in ipso, vt in causâ, continentur, quæque naturaliter ex eius influentijs sequuntur: malè infertur legi etiam posse futura libera: neque liber quilibet omnia continet, vt in eo legantur. Sensus autem literalis vtriusque loci est, quòd sicut liber complicatur, quando non est ampliùs in vsu; & in eo complicato nihil legi potest: sic post iudicium cessabunt motus & influentiæ cœlorum, neque ampliùs valebit cœlum ad cognoscendas mutationes temporum, & alios effectus naturales, quos ex illo cognoscimus. Vel potiùs Apocal. 6. nihil ampliùs significatur, quàm cœlum fuisse subductum oculis hominum, & desijsse videri. Est enim ibi sermo de tribulatione Antichristi, in qua, vt dicitur Matth. 24. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Denique narratio Ioseph ab Origene citata, est apocrypha, & nullius auctoritatis, rejicitúrque ab Athanasio in synopsi.

Sol & Luna, &c. quomodo sunt in signa & tempora?

Quomodo cœlũ complicabitur vt liber?

Addo

57. Astra non possunt esse signa tot euentuum liberè futurorum.

Addo quamvis Deus instituisset astra in signa euentuum liberè futurorum, debuisset ipse hanc institutionem reuelare: neque possent homines illam ex astris solùm cognoscere: quippe quæ per illam institutionem (quæ nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca à voluntate instituentis) non fuissent intrinsecè mutata, neque aliter apparerent, aut agerent. Atqui non profertur hæc reuelatio, neque ad illam recurrunt mathematici, sed ad Regulas suæ artis. Deinde, cùm domus, & facies zodiaci, & astra in quibus Astrologi fundant suas prædictiones, tam pauca sint, & tam vniformiter se habeant, naturalique necessitate ordinem suum & motum seruent: impossibile est vt significent in particulari tot futura libera, quæ ab initio sæculorum hucvsque contigerunt, & deinceps contingent vnicuique, quæque tam diuersimodè, & cum tanta libertate fiunt. Estque ineptum, & ridiculum existimare Deum in astris descripsisse singillatim quidquid ad quemlibet pertinet: vbi nascatur, à quibus, & quando, quam vxorem ducturus, quos liberos habiturus, quæ opera bona vel mala facturus, quas amicitias vel inimicitias suscepturus, quas diuitias & honores, quos occursus habituros bonos vel malos, quâ morte moriturus, & alia quæ Astrologi ex astris posse cognosci profitentur.

58. Experientia non excusat astrologos iudiciarios.

Neque illos excusat quod dicunt, se tantùm quærere veritatem, non curando, à quo inuenta sit: & se quotidiana experientia comprobare vera esse quæ secundùm Regulas suæ artis fore prædicunt: licitúmque esse vti Regulis ad veritatem consequendam idoneis, à quocunque repertæ sint: & amplecti veritatem, à quolibet inuentam: sicut fas esset accipere thesaurum à quovis alio detectum. Respondeo enim, falsum esse quod assumitur, quando medium illud inueniendi scientiam, vel assequendi aliquam veritatem, pendet à perpetua dæmonum disciplina (hoc enim est semper ad illos recurrere) cuiusmodi est prænotio liberè futurorum quæ habetur per astra. Quanquam neque illa talis est, qualem iactant astrologi iudiciarij, sed multis deceptionibus obnoxia. Dixi, *quando pendet à perpetua dæmonum disciplina*: quia secus esset si dæmon scientiam aliquam traderet per principia naturalia & demonstratiua: vsus enim illius scientiæ, siue ad docendum, siue ad cognoscendum, non foret postea illicitus; non magis quàm vsus oculorum, aut membrorum corporis, ope dæmonis sanatorum.

59. Non est superstitiosa quævis prænotio per somnia.

Ad quartum respondeo, non omnem prænotionem liberè futurorum per somnia, esse superstitiosam. Non enim quælibet somnia, quæ à causis naturalibus non procedunt, id est, ab humoribus corporis, vel à speciebus rerum aliàs perceptarum, vel ab occupationibus diei præcedentis, alijsque similibus occasionibus, sunt propterea à dæmone; sed quædam interdum à Deo per se, vel per sanctos Angelos immittuntur: in quibus fundare prænotionem eorum quæ significant, non est superstitiosum, sed pium & Propheticum. Talia fuerunt somnia in obiectione allata: & somnium Abrahæ, Genes. 15. v. 12. quo reuelatum illi est fore vt eius posteri in Ægyptum descenderent, & seruituti magna cum afflictione subjicerentur, postque annos 400. liberarentur. Et somnium Ioseph de sua super fratres exaltatione, Genes. 37. v. 5. aliaque multa. Déque illis sermo est Iob 33. & numer. 12. *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquor ad eum.* Quod Deus tripliciter facere solet. Vel 1. expressâ loquutione: vt quando per Angelum monuit Ioseph in somnis vt fugeret in Ægyptum, Matth. 2. Vel 2. per visionem imaginariam eiusdem rei, quam somnium præsignat: vt quando Paulus Act. 16. vidit in somnis Macedonem rogantem vt veniret in Macedoniam. Vel 3. per speciem symbolicam: Vt quando Ioseph vidit in somnis se adorari à Sole, & Luna, & ab vndecim Stellis, Genes. 37. v. 9. & Pharao vidit septem vaccas, &c. Genes. 41. & Nabuchodonozor ingentem arborem, Daniel. 4. & statuam, Daniel. 2. Deus tripliciter reuelat per somnia.

Somnia triplicia: naturalia, diuina, & diabol.

Itaque somnia triplicia sunt. Quædam purè naturalia, alia diuina, alia diabolica. Et interdum quidem certò constat immitti à dæmone: vt quando aliquis præmissis certis ieiunijs, & ceremonijs, iuxta ritum Magorum, ad somnum se componit ex intentione captandi diuinationem. Vt ille apud Virgilium, qui

Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Somnia diuina quomodo dignoscenda?

Aliquando verò id dubium est, quia dæmon interdum se offert non quæsitus, seque transformat in Angelum lucis. In quo dubio traduntur duæ Regulæ, quæ iuuent ad hoc discernendum. Prima est, considerare ad quid somnium impellat. Nam si ad aliquid malum, vel indifferentum, aut vanum; non est à Deo. Si ad bonum; potest iudicari esse à Deo, cum humilitate tamen, & timore oppositi. Secunda, si post somnium animus manet confusus, & ad bona opera tardior; signum est esse à dæmone: secus si promptior & alacrior. Et in dubio tutius est spernere vt non immissum à Deo, iuxta illud Eccles. 34. *Nisi ab Altissimo fuerit immissa visitatio, ne des insomnijs cor tuum* Nimirum quia, quando Deus immittit somnium, simul immittit cogitationem quòd ab ipso sit, & dat signum sufficiens ad discernendum. Quando autem omnibus expensis non satis constat somnium esse à Deo; illicitum est, & superstitiosum, capere ex illo prænotionem euentus liberè futuri.

Quale peccatũ somnijs malis fidem habere?

Quia cum somnia non possint illum præsignificare ex natura sua, neque vt proueniunt à causis naturalibus, neque etiam ex directione Dei, à quo non immittuntur per se, vel per Angelos: superest vt significent ex directione dæmonis. Atque ita qui diuinationem per illa quærunt, subjiciunt se dæmonis disciplinæ; quod nefarium est, & à Deo prohibitum Leuit. 21. *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia.* Sæpe tamen hoc peccatum, præsertim in simplicioribus, est tantùm veniale: vel quia putant somnia esse à Deo: vel quia tenuiter illis credunt, & timent potiùs, aut suspicantur, ne fortè aliquid significent.

60. Non omẽ quodlibet vel auguriũ est illicitum.

Ad quintum respondeo similiter, non esse illicitum capere omen vel augurium ex aliquibus signis, quando certum est, vel satis probabile, illa à Deo prouenire, vel speciali eius prouidentia dirigi ad aliquid præsignificandum: qua-

lia fuerunt illa quæ de Noë, Eliefer, Gedeone, & Ionatha, in obiectione commemorantur. Ioseph autem id ioco dixit, non seriò: referens fortè ad hoc quod vulgus de eo opinabatur, propter celebres explicationes somniorum ab eo datas. Et sic etiam dispensator eius loquutus est: vt rectè ait S. Thomas quæst. 95. art. 7. ad 1. Ad hoc autem vt diuinatio per omen, augurium, & similia, sit illicita & superstitiosa, duo requiruntur. Nimirum vt signum neque naturaliter valeat ad præsignificandum euentum futurum: neque etiam ad hoc valeat per Dei impositionem, aut ordinationem. Nam si illam habet, non est vanum tale signum obseruare, & illo vti ad cognitionem acquirendam: quia Deus non fallit: & sicut per Scripturam, aut per voces, reuelat certò & infallibiliter quidquid vult: ita potest quibuslibet alijs signis vti. Atque ita non est illicitum viso arcu cœlesti v. g. credere nunquam fore vt mundus diluuio pereat: quia Deus Genes. 9. Iridem ad hoc significandum assumpsit: Neque similiter ex alijs signis à Deo datis, accipere aliquid non per vanam ominationem, sed per instinctum diuinum, vel prudentem coniecturam. Quando enim vel certa inspiratione, vel pobabili & prudenti coniectura; creditur signum prouenire ex diuina prouidentia, vel admonitione; cessat vanitas obseruationis. Et è contrario, vbi nulla est ratio præsumendi significationem, diuinam, & medium cognitionis de se inutile est, & vt signum tantùm accipitur; est vana inquisitio: vt rectè ait Suar. tract. 3. de Relig. lib. 2. cap. 9. num. 8.

61. Sortes sunt triplices. Diuisoriæ. Ad sextum respondeo, sortes esse triplices: diuisorias, consultorias, & diuinatorias, vt docet S. Thom. quæst. 95. art. 8. Diuisoriæ vocantur, quando quæritur indicio sortium quid cui sit tribuendum: siue illud sit res possessa, siue sit honor, seu dignitas, siue pœna, aut actio aliqua: vt ait D. Thomas ibidem. Vt quando sorte deciditur quis è duobus, æquale ius ad hæreditatem prætendentibus, illam obtinebit: quis inter aliquos æquè dignos ad aliquod officium, vel beneficium, vel magistratum, sit illo donandus: quinam è pluribus militibus, æquè morte dignis, sint puniendi, seruatis alijs, quia Princeps pro sua clementia non vult omnes occidere: vel quinam ex illis primi hostes aggredientur: aut quinam è sacerdotibus, tempore pestis, manebunt in vrbe ad iuuandos ægrotos. Et ad hoc genus pertinet quod dicitur de Zacharia Luc. 1. v. 9. & de oblationibus, Leuit. 16. v. 8.

Consultoriæ. Consultoriæ verò dicuntur, quando sortibus inquiritur diuinum consilium, vt in rebus obscuris intelligatur quid agendum sit. Quemadmodum 1. Reg. 10. Samuel misit sortes ad eligendum Saülem: & Apostoli Act. 1. dederunt sortes ad eligendum vnum è duobus in locum Iudæ, *Tu Domine qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, &c.*

Diuinatoriæ. Diuinatoriæ denique dicuntur, quando per sortes inquiritur cognitio futurorum, vel etiam aliorum occultorum, præterquam diuini consilij (nam tunc dicuntur consultoriæ) vt quando Iosue sortibus vsus est ad detegendum furtum Achan, Ios. 7. v. 14. & nautæ ad Ionam deprehendendum, Ion. 1. v. 7.

His præmissis, dico primò, licitum esse vti sortibus diuisorijs, in plerisque rebus, dummodo earum euentus à casu, vel à Deo expectetur, non ab astris, vel à dæmone: vt in exemplis allatis, & alijs similibus: exceptis electionibus ad officia, vel beneficia, & iura Ecclesiastica, quia de illis specialiter id prohibetur cap. finali, *de sortilegijs*. Ratio est, quia alioqui nihil aliud includunt quàm vsum legitimæ potestatis ad aliquid sorti exponendum; vel humanum contractum, quo ex communi consensu paciscentium, æquale ius vel debitum habentium, deciditur sorte cuius futurum sit id, quod in omnes diuidi non potest, aut non expedit: qua de re plura videri possunt apud Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 38. num. 57. & sequent. 62. Sortes diuisoriæ sunt aliquando licitæ.

Dico secundò sortes consultorias esse illicitas, nisi quando necessitas cogit ad illas recurrere, defectu humani consilij, in rebus vrgentibus & necessarijs; vel quando Deus inspirat vt illis vtamur. In quo vtroque casu sperandum est cum debita reuerentia, & humili oratione, fore vt Deus sortes dirigat, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur.* Alioqui verò pertinet ad tentationem Dei, velle absque necessitate vt Deus suam voluntatem peculiari modo patefaciat: quemadmodum rectè ait S. Thom. quæst. 95. art. 8. & est vana inquisitio, cum periculo ne dæmon se illi immisceat. Consultoriæ quandoque licitæ, vel illicitæ?

Dico tertiò sortes diuinatorias esse semper illicitas & superstitiosas, nisi Deo & eius instinctu speciali nitantur: quia alioqui sunt signa vana rei occultæ quæ inquiritur. Non enim sunt signa naturalia, quia non habent connexionem naturalem cum illa, tanquam illius causa, vel tanquam effectus necessarius, neque tanquam connexæ naturaliter & necessariò in aliqua communi causa. Ergo non potest diuinatio peti ex sola illarum natura. Sed neque etiam potest ab astris peti (ad quæ tamen recurrunt Magi sortiarij) quia nec astra, nec vllæ aliæ causæ naturales, possunt dirigere sortes ad illud, quod non norunt. Superest ergo vt petatur sortium directio ex assistentia alicuius causæ intelligentis; quæ cùm non sit Deus per se, vel per Angelos, vt supponimus; neque homines, qui non possunt dirigere sortes ad designandum id, quod ipsi ignorant: restat vt dæmon ille sit, à quo expressè, vel tacitè petatur, & expectetur sortium directio. Qua de causa meritò prohibentur ab Ecclesia cap. *Peruenit*, cap. *Si quis Clericus*, & cap. *Episcopi, 26. quæst. 5.* Atque ex his solutum manet argumentum propositum ab aduersarijs. Nam sortes, de quibus ibi mentio fit, vel fuerunt diuisoriæ tantùm; vel si consultoriæ fuerunt, adhibitæ sunt in casu necessitatis, cum reuerentia, & humilitate debita. Si diuinatoriæ, iactæ sunt ex speciali instinctu Spiritus sancti, expectando prudenter directionem ab illo. Exceptis fortè illis, quarum fit mentio Ionæ 1. quas tamen Dominus direxit. Interdum enim Deus speciali prouidentia ad bonum exitum perducit ea, quæ ab hominibus fuerunt malè suscepta. Itémque diuinatoriæ.

SECTIO VII.

De vana Obseruantia, & Magia.

63. Quid sit vana obseruātia? VAna Obseruantia dicitur quando ad aliquos effectus producendos, vel euentus prænoscendos, vel ad aliquid aliud sciendum, adhibentur aliqua, quæ neque illorum causa naturaliter esse possunt, neque signa naturalia, neque media sciendi, neque etiam per Dei ordinationem, & institutionem sunt ad hoc vtilia, sed per dæmonis interuentum, qui æmulus operum Dei, vtitur rebus quibusdam de se inutilibus ad illos effectus: sicut Deus vtitur Sacramentis ad producendos effectus supernaturales, gratiam, characterem, & alios, supra ipsorum vim naturalem.

Dixi autem, *de se inutilibus:* quia non est superstitiosum, neque vanum, coniectare prudenter euentum aliquem ex signis sufficientibus: neque ex causis vel effectibus discurrere scientificè; vel mira quædam per causas naturales operari, absque dæmonis operâ & interuentu; applicando solùm actiua passiuis; cum exacta cognitione virtutis & dispositionis agentium, & patientium, ex quibus mirabiles effectus naturaliter resultant: quorum exempla multa videri possunt apud Victoriam in relect. de Magia, num. 7. & D. Augustinum lib. 21. de Ciuit. cap. 4. & 5. Et hæc Magia dicitur naturalis, eò quòd intra limites naturæ se continet, & non transcendit virtutem causarum naturalium, quæ humanitus cognosci, & applicari possunt. Sicut Astrologia naturalis illa dicitur, quæ nihil ex astris prænoscere conatur, nisi ea, quæ possunt naturaliter ex eorum motibus, & influentijs colligi. Sicut autem ista est superstitiosa, quando conatur diuinare ea, quæ naturaliter ex astris præsciri nequeunt, vt liberas actiones hominum, & quæ ab illis pendent: sic illa pariter superstitiosa est, quando nititur facere quæ non potest assequi per virtutem causarum naturalium, sine dæmonis interuentu, quem ad hunc finem tacitè vel expressè inuocat. Expressè quidem, vt faciunt, qui pacta cum illo ineunt, vel vtuntur scienter & liberè signis & Regulis ab ipso institutis: tacitè verò, vt faciunt illi, qui ad sciendum, vel operandum aliquid, vtuntur signis vel rebus inutilibus, seriò intendendo per illa cognoscere, vel operari. Nam, vt suprà diximus, signum est pacti impliciti cum dæmone, quando quæritur seriò & efficaciter, absque ope diuina speciali, cognitio aliqua, vel operatio, per vanam inquisitionem, seu per talia media de se inutilia, & naturaliter inefficacia, quibus dæmon se immiscere solet.

Magia naturalis. *Magia superstitiosa.*

64. Vana obseruantia triplex. Vna dicitur Artis notoriæ. Diuiditur autem vana Obseruantia à D. Thoma quæst. 96. in Obseruantiam artis notoriæ, obseruantiam euentuum, & obseruantiam sanitatum. Ars notoria dicitur magica operatio ad consequendam scientiam infusam, vt Logicam, Physicam, Metaphysicam, Medicinam, qualem studio naturali, & humana industria possumus acquirere, vel qualis per infusionem Dei haberi potest; adhibitis alijs medijs ineptis de se, & inefficacibus sine dæmonis opera; nempe ieiunijs, & quorundam characterum inspectionibus. Quò etiam spectat quivis alius modus acquirendi scientiam ope dæmonis: vt si quis studendo, & laborando quantum potest ad scientiam comparandam, vteretur simul illius operâ, & vanis obseruationibus, vt acquireret ingenij facilitatem & acumen, memoriam fœliciorem, meliorem corporis dispositionem, & temperiem organorum: aut si vellet doceri à dæmone, sicut homines docentur à scientiarum magistris. Differt autem hæc species vanæ obseruantiæ à diuinatione: quia non refertur ad occulta cognoscenda diuinando, sed ad cognoscendum scientificè per causas conclusionis.

Obseruantia verò euentuum est, quando ex aliquo fortuito euentu coniectamus aliquid prosperi, vel aduersi, indéque nostras actiones dirigimus, sperando, vel timendo successus, ad quos tales euentus, neque naturaliter, neque ex Dei institutione conducunt. Vt si quis manè domo egrediens, & offendens in limine, regrediatur domum, vt omen auertat, putans iter fore infaustum: iuxta illud antiqui Poëtæ, 65. *Altera dicitur obseruantia euētuum.*

O! quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in portâ signa dedisse pedem. *Tibull. lib. 1. Eleg. 3.*

Vel si putet diem fore sibi sterilem, quia virgo primò sibi occurrit: vel prosperum, quia meretrix: si lectum repetat, quia calceum induendo sternutauit: si conuiuio excedat in quo nouem accumbunt, timens ne vnus illorum intra annum moriatur. Si aliquos dies obseruet vt faustos, alios vt infaustos: & similia, quorum exempla legi possunt apud Chrysost. Homil. 21. ad populum Antioch. & August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 10. Hanc autem speciem superstitionis existimo cum D. Thoma quæst. 95. art. 3. & Suar. tract. 3. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. 5. pertinere ad diuinationem. Nam illi euentus solùm obseruantur, vt signa talium successuum, quos tamen neque naturaliter neque ex diuina institutione significant. Superest ergo vt significentur dæmonis industriâ. Atque ita fides, quæ illis habetur, accipitur vt diuinatio, ope dæmonis habita. Nec obest quòd illi euentus non sunt signa à nobis quæsita, quòd illorum obseruatione vtimur ad nostras actiones dirigendas: qua de causa volunt aliqui obseruantiam euentuum distingui à diuinatione, cuius signa à nobis quæruntur, & referuntur solùm ad cognoscendum occulta. Nam differentiæ illæ sunt valde extrinsecæ, & se tenent ex parte operantis; neque sunt omnino veræ: quia etiam diuinatio sæpe refertur ad operandum, putà diuinatio furti, ad illud repetendum, eiusque auctorem puniendum; diuinatio thesauri, ad effodiendum, & sibi vendicandum.

Denique obseruantia sanitatum, est quando adhibentur verba quædam, aut alia signa, vel ceremoniæ vanæ & inutiles, amuleta, breuia, inuolucra, annuli, ligaturæ, & similia, ad curandos hominum morbos, vel aliorum animalium, ad sanguinem sistendum, ad dolores sedandos, ad vitandam læsionem armorum, & 66. *Tertia est obseruantia sanitatum.*

sinistros euentus, vel incursus hostium, aliáque noxia; ad fœcundandas arbores, auertendas tempestates, & similia, quæ ad hominum commodum, & vtilitatem seu beneficium fiunt: siue circa ipsosmet immediatè, siue circa alia ad ipsos pertinentia. Vltra quam Magiæ partem, alia est, quæ refertur ad aliquam noxam inferendam, quæ propriè dicitur maleficium, aut veneficium, vulgò, sortiaria: vt ad homines dementandos, vel inducendos in turpem amorem, aut furorem; vel ad eos tradendos dæmonibus possidendos, aut obsidendos; vel ad eosdem conuertendos specie tenus in lupos, & alias brutorum species; aut veneno inficiendos, vel morbis, & morte afficiendos; ad ligandos, & impediendos coniuges ab amore mutuo, & vsu coniugali; ad excitandos ventos, grandines, tempestates, vastandas segetes, & alia id genus maleficia. Propter quæ omnia magi, & sortiarij sunt valde perniciosi Reipublicæ, & grauibus supplicijs digni: præter multa alia grauissima scelera, in quæ solent incidere: vt expressam idololatriam & adorationem dæmonis in specie visibili: infidelitatem, & hæresim, credentes dæmonas à Deo non pendére, vel non esse damnatos & miseros: apostasiam à Christianismo, & blasphemias horribiles in Deum, in Christum, & in Beatam Virginem, aliósque Sanctos: abusum rerum sacrarum, interdum etiam Sacro-sanctæ Eucharistiæ; nefarios concubitus inter se, & cum ipso dæmone: & alia de quibus debent, à Iudicibus & à Confessarijs interrogari. Propter quod etiam iure ciuili pœna capitis decernitur contra maleficos in toto titulo Cod. *de Maleficis & Mathematicis*: Iure autem Canonico, iuxta nonnullos, diuini, magi, & malefici, sunt ipso facto excommunicati, cap. *Sortes*, *26. quæst. 5.* & cap. *Si quis ariolos*, *ibidem*, & in Extrauag. Ioannis XXII. quam allegat Tabiena V. *Excommunicatio 1. casu 4.* Alij tamen, quos citat, & sequitur Suares suprà, cap. 19. num. 3. censent non incurrere ipso facto excommunicationem, nisi simul peccent exteriùs & interiùs per hæresim, vel apostasiam à fide, vt sæpissime facere solent.

Magia sortiaria, seu malefica.

67. Duo verò præcipuè sunt, quibus homines miserrimi & nequissimi artis suæ malitiam dissimulare conantur, quæ fusiùs exponunt, & solidè refutant Lessius cap. 44. dub. 2. & Martinus Delrio lib. 1. Disquis. Magic. cap. 3. & sequentibus. Vnum est, vt refert Lessius ibidem, Mundum, & singulas illius partes esse animatas anima intelligente, quæ ipsis vitam tribuat, & vim intelligendi & sentiendi habeat. Itémque præter Angelos sanctos, & dæmones malos atque damnatos, plures alios esse dæmones bonos: quorum aliqui sunt cœlestes, & præsunt astris, eorúmque animabus: alij sunt elementares: & horum quidam sunt ignei, quidam aërij, quidam aquatici, & quidam terreni. Quod ideo fingunt, vt quando expressè dæmones inuocant, non malos, sed bonos istos, vel animas astrorum, aut elementorum, inuocare videantur, quas dicunt esse bonas virtutes, distributas à Deo per totum vniuersum, in ministerium, & vtilitatem eorum, qui illis vti sciunt. Alterum est: Animam hominis, quando vehementi imaginatione accenditur, vel in vehemens desiderium exardescit, habere vim imprimendi signis quibusdam, & characteribus, vel imaginibus, energiam efficiendi id quod repræsentant: Vt v. g. causandi amorem inter duos, qui pinguntur se mutuò complectentes: vel odium inter duos, qui pinguntur mutuò pugnantes: Sydera quoque habere vim imprimendi verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus, certo quodam modo, & sub certa constellatione formatis, virtutem suam ad eosdem effectus occultos & mirabiles, ad quos sydera ipsa valent. Quod ideo comminiscuntur, vt simplicibus persuadeant magicos effectus non fieri per dæmones, adhibitis signis & characteribus magicis: sed per vim naturalem illis impressam ab anima humana, vel à syderibus.

Fundamenta Magiæ: quod mundus sit animatus.

Et quòd anima hominis possit imprimere vim quãdam characteribus.

68. Sed hæc omnia sunt à Catholica fide aliena; adeóque vana & inepta, vt longa refutatione non egeant, planéque contra propriam conscientiam à Magis proferuntur. Primò enim, Scriptura & Ecclesia Catholica nullas creaturas intelligentes agnoscit, præter homines, & Angelos: nullósque dæmones, nisi malos: damnantúrque, & anathematizantur in V. Synodo Constantinop. qui dicunt cœlum, & solem, & lunam, & stellas, animatas quasdam esse & materiales virtutes. Secundò, vt rectè argumentatur Lessius dub. citato, si animæ illæ, & dæmones, quibus vtuntur magi, boni sunt: quomodo sunt auctores tot maleficiorum? Quomodo impellunt homines ad scelera? Quomodo sæpe fallunt, & alijs modis magos tam malè habent? Quomodo iuuant ad opera inutilia, friuola, curiosa, perniciosa? Quomodo denique tam seuerè prohibetur eorum vsus in Scriptura, quæ iubet magos & maleficos morte puniri, Exod. 22. ver. 18. grauémque pœnam minatur illis qui eos consulunt, Leuit. 20. ver. 6. Tertiò, absurdum est dicere cœlos, & astra, & elementa, & alias omnes mundi partes animari anima intelligente. Sic enim cœlum, ignis, aër, aqua, terra, bestiæ, plantæ, & lapides ipsi, intelligerent, & callerent artes & scientias, essént que prædita libero arbitrio, capacia virtutis & vitij, meriti & demeriti, beatitudinis & damnationis; quo nihil absurdius fingi potest. Item, vt rectè addit Less. Vel partes elementorum retinerent animam illam intelligentem, quando separantur à toto; vel amitterent. Si primum: erunt innumerabiles animæ intelligentes in quolibet elemento, tot scilicet, quot eorum partes possunt aliæ ab alijs loco separari: quot v. g. guttæ aquæ possunt ab oceano extrahi. Si secundum: partes illæ toties morientur, quoties à toto auellentur: & toties resurgent vitámque recipient, quoties toti restituentur. Item, animæ illæ cœlorum & syderum, affixæ suis corporibus, non possent iuuare ad magicos effectus, nisi per lumen & influentias astrorum; quæ ad illos non sufficiunt. Et hæc contra primum effugium magorum dicta sint.

Refellitur primum fundamentum.

Absurditas illius fundamenti, quod mundus sit animatus.

69. Contra secundum dico primò, experientiâ constare verba illa, scripturas, imagines, & characteres, plerunque formari ab illis, per

Refutatur secundum fundamentum.

quos adhibentur, sine tam vehementi imaginatione, vel desiderio, sed vt solent alij artifices sua opera facere, cum vulgari operis cognitione, & voluntate faciendi. Ergo vanum & mendax effugium est excusationem illam prætendere. Secundò, potest quidem vehemens imaginatio alicuius rei, vel ardens desiderium animæ, commouere humores, & spiritus corporis proprij, illudque varijs modis alterare; atque etiam corpus infantis in vtero matris inclusum; vt experientiâ notum est. Possunt etiam absque tali imaginatione, vel desiderio vehementi, mulieres prægnantes, visu, id est, spiritibus quibusdam per oculos emissis speculum inficere. Possunt alijs modis homines noxijs qualitatibus è corpore suo transmissis, pestem & alios morbos contagiosos causare in alijs per quandam communicationem. Quorundam etiam hominum, & aliorum animalium partibus, & plantis, & lapidibus, potest inesse vis quædam medendi certis morborum generibus. Sed quòd anima humana possit suo desiderio, vel imaginatione efficere in corpore alieno quidquid imaginatur, aut desiderat, nulla ratione, vel experimento naturali probatur, estque per se absurdum & incredibile. Neque minùs absurdum est, & incredibile, quòd anima suo desiderio, & imaginatione possit imprimere verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus, virtutem ad illos effectus producendos. Patétque euidenti experientia verissimum esse quod Christus dixit Matth. 6. neminem quantumcunque imaginetur, aut desideret, posse ad staturam suam adjicere cubitum vnum. Quantò minùs potest quidquid imaginatur, aut desiderat, in aliena corpora minùs ei subiecta?

Non potest anima vim illam imprimere.

Tertiò, verba ratione solius soni, id est, aëris percussi; vel scripturæ, imagines, & characteres, ratione solius materiæ, non sunt capaces talis impressionis, vt fatentur Magi: estque euidens non esse capaciores hac ex parte, quàm sit quilibet alius sonus similis, aut alia charta, alia cera, aliud aurum, argentum, & similia, ex quibus solent imagines illæ & characteres confici. Per significationem autem, vel figuram, non redduntur aptiores ad qualitatem illam recipiendam, siue ab anima, siue à stellis & syderibus. Nam significatio nihil ponit in re, sed est mera denominatio extrinseca ab institutione publica, vel priuata. Figura quoque nihil confert ad actiones, & passiones naturales, nisi quoad motum localem, vel quoad situm & applicationem agentis ad passum. Perindeque ignis agit in materiam cuiuscunque figuræ pariter applicatam, vt patet experientiâ: & ridiculè faceret, qui figuram ignis appingeret ligno, vt citiùs combureretur. Quare signa illa non valent ad excipiendam naturalem actionem animæ humanæ, vel astrorum: sed ad dæmonem per hæc signa monendum & mouendum, vt faciat ea, propter quæ sunt instituta ex pacto inito cum illo: vt bene affirmat S. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 11. Quartò, si astra imprimerent virtutem illam verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus, tam breui tempore sibi applicatis; multò magis eam imprimerent lapidibus, herbis, arboribus, metallis, & alijs, quæ diutius eorum influentiæ subiacent. Quintò, cùm astra simul influant, quantùm possunt, in hæc sublunaria; quomodo possunt magi secernere influentiam arietis, leonis, aut virginis, aliarúmque constellationum, per illarum imagines? Cúmque in cœlo non verè sint illæ figuræ arietis, tauri, leonis, virginis, &c. sed ad placitum sint confictæ ab astrologis, vt omnes stellas visibiles ad certum numerum constellationum reducerent: & signum quod vocant arietis, non sit illi similius, quàm vitulo, cani, capræ, aut vulpi: quomodo potest iuuare naturaliter imago astronomica arietis ad excipiendam illius constellationis influentiam, potiùs quàm imago vituli, capræ, aut vulpis? Hæc certè adeo sunt absurda, vt mirabile sit venisse in mentem Caietano ad art. 2. quæst. 96. imagines istas posse aliquid prodesse. Et hactenus de magorum effugijs.

Characteres non sunt capaces talis impressionis.

Neque astra illã imprimunt.

SECTIO VIII.

De indicijs Magicarum operationum, & remedijs contra illas adhibendis.

SVperest dicere de indicijs magicarum operationum, earúmque remedijs. Sunt autem tria præcipuè illarum indicia. Primum petitur ex conditione causatum: vt si dæmon expressè inuocetur: si dicatur certos ritus, & obseruantias ad effectum inutiles, debere adhiberi; vt certum numerum crucium, candelarum certi coloris & magnitudinis, certum corporis gestum, diem, horam, stellarum situm, vel nomina quædam barbara & ignota, vel ligaturas, vnctiones, sigilla, specula, characteres, imagines, & similia, ad effectus, ad quos certum est non valere naturaliter, neque ex Dei, vel Ecclesiæ institutione, sed potiùs ab ipsa reprobantur vt inutilia. Idémque dicendum est si ad curandos morbos, vel ad alios effectus, ad quos ex Dei ordinatione, vel Ecclesiæ institutione non prosunt, adhibeantur verba sacra; vel non eo sensu, quo sunt sacra, & quo debent ad Deum dirigi; sed modo & animo prophano: vel quibus falsa quædam permixta sint, vt Christum febre laborasse, Beatam Virginem doluisse in partu, &c. Vtitur enim dæmon, etiam verbis & rebus sacris, vt faciliùs homines fallat, & Deo grauiorem contumeliam inferat.

70. Primum indiciũ, ex conditione causatũ.

Secundum indicium petitur ex conditione operationis: vt si quis ingenio tardus, scientiam momento consequatur sine miraculo, ad inspectionem quorundam characterum: si quis adhibita certa vnctione, repentè ad locum valde distantem feratur: si ossa confracta, vel luxata, mox restituantur, verbis quibusdam prolatis: vel si alij morbi sine mora pellantur, ad quos pellendos per humanam industriam longo tempore opus est: si operatio fiat in valde distans, aut modo humanitus impossibili: vt si quando alicuius imago cerea hîc pungitur aut comburitur, ille alibi graues dolores patiatur, aut moriatur: vel quando aliqui vident intra terræ viscera latentes venas aquarum, aut metallorum, vel humores & viscera corporibus huma-

71. Secundũ indic. ex conditione operationis.

nis inclusa: hæc enim trans medium tam opacum non possunt ab illis naturaliter videri.

71. Tertium ex conditione effectus. Tertium indicium petitur ex conditione effectus: quando scilicet talis est, vt superet causas naturales quæ applicantur, & humanam industriam: cuiusmodi sunt suscitatio mortuorum, quæ vim quoque ipsorum dæmonum superat, neque ab illis fit, nisi apparens & imaginaria. Idémque sentiendum est de transmutatione hominum in lupos, & alias species animalium, vt patet ex dictis loco mox citando.

Veréne fuerit euocata anima Samuëlis? De anima verò Samuëlis an verè per Pythonissam euocata fuerit, controuersia est. De qua breuiter dico, animas, æquè ac corpora, posse localiter moueri & deferri per Angelos, spectando vim eorum naturalem: Sanctorum tamen animas vita functorum non subesse dæmonum voluntati: ac si Samuël verè apparuit sicut puto apparuisse, propterea quòd id satis affirmare videtur Scriptura Ecclesi. 46. vbi de vero Samuële sic dicitur, *Post hac dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in Prophetia delere impietatem gentis:* Si verè, inquam, Samuël apparuit Saüli, dicendum apparuisse Sola Dei voluntate non autem vi magicæ euocationis, sed illam præuertisse: propter quod Pythonissa fuit exterrita illius apparitione, vt dicitur 1. Reg. 28. ver. 12. & 13. Huiusmodi etiam sunt alia multa, quæ quamvis superent hominum industriam, & causas naturales ab illis applicatas; verè tamen, & realiter à magis fiunt dæmonum interuentu: vt mutatio virgarum in serpentes facta à Magis Pharaonis, Exod. 7. translatio pene momentanea suiipsorum, vel aliorum corporum, in locum valde distantem: illatio repentina morborum ad libitum, vel eorum curatio: excitatio tempestatum, vel earum sedatio, grandinis, fulguris, pluuiæ; reddere seipsos vel alios inuisibiles: immittere dæmones in hominum corpora, vt ab illis obsideantur, aut possideantur: perturbare imaginationem, aut per philtra excitare ad amorem turpem; vel è contrario, ad odium implacabile: ligare per incantationes sensus, & membra corporis, impediréque illorum functiones, & similia. Hæc enim omnia posse à dæmonibus fieri per motum localem, & per applicationem agentium naturalium, patet ex dictis alibi de potentia & naturali virtute Angelorum 1. p. disp. 42. Sect. 1. 2. & 3. Circa quæ nota, quando dubitatur rationabiliter num aliquis effectus possit naturaliter procedere à tali causa, an verò potiùs illa vanè & superstitiosè adhibeatur: vel abstinendum esse ab illius applicatione; vel renuntiandum esse expressè pacto diabolico, si quod fortè subest. Quod se fecisse interdum affirmat Caiet. V. *Incantatio*, expertúmque esse non sequi effectum, quando pactum subest, & illi renuntiatur.

Remedia verò contra magorum maleficia, triplicia sunt. Quædam spiritalia, vt oratio, confessio, & aliorum Sacramentorum vsus, sacrificium Missæ, aqua lustralis, & alia Sacramentalia, signum crucis, imagines sacræ, exorcismi, &c. Quædam sunt naturalia, vt medicamenta ad purgandos humores, quibus dæmones vtuntur ad vexanda corpora, vel ad imaginationem & mentem perturbandam; vel etiam contra morbos à magis immissos: quanquam durante pacto vix possunt curari, quia dæmon resistit remedijs. Quædam denique sunt moralia, vt destructio characterum, annulorum, imaginum, ligaturarum, quibus pactum dæmonis alligatum est. Possunt autem à quolibet destrui: quia id non est dæmonis opem ad aliquid implorare, aut rogare ne noceat: sed hostiliter cum illo agere, & eius opera dissoluere. Potest etiam quilibet non solùm ea dissoluere aut comburere, vt illis sublatis cesset maleficium: verùm etiam adigere maleficos ad eadem signa & maleficia tollenda, quotiescunque tolli possunt sine nouo maleficio: etiamsi futurum sit vt ab illis non aliter tollantur, ex propria ipsorum malitia. Licet enim in necessitate petere ab alio, quod ille sine peccato præstare potest, si velit, quamvis præuideatur id cum peccato præstiturus pro sua malitia. Neque hoc est illum ad peccandum inducere; sed vti iure suo, licitum aliquid postulando, valde nobis vtile, vel necessarium. Imò etiam licet ponere alia signa de se indifferentia, quibus positis expirat vel destruitur pactum à Magis cum dæmone initum, & ille desinit nocere. Vt si saga te percussit, licet repercutere, ne te inficiat. Quia hoc non est nouum pactum inire, sed antiquum impedire, aut euertere. Statuit enim dæmon non inficere per sagam, nisi tali modo tangat vt non repercutiatur. Neque hoc est signum amicitiæ erga dæmonem, vel eius inuocatio: sed hostilis & iusta defensio contra ipsius inuasionem. Qua de re plura videri possunt apud Less. cap. 44. dub. vlt. Suar. lib. cit. cap. 17. & 18. & Mader. tract. 10. cap. 8. dub. 12. & sequentibus.

Margin notes (right column): 73. Remedia cōtra maleficia. — Signa magica possunt à quolibet destrui. — 74. Maleficus potest cogi ad ea tollenda.





DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De Tentatione Dei, & de Sacrilegio.

DE argumento proposito disputat S. Thom. quæst. 97. & 99. In quarum prima docet, Tentare Deum idem esse, ac explorare num Deus sciat, velit, aut possit id, quod ei proponitur: vel absque necessitate exponere se alicui periculo, cupiendo experiri an Deus sit ab eo liberaturus. Esséque peccatum si ad hoc fiat vt ipse tentans cognoscat Dei virtutem: secus autem si exigente necessitate, & cum alijs conditionibus debitis, experimentum quis sumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipse cognoscat, sed vt alijs eam demonstret. At hoc propriè non est tentare Deum. Est autem illud peccatum Religioni oppositum: quia pertinet ad Dei irreuerentiam. Minùs tamen reuerentiæ diuinæ aduersatur, quàm superstitio: quia magis contra illam facit superstitiosus, qui suo facto protestatur errorem contra diuinam excellentiam; quàm qui tentando protestatur solùm dubitationem. Ideóque superstitio est grauius peccatum, quàm Tentatio.

In secunda affirmat Sacrilegium esse violationem rei sacræ. Esséque peccatum speciale, quia specialem rationem deformitatis habet, quâ scilicet violatur res sacra per quandam irreuerentiam. Et distingui in varias species, secundùm differentiam rerum sacrarum, quæ violantur. Esséque tantò grauius, quantò res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. Meritò denique puniri tum pœnâ excommunicationis, vt à sacris arceatur qui sacris iniuriam infert: tum etiam mulctâ pecuniariâ, vel aliâ pœnâ temporali per leges Ecclesiasticas: & per leges Ciuiles pœnâ capitis: vt saltem pœnis temporalibus arceantur à Sacrilegio nefarij illi, qui pœnas spirituales minùs curant.



SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Tentatio Dei?



HVcusque diximus de vitijs oppositis Religioni per excessum. Iam dicendum est de oppositis per defectum. Quorum primum assignatur à D. Thoma quæst. 97. Tentatio Dei: in eo consistens quòd sine causa rationabili dicatur aut fiat aliquid ad Deum explorandum, sumendúmque aliquod experimentum ipsius sapientiæ, prouidentiæ, bonitatis, potentiæ, beneuolentiæ, vel alteriùs attributi necessarij, aut contingentis. Nam vt rectè ait D. Thom. quæst. 97. art. 1. Tentare propriè est experimentum sumere de eo qui

Quid sit Tentatio Dei?

In quo consistit hoc peccatum?

nis inclusa: hæc enim trans medium tam opacum non possunt ab illis naturaliter videri.

71. Tertium ex conditione effectus. Tertium indicium petitur ex conditione effectus: quando scilicet talis est, vt superet causas naturales quæ applicantur, & humanam industriam: cuiusmodi sunt suscitatio mortuorum, quæ vim quoque ipsorum dæmonum superat, neque ab illis fit, nisi apparens & imaginaria. Idémque sentiendum est de transmutatione hominum in lupos, & alias species animalium, vt patet ex dictis loco mox citando.

Verène fuerit euocata anima Samuelis? De anima verò Samuëlis an verè per Pythonissam euocata fuerit, controuersia est. De qua breuiter dico, animas, æquè ac corpora, posse localiter moueri & deferri per Angelos, spectando vim eorum naturalem: Sanctorum tamen animas vita functorum non subesse dæmonum voluntati: ac si Samuël verè apparuit sicut puto apparuisse, propterea quòd id satis affirmare videtur Scriptura Eccles. 46. vbi de vero Samuële sic dicitur, *Post hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in Prophetia delere impietatem gentis:* Si verè, inquam, Samuël apparuit Saüli, dicendum apparuisse sola Dei voluntate non autem vi magicæ euocationis, sed illam præuertisse: propter quod Pythonissa fuit exterrita illius apparitione, vt dicitur 1. Reg. 28. ver. 12. & 13. Huiusmodi etiam sunt alia multa, quæ quamvis superent hominum industriam, & causas naturales ab illis applicatas; verè tamen, & realiter à magis fiunt dæmonum interuentu: vt mutatio virgarum in serpentes facta à Magis Pharaonis, Exod. 7. translatio pene momentanea suiipsorum, vel aliorum corporum, in locum valde distantem: illatio repentina morborum ad libitum, vel eorum curatio: excitatio tempestatum, vel earum sedatio, grandinis, fulguris, pluuiæ; reddere seipsos vel alios inuisibiles: immittere dæmones in hominum corpora, vt ab illis obsideantur, aut possideantur: perturbare imaginationem, aut per philtra excitare ad amorem turpem; vel è contrario, ad odium implacabile: ligare per incantationes sensus, & membra corporis, impediréque illorum functiones, & similia. Hæc enim omnia posse à dæmonibus fieri per motum localem, & per applicationem agentium naturalium, patet ex dictis alibi de potentia & naturali virtute Angelorum 1. p. disp. 42. Sect. 1. 2. & 3. Circa quæ nota, quando dubitatur rationabiliter num aliquis effectus possit naturaliter procedere à tali causa, an verò potiùs illa vanè & superstitiosè adhibeatur: vel abstinendum esse ab illius applicatione; vel renuntiandum esse expressè pacto diabolico, si quod fortè subest. Quod se fecisse interdum affirmat Caiet. V. *Incantatio*, expertúmque esse non sequi effectum, quando pactum subest, & illi renuntiatur.

Remedia verò contra magorum maleficia, triplicia sunt. Quædam spiritalia, vt oratio, confessio, & aliorum Sacramentorum vsus, sacrificium Missæ, aqua lustralis, & alia Sacramentalia, signum crucis, imagines sacræ, exorcismi, &c. Quædam sunt naturalia, vt medicamenta ad purgandos humores, quibus dæmones vtuntur ad vexanda corpora, vel ad imaginationem & mentem perturbandam; vel etiam contra morbos à magis immissos: quanquam durante pacto vix possunt curari, quia dæmon resistit remedijs. Quædam denique sunt moralia, vt destructio characterum, annulorum, imaginum, ligaturarum, quibus pactum dæmonis alligatum est. Possunt autem à quolibet destrui: quia id non est dæmonis opem ad aliquid implorare, aut rogare ne noceat: sed hostiliter cum illo agere, & eius opera dissoluere. Potest etiam quilibet non solùm ea dissoluere aut comburere, vt illis sublatis cesset maleficium: verùm etiam adigere maleficos ad eadem signa & maleficia tollenda, quotiescunque tolli possunt sine nouo maleficio: etiamsi futurum sit vt ab illis non aliter tollantur, ex propria ipsorum malitia. Licet enim in necessitate petere ab alio, quod ille sine peccato præstare potest, si velit, quamvis præuideatur id cum peccato præstiturus pro sua malitia. Neque hoc est illum ad peccandum inducere; sed vti iure suo, licitum aliquid postulando, valde nobis vtile, vel necessarium. Imò etiam licet ponere alia signa de se indifferentia, quibus positis expirat vel destruitur pactum à Magis cum dæmone initum, & ille desinit nocere. Vt si saga te percussit, licet repercutere, ne te inficiat. Quia hoc non est nouum pactum inire, sed antiquum impedire, aut euertere. Statuit enim dæmon non inficere per sagam, nisi tali modo tangat vt non repercutiatur. Neque hoc est signum amicitiæ erga dæmonem, vel eius inuocatio: sed hostilis & iusta defensio contra ipsius inuasionem. Qua de re plura videri possunt apud Less. cap. 44. dub. vlt. Suar. lib. cit. cap. 17. & 18. & Mader. tract. 10. cap. 8. dub. 12. & sequentibus.

Margin notes (right): 73. Remedia cōtra maleficia. — Signa magica possunt à quolibet destrui. — 74. Maleficus potest cogi ad ea tollenda.



DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De Tentatione Dei, & de Sacrilegio.

DE argumento proposito disputat S. Thom. quæst. 97. & 99. In quarum prima docet, Tentare Deum idem esse, ac explorare num Deus sciat, velit, aut possit id, quod ei proponitur: vel absque necessitate exponere se alicui periculo, cupiendo experiri an Deus sit ab eo liberaturus. Esséque peccatum si ad hoc fiat vt ipse tentans cognoscat Dei virtutem: secus autem si exigente necessitate, & cum alijs conditionibus debitis, experimentum quis sumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipse cognoscat, sed vt alijs eam demonstret. At hoc propriè non est tentare Deum. Est autem illud peccatum Religioni oppositum: quia pertinet ad Dei irreuerentiam. Minùs tamen reuerentiæ diuinæ aduersatur, quàm superstitio: quia magis contra illam facit superstitiosus, qui suo facto protestatur errorem contra diuinam excellentiam; quàm qui tentando protestatur solùm dubitationem. Ideóque superstitio est grauius peccatum, quàm Tentatio.

In secunda affirmat Sacrilegium esse violationem rei sacræ. Esséque peccatum speciale, quia specialem rationem deformitatis habet, quâ scilicet violatur res sacra per quandam irreuerentiam. Et distingui in varias species, secundùm differentiam rerum sacrarum, quæ violantur. Esséque tantò grauius, quantò res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. Meritò denique puniri tum pœnâ excommunicationis, vt à sacris arceatur qui sacris iniuriam infert: tum etiam mulctâ pecuniariâ, vel aliâ pœnâ temporali per leges Ecclesiasticas: & per leges Ciuiles pœnâ capitis: vt saltem pœnis temporalibus arceantur à Sacrilegio nefarij illi, qui pœnas spirituales minùs curant.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Tentatio Dei?



HVcusque diximus de vitijs oppositis Religioni per excessum. Iam dicendum est de oppositis per defectum. Quorum primum assignatur à D. Thoma quæst. 97. Tentatio Dei: in eo consistens quòd sine causa rationabili dicatur aut fiat aliquid ad Deum explorandum, sumendúmque aliquod experimentum ipsius sapientiæ, prouidentiæ, bonitatis, potentiæ, beneuolentiæ, vel alteriùs attributi necessarij, aut contingentis. Nam vt rectè ait D. Thom. quæst. 97. art. 1. Tentare propriè est experimentum sumere de eo qui

Quid sit Tentatio Dei?

In quo consistit hoc peccatum?

tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis, & factis. Verbis quidem, cùm aliquid ab aliquo petimus interrogando, vel orando, vt experiamur an sciat id, quod quærimus; vel vtrum velit, aut possit implere id, quod desideramus. Factis autem, cùm per ea, quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem. Vtrumque autem horum contingit dupliciter. Vno quidem modo apertè: quando nimirum aliquis tentatorem se profitetur: sicut Samson Iudic. 14. proposuit Philistæis problema ad eos tentandos. Altero modo fit insidiosè & occultè: sicut Pharisæi tentauerunt Christum Matth. 22. super tributo Cæsari soluendo. Rursus, interdum expresè fit: putà, cùm quis dicto vel facto intendit experimentum sumere de aliquo. Interdum verò interpretatiuè: quando scilicet, etsi hoc non intendat; aliquid tamen agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum. Sic ergo homo tentat Deum, quandoque verbis, quandoque factis. Verbis quidem expresè aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid à Deo postulat in sua oratione, vt exploret Dei scientiam, potestatem, aut voluntatem. Factis autem, quando per ea quæ facit, expresè intendit experimentum sumere diuinæ potestatis, bonitatis, aut scientiæ. At verò interpretatiuè Deum ille tentat, qui tametsi non intendit experimentum de Deo sumere; aliquid tamen petit, vel facit ad nihil aliud vtile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem. Sicut cum aliquis equum currere facit vt euadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere: sed si equum currere faciat absque aliqua vtilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quàm experimentum sumere de equi velocitate. Et idem est in omnibus alijs rebus. Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu vtilitatem, committit se aliquis diuino auxilio in suis petitionibus, vel factis; hoc non est Deum tentare: dicitur enim 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.* Quando verò hoc agitur absque necessitate & vtilitate: hoc est interpretatiuè tentare Deum. Vnde super illud Deuteron. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, dicit glossa, *Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens vtrum possit liberari à Deo.* Hæc D. Thomas.

Contingit multipliciter.

2. Fit sine iusta causa.

Quæ vt meliùs intelligantur, nota primò, ad tentationem Dei necessarium esse vt tacitè vel expresè quæratur aliquod de Deo experimentum, sine causa rationabili. Quia si iusta causa suppetit, non est peccatum, neque tentatio Dei, (quæ vox in malam partem accipitur) sed est petitio instructionis, vel auxilij diuini in necessitate. Iusta verò causa est vel Dei inspiratio, quæ moueat ad aliquid extraordinarium à Deo postulandum, in suam vel aliorum vtilitatem: Sicut moueri solent qui habent donum faciendi miracula: vel institutio Dei, si voluit tale aliquid peti in certis casibus: sicut Numer. 5. statuerat Deus in lege Mosaïca purgationem suspicionis adulterij per aquam maledictionis: vel necessitas nostra, aut aliena, quæ ad eius opem specialem & extraordinariam recurrere cogat: vt si honor fidei, aut defensio Religionis id postulet: vel si hoc necessarium sit ad sufficienter ostendendum Deum reuelasse id quod ipsius nomine proponitur. Qua de causa non peccauit Elias 4. Reg. 18. quando experimentum veri Dei petiuit per ignem de cœlo descendentem ad consumendum sacrificium: nec Abraham Genes. 15. petens à Deo signum in confirmationem promissionis sibi factæ: nec Gedeon Iudic. 16. postulans duplex signum velletis: sed è contrario Achas fuit reprehensus; eò quòd signum sibi à Deo oblatum non postulasset, Isa. 7.

Nota secundò, Tentationem Dei versari posse vel circa Dei attributa necessaria: vt circa eius sapientiam, bonitatem, & omnipotentiam: qualis fuit illa Iudæorum, Psal. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus suis vt peterent escas animabus suis: & malè loquuti sunt de Deo: & dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Vel etiam versari potest circa Dei attributa libera: vt an velit & decreuerit hoc vel illud? An nos specialiter diligat & protegat? Cuiusmodi fuit tentatio Iudæorum, Exod. 27. quando *Tentauerunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Talis etiam erat tentatio Dei, quam diabolus Christo persuadere nitebatur, Matth. 4. petens vt deorsum se mitteret, ad experiendam Dei protectionem, *Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus suis tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Cui Christus respondit verbis desumptis ex Deuteron. 6. *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum:* significans esse speciem quandam tentationis Dei, inquirere vel exigere tale indicium beneuolentiæ, & specialis protectionis diuinæ, sine necessitate.

3. Circa quæ Dei attributa versetur?

Inter hos autem duos tentationis modos differentia est, quia prior procedit ex infidelitate, & dubitatione contra fidem, si quis tentat Deum vt cognoscat sitne sapiens, bonus, vel omnipotens. Nam vt rectè ait D.Thom. quæst. 97. art. 2. nullus experimentum quærit de eo, de quo est certus. Et ideo omnis Tentatio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedit. Ignorare autem, vel dubitare de his quæ pertinent ad necessariam Dei perfectionem, est peccatum infidelitatis, nisi inculpabilis ignorantia excuset. Eiusdémque peccati malitia, quatenus Religioni opponitur, in eo consistit, quòd magnam continet erga Deum irreuerentiam. Vt enim addit S. Doctor, art. 3. quæst. cit. Manifestum est quòd tentare aliquem dubitando, ad irreuerentiam eius pertinet. Nullus enim præsumit tentare eum de cuius excellentia certus est. Vnde manifestum est quòd sic tentare Deum est peccatum oppositum Religioni, & reuerentiæ Deo debitæ. Posterior autem non prouenit necessariò ex infidelitate, aut dubitatione contra fidem; sed interdum ex curiositate, vel præsumptione: vt quando quæritur experimentum alicuius decreti Dei vel consilij,

4. Eius causa, & malitia.

quod ipse non reuelauit. Eiúsque malitia, Religioni opposita, in eo consistit, quòd nimis familiariter cum Deo agatur, liberiúsque, & audaciùs, quàm Dei maiestatem, & nostram vilitatem deceat. Est autem hoc peccatum leuius, quàm præcedens: potéstque interdum excusari à mortali, non solùm propter ignorantiam, vel inconsiderationem: verùm etiam ex leuitate materiæ. Secus autem præcedens: semper enim graue peccatum est dubitare scienter & liberè de pertinentibus ad fidem, tametsi res à Deo reuelata non sit per se magni momenti: quanquam nihil eorum leue est quæ ad Dei perfectionem necessariam attinent. Porro licet tentatio Dei oriatur aliquando ab infidelitate: differt tamen ab illa, & est peccatum specialiter Religioni oppositum, quatenus est petitio, vel operatio, facta ad Deum explorandum, contra reuerentiam illi debitam: quando scilicet aliquis vult cognoscere id, de quo dubitat, aut quod non credit, per experimentum de Deo sumptum.

5. Nota tertiò, id quod ait D.Thomas, tentationem Dei tacitam & interpretatiuam esse, quando licet aliquis non intendat experimentum de Deo sumere; aliquid tamen petit aut facit, quod ad nihil aliud est vtile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem: non ita esse intelligendum, quasi non possit ad alium finem id referri ex intentione operantis. Nam ex. gr. probatio vulgaris olim vsitata, de qua dicemus paulò post, referebatur ad patefaciendam accusati innocentiam, vel ad crimen nocentis detegendum. Sed sensus est, quòd medium assumptum est de se inutile, neque aliunde habet ab institutione Dei vt sit aptum ad finem, qui per illud quæritur: vnde superest vt illius vsus non sit vtilis ad aliud, quàm ad experiendum velitne Deus, aut possit illum dare.

6. Nota quartò, licet non omnis Dei tentatio oriatur ex infidelitate, aut dubitatione contra fidem: necessarium tamen esse vt procedat ex aliqua ignorantia, vel dubitatione circa id cuius experimentum quæritur. Verissimum enim est quod ait D. Thomas quæst. 97. art. 2. omnem tentationem ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedere: siue illius qui tentat; vt quando aliquis experimentum sumit alicuius rei, vt eius qualitatem cognoscat: siue aliorum; sicut cùm aliquis experimentum de quopiam sumit vt alijs ostendat: per quem modum dicitur Deus nos tentare. Atque vt sit verè & propriè tentatio Dei, debet esse cum aliqua dubitatione circa Dei voluntatem, aut aliud eius attributum, cuius experimentum quæritur. Vt enim suprà diximus cum D. Thoma, Nullus præsumit eum tentare, de cuius excellentia certus est. Quare si quis v. g. ad probandam suam innocentiam, se in ignem conjiceret, certissimè persuasus Deum non passurum vt comburatur, neque posse permittere, vt innocens ex hac probatione detrimentum vitæ & famæ capiat: non esset hæc propriè tentatio Dei, sed stulta & temeraria præsumptio, opposita spei potiùs, quàm virtuti Religionis.

Oritur ex ignorantia, vel dubitatione.

7. Nota quintò, ad tentationem Dei tacitam, & interpretatiuam, non sufficere aliquid facere quod ad nihil aliud sit vtile nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, aut voluntatem, circa aliquem euentum: sed necessarium esse vt id fiat cum aliquo respectu ad explorandum Deum, & aliquid de illo inquirendum. Hoc enim est de ratione tentationis Dei generaliter sumptæ, vt patet ex verbis D. Thomæ initio relatis. Quare non sufficit ad Deum tentandum, quòd aliquis se conjiciat in ignem volens comburi & mori: vel in aquam, volens suffocari: vel se præcipitet ex alto, volens allidi: vel in graui morbo abstineat à remedijs ordinarijs, volens mori, aut pati sine vllo remedio. Sic enim non peccat contra Religionem, sed contra bonum proprium: sed necessarium est vt in istis, & similibus, imploret tacitè diuinum auxilium extraordinarium, velitque quodammodo & desideret illud obtinere, & à Deo expectet. Quod quia indebitè & irreuerenter facit, peccat contra Religionem. In hoc genere peccabant olim, qui in ignem ingrediebantur, vt probarent suam innocentiam: vel per experimentum ferri candentis, aut aquæ feruentis, vel oblato duello, nitebantur purgare se existimantes dumtaxat Deum non esse passurum vt comburatur, vel occidatur innocens: sed tacitè & virtualiter inuocantes Deum ad vim ignis suspendendam, & patefaciendam hoc miraculo suam innocentiam. Quæ purgationes olim vsitatæ, appellantur vulgares in iure Canonico, & prohibentur cap. *Consuluisti*, cap. *Monomachiam*, 2. *quæst.* 4. & cap. 1. & 3. *de purgatione vulgari*. Et meritò, quia cùm non essent à Deo institutæ; irreuerenter erga Deum agebant, qui sine alia necessitate petebant ab illo, & expectabant opem extraordinariam. Nec obest quod Deus interdum miraculosè fauebat huiusmodi purgationibus, vt videre est apud Delrium lib. 4. disqnisit. magic. cap. 4. Nam etiam sæpe permisit innocentem pati: & fauorem illum extraordinarium simplicitati & ignorantiæ hominum bonâ fide agentium aliquando indulsit. Non obest etiam quòd Numer. 5. præceperat Deus mulierem suspectam de adulterio purgari ab hac suspicione per aquas maledictionis. Nam per illud Dei præceptum non possunt excusari, qui sine illius institutione ad similes modos purgationis recurrunt, expectando semper à Deo fauorem extraordinarium, quem non promisit.

Non sit sine aliqua Dei exploratione.

Purgatio vulgaris.

8. Nota vltimò, peccatum Tentationis Dei multipliciter esse mortale. Primò scilicet, quando fit dubitando scienter & liberè de rebus fidei, aut de sufficienti earum propositione iam facta. Quo modo peccarunt Pharisæi Matth. 12. tentantes Christum, & quærentes ab illo signum de cœlo videre, post tot alia miracula iam ab ipso patrata. Secundò, quando fit cum periculo grauis nocumenti proprij, vel alieni. Vt si quis seipsum vel alium præcipitet ex alto, existimans fore vt Deus casum, vel nocumentum impediat; sicut cuidam Monacho contigisse scribit Cassianus Collat. 2. cap. 5. Vel si quis in morbo graui & periculoso spernat remedia ordinaria, expectans à Deo sanitatem viâ supernaturali, absque necessitate, & inspiratione diuina: quem Nauarr. cap. 11. Manual. num. 40.

Tentatio Dei est P. M. multipliciter.

& 41. damnat peccati mortalis: vt & illum, qui omissâ voluntariè præparatione necessariâ, aggreditur concionari: quod an sit verum dicemus paulò post: & de simili genere tentationis dicitur Eccles. 18. *Ante orationem prapara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*, sperans scilicet à Deo bonum successum orationis, sine medijs ordinarijs. Tertiò, quando est periculum grauis scandali: vt si quis absque speciali inspiratione Spiritus sancti, & sine necessitate offerat se ad probandum publicè dogmata fidei per aliquod miraculum: vel si suam, aut aliorum innocentiam velit simili modo probare. Quartò, cùm ex mera curiositate petuntur opera extraordinaria à Deo: in quo est magna irreuerentia, agendo cum Deo veluti cum histrione, & fautore curiosorum, vt bene ait Lessius cap. 45. dub. 1. num. 4. In alijs verò non semper est grauis irreuerentia, per se loquendo: neque tentatio Dei hac ex parte graue semper peccatum est: licet sit graue ex parte scandali, vel nocumenti grauis adiuncti: sine quo non puto verum esse quod dicit Nauar. de concionante sine præparatione sufficienti: multóque minùs peccat mortaliter orans sine sufficienti præparatione, absque alio damno, vel periculo, quod non semper adiunctum est ita concionanti, vel oranti: quamvis in eo sit aliqua irreuerentia, & tentatio Dei interpretatiua, si speratur ab illo, & temerè expetitur fructus concionis, & orationis, viâ extraordinariâ, sine necessitate.

SECTIO II.

De Sacrilegio, & varijs eius speciebus.

9. *Sacrilegij definitio.* Sacrilegium definitur à D. Thoma quæst. 99. art. 1. violatio rei sacræ. Per violationem intellige irreuerentiam, & indignam tractationem. Per rem verò sacram, intellige rem quamlibet creatam, peculiariter Deo dicatam, & ex peculiari illâ dedicatione sacram effectam; vel etiam per se sanctam & supernaturalem. Quamvis enim nomine rei sacræ vniuersaliter sumpto, possit Deus ipse intelligi: strictiùs tamen hîc sumitur pro re alia à Deo distinctâ: quia sacrilegium propriè & strictè sumptum, non est irreuerentia facta immediatè ipsi Deo, sed rebus ad ipsum pertinentibus, & specialiter ei dicatis, aut sacris & supernaturalibus. *Quomodo differt à quibusdam alijs peccatis?* In quo differt sacrilegium à tentatione Dei, periurio, & blasphemia: quia per hæc Deus in seipso immediatè tractatur irreuerenter, & iniuriosè. A voti autem violatione differt, quia hæc consistit in infidelitate, & perfidia, quâ non seruatur promissio Deo facta: continétque irreuerentiam immediatè erga ipsum Deum: cui tamen aliquando adiungitur sacrilegium, quando nimirum persona fuit Deo consecrata per votum castitatis emissum in manibus Prælati, aut per vota Religiosæ professionis, & peccatur contra tale votum. Alioqui enim facere contra votum, siue reale, siue personale, non continet nisi maliciam perfidiæ & infidelitatis erga Deum: quia neque persona ipsa, neque res Deo promissa, efficitur sacra per alia vota: vt bene contra Caiet. ostendit Suares tract. 3. de Religione, lib. 3. cap. 3. num. 3. & sequentibus.

Perperam verò idem Caiet. ad art. 1. quæst. cit. addendum putat huic definitioni, sacrilegium esse violationem rei sacræ *per actionem seu commutationem inuoluntariam*, vt hac vltimâ particulâ distinguatur à Simonia, quæ est indigna tractatio rei sacræ per voluntariam commutationem; venditionem scilicet, aut similem contractum: sicut, inquit, in materia iustitiæ quædam sunt commutationes voluntariæ iustæ, vel iniustæ; vt pacta & contractus: aliæ inuoluntariæ, vt furta, rapinæ, homicidia. Nam contrà: primò, nulla est ratio excludendi simoniam à genere sacrilegij: sed potiùs debet censeri velut vna de speciebus sub illo contentis: eoque nomine disertè vocatur à varijs auctoribus: vt à glossâ in cap. *Audiuimus, 1. quæst. 3.* Turrecremata ibidem, & alijs relatis à Suare lib. cit. cap. 1. num. 4. Deinde neque illa distinctio bona est. Quia non omne sacrilegium est commutatio inuoluntaria, vt patet in illis qui matrimonium contrahunt, aut exercent copulam illicitam, post votum solemne castitatis. Hoc enim sacrilegium tam fit mutuo consensu contrahentium; quàm simonia. 10. *Caietani definitio reiicitur.*

Itaque sacrilegium propriè sumptum est quæcunque irreuerentia & iniuria quæ Deo fit in qualibet indigna tractatione rerum supernaturalium, vel aliarum quæ peculiariter ipsi consecratæ sunt, id est, factæ quodammodo sacræ per specialem dedicationem eius cultui, vel aliam peculiarem habitudinem ad ipsum. Quæ res quia multiplices sunt, idcirco sacrilegium potest multipliciter committi. Diuiduntur autem res illæ à D. Thoma quæst. 99. art. 3. & ab alijs communiter, in tria membra, ad quæ omnes sacrilegiorum species reuocantur: nimirum in personas sacras, loca sacra, & res alias sacras. Ita vt vna sit species sacrilegij, quâ violantur personæ sacræ: vt Sacerdotes, Clerici, Religiosi. Altera, quâ violantur loca sacra: vt templa, altaria, cœmeteria, Xenodochia. Tertia, quâ res aliæ, vt Sacramenta, verba Scripturæ sacræ, Vasa altaris, vestes Sacerdotales, sacræ Imagines, iura, officia, & beneficia Ecclesiastica. Quæ tamen species non sunt infimæ, sed quælibet plures comprehendit, alias alijs grauiores, prout res, quæ violatur, est magis sacra, vel magis indignè tractatur. Nam, vt rectè ait D. Thomas art. citato, Tantò sacrilegium est grauius; quantò res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. 11. *Quid & quotuplex sit sacrilegium?*

Ad primam speciem pertinent primò, percussio Clericorum, & iniectio manuum violenta in illos, violando priuilegium, siue immunitatem, quæ Canonis dicitur, propter Canonem *Si quis suadente diabolo, 17. quæst. 4.* Secundò, violatio priuilegij, siue pertractio Ecclesiasticarum personarum ad tribunal Sæculare. Tertiò exactio vectigalium ab ijsdem, & aliorum seruilium onerum, à quibus Ecclesia voluit Clericos esse immunes in honorem status Ecclesiastici, extra casus iure permissos. Quartò, fornicatio cum personis votum castitatis ha- 12. *Prima eius species erga personas sacras?*

bentibus, siue simplex in manibus Prælati emissum, siue solemne, per ordinem sacrum, aut professionem Religiosam. Quintò, oblatio violenta rerum quas personæ Ecclesiasticæ possident titulo Ecclesiastico: & quæcunque alia repugnant cultui Dei, & reuerentiæ quam Ecclesia lege lata vult per huiusmodi immunitates, reddi personis Ecclesiasticis, vt Deo sacris.

13. Altera, erga loca sacra.

Ad secundam speciem sacrilegij pertinent ea omnia, per quæ sanctitas loci sacri violatur. Nomine autem loci sacri veniunt templa, cœmeteria, monasteria, hospitalia, & alia loca per Episcopum consecrata: iuxta cap. *Ad hæc, de Religiosis domibus*. Contra quæ loca peccatur sacrilegè multis modis. Primò, si effringantur, spolientur, incendantur, aut destruantur. Et quidem qui effringunt, & spoliant, sunt excommunicati ipso facto, cap. *Conquesti, de sententia excommunicat.* vbi iubetur vt isti denuntientur excommunicati. Quamvis enim denuntiatio significet actionem iudicis: tamen vt iudex denuntiet aliquem esse excommunicatum ratione criminis ab illo commissi, oportet excommunicationem fuisse incursam ipso facto propter tale crimen. Notandum tamen, ad incurrendam hanc excommunicationem ipso facto, debere crimen vtrumque, effractionis, & spoliationis, fuisse commissum: quia Canon loquitur copulatiuè. Neque sufficit ad illam, effringere & spoliare arcam in qua res Ecclesiæ continentur, aut Sacristiam, si ab Ecclesia disiuncta sit: quia hæc non intelliguntur nomine Ecclesiæ. Nota præterea, hanc excommunicationem non esse reseruatam Summo Pontifici, nisi post denuntiationem: vt colligitur ex cap. *Conquesti, suprà citato* Secundò, peccatur sacrilegè in Ecclesiam, si in illa fiat iniusta effusio sanguinis; vel emissio seminis, etiam per actum coniugalem, extra casum necessitatis. Si infidelis, aut persona excommunicata in ea sepeliatur. Si rixæ, seditiones, conclamationes, in illa excitentur: maximè si id fiat cum perturbatione officij diuini: si exhibeantur ibidem turpia spectacula, & comœdiæ inhonestæ, vel conuiuia & compotationes, hospitia, lectisternia, absque necessitate: si arx in illa, siue munitio construatur, nisi publica necessitas id exigat, & obtenta sit facultas quando non est in mora periculum: si iumenta in Ecclesiam introducantur: si in eadem exerceantur mercatus & negotiationes, vel causæ ciuiles sæculares, præsertim criminales. Si per vim extrahatur persona, quæ ad illam, tanquam ad asylum confugit, exceptis casibus in iure permissis. Vel si furtum in ea committatur, saltem quando res quæ surripitur, fuit ibi posita sub custodia, & tanquam in asylo. Ratio est, quia Ecclesia voluit, & statuit in reuerentiam loci sacri, vt Ecclesiæ ab his omnibus essent liberæ & immunes: vt fusiùs exponit, & varijs iuribus adductis confirmat Bonac. disp. 3. de præceptis Decalogi quæst. 6. puncto vnico.

14. Tertia, circa res alias sacras.

Ad tertiam denique speciem sacrilegij spectant omnia illa peccata, quibus res aliæ sacræ violantur. Vocantur autem res sacræ sex de causis. Vel primò, quia sunt in seipsis sacræ & supernaturales intrinsece, vt gratia sanctificans & alia dona supernaturalia. Vel secundò, quia sunt causa Sanctitatis, vt Sacramenta. Vel tertiò, quia rebus sacris inseruiunt, aut speciali benedictione vel consecratione fuerunt Deo dicatæ, vt vasa altaris, & vestes sacræ. Vel quartò, quia sacrum aliquid significant, vt verba sacra, & sanctorum imagines. Vel quintò, quia sunt partes rerum sacrarum, vt sanctorum reliquiæ. Vel sextò, quia sunt munia sacra, vel bona sacris personis alendis dedicata, vt officia & beneficia Ecclesiastica.

Itaque in hoc genere peccatur sex modis. Primò, per irreuerentiam factam donis supernaturalibus: vt si quis exemplo Simonis Magi velit ea pecunijs emere. Secundò, per abusum Sacramentorum, id est, per malam eorum administrationem, vel indignam receptionem, vel vsum superstitiosum: quod peccatum est grauius si committitur circa Eucharistiam, quæ Christum ipsum continet, & est nobilissimum Sacramentorum. Licet autem Christus ipse in Eucharistia indignè tractetur: numeratur tamen hoc sacrilegium in hac tertia specie circa res sacras, potiùs quàm in prima circa personas; propterea quòd Christus continetur in Eucharistia per modum rei inanimatæ, non autem in illa apparet per modum personæ viuentis & intelligentis. Vel potiùs sacrilegium circa Eucharistiam in eo consistit, quòd species Sacramentales indignè tractentur: prout verò Christus ipse sub illis contentus; non est sacrilegium propriè, sed plusquam sacrilegium, & maior quædam irreligiositas. Nam peccatum quod committitur contra reuerentiam debitam alicui personæ, opponitur illi virtuti, ad quam spectat venerari eandem personam. Pertinet autem ad latriam, Christum venerari in Eucharistia, vbi eodem honore dignus est, quo in specie visibili. Ergo eidem opponitur irreuerentia commissa contra Christum in Eucharistia: ac proinde sicut iniuria facta ipsi Christo in specie visibili, non erat sacrilegium propriè, sed maior quædam irreligiositas, immediatè violans ipsam personam diuinam: ita in Eucharistia.

Per earũ emptionem.

Vel abusum Sacramentorum.

15. Vel prophanationem vestium, & vasorum sacrorũ.

Tertiò, in eadem specie peccatur per prophanationem vestium, vasorum, & ornamentorum sacrorum: vt si quis vasis sacris vtatur ad compotationes, instar Baltassaris, Daniel. 5. vel si ex illis pecuniam conflet, vel si ex sacris vestibus prophana sibi conficiat indumenta, vt impiè fecerunt nonnulli hæreticorum. Quartò, per abusum verborum sacræ Scripturæ; quæ speciali veneratione digna est: vt si quis illis vtatur ad ridicula, vel obscœna, vel ad superstitiones, vel ad hæreses confirmandas; vel si ad musicam lasciuam illa componat, præsertim in diuinis officijs: si Sanctorum imagines frangat per contemptum, aut indignè habeat, vel Sanctos repræsentet veluti personas viles, ridiculas, & contemptibiles, vel vanas & lasciuas, vt faciunt aliqui pictores hæretici, & alij, qui maiorem habent curam artis suæ ostentandæ, quàm pietatis fouendæ. Quintò, per malam tractationem reliquiarum: vt si in loco indecenti teneantur, si contemnantur, dissipentur, comburantur, vel alijs modis irreuerenter ha-

Vel abusũ verborũ Scripturæ.

Vel fractionem, aut contemptum sacrarum imag.

Aut indignam tractationé reliquiarum.

beantur. Hoc enim sacrilegium est, quatenus illa irreuerentia in Deum refunditur, cuius intuitu Sancti, velut eius filij, & amici peculiares, ac domestici, honorandi sunt. Prout verò sanctos respicit præcisè ratione propriæ excellentiæ creatæ, est peccatum oppositum duliæ. Sexto denique, per irreuerentiam erga iura, officia, & bona Ecclesiastica: vt si violentur iura Ecclesiæ, si eius bona iniustè vsurpentur, si vendantur officia & beneficia Ecclesiastica.

16. Non est sacrilegium vacare operibus seruilib. die festo.

Addit Lessius cap. 45. dub. 3. num. 18. si dies sacri operibus seruilibus, vel alijs prohibitis violentur. Quamvis enim, inquit, omissio sacri diebus festis non tam videatur esse sacrilegium, quam negatio cultus debiti: sacrilegium enim sonat indignam rei sacræ tractationem, ideóque consistit in actu positiuo: tamen in operibus seruilibus inest sacrilegium, quatenus per ea violatur sanctitas diei festi, qui non minùs sacer est, quàm locus, quando est deputatus cultui diuino per auditionem sacri exhibendo, & per abstinentiam operum seruilium. Verùm, vt meliùs ait Suar. lib. 3. suprà citato, cap. 4. num. 3. & 4. Violatio temporis sacri non est propriè sacrilegium, sicut violatio loci sacri. Quia tempus non aliter sanctificatur, quàm determinando actiones sacras, quæ in illo fieri debent: & ideo non censetur habere aliam sanctitatem, quàm sanctitatem talium actionum: neque vacatio ab operibus seruilibus præcipitur quasi in venerationem ipsius temporis, sed directè in cultum Dei. Ergo contrarium opus non est contra reuerentiam alicuius rei sacræ, sed contra reuerentiam Dei in se. At verò locus in seipso sanctificatur & consecratur: & prohibitio negotiandi in Ecclesia, immediatè fit propter reuerentiam habendam ipsi Ecclesiæ. Quamvis magis remotè totum ordinetur in Deum. Vtrùm autem verum sit quod addit Lessius, ad sacrilegium requiri actionem positiuam, dicemus in fine Sectionis.

17. Species sacrilegij quomodo diuersæ.

Porro, vt suprà diximus, hæ tres species sacrilegij sunt subalternæ, & quælibet earum sub se continet plura peccata specie diuersa, non solùm physicè, verùm etiam moraliter & in ordine ad confessionem: prout scilicet repugnant Regulis honestatis valde diuersis. Ex. gr. in prima specie longè diuersa hæc sunt, percutere Clericum, vocare illum ad tribunal sæculare, & fornicari cum persona Deo consecrata. Nec obest quod D. Thomas quæst. 99. art. 3. ad 2. dicit percussionem sanctimonialis, & commixtionem cum illa, esse eiusdem speciei in ratione sacrilegij. Debet enim intelligi de eadem specie, non infima, sed subalterna: de eadem scilicet è tribus generalibus, ab ipsomet ibidem assignatis, & à nobis iam explicatis. Similiter in secunda specie longè differt effractio & spoliatio Ecclesiæ, vel eius destructio, à sacrilegio circa eandem commisso per effusionem sanguinis, aut seminis: vel abductione ab illa, velut asylo, personæ vel rei in ea depositæ. Et in tertia, valde differunt abusus Sacramentorum, prophanatio vasorum, vestium, aut ornamentorum sacrorum, combustio reliquiarum, vel indigna tractatio sacrarum imaginum, venditio beneficiorum aut officiorum Ecclesiasticorum, & iniusta vsurpatio bonorum Ecclesiæ. Habent enim hæc omnia deformitatem longè diuersa ratione repugnantem rectæ rationi: & secundùm diuersam sanctitatem rerum sacrarum, debent distingui species diuersæ sacrilegij, vt bene affirmat S. Thomas artic. citato. Manifestum autem est longè aliam esse sanctitatem Sacramentorum, præcipuè Eucharistiæ; aliam vestium, & vasorum sacrorum; aliam reliquiarum, vel imaginum. Quin etiam circa eandem rem sacram potest committi multiplex species sacrilegij, propter valde differentem modum quo indignè tractatur. Nam exempli gratiâ, aliter peccat ille qui calicem sacrum furatur, ac ille qui eodem vtitur ad prophanos vsus. Aliter etiam peccat qui indignè sumit Eucharistiam, ac ille qui eam tenet in loco indecenti, vel ille qui canibus & equis eam projicit, furore diabolico, vt olim Donatistæ, ab iisdem canibus laniati, quibus illam proiecerant, vt refert Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, paulò post medium.

Quamvis autem sacrilegium sit peccatum mortale ex suo genere, & in singulis trium specierum assignatarum sæpissime peccetur grauiter, vt patet ex multis exemplis allatis: veniale tamen esse potest, tum ex defectu perfectæ deliberationis, tum etiam ex leuitate materiæ. Potest enim res esse leuis, aut leuis circa illam irreuerentia: vt si quis leuiter percutiat Clericum, vel exiguum quid de bonis Ecclesiasticis surripiat, aut leuem irreuerentiam in vsu Sacramentorum committat. Dummodo tamen absit formalis contemptus, aut formalis & expressa intentio violandi rem sacram, vt facere solent hæretici: quando in odium Religionis, personas, loca, & res sacras malè tractant. Nam ille contemptus grauem semper irreuerentiam, & malitiam continet. 18. Sitne semper peccatum mort.

Notandum præterea cum Suare, citato cap. 7. si nomine sacrilegij comprehendi debet, quæcunque irreuerentia erga res sacras, sacrilegium consistere partim in actibus positiuis, quibus indignè tractantur quæcunque res sacræ, & Deo dicatæ: partim in priuatiuis, quibus scienter, & liberè, cultus illis debitus omittitur: vt si venerabilis Eucharistia non reuerenter, & cum sufficienti diligentia asseruetur: si vasa, vestimenta, & ornamenta altaris non sint munda, & nitida: si personis, & locis sacris non deferatur honor conueniens, & necessarius ex præcepto, intuitu Religionis. Item, non solùm consistere in defectu colendi personas, loca, & res sacras: verùm etiam in excessu superstitioso, colendo plus, aut aliter, quàm par sit: vt si quis publicè colat defunctum, nondum à Summo Pontifice propositum vt Sanctum, aut Beatum: si reliquias dubias, aut suppositititias pro veris in honore habeat: si imagines prophanas veneretur, vt sacras, vel circa sacras gestus quosdam indecentes exerceat vel quid aliud inordinatum faciat in earum cultu: quales abusus superstitiosos contingere posse supponit Tridentinum Sess. 25. in decreto de reliquijs, & veneratione Sanctorum: vbi statuit vt omnis superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro vsu tollatur. 19. Consistit etiam in actibus priuatiuis.

SECTIO

SECTIO III.

De Sacrilegorum pœnis ciuilibus, & Ecclesiasticis.

10. Pœnæ ciuiles cōtra sacrilegos. QVod verò attinet ad pœnas sacrilegorum, dico breuiter primò, per leges ciuiles statutum esse L. *Si quis in hoc*, C. *de Episcopis & Clericis*, vt sacrilegium, quo atrociter violatur persona sacra, puniatur pœnâ duriori, id est, pœnâ capitis. Pro alijs autem sacrilegijs pœna ciuilis est arbitraria, vt dicitur L. *Sacrilegij*, ff. *ad legem Iuliam pecu* Nisi fiat contra immunitatem confugientium ad Ecclesiam: quia tunc puniendus est sacrilegus vltimo supplicio, L. *Præsenti*. C. *de Epis. audien*.


11. Pœnæ Ecclesiasticę contra eosdem. Dico secundò, per leges Ecclesiasticas multas alias pœnas sacrilegio constitui: vt videre est Causa 17. q. 4. vbi cap. 1. præcipitur vt Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui prædium Ecclesiæ quodcunque de iure ipsius alienare tentauerit, honoris sui amissione mulctetur. Et cap. 6. iubetur excommunicari qui confinia Ecclesiæ frangere tentauerit; aut personam hominis, vel bona eius inde subtraxerit. Cap. 10. & 11. statuitur vt ab Ecclesiæ arceatur ingressu, qui aliquem de Ecclesia, ad quam confugit, violenter extraxerit, aut Ecclesiam violauerit. Et cap. 13. Vt qui prædia vsibus Ecclesiæ dedicata vexauerit, post debitæ vltionis acrimoniam (quæ erga sacrilegos iure promenda est) perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut in exilium perpetuum amandetur. Cap. 19. Vt Clericus, qui seruum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahit, aut verberat; segregetur à loco, cui honorem non dedit, donec dignè pœniteat. Cap. 20. Vt qui fugientem seruum suum, vel alium quem ipse persequutus fuerit, de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quomodolibet Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, pro immunitate violata nongentos solidos Episcopo componat, & ipse publicâ pœnitentiâ iusto iudicio Episcopi mulctetur. Et sequenti cap. 21. additur vt quisquis inuentus fuerit reus sacrilegij, Episcopis, vel Abbatibus, siue personis ad quas querimonia sacrilegij pertinuerit, triginta libras argenti soluat. Ibidémque fertur excommunicatio in eos, qui aliquid de Ecclesiæ bonis, sine licentia eius, cui commissa sunt, ab ea abstulerit, vel Ecclesiasticis personis iniuriam fecerit. Decernitur insuper vt qui Monasteria, & loca Deo dicata, & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum nonies componant: & immunitatem tripliciter: & velut sacrilegi, Canonicæ sententiæ subjiciantur. Cap. 22. præcipitur vt excommunicentur qui Episcopum non Canonicè iudicatum comprehenderint, percusserint, aut aliqua vi à propria sede expulerint. Additúrque vt bona eorum, Ecclesiæ ipsius iuri perpetuo tradantur. Si verò in Presbyterum, vel alium Clericum inferiorem eadem præsumpserint, Canonicæ pœnitentiæ, atque depositioni subiaceant: & si contumaces fuerint, excommunicentur. Cap. 23. eadem pœna excommunicationis imponi iubetur flagellatoribus, occisoribus, & prædonibus Presbyterorum. Et cap. 24. additur vt qui Presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentiam subeat: & conuictus noxæ, ad vltimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat. Decernitur prætetea cap. 27. vt qui Subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat: qui Diaconum, quadringentos: qui Presbyterum, sexcentos: qui Episcopum, nongentos: qui Monachum quadringentos. Item cap. 28. Vt qui Monachum, aut Clericum occiderit, arma relinquat, & Deo in Monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reuersurus; & septem annis publicam pœnitentiam agat. Denique cap. 29. statuitur vt si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum, violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere (nisi mortis vrgente periculo) dente Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat. Omitto alia multa iura Canonica, quibus aliquæ ex huiusmodi pœnis stabiliuntur, aut renouantur.

Circa quas omnes pœnas nota primò, idcirco sacrilegium puniri legibus tam ciuilibus, quam Ecclesiasticis; quia est fori mixti, id est, pertinet ad Iurisdictionem ciuilem, & Ecclesiasticam: ideóque datur etiam præuentio in illo crimine iudicando, & puniendo, vt ait Cardinal. Thuscus V. *Sacrilegium*. Nota secundò, triplicem pœnam generatim contra sacrilegos statui partim ciuilibus legibus, & partim Ecclesiasticis. Nimirum pœnam corporalem exilij aut mortis; mulctam pecuniariam, aut honorariam; & excommunicationem, aut aliam censuram. Cuius triplicis pœnæ redditur hæc ratio à D. Thoma q. 99. art. 4. quia, inquit, in pœnis infligendis duo sunt consideranda. Primò quidem æqualitas, ad hoc quód pœna sit iusta: vt scilicet in quo quis peccat, per hoc torqueatur Et hoc modo conueniens pœna sacrilegi, qui sacris iniuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arcetur. Secundò autem consideratur vtilitas. Nam pœnæ quasi medicinæ quædam infliguntur, vt his territi homines à peccando desistant. Sacrilegus autem, qui sacra non reueretur, non sufficienter videtur à peccando arceri per hoc, quód sacra ei interdicuntur, de quibus non curat. Et ideo secundùm leges humanas adhibetur capitis pœna: Secundum verò Ecclesiæ statuta, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria: vt saltem pœnis temporalibus à sacrilegijs reuocetur. — 12. Sacrilegium est fori mixti.

Nota tertiò, pœnas illas corporales, aut pecuniarias non incurri ante sententiam iudicis, aut etiam executionem: iuxta ea, quæ diximus de lege pœnali, in tract. de legibus. Ideóque pertinent ad forum externum. Ex Censuris verò Ecclesiasticis nulla incurritur ipso facto, siue ante sententiam; nisi excommunicatio lata contra effractores, & spoliatores Ecclesiæ, cap. *Conquesti, de sent. Excom.* & lata contra percussores Clericorum cap. *Si quis suadente diabolo*, 17. q. 4. & contra incendiarios locorum — 13. Quomodo incurruntur pœnæ sacrilegorum?

sacrorum, iuxta communem doctrinam Canonistarum in cap. *Tua nos*, *de senten. Excommunicat.* Quanquam hic Canon non satis expressè id affirmat; & Glossa illum explicat de excommunicatione non latâ, sed ferendâ. Alij id colligunt ex cap. *Conquesti* supra citato: Sed in censuris & pœnis requiritur expressio, non ampliatio. Sæpéque fit vt peccata paria, & aliquatenus similia, vel etiam maiora, non eâdem censurâ puniantur: quia id pendet ex arbitrio Ecclesiæ. Ideóque disp. 59. de censuris Sect. 20. num. 251. diximus esse probabilius incendiarios non esse excommunicatos ipso facto, sed excommunicandos.

Denique violatores immunitatis Ecclesiasticæ per impositionem tributorum, & alios quosdam casus, excommunicantur ipso facto in Bulla Cœnæ: vt diximus in illius explicatione disp. cit. Sect. 19. num. 241. Additque Trident. Sess. 22. cap. 11. de Reformatione, excommunicationem Papæ reseruatam contra quoscunque vsurpantes bona, census, iurisdictiones, ac iura, etiam feudalia, & emphytheotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones alicuius Ecclesiæ vel Beneficij, vel Montium pietatis, aliorúmque piorum locorum. Specialiter autem de pœnis contra Simoniacos dicemus sequenti disp. Sect. 9. 24.



DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

De Simonia.

DE Simonia disputat S. Thomas q. 100. vbi docet Simoniam esse vendere aut emere pretio temporali aliquid spirituale, aut annexum spirituali. Esséque illicitum & Simoniacum dare vel accipere aliquid tanquam pretium pro spiritualium administratione: secus autem tanquam necessitatis & subuentionis stipendium, & ad sustenta-

tionem eorum qui spiritualia ministrant. Ea quoque, quæ spiritualibus sunt annexa, si ab illis dependent, non posse vendi & emi absque Simonia: secus si tantùm ad illa referantur. Prioris generis sunt Beneficia Ecclesiastica; quia non competunt nisi habenti officium Clericale. Posterioris, Ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia; & Vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum vsum. Addit Simoniacos esse non eos solùm qui pro spiritualibus dant vel accipiunt pecuniam: sed etiam qui dant aliud pretio æstimabile: vt munus linguæ, vel obsequij temporalis. Iuréque priuari Simoniacos bonis, quæ per Simoniam acquisiuerunt: quia non possunt ea licitè retinere, quæ contra voluntatem Domini acquisiuerunt. Dominus autem ordinauit vt spiritualia gratis darentur, iuxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Insuper etiam tam vendentes, quàm ementes spiritualia, aut etiam mediatores puniri alijs pœnis, videlicet infamia, & depositione, si sunt Clerici: & excommunicatione, si sunt Laïci: vt habetur Causa 1. q. 1. C. *Si quis Episcopus.* Hucvsque D. Thomas.

SECTIO I.

Quid sit Simonia, & quàm graue peccatum?

1. Simoniæ definitio. SImonia definitur à D. Thoma quæst. 100. art. 1. Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali. Dicitur primò, *Voluntas*: vt hac definitione comprehendatur etiam Simonia mentalis, quæ solâ voluntate perficitur, non ea tantùm ratione, quâ alia peccata per voluntatem committuntur, sed speciali modo inferiùs explicando Sect. sequenti, num. 23. secundum quem potest sola voluntas facere hominem Simoniacum. Addunt aliqui definiri potiùs Simoniam per voluntatem, quàm per executionem; quia peccatum Simonis Magi, à quo nomen accepit, mentalis tantùm Simonia fuit. Vel potiùs, quia voluntas abstrahit ab illa quæ cum effectu coniuncta est, vel non coniuncta: atque ita quamlibet Simoniam generaliter comprehendit. Perperam verò Canonistæ quidam addunt prædictæ definitioni, *effectu subsecuto.* Sic enim ab hac definitione Mentalem excludunt, vnámque tantùm speciem Simoniæ, nempe Realem, definiunt; magis ad forum externum attendentes, quàm ad generalem conceptum Simoniæ explicandum.

2. Dicitur secundò, *studiosa voluntas*, id est, deliberata: excusat enim indeliberatio, & ignorantia à peccato Simoniæ. Dicitur tertiò, *emendi, aut vendendi*: id est, non gratis dandi, vel accipiendi, sed interuentu pretij temporalis, & cum pacto oneroso. His enim verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus; siue sit emptio propriè, siue contractus æquiualens, & quocunque modo onerosus, nominatus, aut innominatus, *Do vt des, Do vt facias, &c.* In qua tam ampla significatione sumitur interdum in iure nomen venditionis; vt lege *Sicut,* §. *Venditionis*, ff. *Quibus modis pignus.* Tria verò requiruntur vt contractus non sit gratuitus, sed Simoniacus. Primò, vt detur temporale pro spiritali. Secundò, vt istud temporale sit pecunia æstimabile, seu vendibile, atque bonum vtile; & non tantùm bonum honestum, vel delectabile. Quare non est Simonia dare beneficium propter solam amicitiam, aut consanguinitatem, vt ait D. Thom. a. 5. ad 2. quæst. 100. art. 5. ad 2. quamvis sit aliqua irreuerentia erga sacrum officium dare beneficium ex motiuo solius amicitiæ humanæ, vel consanguinitatis: peccéntque qui bonum priuatum suum, aut suorum, præferunt bono communi Ecclesiæ: vt bene affirmat Lessius cap. 35. dub. 1. num. 9. Potest etiam grauius quoddam peccatum sacrilegij, quàm Simoniæ, committi, dando beneficia propter aliquam delectationem illicitam. Contractus Simoniacus.

Dicitur quartò in definitione, *aliquid spirituale*, id est, aliquid quod non habetur, neque haberi potest solis viribus naturalibus, sed ex gratuito Dei dono; iuxta illud Matth 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Spiritale enim dicitur hoc loco, non à spiritu creato, sed ab increato: id est, à Spiritu sancto, quatenus est auctor donorum gratiæ, quæ per antonomasiam spiritualia dona vocantur, vt bene notat Suarez tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 1. num. 11. addens eo nomine intelligi omnes gratias gratum facientes, & gratis datas, & omnia dona Spiritus sancti, & ministeria diuinitus ordinata ad spiritalem salutem animarum, & à fortiori instrumenta eiusdem salutis, & quidquid propter illam est à Deo, vel ab Ecclesia specialiter institutum per supernaturalem potestatem à Christo sibi gratis datam. Pro quibus omnibus dare vel accipere pretium temporale, est peccatum Simoniæ. 3. Versatur circa spiritalia.

Dicitur quintò, *aut annexum spirituali*: quod additur propter multa quæ naturâ suâ non sunt spiritualia, sed tamen sunt coniuncta & annexa spiritualibus, vel naturâ suâ, vel iure Ecclesia- 4. Vel annexa spiritalibus.

stico. Quæ connexio potest multipliciter fieri. Potest enim id, quod est materiale, connecti cum spirituali vel per modum causæ efficientis, & tanquam illius principium; vt se habet ius patronatus respectu beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum præsentationi præsupponitur: Vel per modum materiæ cum forma, aut formæ cum materia: vt se habet ablutio in baptismo respectu prolationis verborum formalium, aut consecratio respectu calicis. Vel denique per modum effectus cum causa: vt beneficia & stipendia, quæ dantur propter officia Ecclesiastica, vel propterea quòd homo sit obligatus ad functionem aliquam Ecclesiasticam. Eodem recidit quod alij dicunt, quædam esse spiritualibus annexa antecedenter, alia concomitanter, alia consequenter.

Pretium tẽporale triplex. Dicitur denique, *pretio temporali*, quod triplex distingui solet: videlicet pretium muneris, vt pecuniæ, vestis, equi, & similium rerum vendi consuetarum. Pretium linguæ, vt laudis, patrocinij aduocati, commendationis apud Principem. Et pretium obsequij, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, cuiusmodi est œconomi, secretarij, famuli. Hæc enim omnia sunt pretio æstimabilia. Sumitúrque hæc distinctio triplicis pretij temporalis ex cap. *Ordinationes* 1. q. 1. & cap. *Totum*, cap. *Saluator* q. 3.

5. Cur Simonia non nisi circa res sacras cõmittatur? Idcirco autem Simonia versatur solùm circa res sacras, & supernaturales: quia cùm res illæ sint eiusmodi vt à sola Dei voluntate gratuita pendeant, & solo eius beneficio supra naturæ debitum haberi possint: grauis contra illas committitur irreuerentia, quando pretio temporali, vt res aliæ naturales & humanæ, æstimantur, censentúrque posse per pactum & contractum humanum acquiri. Fit etiam irreuerentia contra Deum ipsarum auctorem, quando existimatur posse temporali pretio obligari ad concedenda dona illa, quæ à gratuita ipsius voluntate pendent, superántque non modò quodlibet pretium temporale, sed & totum naturæ ordinem. In eóque consistit malitia Simoniæ,

Quomodo fit cũ earum irreuerentia? quod, vt rectè ait Lessius cap. 35. dub. 2. num. 15. per talem contractum, fiat notabilis irreuerentia rei sacræ, & consequenter Deo ipsius largitori, dum tanquam prophana, & humanis viribus parabilis, æstimatur pretio temporali: insinuatúrque non esse illam aliquid diuinum & supernaturale, pertinens ad salutem æternam; sed rem temporalem & humanam, ad commoda huius vitæ tantùm pertinentem: qualia sunt omnia apud omnes gentes quæ in contractus veniunt. Qua de causa Petrus Apostolus Act. 8. Simoni Mago sic exprobrat, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Insinuans verbis illis, esse contra dignitatem & excellentiam doni supernaturalis, proprij ipsius Dei, atque ab eius gratuita voluntate pendentis, posse acquiri pretio temporali, & humano contractu: esséque grauem irreuerentiam ita de illo existimare. Quis enim vile non putat esse, quod venditur? inquit Hormisda Papa in Epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ, loquens de Simonia. Neque par est ratio de bonis temporalibus, etiam de fama, & vita ipsa. Hæc enim omnia, cùm sint merè temporalia, naturalia, & humana, non sunt digna sacrâ veneratione debitâ rebus supernaturalibus, possúntque sine irreuerentia cadere sub commutationem alicuius pretij temporalis.

Ex his collige primò, non esse Simoniam vendere pretio temporali, scientiam vel doctrinam humanam, vel consilium, artem, aut aliam rem, quæ habetur, vel haberi potest viribus naturalibus. Quia non est res sacra & supernaturalis, sed humanâ industriâ comparabilis. Idémque dico de actibus virtutum, purè & omni modo naturalibus, pro quibus si pretium exigatur, non incurritur Simonia, tametsi potest in eo multipliciter contra Charitatem & Iustitiam peccari. Neque objicias scientiam naturalem esse pretio inæstimabilem, iuxta illud Prouerb. 3. *Pretiosior est cunctis opibus sapientia: & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Et Prouerb. 23. *Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* Ex quo sequi videtur venditionem illius habere malitiam Simoniæ: præsertim verò si loquamur de scientia Dei naturaliter possibili, in qua beatitudo naturalis magna ex parte consistit. Nam illa non potest vendi sine irreuerentia erga Deum. Estque absurdum existimare, posse licitè cogi homines ad emendam cognitionem Dei, & naturalem beatitudinem posse pretio comparari. Quod argumentum æquè probat Simoniacum esse vendere virtutes naturales, eas præcipuè quæ circa Deum versantur, & in quibus etiam naturalis beatitudo hominis ex parte sita est. 6. Non est Simonia vendere scientiã, aut virtutes naturales.

Respondeo enim, scientiam quidem secundùm se pretiosiorem esse pecuniâ, & non posse per illam comparari. Nisi quis enim valeat ingenio, & laboret ad illam acquirendam, nullo pretio obtinebit: verumtamen quoad vsus humanos posse recipere æstimationem; & operam, industriamque illam docendi, & communicandi alijs, posse pecuniâ æstimari: vt patet ex vsu totius orbis Christiani. Nam vbique conducuntur Magistri, & Doctores, qui scientias profiteantur: & pro scientijs nobilioribus, ac Magistris in sua professione præstantioribus, dantur maiora stipendia. Quod verò obiectum fuit ex Prouerb. 23. consilium est, non præceptum, communicandi alijs liberaliter doctrinam, sapientiam, & intelligentiam nostram. Addo, non quidquid est inæstimabile pretio, esse materiam Simoniæ, quamvis illicitè vendatur: sed debet esse sacrum aliquid & supernaturale, in cuius venditione committatur Simonia Religioni opposita. Eadémque de causa non est Simonia in venditione scientiæ naturalis circa Deum, seu potiùs industriæ & operæ in illa docenda, & in instruendo aliterque iuuando ad acquirendas virtutes naturales, in quibus naturalis beatitudo consistit. Quæ tametsi non potest ope solùm aliena, sine proprio cuiusque labore comparari: possunt tamen alij ad ipsam acquirendam iuuare, suámque cooperationem nolle gratis tribuere. In quo nihilominus peccare possunt contra Iustitiam, si aliunde gratis iuuare teneantur, vt Prælati, & pastores animarum: vel contra Charitatem; vt si pauper indiget nostra instructione, & non habet pretium quo illam sibi comparet. 7. Soluitur obiectio.

8. Nec vendere res non verè sacras.

Collige secundò, non esse verè Simoniam à parte rei quando Idololatræ vendunt aut emunt sua Sacerdotia, vel Sacrificia: quia non sunt res verè sacræ & supernaturales. Possunt tamen in eo committere peccatum Simoniæ ex conscientia erronea, putantes esse sacrum & supernaturale, quod non est. Possunt etiam verum Simoniæ peccatum committere vendendo beneficia Ecclesiastica quæ detinent, vel reliquias Sanctorum, & res alias verè sacras & supernaturales.

An etiam non supernaturales?

Dices, In statu naturæ puræ esset Simonia vendere Sacerdotia, & Sacrificia, quæ tunc homines naturali ductu rationis instituerent ad Deum colendum. Et tamen illa non essent res supernaturales: quia in statu naturæ puræ nihil foret supernaturale. Ergo ad Simoniam non requiritur necessariò vt vendatur aliquid supernaturale. Confirmatur, quia, vbi est vera Religio, potest contra illam peccari. Religio autem est de lege naturali: & inter Gentiles lumen naturale rationis sequentes locum habuit, atque in statu naturæ puræ locum haberet. Quare in eo statu, esset contra Religionem, & fuit inter Gentiles, vendere Sacerdotium. Ex hoc enim vilesceret eius dignitas, & daretur indignis; eiusque functiones consequenter essent venales: quod est contra rationem naturalem, & contra cultum Dei. Nec obest quòd eiusmodi Sacerdotium non sit à Deo specialiter institutum, habet enim ab humana institutione sufficientem dignitatem, vt sine irreuerentia erga Deum vendi non possit. Nam etiam nostrum Sacerdotium non est inuendibile ex eo quòd à Deo institutum est; sed quia est ad cultum Dei institutum, & aliquid sacrum, seu specialiter Deo deuinctum.

9. Potest esse Simonia naturalis.

Respondeo in eo casu non fore Simoniam propriè dictam, qualis nunc committitur, & de qua in præsenti quæstione disputauimus quæque superiùs à nobis ex D. Thoma, & communi sententia Theologorum definita fuit, potéstque distinctionis gratiâ vocari Ecclesiastica, estque alterius rationis & ordinis, ac longè maiorem continet indecentiam, quàm illa naturalis Simonia quæ foret in eo casu. Nam ista versatur circa res supernaturales, quæ minùs debent subjici pacto, & pretio temporali, quàm naturales tantùm: opponiturque virtuti supernaturali Religionis. Altera verò manet intra naturalem ordinem, in quo sicut esse potest vera Religio naturalis, & Sacerdotium, & Sacrificium, & alia ad Deum naturali modo colendum instituta: sic irreuerentia foret contra Dei cultum, & rerum sacrarum honorem, ea vendere; vt bene probat obiectio.

10. Simonia opponitur propriè Religioni.

Collige tertiò, vitium Simoniæ opponi propriè & specialiter virtuti Religionis. Consistit enim propria illius malitia in eo, quòd res sacræ & supernaturales irreuerenter & indignè tractentur, quando pretio temporali subjiciuntur, veluti res humanæ & temporales, pecuniâ æstimabiles, & per pacta, conuentionésque humanas, comparabiles. Pertinet autem propriè ad Religionem Deum colere, résque sacras & diuinas, cum debita veneratione tractare. Ex quo fit vt hoc peccatum sit ex suo genere grauissimum, quippe virtuti nobilissimæ inter morales oppositum, cuius grauitatem significauit Petrus Apost. Act. 8. quando Simoni Mago dixit, *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*. Et in Causa prima q. 1. cap. *Reperiuntur*, & cap. *Quisquis*, Simonia vocatur exectabile & piaculare flagitium, id est, vt ait glossa, morte expiandum. Exaggeratorium tamen est quod in eadem Causa, q. 7. cap. finali dicitur, *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari*. Nam sine dubio maius peccatum est idololatria, vel odium Dei, quæ ipsi Deo directè opponuntur; quàm Simonia, quæ eius donis: & peccata directè opposita virtutibus Theologicis, vtpote omnium præstantissimis, sunt ex suo genere grauiora illis, quæ opponuntur virtutibus Moralibus. Cúmque Simonia eodem Cap. & pluribus alijs in iure Canonico vocatur hæresis, intelligendum est latè & impropriè, vt docent glossa, & Canonistæ in cap. *Firmissimè, de hæreticis*, & D. Thomas quæst. 100. art. 1. ad 1. vbi ait Simoniam vocari hæresim quoad externam professionem, quatenus ille, qui vendit donum Spiritus sancti, profitetur se esse Dominum Spiritus sancti: vel hoc ipso significat se existimare donum illud esse rem pretio æstimabilem, quod contra fidem est. Potest tamen esse Simonia absque tali iudicio speculatiuo. Ideóque per se formaliter & præcisè non est hæresis propriè. Vel etiam dicitur hæresis ratione primæ suæ originis: quia in nouo Testamento cœpit à Simone Mago, qui simul primus Simoniacus, & primus hæresiarcha noui Testamenti fuit: vt ait Suar. tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 1. num. 6.

Estque peccatum grauissimum.

Cur vocetur hæresis in iure Canonico?

Quod si quæras an peccatum istud possit ob materiæ leuitatem esse aliquando veniale? Affirmant aliqui posse illam excusare à mortali in Simonia, æquè ac in sacrilegio, cuius Simonia species quædam est. Præsertim quando venditur tantùm res annexa spirituali: vel illud quod non est spirituale ex natura sua, & ex iure diuino, sed ex institutione Ecclesiæ: vt si parum pecuniæ accipiatur pro officio Sacristæ, vel œconomi Ecclesiæ; aut si imago, vel granum benedictum vendatur paulò cariùs, quia benedictum est. Contra verò, negant Malderus tract. 9. de Iustitia, cap. 3. dub. 2. in fine, & Suar. lib. cit. cap. 3. num. 5. Ratio illorum est, quia vel leuitas materiæ excusans, esset ex parte pretij temporalis, vel ex parte ipsius rei spiritualis quæ venditur. Non primum: quia quò viliori pretio venditur res spiritualis, eò viliùs æstimatur, & tractatur cum maiore irreuerentia; nam vili pretio danda, aut comparanda censetur. Non etiam secundum: quia in nullo gradu tam paruo potest esse res spiritualis, id est, sacra & supernaturalis, quin eam vendere sit graue peccatum. Non enim potest contemni donum vllum supernaturale, sine graui culpa. Contemnitur autem, quando venditur pretio temporali; & tanquam quid vile tractatur. Et quantum est ex parte talis actionis, subtrahitur gratuitæ donationi Dei. Nam quod temporali pretio potest æstimari & dari, non reputatur tanquam pendens ex gratuita donatione Dei.

11. Sitne aliquando peccatum veniale ob leuitatem materiæ.

Vnde sicut peccaret grauiter qui vel minimum opus pietatis sibi tribueret, & non gratuitæ donationi Dei; neque in tali cogitatione potest inueniri leuis materia: ita grauiter peccat qui donum aliquod gratiæ, etiamsi minimum videatur, pretio temporali vendit. Nec obest quòd Simonia est species sacrilegij, in quo genere potest leuitas materiæ excusare à mortali. Hoc enim non est verum de qualibet eius specie. Nam in blasphemia id locum non habet. Simonia verò potest meritò cum blasphemia in eo comparari, quia ipso facto continet quandam blasphemiam. Hæc Suares: qui inde infert nunquam Simoniam esse peccatum veniale, nisi fortè propter inconsiderationem, vel ignorantiam, habentem admistam negligentiam tantùm venialem.

12. Respondetur cū distinctione. Existimo distinctione vtendum esse. Vel enim Simonia est talis iure naturali & diuino, & prohibita quia Simonia: qualis est omnis illa, quâ venditur aliquid spiritale, quatenus spiritale, id est, sacrum & supernaturale. Et in hac puto non excusare leuitatem materiæ, vt probant argumenta pro secunda opinione adducta. Vel tantùm est talis iure positiuo Ecclesiastico, quæ dicitur Simonia quia prohibita, eò quòd non habet malitiam Simoniæ ex natura rei, sed tantùm ex vi prohibitionis Ecclesiæ, vetantis emptionem, aut alium contractum onerosum circa talem rem, intuitu Religionis, seu reuerentiæ debitæ rebus sacris: ita vt talis actio illam malitiam non haberet seclusa Ecclesiæ prohibitione, etiamsi res tam spiritualis vel sacra esset, aut rei sacræ annexa, sicut nunc est. Quo pacto Simonia Ecclesiastica est vendere officium œconomi, vel iudicis Ecclesiastici. Et in hoc genere Simoniæ puto esse probabilem primam sententiam, posse scilicet leuitatem materiæ excusare à mortali. Vt si quis leue quippiam pro officio œconomi accipiat: vel si notarij, aut alij, in collatione ordinum, accipiant obolum v. g. supra id quod permittit Trident. Sess. 21. cap. 1. de Reformat. pro labore scribendi literas, vel pro sustentatione, non autem vt pretium ordinum: aut si Ecclesia ob maiorem reuerentiam sacrificij Missæ prohiberet Sacerdotibus quicquam accipere pro illius celebratione, per modum stipendij, aut eleemosynæ, etiam sponte oblatum; & tamen aliquis minimum quid acciperet. Ratio est, quia tota malitia

13. huius Simoniæ oritur à prohibitione Ecclesiæ, & ab humano iure, quod non potest rem leuem grauiter prohibere, vt suppono ex dictis in tract. de Legibus. Est autem leue accipere minimum quid (occultè saltem, & sine scandalo) pro huiusmodi rebus, pro quibus licitè citra Ecclesiæ prohibitionem sumi amplius posset. Irreuerentia quoque contra rem spiritualem nulla est de se, & ex natura rei, vt supponimus: quia citra prohibitionem Ecclesiæ nulla foret. Prohibitio verò Ecclesiæ quæ accedit, non facit vt sit grauis irreuerentia, & graue peccatum. Quemadmodum enim si Ecclesiæ ob reuerentiam Sacramenti pœnitentiæ prohiberet specialiter omne mendacium in confessione prolatum, non propterea efficeret vt mendacium de re leui per se, & indifferenti, vel non necessaria ad integritatem Sacramenti, esset peccatum mortale: ita multò minùs si prohibet aliquid ob reuerentiam rei sacræ, in quo alioqui nulla foret irreuerentia, facit vi suæ prohibitionis vt sit grauis irreuerentia. Neque contrarium probat argumentum Suaris. Nam in hoc casu non venditur res spiritualis, sed aliquid tantùm aliquatenus illi annexum, & prohibitum vendi ob maiorem illius reuerentiam, de se, & solo iure naturali spectato, non necessariam.

SECTIO II.

Quotuplex est Simonia, & quibus modis committitur?

Respondeo & dico primò, Simoniam duplicem esse. Vnam iuris naturalis & diuini, quâ venditur aliquid spiritale, quà tale, pretio temporali. Siue res illa sit purè spiritualis, vt gratia sanctificans, donum Prophetiæ, vel potestas faciendi miracula: siue habeat adiunctum aliquid temporale pretio æstimabile: cuiusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, calix consecratus, & similia, quæ si vendantur secundùm partem spiritalem, committitur Simonia naturali iure prohibita. Et hæc est verè & propriè Simonia omnium consensu: illamque potest incurrere quilibet, etiam Summus ipse Pontifex: quippe qui subest iuri diuino, æquè ac alij. An verò possit incurrere aliam quæ tantùm est iuris Ecclesiastici, pendet ex dictis in tract. de Legibus, quomodo Princeps subsit legibus suis, aut suorum prædecessorum. Communior sententia affirmat posse. Quia iure naturali tenetur legem suam seruare, quando ratio legis est illi communis cum inferioribus. Qua de re plura vide apud Less. cap. 35. dub. 5. Vt autem hæc Simonia incurratur non est necessarium rem, circa quam committitur, esse ex natura sua spiritalem, id est, sacram & supernaturalem. Sufficit enim si talis sit per institutionem Ecclesiæ, ex potestate supernaturali sibi à Christo data. Nam postquam Ecclesia rem illam sacram fecit sua consecratione; contra naturam est, & contra ius diuinum, sacrilegè & irreuerenter illam tractare. Quemadmodum postquam Ecclesia irritum fecit matrimonium clandestinum, vel inter consanguineos in quarto gradu; sacrilegium est contra ius naturale & diuinum, attentare tale matrimonium: quia ius naturale & diuinum prohibet Sacramenta recipi inualidè: essérque hoc illicitum, quamvis Ecclesia non prohiberet Sacramenta inualidè recipi. 14. Simonia est duplex, vna iuris diuini.

Altera Simonia est iuris tantùm humani & Ecclesiastici: quæ scilicet, vt paulò ante diximus, malitiam Simoniæ non habet aliunde, quàm ex prohibitione Ecclesiæ: ita vt venditio, vel alia commutatio talis rei, non foret Simoniaca, seclusâ prohibitione Ecclesiæ, quamvis res esset æquè spiritalis, atque nunc est, aut æquè rei spiritali annexa. Vt autem hæc prohibitio Ecclesiæ constituat peccatum in specie Simoniæ, duo requiruntur. Primò, vt fiat 15. Altera iuris Ecclesiastici.

Duo ad illam requiruntur. prohibitio intuitu Religionis, ob reuerentiam debitam rebus sacris. Qua de causa alienatio bonorum Ecclesiasticorum, tametsi prohibita ab Ecclesia, non est Simoniaca: quia non prohibetur intuitu Religionis, sed intuitu indemnitatis Ecclesiæ. Secundò, vt in eo, quod prohibetur, sit aliquid habens affinitatem cum Simonia naturali, vel ex parte rei quæ vendi prohibetur, vel ex parte pretij, vel ex parte pactionis seu contractus. Nam, vt rectè ait Suar. tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 7. num. 8. ad Simoniam, quæ per se talis est, tria ista requiruntur: materia, quæ est res sacra: pretium temporale: & pactio, seu venditio, quæ est actio sacrilega. Ergo vt actio quæ non est talis ex natura sua, per prohibitionem talis fiat, oportet vt seruet proportionem vel in materia, vel in pretio, vel in pacto, ad aliam quæ per se talis est: vt intuitu eiusdem Religiosæ honestatis prohiberi possit. Et rursus, vt non sit Simonia iuris naturalis & diuini, oportet aliquid deesse illorum trium, quæ ad Simoniam iuris naturalis necessariò concurrunt: nimirum vel res spiritalis, aut sufficienter annexa spiritali: vel pretium temporale: vel emptio & venditio propriè dicta, aut alius contractus onerosus naturali iure Simoniacus.

16. Exempla Simoniæ Ecclesiasticæ. Ex primo capite Simonia Ecclesiastica tantùm est vendere officium œconomi Ecclesiæ: quod officium licet habeat connexionem aliquam, & affinitatem ad res sacras, propter quam potuit eius venditio prohiberi sub pœna Simoniæ, cap. *Saluator 1. q. 3.* hæc tamen affinitas non erat tanta, vt ex natura rei Simoniacum esset vendere tale officium. Ex secundo capite Simonia tantùm Ecclesiastica est permutare beneficia propria auctoritate, cap. *Quæsitum, de rerum permutat.* Nam in illa permutatione non interuenit pretium temporale, sed vnum spiritale datur pro alio. Prohibetur tamen sub pœna Simoniæ; vt beneficia Ecclesiastica tractentur cum maiori reuerentia, & ab omni labe Simoniæ sint magis exempta. Ad tertium caput pertinent eadem Simonia permutationis beneficiorum propria auctoritate, & Simonia confidentiæ, id est, cum pacto vt ille qui beneficium accepturus est, illud idem tibi, vel alteri cui voles, aliquando resignet: & Simonia mutuæ cessionis, seu renuntiationis reciprocæ; quando duo v. g. sic paciscuntur: Renuntio beneficio meo in fauorem fratris tui, vt tu vicissim renunties tuo in fauorem fratris mei. Quod Simoniacum esse colligitur ex cap. *Quæsitum* suprà citato. Idémque sentiendum est de Resignatione Triangulari, vt vocant; Quando Titius v. g. resignat suum beneficium in fauorem Caij, vt Caius suum resignet in fauorem Sempronij, & Sempronius suum etiam resignet in fauorem Titij, qui hac via vult obtinere beneficium Sempronij, cùm aliter non possit. Nam in his, & similibus, non est propriè venditio rei spiritalis pretio temporali, neque alius contractus onerosus, sufficiens ad Simoniam ex natura rei. Ecclesia tamen facit illos contractus esse Simoniacos, quando eos prohibet intuitu Religionis, ob maiorem immunitatem rerum sacrarum à vitio Simoniæ, & propter aliquam affinitatem, quam illi habent cum venditione Simoniaca, disponendo propria auctoritate de beneficijs, tanquam de rebus temporalibus, & venalibus, vel alio modo indecenti ea commutando.

Circa hanc diuisionem difficultas est, vtrum Simonia iuris Ecclesiastici sit verè & propriè Simonia? Negant Durandus, in 4. dist. 25. quæst. 5. Victoria in relect. de Simonia, parte 1. num. 17. Valent. disp. 6. quæst. 16. p. 5. Petrus Nauar. lib. 2. de Restitut. cap. 2. in fine, & quidam alij, qui ex eo inferunt iura quæ varias pœnas infligunt Simoniacis, non debere intelligi nisi de Simonia quæ committitur contra ius diuinum, quæ sola est propriè Simonia: nisi in ipsa lege, fiat etiam expressa mentio alterius Simoniæ Ecclesiasticæ. Quia in lege pœnali voces sunt accipiendæ in propria & stricta significatione, iuxta Regulam 16. *de Regulis iuris in 6.* Odia restringi, fauores conuenit ampliari: & Reg. 49. In pœnis benignior est interpretatio facienda. Cùm igitur Canon imponit pœnam ob Simoniam simpliciter, non est intelligendus de Simonia Ecclesiastica, quæ non est propriè Simonia, sed de diuina tantùm. Quod autem Simonia Ecclesiastica non sit verè & propriè Simonia, probant præcipuè, quia id quod duntaxat malum est eò quòd lege positiua prohibeatur, non est peccatum Irreligionis, sed Inobedientiæ: tota enim illius malitia consistit in eo, quòd fiat contra prohibitionem; prohibitioni autem opponitur sola inobedientia. Atqui Simonia Ecclesiastica est tantùm mala, quia prohibita: ergo, &c. Item, Ecclesiæ institutio non potest efficere vt illud sit sacrum, quod non est tale naturâ suâ, nisi Ecclesia illud consecret. Quando autem accedit consecratio ad rem prophanam; tunc illa efficit Simoniam contra ius diuinum, si ratione consecrationis cariùs res vendatur. Non potest quoque Ecclesia suo præcepto, vel prohibitione, efficere vt sit res sacra, quæ non est verè talis; vel vt sit pretium temporale, quod non est verè tale. Non est autem verè & propriè Simonia, nisi quando venditur spiritale pretio temporali. Quare non est verè & propriè Simonia, si vel deest pretium temporale, & tantùm datur vnum spiritale pro alio spiritali; vt in permutatione beneficiorum, facta sine auctoritate superioris: vel si deest spiritale; vt cùm datur vnum temporale pro alio temporali, v.g. quando venduntur beneficia secundùm partem temporalem dumtaxat, id est, secundùm ius percipiendi fructus materialiter sumptum, non vendito ipso officio: aut quando datur pecunia pro officio œconomi, aut defensoris Ecclesiæ, vel alio simili temporali officio. Vel denique si deest ratio pretij, vt cùm datur aliquid notarijs, aut alijs, in susceptione ordinum non tanquam pretium ordinum, sed pro illorum sustentatione, supra id quod permittit Tridentinum Sess. 21. cap. 1. de Reformat.

17. Simonia iuris Eccles. estne propriè Simonia?

18. Argumẽta sententiæ negantis.

Contraria tamen sententia est communis Theologorum, & Canonist. in cap. *Quæsitum*, & cap. *Cum olim, de rerum permutat.* affirmantium vniuersaliter, & indiscriminatim, Simoniam iure Ecclesiastico inductam, esse verè & 19. Altera sententia affirmãs.

propriè Simoniam. Cuius sententiæ ratio præcipua hæc datur à Suare lib. cit. cap. 7. num. 4. quia lex positiua, inquit, præcipiens aliquem actum in aliqua materia virtutis, intuitu honestatis illius virtutis, habet vim constituendi materiam illam vt necessariam ad honestatem talis virtutis. Et è conuerso, lex prohibens aliquid intuitu alicuius virtutis, eo ipso constituit actum prohibitum in specie vitij contrarij honestati illius virtutis. Quia habet vim constituendi medium, & quasi taxandi illud in materia virtutis: Vnde fit, vt actus prohibiti intuitu eiusdem virtutis, excedant vel deficiant à medio necessario talis virtutis, & consequenter habeant malitiam tali virtuti contrariam. Sic v. g. lex Ecclesiastica præcipiens ieiunium, constituit abstinentiam à certo genere ciborum, & numero refectionum, in specie temperantiæ: & qui contra hanc legem peccant, non peccant solùm contra obedientiam; sed etiam contra temperantiam. Et quando præcipit omnibus Christianis audire sacrum diebus festis, aut Clericis recitare officium: constituit actum illum vt necessarium in materia Religionis: & qui secus faciunt, peccant contra Religionem, ac non solùm contra obedientiam. Nimirum quia potestas legislatiua est ad dirigendum subditos in materia virtutum: & ad determinandum, aut constituendum medium illi conueniens. Quod maximè verum esse debet de potestate Ecclesiastica, quæ ad salutem animarum ordinatur. Sic ergo in materia Simoniæ, potest Ecclesia intuitu Religionis, & propter reuerentiam conuenientem rebus sacris, prohibere contractum aliquem, de se non malum, circa res sacras & supernaturales, & constituere immunitatem à tali contractu vt necessariam ad seruandum debitum medium in honestate Religionis, & cultum debitum rei sacræ.

20. Aliqua Simonia iuris Eccles. est propriè Simonia

Existimo distinguendum esse: ita vt neutra sententia generaliter sumpta vera sit, sed cum aliqua restrictione. Primò enim, falsum est quod ait Durandus, nullam Simoniam iuris tantùm Ecclesiastici, esse verè & propriè Simoniam. Nam si Ecclesia intuitu Religionis prohibet aliquam venditionem, aut aliam commutationem rei annexæ spiritali, cum pretio temporali, non aliunde illicitam, aut Simoniacam iure naturali, quia connexio illa tam est exigua, vel remota, vt solo iure naturali non prohibeatur eius commutatio propter reuerentiam debitam rei sacræ: si, inquam, Ecclesia talem commutationem prohibet intuitu Religionis, & reuerentiæ debitæ rebus sacris, constituit illam in vera specie Simoniæ, vt bene probat ratio à Suare allata, & patet ex definitione Simoniæ initio Sectionis præcedentis proposita, quæ tota illi conuenit formaliter & propriè. Talis Simonia est venditio quorundam officiorum, vt œconomi Ecclesiæ, Vicedomini, Aduocati, Sacristæ, Castaldi, cap. *Saluator 1. q. 3.* & cap. *Si quis Episcopus, 1. quæst. 1.* Hæc enim officia temporalia sunt, & ad rerum temporalium administrationem ordinata: neque vllam accipiunt consecrationem ab Ecclesia, & tam paruam habent connexionem cum spiritualibus, vt citra Ecclesiæ prohibitionem vendi licitè possent. Dicitur autem œconomus, qui administrat res Ecclesiæ & Canonicorum. Vicedominus, qui gubernat bona temporalia Episcopi, estque illius œconomus: Aduocatus, qui protectionem Ecclesiæ suscepit: Sacrista, qui supellectilis Ecclesiæ curam habet: Castaldus, idem est qui Maior domus, aut Vicedominus. Addit Less. cap. 35. dub. 4. num. 26. talem quoque Simoniam esse venditionem beneficiorum secundùm partem temporalem, id est, secundùm ius percipiendi fructus. Sed hoc non puto verum esse, nisi ius illud separetur ab officio per eum qui habet potestatem separandi. Alioqui enim tanta est connexio inter ius illud, & officium sacrum, in quo fundatur; vt ex natura rei sit indecentia, & irreuerentia contra officium, vendere ius tam intimè illi connexum: vt bene affirmat Malder. tract. 9. cap. 3. dub. 3. §. *Vt autem intelligamus.*

Secundò, falsum pariter est omnem Simoniam iuris Ecclesiastici esse verè & propriè Simoniam. Nam vt sit verè & propriè Simonia, debet res spiritalis, aut spiritali annexa, vendi pretio temporali, vel cum illo commutari per contractum aliquem onerosum: vt patet ex definitione Simoniæ communiter recepta. Atqui datur aliqua Simonia iuris Ecclesiastici, in qua pretium temporale non interuenit; vt patet in permutatione beneficiorum facta propriâ auctoritate, & in Simonia confidentiæ, vel mutuæ renuntiationis, aut resignationis triangularis. In his enim non datur res spiritalis, vel annexa spiritali, pro pretio temporali: sed datur beneficium pro beneficio, & officium pro officio; vel datur cum pacto vt rursus tibi, vel alteri cui voles, resignetur. Qua de causa Aragonius quæst. 100. art. 1. Sotus lib. 9. de Iustitia quæst. 5. art. 1. & quæst. 7. art. 2. & Less. cap. 35. dub. 4. num. 30. licet contra Durandum sentiant; fatentur tamen non esse proprie Simoniam in permutatione Beneficiorum, sed impropriam tantùm. Párque est ratio vt non sit etiam propriè Simonia in renuntiatione reciproca beneficiorum, nec in Simonia confidentiæ, & quibuslibet alijs, in quibus non venditur spirituale, aut spirituali annexum, pretio temporali. 21. Sed non omnis.

Ad argumenta vero Durandi, & Suaris, quatenus obsunt nostræ sententiæ, facile est ex dictis respondere. Patet enim Ecclesiam suo præcepto vel prohibitione facere posse vt non modò peccetur contra obedientiam; verùm etiam contra Religionem, aut aliam virtutem, cuius intuitu præcipit aut prohibet, & in cuius materia tale medium constituit, id est, talem excessum aut defectum vetat. Patet etiam Ecclesiam, licet non consecret rem aliquam, posse tamen sua institutione illam annectere moraliter alicui rei sacræ; & ratione istius connexionis, prohibere ne vendatur: aut etiam prohibere sub pœna Simoniæ ne res aliqua cum pretio temporali commutatur, propter aliqualem connexionem quam ex se habet cum re sacra, insufficientem tamen ad Simoniam iuris naturalis. At non propterea potest Ecclesia suâ prohibitione vel præcepto efficere vt sit verè Simonia & propriè, vbi non interueniunt quæ- 22. Soluuntur arg. contraria.

cunque ad Simoniam propriè dictam necessaria sunt, quæque in eius definitione ponuntur. Atqui iuxta definitionem D. Thomæ communiter receptam, ad rationem veræ & propriè dictæ Simoniæ necessariò requiritur vt res spiritualis, aut spirituali annexa, vendatur pretio temporali. Ergo Simonia per Ecclesiam constituta in illis contractibus, in quibus non interuenit permutatio rei spiritualis, aut annexæ spirituali, cum pretio temporali, non est verè & propriè Simonia. Et hactenus de prima diuisione.

23. Alia diuisio Simoniæ, in mentalē, conuent. & realem.

Dico secundò, vtramque Simoniam, tam iuris naturalis, quàm Ecclesiastici, subdiuidi ratione modi, quo committi potest, in Mentalem, Conuentionalem, & Realem. Mentalis est, quando voluntas Simoniaca dandi aliquid temporale, obligando ad retribuendum aliquid spiritale, non exprimitur exteriùs: vel è contrario voluntas dandi aliquid spiritale, cum intentione obligandi ad retribuendum aliquid temporale. Siue, vt breuiùs dicam, Est propositum merè internum, quo dans vnum, intendit obligare ad aliud, quod reddi nequit sine Simonia iuris diuini, vel Ecclesiastici. Conuentionalis est, quando vlteriùs proceditur ad externam conuentionem: ita tamen vt nondum accedat executio, saltem vtrinque facta. Realis est, quando conuentio traditur executioni, vel integrè ex vtraque parte, vel saltem inchoatè: vt si collatio Beneficij facta sit, & pretium vel pars eius soluta. Et hæc sola inducit pœnas Ecclesiasticas Simoniæ impositas: non autem mentalis, aut conuentionalis: vt rectè docent Couarruuias in Regula *Peccatum, 2. parte, §. 8. num. 7.* Ludouicus Gomez quæstione 12. in Regulam de triennali possessione, vbi multas decisiones Rotæ pro hac sententia adducit, Gregorius de Valentia disputat 6. quæstione 16. p. 5. Henriq. lib. 13. cap. 37. Lessius cap. 35. dub. 27. & plures alij ab istis citati: quorum tamen aliqui excipiunt Simoniam conuentionalem confidentiæ: vt Lessius initio dub. cit. Sed nullam huius exceptionis rationem affert. Fundamentum huius assertionis est, quia pœnæ Ecclesiasticæ excommunicationis, suspensionis, &c. non incurrunur, nisi actio prohibita sit completa: nisi in lege pœnali aliud exprimatur. Lex enim puniens absolutè aliquem actum, censenda est punire actum completum: & pœnæ, præsertim graues, quæque ipso facto incurruntur, restringendæ sunt: vt bene ait Lessius loco citato.

24. Contrarium tamen sentiunt Tolet. lib. 5. Instruct. Sacerdotum, cap. 93. & Sotus quem citat, existimantes conuentionalem mixtam, in qua datum est spiritale, sed nondum est acceptum temporale, inducere has pœnas Ecclesiasticas, non aliter quàm realem. Suares verò tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 56. num. 32. quamvis fateatur hanc Simoniam conuentionalem non inducere pœnam excommunicationis: dicit tamen inducere pœnam suspensionis quando committitur in collatione Ordinum. Sed eorum argumenta probant solùm hanc Simoniam puniri in foro externo; quia est graue peccatum externum. Communior autem & probabilior sententia est solam realem Simoniam completam inducere pœnas Ecclesiasticas: quando scilicet præcedente pacto expresso datur vnum, & accipitur aliud Simoniacè. Quare si vel spirituale, vel temporale non est datum, & dantem facti pœniteat, & desistat à complenda Simonia, accipiendo aliud; non incurrit vllam pœnam Ecclesiasticam ipso facto. Quin etiam non sufficit accipere tantùm Chirographum, loco pretij, vt contra Nauarrum docet Valentia quæst. cit. quia non completur donatio rei temporalis quæ promittitur. Addunt aliqui nec sufficere partem pretij soluere: quia non est actus completus & perfectus donec totum soluatur: non enim dicitur soluisse debitum, qui totum non soluit. Sed Nauar. & Valent. suprà, & Suares lib. cit. cap. 55. num. 17. iuncto cap. 56. alijque plures meritò aduersantur.

Dico tertiò, Simoniam generaliter sumptam, prout comprehendit tam illam quæ est iuris Ecclesiastici, quàm quæ iuris diuini, posse iterum multipliciter diuidi ratione materiæ circa quam versatur. Nam omissis rebus merè naturalibus, circa quas versari nequit Simonia Religioni supernaturali opposita, de qua sola nunc disputamus: multæ sunt res sacræ & supernaturales, quæ possunt esse illius materia, continentúrque in adæquato illius obiecto. Quædam enim sunt intrinsecè supernaturales, vt gratia sanctificans, & virtutes infusæ, illarúmque actus & dispositiones. Aliæ dicuntur sacræ & supernaturales per extrinsecam denominationem: vel quia sunt causæ efficientes aut excitatiuæ gratiæ sanctificantis; vt Sacramenta, & Sacramentalia: vel quia sunt vsus & exercitium sacræ cuiusdam potestatis, aut illius effectus; vt benedictiones, consecrationes, excommunicationes, dispensationes, ministerium concionandi: Aliæ, quia sunt annexæ rebus sacris & supernaturalibus; vt beneficia Ecclesiastica, ius Patronatus, officium Sacristæ, vel œconomi Ecclesiæ. De quibus omnibus, deque modis quibus circa illa Simonia committi potest, dicemus Sectionibus sequentibus. 25. Alia diuisio Simoniæ ex parte materiæ.

SECTIO III.

De Simonia circa res intrinsecè supernaturales, & circa Sacramenta, & Sacramentalia.

DIco primò, res omnes creatas intrinsecè supernaturales esse materiam capacem Simoniæ. Probatur, quia illæ sunt maximè sacræ, & cum maiori reuerentia tractari debent: magnáque fit illis iniuria, quando pretio temporali venduntur. Possunt autem vendi dupliciter. Primò, in concreto: vendito scilicet subiecto, cui inhærent, & cariùs vendito propter illas. Sicut enim Simoniacum est vendere cariùs calicem consecratum, quia consecratus est; aut rosarium benedictum, quia benedictum est: sic & vendere cariùs Christianum, aut virum Sanctum, quia talis est. Secundò, possunt etiam vendi in abstracto, id est, non vendito subiecto, cui inhærent. Vt si quis pretio con- 26. Res omnes creatæ supernaturales intrinsecè sunt materia Simoniæ.

ferat aliquod Sacramentum. Hic enim, quantum est in se, vendit gratiam sanctificantem recipienti bona fide: sicut vendit aliquo modo scientiam, vel sanitatem, qui pretio illam alteri confert, docendo, aut medendo. Tale fuit peccatum Simonis Magi, qui existimauit donum Dei posse pecuniâ possideri, Act. 8. ver. 20. Nec obest caput *Iudices 1. quæst. 1* & cap. *Saluator 1. quæst. 3* vbi dicitur gratiam vendi non posse, sicut neque Spiritus sanctus emitur, aut venditur. Respondeo enim sensum esse, quòd non possit vendi iure: neque ita vt detur à Deo intuitu ipsius pretij temporalis: possunt tamen homines de facto pro illa pacisci, & aliquid facere, ex quo illa sequatur, non vi pretij, sed virtute alterius causæ, putà Sacramenti, in exemplo allato.

27. Etiã vnio hypostatica. Ab his verò gratijs non est excipienda vnio hypostatica. Poterat enim Simonia circa Christum committi, vendendo illum cariùs ratione vnionis hypostaticæ, quæ est valde sacra & supernaturalis, & aliquid à Deo distinctum saltem inadæquatè, quatenus se tenet ex parte humanitatis. Contra quod frustra opponit Suares tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 9. num. 3. & 4. gratiam vnionis esse alterius ordinis ab omni re supernaturali purè creata, contra quam versatur propria Simonia: & impossibile esse vt quis cognoscens aliquem hominem esse veram personam diuinam, tentet illum vendere pretio temporali. Ad primum enim respondeo vnionem hypostaticam esse nihilominus aliquid creatum, & à Deo factum in tempore. Simonia verò complectitur omnem irreuerentiam factam in venditione cuiuscunque rei sacræ creatæ. Quod autem vnio hypostatica sit altioris cuiusdam ordinis, facit tantùm vt Simonia circa illam, sit peior, & detestabilior: sed non facit vt planè committi nequeat: cùm illa sit res sacra, & creata, à Deo distincta. Quod addo, quia Simonia, cum sit species sacrilegij, non consistit in irreuerentia facta immediatè ipsi Deo (quæ est altior species irreligiositatis) sed in irreuerentia quæ fit rebus sacris creatis, ad Deum speciali modo pertinentibus. Non potest autem negare Suares vnionem hypostaticam esse aliquid creatum, & à Deo distinctum: Cùm, iuxta illius sententiam, distinguatur adæquatè à Verbo. Vult enim esse modum distinctum ab extremis, & in sola humanitate receptum, cuius respectu Verbum terminatiuè tantùm se habeat. Confirmatur, quia vendere Eucharistiam non solùm continet peccatum irreligiositatis contra diuinam Christi personam, quæ venditur in hoc Sacramento: verùm etiam sacrilegium, & propriam Simoniam, prout est venditio Sacramenti sensibilis, & ad vsus humanos accommodati, vt docet ipsemet Suares sequenti cap. 10. num. 3. Ergo similiter venditio ipsius Christi, ratione humanitatis tam specialiter Deo deuinctæ, & ratione ipsius vnionis hypostaticæ, prout ex parte illius se tenet, potest esse verè & propriè peccatum Simoniæ, vltra irreligiositatem contra ipsam diuinitatem, & hypostasin Verbi.

Solluitur primum argum. contrarium.

28. Ad secundum dico, sicut potest, vt fatetur Suares ipse loco proximè cit. vendi Eucharistia, in qua persona diuina continetur: Ita non repugnat velle quempiam vendere Christum in propria specie, quamvis cognoscat esse verè personam diuinam. Potuit ergo venire Iudæ in mentem Christum Iudæis cariùs vendere propter vnionem hypostaticam, vel non vendere illum præcisè vt hominem, sed vt personam diuinam. Quod reipsa fecisse supponere videntur Basilius Epist. 76. vbi sic admonet Simoniacos, *Ne velitis, Iudam sectantes, quæstus gratiâ secundò illum prodere, qui semel pro nobis cruci affixus est.* Et Tarasius relatus in cap. *Eos qui, 1. quæst. 1.* vbi comparat Simoniacos Iudæ, qui Iudæis Christum vendidit. Neque obstat quòd Simon Magus dicitur fuisse primus qui in nouo Testamento peccatum Simoniæ commisit, & idcirco nomen illi dedit. Facilè enim responderi potest Iudam proditorem pertinere adhuc ad vetus Testamentum: quia ante Christi mortem, à qua nouum Testamentum cœpit, mortuus est. Quæ responsio magis placet, quàm quod alij dicunt, Iudam vendidisse Christum vt hominem dumtaxat, nulla habita ratione diuinitatis, & vnionis hypostaticæ, aliorúmque donorum supernaturalium: ideóque peccatum Simoniæ non commisisse: sicut infideles non illud committunt quando vendunt Christianos in bello captos, præcisè vt homines, & non cariùs quia Christianos.

Diluitur secundũ argum.

29. Simonia versari potest circa actus supernaturales. Addo, non modò circa ipsam gratiam sanctificantem, & habitus virtutum supernaturalium, exerceri posse Simoniam: verùm etiam circa ipsos actus: si quis actus suos supernaturales velit ex pacto, & pro temporali pretio, cedere in bonum & vtilitatem alterius, vel meritoriè de congruo, vel impetratoriè, aut satisfactoriè, & ijs omnibus modis, quibus alijs prodesse possunt. Simili modo, quo potest operarius vendere alteri suam operam in agro excolendo: vel pictor suum laborem, ex quo alter lucrum sumat, ita vt se obliget ad pingendum iuxta illius voluntatem, & pro ipsius vtilitate.

30. Et circa omnia Sacramenta. Dico secundò, Sacramenta omnia esse quoque materiam capacem Simoniæ iure naturali prohibitæ. Ita D. Thomas quæst. 100. art. 2. cui consentiunt omnes Theologi. Ratio est, quia Sacramenta nouæ legis sunt res sacræ, & aliquo modo supernaturales. Sunt enim sacræ ceremoniæ à Christo institutæ, & ad statum supernaturalem eleuatæ, vt sint causæ instrumentales sanctificationis hominum, & gratiæ supernaturalis, quæ pretio æstimari nequit, & cuius naturæ maximè repugnat quòd non gratuitò detur, & temporali pretio subjiciatur. Ergo accipere pecuniam pro illis, est crimen Simoniæ ex ipsa natura, seu ratione propriâ Sacramentorum: quòd nullâ consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino. Confirmatur ex cap. *Cum in Ecclesia, de Simonia*, vbi expressè id affirmatur, & crimen illud vocatur horribile, simile peccato Giesi: additurque nullam consuetudinem contra eius prohibitionem præualere posse.

Etiã circa matrimonium. Neque ab hac generali assertione excipiendum est Sacramentum matrimonij, vt perperam

Canonistæ senserunt. Nam illud quoque est verum Sacramentum nouæ legis, à Christo institutum, & eleuatum in causam instrumentalem sanctificationis, vt Ecclesia expressè definiuit in Florent. Sess. vlt. in Decreto Eugenij, & in Trident. Sess. 7. can. 1. *de Sacramentis in genere.* Tametsi quia hoc Sacramentum est ex parte contractus ciuilis traditionis corporum, & mutuæ societatis indissolubilis; potest pretium exigi, tum per modum dotis, ad sustinenda onera matrimonij: tum etiam pro compensanda inæqualitate, quæ aliquando est inter contrahentes, ratione corporis, seu personæ quæ se alteri tradit, quæque est materia remota Sacramenti. Aliquando enim est inæqualitas inter contrahentes ratione nobilitatis, diuitiarum, honoris, pulchritudinis, florentis ætatis, & similium qualitatum, pretio æstimabilium: quæ rectè & conuenienter potest emendari supplendo defectum per aliquod temporale commodum, plus etiam exigendo, quàm pro dote, & ad sustentationem onerum matrimonij, necessarium esset. Vt quando vir nobilis ducit ignobilem: diues iam senex, virginem iuuenem: vir pauper, mulierem diuitem, sed deformem, aut vetulam edentulam: ingeniosus, hebetem. Quæ inæqualitas, & grauamen vnius contrahentium, potest rationabiliter pecunia & bonis temporalibus compensari. Sacramentum autem matrimonij non consistit in huiusmodi contractu pecuniario, sed in mutua traditione corporum, signis sufficientibus expressa, cum intentione faciendi quod Christus instituit: pro qua traditione non magis potest accipi pretium temporale, quàm pro alijs Sacramentis: tametsi potest dari aliquid ministris Ecclesiæ per modum stipendij ad sustentationem, pro collatione Sacramentorum, & alijs ministerijs Ecclesiasticis, vt de altari viuant qui altari seruiunt: quemadmodum rectè affirmat S. Thom. art. cit.

31. *Et præcipuè circa Eucharistiam.* Cæterùm assertio proposita præcipuè locum habet in illis, quæ non sunt tantùm sacra & supernaturalia per denominationem extrinsecam, vt causæ instrumentales gratiæ, & sacræ ceremoniæ ad hunc finem institutæ: verùm etiam continent intrinsecè aliquid sacrum & supernaturale. Cuiusmodi est venerabile Sacramentum Eucharistiæ, in quo Christus ipse, eiusque vnio hypostatica, & cætera dona creata supernaturalia continentur: & Sacrosanctum Pœnitentiæ Sacramentum, habens pro parte materiali & essentiali contritionem, vel attritionem, intrinsecè & entitatiuè supernaturalem. Cætera verò Sacramenta constare possunt actibus tantùm naturalibus intrinsecè, & per extrinsecam solùm denominationem supernaturalibus. Illi tamen actus, provt sunt sacræ ceremoniæ, & pars intrinseca Sacramenti per modum formæ, vel materiæ proximæ, non possunt vendi absque Simonia: quia vt sic habent quoddam esse sacrum, suntque eleuati ad ordinem supernaturalem, velut sacræ ceremoniæ, & signa practica & effectiua gratiæ sanctificantis.

32. Notandum tamen est primò, licet materia proxima Sacramentorum non possit vendi absque Simonia, vt iam probatum fuit: Secus tamen materiam remotam, vt panem, vinum, oleum, balsamum; ita tamen vt si benedicta vel consecrata sit, non vendatur cariùs ratione benedictionis aut consecrationis. Probatur, quia hæc materia non est sacra ex natura sua: & antecedit omnem actionem sacram, quæ est in susceptione, vel collatione Sacramenti: estque pretio æstimabilis: & non prohibetur vendi iure Ecclesiastico. Quare non est Simonia illam vendere, neque iure naturali, & diuino, neque iure Ecclesiastico. Si tamen eius venditio prohiberetur ab Ecclesia, intuitu Religionis; esset materia Simoniæ iuris Ecclesiastici, iuxta ea quæ diximus Sect. 2. conclus. 1. *Materia remota Sacramētorū potest vendi absque Simonia.*

Nota secundò, posse etiam absque Simonia redimi vexationem iniustam circa Sacramenta. Ex. gr. licitum est dare pecuniam ad redimendum Sacramentum Eucharistiæ de manu infidelium, vel hæreticorum, à quibus indignè tractabitur, efficereque vt Ecclesiæ restituatur. Hoc enim non est emere Sacramentum ipsum, sed redimere vexationem iniustam quæ fit Sacramento, & Christo. Sicut autem potest licitè redimi vexatio iniusta proximi: multò magis vexatio Christi, & Ecclesiæ, quæ sola ius habet seruandi & retinendi apud se venerabilem Eucharistiam, illàque vtendi. Simili ratione licitum est reliquias Sanctorum pretio redimere ab infidelibus, irreuerentèr & contumeliosè eas habentibus: vt fecisse olim Christianos refert Baron. tom. 2. ad ann. Christi 305. quamvis alioqui Simoniacum sit illas emere, aut vendere, vel pretio locare, aut pro pretio ostendere: quia sunt res sacræ & honore Religioso dignæ. Non est etiam Simonia redimere iniustam vexationem alienam, aut suam, circa collationem Sacramentorum: Id est, dare pecuniam ad obtinendum Sacramentum in extrema vel grauissima necessitate, siue nostra, siue alterius, infantis, aut adulti, illi qui aliter conferre non vult. Dare inquam, non vt pretium Sacramenti, sed vt motiuum ad faciendum id quod debet, & vt remouens impedimentum prauæ voluntatis & auaritiæ ministri. Sicut rectè docent Albertus Magnus, Gabriel, Adrianus, & alij quos refert & sequitur Suares tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 12. num. 13. cuius ratio præcipua est, quia nullo sufficienti argumento ostenditur id illicitum esse, & in eo casu externam traditionem pecuniæ (quæ ex intentione dantis separatur à ratione pretij, datúrque planè alio fine) debere nihilominus danti imputari apud Deum, tanquam emptionem Sacramenti, contra expressam illius intentionem; cum aliunde habeat tam grauem, tamque honestam causam sic operandi, & permittendi malitiam alterius. Confirmatur, quia in eo casu licitum esset illum inducere minis & pœnis. Ergo etiam promissis & muneribus: Item, si alius malitiosè impediret ministrum ne Baptismum, vel absolutionem daret grauiter aut extremè indigenti; licitum esset dare illi pecuniam, vt desisteret male facere impediendo. Quidni ergo possit etiam dari ipsi ministro, vt remoueat impedimentum odij, vel auaritiæ, quod ipse sibimet liberè ponit? Neque 33. *Et vexatio iniusta circa Sacramēta potest redimi.*

hoc est ipsum ad peccandum incitare; sed à maiori malo auertere: vt si non vult dare Sacramentum grauiter indigenti, nisi auaritiam suam explendo; potiùs expleat, quàm neget Sacramentum, in quo negando grauiùs peccaret, præsertim si defectu Sacramenti proximus in æternum periturus sit, vt si infans sine baptismo sit moriturus. Si tamen iniquus ille, Sacramenti minister cogeret dantem expressè iurare, & affirmare se dare ex intentione emendi Sacramentum, & tanquam verum illius pretium: vel si in contemptum Religionis pecuniam exigeret: non posset dari licitè: quia vtrumque est intrinsecè malum. Nisi posset illius malitia eludi per amphibologiam, citra iniuriam & contemptum Religionis.

34. Objicies, redimere vexationem in eo casu, idem esse, ac emere ipsum Sacramentum, quod est intrinsecè malum, & in nullo casu licitum. Nam minister ille non aliter vexat, quàm negando Sacramentum quod tenetur dare ex Iustitia, vel ex Charitate. Hæc autem negatio non tollitur nisi conferendo Sacramentum: quia negatio actus non tollitur nisi per positionem actus. Ergo redimere vexationem negantis Sacramentum, est emere ipsam collationem Sacramenti.

Soluitur obiectio. Respondeo antecedens non esse verum: ad cuius probationem dico ministrum illum vexare, non tantùm negando Sacramentum, sed etiam ponendo causam negationis, & habendo affectum prauum auaritiæ, odij, aut vindictæ, ratione cuius negat Sacramentum. Datur autem pecunia immediatè ad tollendum illum affectum prauum, ex quo sequitur negatio Sacramenti. Et quamuis mediatè totum hoc ordinetur ad Sacramentum quod obtinere volumus: atque ita per pecuniam mediatè saltem intendatur collatio Sacramenti: non propterea emitur Sacramentum mediatè, vel immediatè: quia non intendo dare pecuniam vt pretium Sacramenti, sed vt remouens prohibens, extinguendo auaritiam, vel alium peruersum affectum ministri. Vnde non est hic emptio formalis Sacramenti, quæ non fit nisi pecunia ordinetur ad Sacramentum obtinendum, velut illius pretium. Sed neque etiam est emptio virtualis, & interpretatiua: quia vtor iure meo, dando pecuniam alia intentione in tali necessitate: vnde non potest mihi imputari mala voluntas ministri petentis & accipientis vt pretium. Sicut cùm vtor iure meo, petendo mutuum ab vsurario in necessitate, non potest iure mihi imputari illius peccatum.

35. Liceátne gratis aliquid accipere pro collatione Sacramentorum? Statutum Trident. circa Ordines. Nota tertiò, non esse quoque Simoniacum dare aliquid gratis, vel accipere gratuitò datum, in collatione Sacramentorum, nisi in casibus in quibus Ecclesia peculiariter id prohibuit, intuitu Religionis. Specialiter autem circa Ordinum collationem statutum est à Tridentino Sess. 21. cap. 1. de Reformat. vt *nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri, quouis prætextu accipiant. Notarij verò in ijs tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissorijs, aut testimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere possint: dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: de Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum, ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè prouenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcunque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ, Simoniacæ prauitati fauentes nuncupari possunt, penitus Cassando, & interdicendo.* Additque eos qui secus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, incurrere ipso facto pœnas à iure inflictas, quæ cuiusmodi sint, explicabimus inferiùs Sect. 9.

Dico tertiò, Sacramentalia esse quoque materiam capacem Simoniæ, tam in actione, quàm in termino per illam consecrato. Pro cuius intelligentia præmitto cum Suare lib. cit. cap. 14. initio, per Sacramentalia intelligi hoc loco non tantùm ceremonias illas quæ adhibentur ab Ecclesia ad decentiùs administranda Sacramenta: verùm etiam generaliùs, quascunque ceremonias, consecrationes, & benedictiones sacras, ab Ecclesia institutas vt per publicos eius ministros vsurpentur. Quarum aliquæ habent permanentem effectum, qui ex illis manet sacer, aut consecratus, & separatus ab vsibus prophanis; vt consecratio calicis, templi, altaris, benedictio aquæ, olei, chrismatis, agnorum Dei vt vocant, sepulturæ, sacrarum vestium, & similium: & hæ distinctionis gratiâ vocari possunt constitutiuæ: aliæ verò non habent talem effectum permanentem, vt benedictiones nuptiarum, nauis, ouorum, aut aliorum ciborum, prout in Missali vel in Rituali præscribuntur: & istæ possunt appellari inuocatiuæ: differentes tamen ab illis inuocationibus quæ fiunt à priuatis & Laïcis, nomine proprio, & non totius Ecclesiæ, velut ab illius ministris: cuiusmodi sunt benedictio mensæ, vel benedictio paterna data liberis: quæ non dicuntur Sacramentales, neque sunt actus ordinis Sacerdotalis, & proprij ministrorum Ecclesiæ. 36. Sacramentalia sunt materia Simoniæ. Quæ, & quot illa sint?

Hoc supposito, sensus conclusionis est, Sacramentalia vtriusque generis esse materiam Simoniæ, si pretio temporali vendantur: atque etiam effectus Sacramentalium primi generis, si vendantur vt sacri. Probatur primò de ceremonijs ipsis, siue actionibus Sacramentalibus vtriusque generis: quia illæ sunt sacræ quædam actiones, quæ secundùm Ecclesiæ institutionem sunt propriæ Ordinis Sacerdotalis, neque ab alijs fieri possunt, quàm à publicis eius ministris, atque ipsius nomine: ab eadémque ordinantur ad finem spiritalem & supernaturalem; vel aliquid Deo specialiter dedicando, & à prophanis vsibus segregando; vel applicando preces generales Ecclesiæ ad aliquem effectum spiritalem. Quare sunt res sacræ, & aliquatenus supernaturales, ratione modi quo fiunt, & potestatis à qua procedunt, & finis ad quem proximè & immediatè referuntur: ac proinde vendi nequeunt sine labe Simoniæ iuris naturalis & diuini. Probatur secundò de rebus ipsis quæ 37. Et quoad se, & quoad effectū sunt materia Simoniæ.

quæ per Sacramentalia primi generis manent sacræ: quia, vt rectè ait Suar. suprà, num. 3. illud esse morale, quod habent quatenus sacræ sunt, est spirituale, & supernaturale: nam ex supernaturali institutione, & potestate Sacerdotali procedit, & ad finem spiritualem ac supernaturalem proximè ordinatur. Ergo res illæ, quatenus tales, sunt spirituales, & materia Simoniæ. Ad idem probandum adduci solet caput *Si quis obiecerit, 1. quæst. 3.* vbi, provt refertur à Gratiano, generaliter statuitur, res quæ proueniunt ex consecratione, venales non esse; intellige vt tales: & affertur in exemplum Ecclesia, seu templum, additúrque, *aut tale aliquid:* qui tamen textus minus efficaciter probat, quia corruptè refertur à Gratiano, vt dicam paulò post. Meliùs verò probatur ex cap. *Cum in Ecclesia, de Simonia*, vbi prohibetur venditio sepulturæ in loco sacro, & fidelibus sepeliendis destinato. Idem quoque docent communi consensu Theologi, & Canonistæ, qui in vtraque parte conclusionis propositæ consentiunt.

38. *Res consecratæ possúntne vendi quoad materiale?* Dissensio verò inter illos est, an huiusmodi res possint vendi, saltem quoad materiale, postquam consecratæ sunt? Negant enim Canonistæ, nisi res illæ fractæ, aut scissæ, amittant consecrationem. Illísque fauere videtur D. Thomas quæst. 100. art. 4. ad 2. cùm ait Vasa sacra vendi posse quoad materiam, pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum, dummodo præmissa oratione priùs confringantur. Quia post confractionem non intelliguntur esse Vasa sacra, sed purum metallum. Vnde si ex eadem materia similia vasa iterum integrarentur, indigerent iterum consecrari. Fauet etiam cap. *Si quis obiecerit*, suprà cit. vbi Paschalis Papa sic loquitur: *Si quis obiecerit, non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitùs desipere probatur.* Et rationem reddens paulò post, addit. *Qui enim horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit; neutrum inuenditum relinquit.*

39. *Concluditur affirmatiuè.* Vera tamen, & communis Theologorum sententia affirmat posse vendi. Quia res illæ, ratione suæ substantiæ, & naturalis conditionis, sunt æstimabiles pretio, vt calix aureus, vel argenteus, oleum, balsamum, chrisma ex vtroque admixto confectum, aqua, panis, & similia: & non amittunt valorem suum per consecrationem, licet nouum non acquirant. Quæ ratio generalis ostendit omnia Sacramentalia permanentia, id est, res omnes consecratas per huiusmodi actiones Sacramentales, & à prophanis vsibus segregatas, posse vendi ex natura rei, absque labe Simoniæ. Vnde si aliquæ illarum vendi nequeunt citra Simoniam, vt sepultura in loco sacro; id non est ex natura rei, sed ex prohibitione Ecclesiæ, cap. *Abolendæ, de sepultur.* & in quibusdam alijs iuribus tit. de Simonia, prohibetur emptio olei, vel Chrismatis consecrati, non solùm in vsu ipso Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, aut Extremæ-Vnctionis: verùm etiam extra. Quæ prohibitiones cùm fiant intuitu Religionis, constituunt actum, quem prohibent, in specie Simoniæ Ecclesiastico iure prohibitæ.

Ad caput *Si quis obiecerit*, citatum in contrarium, Respondeo cum Suare tract. 3. lib. 4. cap. 14. num. 12. & alijs communiter, aliud esse loqui de temporali, cui annexum est spirituale: & aliud, loqui de temporali, quod est annexum spirituali. Siue, quod eodem recidit, aliud est loqui de temporali quod antecedenter annectitur spirituali: & aliud, loqui de eo quod consequenter eidem annectitur. Priori modo ius patronatus est annexum fundo, & consecratio calici. Et de istis non est intelligenda Regula, à Paschali tradita cap. cit. Potest enim vendi fundus, cui ius patronatus annexum est; vt patet ex communi vsu fidelium à nemine damnato: & similiter vendi potest calix aureus, licet consecratus. Neque propterea venditur spiritale, vendito temporali; sed transit gratis ad emptorem temporalis seu materialis, tanquam illius accessorium. Posteriori modo beneficium, siue ius percipiendi fructus, est annexum officio spirituali: & in his locum habet Regula assignata, non posse scilicet vendi temporale, non vendito spirituali. Quia cùm ibi temporale sit quasi consequens ad spirituale, & aliter transferri in alium nequeat, quandiu illi annexum est: non potest etiam vendi, quin spiritale vendatur. Idémque dicendum est de illis materialibus, quæ concomitanter sunt connexa spiritualibus: cuiusmodi est materia proxima Sacramentorum. Nam actiones illæ quæ sunt materia proxima Sacramentorum, licet interdum ex natura sua sint aliquid materiale, & purè naturale, fiántque organis corporalibus: sunt tamen ita eleuatæ per institutionem Christi, vt locum spiritualium teneant, & ipsæ moraliter consideratæ sint in seipsis spirituales quodammodo, & supernaturales, quatenus ipsæmet materiales actiones continent Dei cultum, ordinanturque & valent instrumentaliter, per se, & directè, ad hominum sanctificationem. 40. *Quodnā temporale annexum spirituali vendi potest?*

41. *Soluitur obiectio.* Objicies, Paschalem cap. cit. afferre in exemplum eorum quæ vendi non possunt sine Simonia, Ecclesiam, siue templum; quod tamen non nisi antecedenter connexum est cum consecratione. Ergo falsum est loqui dumtaxat de materiali annexo consequenter spirituali. Respondeo cum Suare suprà, num. 13. ita quidem esse in textu illius capitis provt refertur à Gratiano: qui sic habet: *Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid, sine rebus corporalibus in nullo proficiat.* Sed iuxta textum integrum, qui ex originali adducitur in Decreto Gregoriano, ita legendum est: *Cum corporalis Ecclesia aut Episcopus, aut Abbas sine rebus, &c.* ibique non agitur de materiali Ecclesia, possitne vendi, necne: sed de dignitate Ecclesiastica Episcopi, vel Abbatis. Quod meliùs expressit Deusdedit, sic dicens: *Cum corporalis Ecclesia Episcopus, vel Abbas, sine rebus, &c.* vt ibidem refertur in notis, V. *Corporalis Ecclesia.*



SECTIO IV.

De Simonia circa actus potestatis Ordinis, vel Iurisdictionis, aliaque Ecclesiæ ministeria; & circa ingressum Religionis.

42. Actus potestatis ordinis sunt materia Simoniæ.

PRima conclusio : Omnes actus, qui procedunt à potestate Ordinis,& vi illius fiunt per Ecclesiæ ministros ad id ordinatos aut deputatos, sunt materia Simoniæ, & sine illius labe vendi nequeunt. Ita docent communiter Theologi vel in 4. dist. 25. vel 2. 2. quæst. 100. art. 3. Canonistæ in cap. *Consulere, de Simonia*, & Summistæ V. *Simonia*. Pro cuius rei declaratione nota actus potestatis ordinis esse multiplices. Quidam enim sunt tales, & tam annexi potestati ordinis, vt sine illa ne validè quidem fieri possint, vel ex Dei ipsius institutione, vel ex ordinatione Ecclesiæ. Tales sunt ex institutione Dei celebratio sacrificij Missæ, & effectiones Sacramentorum, quæ, baptismo & matrimonio excepto, nonnisi ab Episcopis, vel à Sacerdotibus fieri possunt. Tales quoque sunt ex institutione Ecclesiæ, tonsura Clericorum, consecratio templorum, altarium, vasorum, & ornamentorum sacrorum, Chrismatis, olei infirmorum, agnorum Dei, benedictio aquæ, incensi, cerei Paschalis, cinerum initio quadragesimæ; oratio publica nomine Ecclesiæ facta inter sacrificandum, baptismi solemnitas, benedictio nuptialis, & similia, quæ nonnisi ab Episcopis, vel à Sacerdotibus possunt fieri. Ideóque hæc omnia vel ex Dei institutione, vel ex Ecclesiæ ordinatione sunt annexa ordini Episcopali, aut Sacerdotali. Alij verò sunt actus non ita annexi ordinibus, vt per alios validè fieri nequeant, quamvis non licitè, saltem cum quadam solemnitate: cuiusmodi sunt actus annexi diaconatui, ministrandi sacerdoti solemniter sacrificandi, & cantandi Euangelium cum stola, & dalmatica, & dispensandi Eucharistiam in necessitate, & olim etiam Calicem populo communicanti sub vtraque specie & actus annexi subdiaconatui, exhibendi aliquod ministerium solemne sacerdoti in Missa, & cantandi in ea solemniter epistolam. Alij denique sunt ad quos licet ordinentur aliqui ab Ecclesia, vt ex officio illos exerceant peculiari quadam potestate morali : possunt tamen eodem planè modo exteriori fieri à Laïcis non ordinatis; cuiusmodi est munus ostiarij, vel lectoris in Ecclesia, & acolythi : munus verò exorcistæ solemniter non exercetur nisi per Sacerdotes.

Actus illi sunt multiplices.

43. Probatur de singulis.

Ex hac terminorum declaratione liquet actus primi generis, qui ex Dei institutione sunt annexi potestati ordinis, esse materiam Simoniæ iuris diuini : quia sunt effectiones Sacramentorum, quæ sine labe Simoniæ vendi non possunt. Idem enim est vendere Sacramenta quæ consistunt in fieri, ac vendere effectionem Sacramentorum. Omnia autem Sacramenta consistunt in fieri, nec habent aliud esse physicum, exceptâ Eucharistiâ, quæ manet etiam in facto esse, quamdiu species durant. Quod verò reliqui actus sint quoque materia Simoniæ, probatur, quia sunt sacri & spirituales, siue supernaturales : partim ratione potestatis spiritalis à qua procedunt, prout fiunt ex vi potestatis ordinis, cui sunt annexi : partim ratione finis, quia directè ordinantur ad salutem supernaturalem : partim etiam quia ratione institutionis Ecclesiæ, eleuantur ad quoddam esse morale supernaturale, pertinéntque per se immediatè, ad cultum Dei supernaturalem, & ad Religionem infusam. Confirmatur ex cap. *Statuimus, 1. quæst. 1.* vbi decernitur nihil accipiendum esse pro Basilicis dedicandis: Et cap. *Cum in Ecclesiæ*, cap. *Suam, de Simonia*, idem statuitur de benedictione nuptiali, & de suffragijs siue exequijs defunctorum : additúrque non posse illorum venditionem licitam fieri per consuetudinem. Quod signum est venditionem illam esse Simoniacam iure naturali. Nimirum quia actiones illæ sunt sacræ & inuendibiles, antecedenter ad prohibitionem Ecclesiæ. Et denique in cap. *Ad nostram, eodem tit.* generaliter & absolutè prohibetur accipere pecuniam pro ministerio Ecclesiastico. Omnes autem actus potestatis ordinis pertinent sine dubio ad ministerium Ecclesiasticum.

Hinc sequitur non posse sine labe Simoniæ accipi pretium à Prælatis pro visitatione,& pro consecratione Ecclesiarum, vel Vasorum sacrorum, pro tonsura, pro dispensationibus, pro excommunicationibus, & alijs censuris ferendis vel tollendis, pro dimissorijs, pro ordinatione Clericorum, & alijs actibus ordinis, & potestatis Episcopalis. Neque Sacerdotes, & alios Clericos, pro sacrificio Missæ, vel pro Diuinis officijs prout in Ecclesia fiunt ex eius institutione, in Horis Canonicis, in exequijs mortuorum, in publicis Processionibus & Litanijs, similibúsque actibus, Ecclesiæ nomine & potestate factis. Quia hæc omnia sunt ministeria Ecclesiastica, pro quibus pretium accipi vetatur cap. proximè cit. Nimirum quia hæc officia sunt aliquid spirituale, quantum sufficit ad materiam Simoniæ. Nam, vt rectè ait Suar. lib. 4. cit. cap. 15. num. 3. fiunt ex principio & potestate spirituali, & supernaturali, nomine ipsius Ecclesiæ, per potestatem ministerialem ab ea concessam, & quasi delegatam : & ex suo genere requirunt fidem, & gratiam Spiritus sancti, vt rectè fiant; & informantur Fide & Religione; & verum ac supernaturalem Dei cultum in se continent; & inde habent suam æstimationem & valorem, non temporalem, sed altioris ordinis; & denique sunt suo modo causæ spiritales, quia ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, & ad impetrandam Dei gratiam, aliáque beneficia, & ad excitandas, disponendásque fidelium mentes ad opera salutis. Ergo hæc omnia officia sunt materia valde spiritualis : adeóque naturâ suâ inuendibilis, & materia Simoniæ iuris naturalis.

44. Declaratur inductione.

Hoc tamen non impedit, quò minùs pro illis functionibus possit aliquid accipi tanquam stipendium sustentationis, vel spontanea oblatio; iuxta cap. *Ad Apostolicam, de Simonia*, [illegible] hac in parte piarum consuetudinum obseruatio commendatur : Et cap. *Cum sit Romana, eodem tit.* cap. *Romana, de censib. in 6.* permittitur

45. Potest aliquid accipi vt [illegible] sustentationis, aut spontanea oblatio.

Episcopis accipere procurationes, siue expensas, pro consecratione Ecclesiarum, & pro visitatione. Longè enim differunt stipendium sustentationis, & spontanea oblatio, à pretio, & iniqua exactione. Non impedit etiam quò minùs possit accipi pretium absque Simonia pro labore coniuncto per accidens cum opere spirituali, & sacro ministerio; siue in huiusmodi officijs, siue etiam in ipsa collatione Sacramentorum. Ad quod intelligendum nota laborem adiunctum ministerio spirituali vnum esse intrinsecum & per se: cuiusmodi est labor, quem ex natura sua necessariò exigit recitatio officij diuini v. g. vel ablutio in baptismo, & alij actus Sacramentales. Et iste non potest vendi absque Simonia: quia opus, & labor illi intrinsecus, non sunt æstimabilia duplici pretio, sed vno & eodem, vel nullo. Quamobrem operis quo fit Sacramentum, & ipsius Sacramenti, vnum & idem est pretium, vel nullum vtriusque. Cùm ergo Sacramentum opere tali factum non sit pretio æstimabile: nullum etiam ipsius operis & laboris est pretium. Ergo non potest pro illo exigi, quin pro Sacramento ipso cum Simoniæ peccato exigatur.

Atque etiam pro labore iuncto per accidens.

46. Labor ille duplex est.

Alius verò est labor extrinsecè quodammodo, & per accidens, coniunctus operi spirituali. Et hic iterum duplex est. Vnus ex parte ipsius operantis, putà Sacerdotis senio confecti, vel infirmi, plus laborantis in collatione Sacramentorum, vel ministerio Ecclesiastico. Et hic etiam labor absque Simonia vendi non potest, quia distincto pretio ab ipso operè æstimari nequit, vt patet in operibus prophanis, quæ non possunt iure cariùs vendi eò quòd ab artifice sene, vel infirmo, maiori cum labore facta sunt. Alter est, qui nascitur ex alio opere, cui per accidens adiungitur collatio Sacramenti, vel aliud ministerium sacrum: vt si Sacerdos cogatur facere iter vnius leucæ, vel expectare duas horas ad conferendum aliquod Sacramentum, non sine suo incommodo, & difficultate. Tunc enim labor ille est accidentarius ministerio sacro, neque est illi coniunctus ex parte operantis, sed ratione alterius operis, vel occupationis, aut moræ, quæ per accidens adiungitur ad ministerium sacrum ex parte petentis illud. Déque isto labore intelligendum est quod supra diximus. Nihil enim vetat pretium pro illo accipi: quia re vera accipitur pro opere distincto à ministerio sacro. Idémque dico si quis se obliget ad sacrum tali hora, & loco, quotidie faciendum per mensem, aut per annum, vel ad aliquid simile: quod onus quoddam est extrinsecum ministerio, & æstimabile pretio. Notandum tamen est, quòd si Sacerdos teneatur ratione beneficij ad illum laborem accidentarium, non potest pretium pro illo exigere sine peccato contra iustitiam: quamvis si exigat, non committat peccatum Simoniæ contra reuerentiam debitam rebus sacris: sed peccatum iniustitiæ, vendendo laborem, quem debet alio titulo.

47. Omnes actus Iurisdictionis spiri-

Secunda conclusio: Omnes actus Iurisdictionis spiritualis, tam fori interni, quàm externi, sunt materia Simoniæ. Probatur, quia omnes illi qui pertinent ad Iurisdictionem fori interni, sunt vel administrationes Sacramentorum, præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ; vel ministerium sacrificij Missæ, officij Diuini, & verbi Dei, prout hæc omnia per Prælatos, aut Parochos, ex officio & iure proprio exercentur. Hæc autem omnia esse materiam Simoniæ iuris diuini patet ex dictis in prima conclusione. Sunt enim ministeria Ecclesiastica, & procedunt ex potestate spirituali ac supernaturali, instituta à Christo per se immediatè, vel per Ecclesiam, per potestatem supernaturalem sibi à Christo datam, tendúntque directè ad salutem & finem supernaturalem. Ad hanc verò spiritualem Iurisdictionem fori interni pertinent facultas eligendi confessarium data à Summo Pontifice, vel ab alijs Ecclesiæ Prælatis; potestas delegandi alium ad audiendas confessiones, & administranda alia Sacramenta, vel alia ministeria spiritualia Ecclesiæ obeunda: potestas absoluendi à censuris, quatenus præmitti solet absolutioni Sacramentali, & ad salutem animæ necessaria est: Concessio indulgentiarum, & dispensationes quædam, vel licentiæ circa præceptorum Ecclesiasticorum obseruationem; putà, non seruandi aliquod ieiunium, vel abstinentiam à cibis prohibitis, aut laborandi aliquo die festo propter necessitatem: ac denique interesse nomine Ecclesiæ celebrationi matrimonij, iuxta Constitutionem Tridentini Sess. 24. cap. 1. *de Reformat. matrim.* id enim vi illius constitutionis est vnum de officijs, & spiritualibus ministerijs Parochi: qui illi interest vt testis qualificatus, vel minister Ecclesiæ approbans eius nomine id quod fit; quem Ecclesia specialiter adesse voluit ob reuerentiam & sanctitatem illius contractus. Quare cùm illud sit vnum de ministerijs Ecclesiasticis, est materia Simoniæ, iuxta cap. *Ad audientiam*, suprà citatum.

talis sunt materia Sim.

48. Etiamsi pertineat ad forum externű.

De alijs verò actibus pertinentibus ad Iurisdictionem spiritalem fori externi, probatur quia, vel illi sunt collatio seu communicatio Iurisdictionis, siue ordinariæ, siue delegatæ: vel actus, qui vi Iurisdictionis acceptæ exercentur circa exteriorem gubernationem Ecclesiæ, ferendo leges Ecclesiasticas, imponendo vel tollendo censuras, & irregularitates, aliásque pœnas Ecclesiasticas, exercendo iudicium in foro eius externo, dispensando, habilitando, dando literas dimissorias, priuilegia, facultates, &c. Priores vendi non possunt, nisi vendatur spiritualis ipsa Iurisdictio: quia idem est vendere rem aliquam, & vendere actum quo illa traditur: neque res aliter venduntur, quàm vendendo earum traditionem, siue actum, per quem ab vno ad alium transeunt. At Iurisdictio spiritualis non potest vendi sine Simonia iuris diuini, cùm sit supernaturalis, data supernaturaliter, & ad finem supernaturalem directè instituta. Vnde collige Simoniacum esse vendere officium Iudicis in causis Ecclesiasticis, siue Officialis, vt vocant; & Vicarij generalis Episcopi, aut Vicarij particularis alicuius Ecclesiæ, siue perpetui, siue etiam amouibilis; vt habetur in cap. *Ad nostram, de Simonia*: itemque ius eligendi ad officia, beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, aut illa conferendi, vel instituendi in illis, aut electionem confirmandi,

Quia per hæc omnia datur aliquod ius spirituale. Ius enim ad omnes huiusmodi actiones spirituale est: quod sicut vendi nequit, ita nec eius traditio.

49. Posteriores verò, sunt actus potestatis supernaturalis, id est, à Christo institutæ per se, vel per Ecclesiam ex facultate supernaturali sibi concessa: súntque ministeria Ecclesiastica, & actus supernaturales: tum ex parte principij, quia procedunt à potestate supernaturali, & gratis data, cuiusmodi est omnis Iurisdictio spiritualis: tum ex parte finis, quia referuntur directè & immediatè ad gubernandam Ecclesiam in ordine ad salutem animarum. Ideoque gratis debent exerceri ex vi suæ institutionis, neque possunt vendi pretio: licet ad stipendium sustentationis possit aliquid exigi in casibus ab Ecclesia non prohibitis: interdum etiam possit in eleemosynam, & alia pia opera, vel in pœnam exigi aliquid ab illis, circa quos actus quidam Iurisdictionis Ecclesiasticæ exercentur: ex. gr. ab illis, quibuscum dispensatur in legibus & præceptis Ecclesiæ, vt hoc veluti repagulo, coërceantur intra limites iuris communis, neque tam facilè dispensationem petant: vel ab illis, quibus fit pœnæ commutatio, aut relaxatio cum onere impendendi aliquid in eleemosynas, aut aliud opus pium, & Deo gratum.

50. Actus etiā priuatiui Iurisdict. sunt materia Sim. Addo non solùm in actibus positiuis Iurisdictionis spiritualis Simoniam committi posse: verùm etiam in priuatiuis moraliter prouenientibus à tali Iurisdictione, & habentibus morales effectus illi proportionatos. Vt si quis accipiat pecuniam vt non absoluat pœnitentem bene dispositum, & rite confessum: atque ita illum relinquat obligatum, vt iterum se sistat ad obtinendam absolutionem: vel vt ne imponat illi conuenientem satisfactionem: vel vt non tollat excommunicationem, quam deberet tollere; aut non ferat sententiam in foro Ecclesiastico, quam deberet ferre ad quempiam absoluendum & liberandum à carcere, vel à suspicione criminis. Quod non fit sine magna irreuerentia contra Sacramentum Pœnitentiæ, vel iudicium Ecclesiasticum, & contra Iurisdictionem spiritualem, cuius actus venales fiunt. Nam vendere huiusmodi omissiones, est re ipsa vendere aliquem vsum, seu potiùs abusum Iurisdictionis spiritualis: & virtualiter vendere ipsam Iurisdictionem spiritualem, virtute cuius solius hæc omissio est æstimabilis, & habet moralem quendam effectum, quo grauatur is, cui negatur beneficium absolutionis, aut sententia iudicialis.

51. Explicatur Canō Nemo Presbyterorum. Ad idem confirmandum adducitur à Suare lib. citato cap. 22. Canon *Nemo Presbyterorum, de Simonia*, vbi præcipitur, inquit, vt pœnitentia non detur aut negetur pretio, quia vtrumque Simoniacum est. Sed iste Canon fideliter relatus, tametsi fauet aliquatenus huic sententiæ, non tamen asserit expresè id quod intenditur. Duabus enim constat partibus: quarum prima est, *Vt nemo Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, à quocunque publicè peccante accipiat, vt Episcopo, vel ministris eius, peccatum illius celet nec pro respectu cuiusque personæ, consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet.* Altera est, *Nec quemquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem, gratia vel fauore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationis ferat eidem: vel quocunque liuore dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat.* Et quamvis Suari concedamus, particulam istam, immediatè post additam, *quia vtrumque Simoniacum est*, dici tantùm de hac secunda parte Canonis duo membra complectente absoluendi scilicet indignum, aut repellendi dignum: non est in ea sermo de pretio, sed de fauore & gratia, vel liuore, quorum neutrum est pretium temporale; neque magis potest esse propriè Simoniacum dare absolutionem fauore & gratiâ, quam dare beneficium ex fauore & amicitiâ. Quare fatendum est vocem Simoniæ in hoc Canone latè & impropriè sumi. Multóque magis id dicendum est, si, vt alij volunt, & non est improbabile, particula illa, *vtrumque Simoniacum est*, cadit in totum Canonem, cuius sunt duo membra generaliora, propter disiunctionem casuum duorum, de quibus ibi sermo est: celandi videlicet peccatorem; & absoluendi indignum, vel repellendi dignum. Nam celare peccatorem Episcopo propter consanguinitatem, aut familiaritatem, non est Simonia: imò neque propter pretium, si nihil aliud sit: quia, vt bene ait Lessius cap. 35. num. 65. celare, seu non deferre peccatorem, vel eum deferre, non est actus spiritualis, sed ciuilis, cui per accidens est, quòd ad spiritualem correctionem proximi referatur, vel ad punitionem; dummodo non propterea maiori pretio æstimetur. Dixi autem Simoniam committi posse in actibus priuatiuis moraliter prouenientibus à potestate Iurisdictionis. An verò etiam in alijs bonis vel malis omissionibus committi possit, patebit ex dicendis, generaliter Sectione sequenti de actibus virtutum, & vitiorum.

Tertia conclusio: Simonia est iuris diuini, & naturalis, admittere aliquem in Religiosum ordinem vendendo illi statum ipsum Religiosum. Secus autem, recipere aliquid pro eius sustentatione: quod ne quidem iure Ecclesiastico, Simoniacum est, neque prohibitum; nisi quando Religio siue Monasterium non mendicantium habet redditus sufficientes ad illum alendum. Prima pars certa est, & satis per se manifesta. Nam status ille est valde sacer, & supernaturalis. Secunda probatur, quia id non est accipere temporale pro spirituali: sed temporale pro temporali, nimirum pro onere quod Religio suscipit illum alendi, & subueniendi temporalibus eius necessitatibus: sicut in matrimonio accipitur aliquid sine Simonia pro alenda vxore, & sustinendis alijs oneribus. Tertia pars ostenditur, quia sicubi Ecclesia id prohibuisset, maximè in cap. *Nullus, 1. quæst. 2.* & cap. *Non satis, de Simonia*, & cap. *Cum in Ecclesia*, cap. *Veniens*, cap. *De Regularibus*, cap. *Dilectus, 2.* cap. *Audiuimus*, & cap. *Quoniam, eodem tit.* Verùm in illis, si attentè legantur, non prohibetur exigere aliquid à candidato Religionis ad sustentanda eius onera tempora-

52. Simonia est accipere aliquid pro ipso ingressu Religionis.

At non pro alendo Religioso.

Sitne id ab Ecclesia prohibitum?

lia, quando Religio premitur egestate, neque facultatibus necessarijs est instructa ad illa onera ferenda. Nam in quinque primis prohibetur tantùm id, quod iure diuino prohibitum est, nempe venditio ipsiusmet rei spiritualis, sumendo v. g. ratione ingressus plus quàm necessarium sit ad sustentationem, & ad paupertatem Monasterij subleuandam. In sexto non agitur de dote, vt vocant, quæ postulatur tantùm ad sustentationem canditati Religionis: sed de quibusdam alijs muneribus, quorum defectu nectebatur mora studiosis Religionis ineundæ, vt bene aduertunt Felin. de Simonia num. 12. & Suar. tract. 3. lib. 4. cap. 17. num. 13. In septimo prohibetur Monialibus ne aliquid exigant ab ingredientibus prætextu paupertatis. Verùm, vt rectè glossa ibidem notat, prætextus propriè dicitur, quando non subest quod prætexitur, id est, quando Monasterium non verè pauper est, & tamen eo colore aliquid exigitur. In extrauagante autem prima de Simonia, vbi prohibetur sub pœna excommunicationis reseruatæ Summo Pontifici, ne quicquam exigatur ab ingredientibus Religionem, neque recipiatur, nisi purè, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre voluerint; non est sermo de Monasterijs verè indigentibus; quia nihil noui prohibet, sed renouat antiquas prohibitiones, & pœnam illam addit: vt patet his verbis Extrauagantis, paulò post initium, *Detestabilis. & à Canonibus reprobata seruatur abusio, &c.* Cùm denique in Tridentino Sess. 25. cap. 3. *de Reformat. Regular.* & diu ante, cap. vnico §. 1. *de statu Regular. in 6.* statuitur vt ne plures recipiantur in Monasterijs ordinum non mendicantium, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, siue prouentibus, absque penuria sustentari; intelligitur vt ne recipiantur in grauamen Religionis; quod non fit, quando dant dotem competentem, quæ iam incipit esse in bonis Monasterij: & Trident. explicans, vel restringens prohibitionem huius Canonis, addidit, *ex proprijs redditibus, vel consuetis eleemosynis*. quo nomine possunt comprehendi ea, quæ ab ingredientibus afferri solent. Concludo itaque nullam extare prohibitionem accipiendi aliquid, quando Monasterium verè indiget: & addo, quamvis olim id prohibitum fuisset, consuetudinem contrariam rationabilem, iam derogasse prohibitioni. Potuit autem introduci hæc consuetudo, & tolerari, tanquam rationabilis: quia æquum est accipere aliquid in casu necessitatis, ne propter monasterij penuriam priuentur multi ingressu Religionis, & via illis præcludatur ad studium perfectionis Euangelicæ, ad quam à Deo vocantur; vel Religio careat operarijs sibi necessarijs.

53\. Superest quarta pars conclusionis, quâ diximus esse Simoniacum exigere aliquid ab ingredientibus Religionem, quando Religio habet sufficientes redditus: quæ satis probata manet ex iuribus modò citatis, præcipuè cap. *Veniens*, cap. *Dilectus 2. de Simonia*, & Extrauag. 1. *de Simonia*: eandémque tradit S. Thomas quæst. 100. art. 3. ad 4. cùm sic ait: *Licet recipere* (absque Simonia scilicet, de qua procedebat argumentum) *aliquid pro sustentatione personæ qua recipitur, si ad hoc non sufficiant Monasterij opes*: quâ limitatione significat fore Simoniam recipere aliquid, ex pacto scilicet, si Monasterij opes sufficiant. Idem etiam docent communiter alij, paucis exceptis. Ratio præcipua est, quia Ecclesia prohibet quicquam exigi in eo casu: & prohibet intuitu virtutis Religionis, ne status ille tam sanctus & supernaturalis, venalis esse videatur. Ergo constituit illam prohibitionem in specie Simoniæ. Addo cum Suar. tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 17. esse hîc materiam sufficientem Simoniæ iuris diuini. Quia ex voluntate & constitutione Ecclesiæ, in iuribus citatis declaratâ, Religiosi habent ius vt alantur ex bonis Monasterij, tanquam ad id affectatis: sicut beneficiarij habent ius viuendi ex redditibus sui beneficij. Vtrumque autem ius spiritale est: & quamvis candidati Religionis nondum habeant ius in re: habent tamen, vt rectè ait Suar. cap. cit. participationem quandam illius iuris quasi ad rem, seu proximam capacitatem acquirendi illud gratis. Ergo petere ab illis aliquid intuitu sustentationis, est vendere illis ius spirituale fundatum in statu sacro & supernaturali, quod ingrediendo Monasterium acquirere possunt, & debent, ad suam sustentationem ex bonis Ecclesiæ. Quod non minùs Simoniacum est, quàm si quis vellet vendere adepturo beneficium, ius viuendi ex illius redditibus. Est, inquam, Simoniacum, etiam ex natura rei, positâ tali institutione Ecclesiæ: sicut est Simoniacum ex natura rei, & iure diuino, vendere calicem consecratum, vt talem, posita consecratione facta ab Ecclesia.

Margin: 54. Est Simoniacum accipere, si Monasterium habet reditus sufficientes.

SECTIO V.

Sitne Simonia dare pecuniam propter opera virtutum, vel propter doctrinam Theologiæ?

Circa primum, sensus quæstionis est, an liceat dare alicui pecuniam, vel quid aliud temporalis pretij locum habens, ex pacto, vt fiat Religiosus ex. gr. vel vt permittat se ordinari: vel vt Sacramenta frequentet, vel vt fiat Christianus, aut Catholicus, aut pro alijs bonis operibus, siue ad illa teneatur aliunde ex præcepto, siue non: Vel etiam vt abstineat à malè faciendo, id est, vt non faciat id, quod non potest licitè facere. 55. Status primæ quæstionis.

Qua de re dico primò, non esse Simoniacum dare pecuniam ex pacto pro virtutum operibus purè & omnino naturalibus, vt patet ex dictis Sect. 3. num. 28. quia tunc non venditur pretio temporali aliquid spiritale, id est, supernaturale. Non est quoque Simoniacum, sed pium & Sanctum, dare aliquid temporale sine pacto, sed liberaliter, vt animus proximi alliciatur ad opera virtutum salutaria & supernaturalia. Nam vt ait S. Augustinus Epist. 52. ad Macedonium, prope finem, & refertur cap. penult. 23. q. 4. *Debet homo diligere proximum, tanquam seipsum, vt quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione, adducat ad colendum Deum.* In quo

Margin: Non est Simonia dare pro actibus virtutum natural.

tamen cauendus est excessus, præsertim circa ingressum Religionis, & alia quæ valde liberè, & ex instinctu potiùs speciali Spiritus sancti fieri debent, ad vitandum periculum inconstantiæ in statu Religioso, & alia incommoda.

56. Est Simoniacum pacisci pro operib. supernat.

Dico secundò, dare vel promittere alicui pecuniam, vel aliud pretium temporale, cum pacto vt ille maneat determinatè obligatus ad ingressum Religionis, vel ad ordines suscipiendos, vel ad fidem, & alia virtutum opera supernaturalia, est illicitum, & Simoniacum. Ita D.Thom. quæst.100. art.3. ad 4. Caiet. Sotus, Aragonius, Valent. Felin. Panormit. Antonin. Turrecrem. Syluest. Angest. Tabien. & plures alij quos refert & sequitur Suares tract. 3. de Religione lib. 4. cap. 16. num. 9. & 17. Probatur primò ex cap. *Quam pio*, 1. q. 2. vbi affirmat Bonifacius tale pactum nunquam licere: & rationem hanc reddit, quia tale opus virtutis est donum Spiritus sancti, descendens à patre luminum: ergo qui pro illo munus accipit; donum Dei, quod à patre luminum descendere debuit, vendit: munus autem largiens importunus illud emit. Vendere autem vel emere donum diuinum, Simonia est. Probatur secundò, quia non licet pacisci cum aliquo, vt pro tempotali pretio velit baptizare, vel conferre ordines, vel ad Religionem admittere. Ergo neque licet pacisci vt quis velit baptizari, vel ordinari, vel Religionem ingredi: vtrumque enim illorum reciprocè est æquè spirituale, & supernaturale.

57. Secus autem petere sine pacto.

Dico tertiò, non esse tamen Simoniacum, neque illicitum, donare aliquid proximo absolutè de præsenti, petendo expressè vt faciat aliquod opus spirituale: non ineundo pactum cum illo de tali opere, nec imponendo determinatè illius obligationem, sed intentionem suam patefaciendo. Neque etiam est Simonia promittere illi aliquid, eique se obligare ad dandum sub conditione, & non aliter: non illum tamen obligando determinatè ad tale opus, sed tantùm volendo efficaciter illum inducere: ita nihilominus vt ipse liber maneat ad faciendum si velit, nonobstante donatione valida de præsenti, vel promissione donandi de futuro sub conditione. Ita Suar. cap. suprà cit. num.12. & sequentibus. Et probatur ex praxi Ecclesiæ, piorúmque fidelium. Nam Romæ, & alijs multis in locis instituuntur seminaria pro adolescentibus, qui instruuntur impensis Ecclesiæ, cum obligatione vt fiant Sacerdotes, vel expensas restituant: id est, non imponendo illis absolutam & determinatam obligationem ad Sacerdotium, sed optionem illis relinquendo vt alterutrum eligant. Et cap. *Non oportet*, 28. *quæst.* 1. approbatur conditio fidelis promittentis mulieri infideli, se illam ducturum in matrimonium, si velit priùs ad fidem conuerti. Vbique etiam fideles & pij parentes promittunt vel dant liberis bona quædam temporalia, & munuscula, vt piè viuant, Sacramenta frequentent, abstineant à malis operibus, & studiosa exerceant. Interdum etiam Domini promittunt seruis libertatem, & Iudices vitam reis, si velint ad fidem conuerti, vel Religionem ingredi. Et cap. 2. *de Conditionibus appositis*, expressè approbatur & seruari præcipitur manumissio mancipiorum, facta sub hac conditione, vt Monachi fierent, & in Monasterio permanerent: & si contra facerent, seruituti iterum subderentur. Probatur secundò, quia in primo casu non est verè pactum de opere, sed donatio liberalis facta ex intentione, vt ipse aliquod bonum faciat, aut malum omittat: quæ intentio bona est, neque vitiatur per donationem liberalem. In secundo quoque non est venditio, neque pactum inducens obligationem talis operis. Nam ille manet liber ad operandum, æquè ac antea: sed gratuitò datur illi optio vt hoc vel illud eligat, prout voluerit: & vel careat bono quod promittimus sub conditione: vel faciat bonum, quod ab illo fieri desideramus, & cuius intuitu promittimus aliquid non ad emendum opus bonum, sed ad illum inducendum vt faciat: ita vt ex. gr. vel maneat in statu seruitutis cum sua infidelitate; vel potiatur libertate factus Christianus: vel, vt moriatur propter crimina, si nolit conuerti ad fidem; aut fruatur vitâ, si conuertitur.

58. Argum. in contrarium.

Contra secundam conclusionem potest obijci primò, Deum promissione bonorum temporalium, æquè ac comminatione pœnarum, obligare homines determinatè ad seruanda sua mandata, Exod. 20. Deuteron. 5. alijsque locis. Ergo possunt homines, illius exemplo, bonis & pœnis temporalibus obligare homines determinatè ad bene operandum, & abstinendum à malo. Confirmatur, quia in cap. vlt. 23. quæst. 6. dicitur, si rusticus tantæ perfidiæ & obstinationis fuerit inuentus, vt ad Deum minimè venire consentiat, tanto pensionis onere grauandum esse, vt ipsâ exactionis pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare. Secundò, qui dat aliquid alteri vel promittit, vt faciat aliquid vtile solùm operanti, & in bonum spirituale ipsius, nihil ab illo emit. Ergo non committit Simoniam paciscendo pro talibus operibus. Consequentia patet: antecedens probatur, quia non emit nisi qui aliquid accipit à vendente: Neque vendit, nisi qui aliquid tradit ementi. Item, Simonia non committitur sine contractu oneroso. Non censetur autem esse contractus onerosus, sed liberalis, quando totus est in vtilitatem recipientis.

Quomodo Deus obligat ad opera virtutũ?

Ad primum respondeo Deum non obligare vi promissionis, aut comminationis; sed antecedenter ad vtramque, obligare vi potestatis & auctoritatis, quam habet ad obligandum absolutè, titulo creationis, & supremi dominij: deinde verò obligationi adiungere liberaliter promissionem bonorum temporalium, aut spiritualium obedientibus: vel iustè pœnas minari, & infligere præceptorum suorum transgressoribus. Cap. verò citato Gregorius Papa loquitur de onere iustæ pensionis aliunde debitæ in rigore iustitiæ: cuius exactione rigidâ induci potest perfidus & infidelis ad conuersionem, sub spe fauoris & remissionis obtinendæ. Imò posset Dominus id ab illo expressè postulare, vt scilicet, si fauorem suum experiri vult, ad Deum conuertatur: iuxta ea quæ diximus in prima & tertia conclusione.

Ad secundum respondeo, sufficere ad em- 59.

Quomodo est Simonia emere opera virtutum? ptionem quòd emam alterius consensum, & liberam voluntatem; quamvis eius opus non sit mihi vtile, neque aliquid ab illo recipiam: siue, quòd pretio illum obligem ad operandum aliquid, præsertim difficile, cuiusmodi sunt ingressus in Religionem, conuersio ad fidem, & alia opera virtutum supernaturalium. Estque iste contractus onerosus, quando non relinquo ei liberum vt alterutrum eligat, facere scilicet, vel omittere; sed determinatè illum astringo ad opus valde difficile, & laboriosum, quamvis illi soli vtile. Et in eo fit quædam irreuerentia rebus spiritualibus, purà, ingressui Religionis, aut conuersioni ad fidem, dum vnus illam emit, & alter vendit pretio temporali, vi cuius fit vt illa debeat poni in rerum natura, velut tali pretio æstimabilis. Neque dicas emi tantùm aut vendi obligationem ad tale opus. Nam vendere obligationem quæ tendit ad opus, & non est onerosa, neque æstimabilis, nisi ratione operis, est vendere ipsum opus.

60. Quæ omissiones sint materia Simoniæ? Cæterùm, quod diximus in prima assertione, num. 55. omissiones etiam malorum actuum esse materiam Simoniæ, si pretio emantur, intelligendum est de omissionibus non purè naturalibus, sed quæ habent aliquid supernaturale, ratione auxilij necessarij ad vincendam tentationem, vel motiui & actus positiui voluntatis qui solet adiungi omissionibus liberis, & impletioni voluntariæ præcepti negatiui, præsertim in arduis & difficilibus. Nam alioqui si ematur omissio bona, vel mala, purè naturalis, non est Simonia: quia tantùm emitur liberum aliquod exercitium naturale voluntatis, vel actus merè naturalis.

61. Sitne Simoniacũ emere doctrinã Theologiæ? Circa secundum in titulo Sectionis propositum, quæstio est de doctrina Theologiæ, qualis in Scholis docetur; id est, de scientia quæ ex fidei principijs deducit conclusiones, illáque exponit, & illustrat, & contra infideles defendit. Nam de ipsa doctrina fidei supernaturali, déque donis gratuitis quæ fidem antecedunt comitantur; aut sequuntur, atque illi inseruiunt in nobis, vel in alijs, certum est non posse vendi absque Simonia: sunt enim res sacræ & supernaturales. Quatuor autem sunt functiones doctrinæ Theologicæ, de quibus quæstio esse potest. Prima est, explicare & illustrare principia fidei, id est, Scripturam sacram & traditiones diuinas; atque ex illis deducere conclusiones. Secunda, dare consilium de rebus conscientiæ. Tertia, concionari. Quarta, docere Catechismum, seu Rudimenta fidei Christianæ.

62. Actus concionandi non potest vendi absque Simonia. Et vt certa ab incertis separemus, citra controuersiam est tertiam functionem, quæ est concionari, non posse vendi absque Simonia: quia, vt rectè ait Suar. cap. 19. num. 22. actus concionandi est valde spiritalis & supernaturalis. Est enim principaliter opus ipsius Dei, cuius prædicator est instrumentum, loquens tanquam legatus Christi, & ex vi sui ministerij directè & principaliter intendens mouere hominum voluntates ad actus virtutum supernaturalium, Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, & aliarum quæ ad vitam Christianè instituendam, & ad æternam beatitudinem consequendam vtiles aut necessariæ sunt. Idémque dicendum est de quarta functione, si fiat, vt communiter fit, modo persuasiuo, instar concionis cuiusdam, ad fidem supernaturalem ingenerandam in mentibus auditorum, persuadendo illis mysteria, & dogmata fidei speculatiua, & practica; & ad voluntates eorum permouendas vt eam amplectantur, conformitérque illi viuant. Nam hoc etiam est opus Spiritus sancti, differens tantùm à concione, in eo quòd minori apparatu & celebritate fit: vel vt differunt magna & parua concio, pluribus vel paucioribus facta, & longiori aut breuiori sermone, magisque aut minùs exquisito & erudito. Secus autem si fieret tantùm ad iuuandam & exercendam memoriam auditorum, modo purè speculatiuo: vt bene post Vgolinum docet Suar. lib. cit. cap. 18. in fine. Potest tamen absque Simonia exigi stipendium sustentationis Concionatoris, & Catechistæ; & pro labore quo scientiam ad docendum sibi comparauit; próque labore per accidens adiuncto: iuxta id quod diximus Sect. 4. num. 45. & 46. Neque actus catechizandi.

63. An etiam actus dãdi consilium de rebus cõscientiæ? De secunda verò functione, quæ est dare consilium de rebus conscientiæ, distinguendum est similiter. Nam si fiat per modum exhortationis, ad pacandam conscientiam interrogantis, vel dirigendam, ita vt sit veluti priuata concio: idem de illa, ac de concione ipsa dicendum est. Secus autem, si purè fiat modo instructiuo & doctrinali, ad instruendum tantummodo intellectum interrogantis, quamvis iste interroget ex intentione pacandi suam conscientiam, illámve dirigendi. Tunc enim potest non minùs exigi pretium pro tali consilio purè doctrinali, quàm pro prima functione Theologiæ, de qua dicendum superest, & de qua est præcipuè controuersia.

64. Et functio docendi Theologiam. Multi enim existimant Simoniacum esse exigere aliquid pro functione docendi Theologiam, illustrando & explicando, principia fidei, & conclusiones Theologicas ex illis inferendo. Primò, quia illa doctrina est valde sacra & supernaturalis in seipsa: Ergo non potest vendi absque Simonia. Probatur antecedens: quia Argumẽta sententiæ affirmantis. versatur circa obiecta fidei, quæ supernaturalia sunt, & ab ipsa iuuatur vtendo eius assensu, & principijs ad eliciendas conclusiones; eandémque in mentibus auditorum ingenerat, vel firmiorem reddit, & magis stabilem; atque etiam contra infideles tuetur, & credibilem illis facit: ac denique dirigit virtutes supernaturales voluntatis, quarum naturam & officium explicat. Secundò, Paulus 1. Cor. 12. & Ephes. 4. numerat inter ministros Ecclesiæ, Pastores, & Doctores. Ergo docere sacram doctrinam est ministerium Ecclesiasticum. Ergo non potest vendi absque Simonia: constat enim ex dictis Sect. præcedenti, omnia Ecclesiæ ministeria esse inuendibilia. Confirmatur, quia gradus magisterij in Theologia est quid spirituale, manans à potestate Summi Pontificis. Ergo docere in virtute illius, est quid spirituale & inuendibile. Item, licentia docendi Theologiam non potest vendi absque Simonia, cap. 1. & 3. *de Magistris*. Ergo multò minùs ipsum Magisterium, quod plus est, quàm licentia, seu permissio docendi; est enim ipsum docendi

officium. Si autem non potest vendi officium, neque licentia docendi: ergo nec ipsa doctrina, siue vsus talis potestatis sacræ & inuendibilis. Confirmatur secundò, quia licet dare præbendam pro officio docendi Theologiam: id enim permittit caput *Quia nonnullis, de Magistris.* Atqui non licet dare præbendam, seu beneficium Ecclesiasticum, pro re vendibili, & pretio æstimabili. Ergo officium docendi Theologiam non est vendibile, sed est officium sacrum: ac proinde neque ipsius exercitium vendi potest. Ita Palud. in 4. dist. 25. quæst. 5. num. 20. Syluest. V. *Simonia, quæst. 10.* & quidam alij.

65. Concluditur negatiuè. Sed nihilominus vera & communis sententia est, non esse Simoniacum exigere pretium pro illa functione doctrinæ Theologicæ: quia actus iste docendi Theologiam naturalis est, & labor atque industria docendi est pretio æstimabilis. Ergo potest absque Simonia pretium pro illo exigi. Nec obest quòd actus iste versatur circa obiectum supernaturale: nam eo non obstante naturalis est. Non obest etiam quòd interdum iuuetur ab assensu supernaturali, vel ab illo proueniat. Nam hoc est per accidens, vt patet in Theologo qui de aliquo fidei articulo voluntarie dubitaret, aut non crederet, cui nihilominus ad docendum sufficeret peritia naturalis circa principia & conclusiones Theologiæ. Non obest denique quòd iste actus iuuet ad assensum fidei supernaturalis in mente auditorum generandum, vel ad alios virtutum actus supernaturales, eósque dirigat. Nam horum non habetur ratio in pacto docendi: neque functio docendi Theologiam ad illos exercendos per se tendit, sed ad instruendum intellectum de rebus difficillimis, & subtilissimis, in quibus docendis magnus est labor, siue ad tantam scientiam sibi comparandam, quanta Doctori necessaria est; siue ad illam alijs conuenienter tradendam & explicandam: pro quo labore potest meritò pretium exigi.

66. Satisfit argumentis sententiæ affirmantis. Atque ex his solutum manet primum contrariæ sententiæ argumentum. Ad secundum, Dico Paulum ibi sumere pro eodem *Pastores,* &, *Doctores:* quippe quia debent pascere scientiâ, & doctrinâ verbi Dei: iuxta illud Ierem. 4. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Possent etiam Doctorum nomine intelligi concionatores, & catechistæ, qui affectiuè docent mysteria fidei. Ad tertium respondeo gradum etiam Magisterij docendi Iurisprudentiam, Medicinam, & Artes liberales, manare à potestate Summi Pontificis: sunt enim omnes illi gradus per ipsius potestatem instituti, & auctoritate Pontificia conferuntur: neque tamen propterea spirituales sunt, & inuendibiles; vt neque ipsorum exercitium, pro quo passim in toto orbe Christiano, pretium datur, & exigitur. Ergo neque gradus Magisterij, & munus docendi Theologiam est censendum spirituale ex eo quòd manet à potestate Summi Pontificis. Potest enim Summus Pontifex non solùm spiritualia, sed etiam aliqua temporalia instituere. Nam ipsos etiam Reges, & Imperatores, & Duces, aliquando instituit: quæ tamen officia sine dubio temporalia sunt. Ad quartum respondeo similiter eosdem Canones prohibere ne vendatur licentia docendi scientias humanas, æquè ac licentia docendi Theologiam. Loquuntur enim generatim de quacunque licentia docendi. Venditio autem talis licentiæ non est Simoniaca iure naturali, vel Ecclesiastico, nisi quando est actus Iurisdictionis spiritualis, cuius omnes actus esse materiam Simoniæ liquet ex dictis Sect. præcedenti. Vt si v. g. detur per dispensationem licentia Sacerdoti ad docendam, profitendam, & exercendam scientiam Medicinæ, vel Chirurgiæ, próque tali dispensatione exigatur pecunia. Meritò tamen prohibetur generaliter ab Ecclesia venditio licentiæ docendi quamcunque scientiam, quia per venditionem impediuntur sæpe idonei, & admittuntur minùs apti, vt in alijs officijs venalibus contingere videmus. Ad quintum respondeo, posse etiam præbendam annecti officio docendi Grammaticam, vt dicit glossa in cap. *Significatum, de Præbendis,* & patet ex praxi Ecclesiæ, atque ex varijs Canonibus tituli *de Magistris:* imò etiam officio œconomi Ecclesiæ, Sacristæ, Thesaurarij, & similibus officijs temporalibus. Quia nimirum fructus præbendæ possunt à Summo Pontifice, vel ab alio habente facultatem, non solùm annecti & applicari officijs spiritualibus; verùm etiam temporalibus, quibus Ecclesia indiget; tanquam stipendium ministerij, vel oneris & laboris spiritalis, aut temporalis.

SECTIO VI.

De Simonia circa Beneficia, Præstimonia, Pensiones, Commendas, Coadiutorias, ius Patronatus, & officia temporalia Ecclesiæ.

Circa primum dico primò, Simoniam esse iuris naturalis, & diuini, vendere beneficia Ecclesiastica, siue quoad officium spiritale ministrandi Ecclesiæ, siue quoad ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, officio illi annexum, quod ius vocatur propriè beneficium, tametsi sæpe vox illa vtrumque comprehendit. Ratio est, quia officium illud est sacrum & spiritale, ordinatum vel ad curam animarum, vel saltem ad ministeria quædam sacra, & spiritalia, vt ad Horas Canonicas recitandas, ad Missas celebrandas, &c. estque necessariò annexum statui Clericali. Ius quoque percipiendi fructus ratione officij, quatenus illi annexum est, & solùm datur ratione illius, est quid sacrum & spiritale, saltem per quandam participationem, & ratione illius connexionis: ideóque vocatur interdum ius spiritale, quamvis ex parte obiecti, temporale sit, vt rectè notauit Panormit. in cap. *Dilecto, de Præbendis.* Cúmque sit annexum consequenter officio spiritali; non potest vendi quin simul illud vendatur: iuxta Regulam cap. *Si quis obiecerit, 1. quæst. 3.* Quare non potest vendi sine Simonia iuris diuini quandiu officio spiritali annexum manet. Confirmatur, quia si ius illud non separatur ab officio spiritali, ven- 67. Simoniacum est vendere beneficia Eccles.

dere illud est vendere facultatem accipiendi redditus, & ius ad illos. Ergo hoc est vendere ipsum officium, saltem quatenus est necessarium ad ius illud habendum, & prout sine illo non subsistit. Nec obest quòd illa connexio facta est auctoritate Ecclesiæ, quæ officijs Ecclesiasticis, certos & statos prouentus assignauit, cùm antea Clerici viuerent in commune de bonis Ecclesiæ. Nam etiam ipsa plurimorum officiorum institutio facta est ab Ecclesia. Et postquam aliquid factum est sacrum auctoritate Ecclesiæ; non potest violari sine sacrilegio per ius naturale prohibito, neque vendi sine Simonia iuris naturalis, & diuini, hoc est, ortâ ex ipsa re taliter constitutâ, & non ex superaddito Ecclesiæ præcepto prohibentis venditionem intuitu Religionis, & illam constituentis in specie Simoniæ.

68. Nisi ius ad fructus separetur ab officio.

Dixi autem, *quamdiu ius illud manet annexum officio spirituali:* quia secus dicendum est si separetur ab eo, qui separandi potestatem habet, vel extinguendo officium sacrum, vel diuidendo illud à iure percipiendi fructus ei assignatos, & vendendo secundum sine primo. Quæ separatio licet fieri nequeat à Prælatis inferioribus, quibus id prohibetur cap. vnic. *Vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, & cap. *Prohibemus de censibus*, vbi statuitur vt non possint Episcopi partem redditum beneficiorum suis vsibus applicare, vel Ecclesijs noua onera imponere: quibus iuribus non possunt ipsi derogare: Potest tamen fieri auctoritate Summi Pontificis, vt contra Alensem, Antoninum, Ricardum, Palud. Durandum, Malorem, Syluest. Caiet. Victor. & Couar. docent communiter Canonistæ, & alij quos citant & sequuntur Less. cap. 35. dub. 2. num. 19. & Suar. tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 12. & 23. Eâdem enim auctoritate, quâ potuit Ecclesia ius illud annectere officio spirituali, potest & separare. Suprema verò, & plena potestas Ecclesiæ, est in Summo Pontifice, vt supremo eius Monarcha. Quare potest ius illud separatum ab officio, & à titulo Clericali, vendere, sicut & gratis donare Laïco, sine Simonia, atque etiam sine peccato, si ex iusta & rationabili causa id faciat. Confirmatur, quia potest Summus Pontifex separare ab officio, & à titulo Clericali, ius feudi ad decimas, & ius ad pensiones Laicas: quod ius est merè temporale, potéstque pretio redimi, vt patet ex communi vsu. Ergo potest etiam separare ius ad omnes redditus, illúdque ita separatum reddere pretio æstimabile.

69. Præstimonia, & pensiones Clericales sunt materia Simoniæ.

Dico secundò, præstimonia, & pensiones Clericales, quæ dantur pro munere aliquo spiritali, vt stipendium sustentationis pro tali munere exercendo, sunt etiam materia Simoniæ iuris diuini, vt suprà diximus de beneficijs. Ratio est, quia huiusmodi pensiones, & præstimonia, dantur cum obligatione ad aliquod officium spirituale & Clericale, & illius intuitu. Ergo sunt annexa consequenter officio spiritali & Clericali: neque solùm requirunt statum Clericalem, vt conditionem; sed etiam postulant ministerium spirituale, vt fundamentum iuris, & id, ratione cuius debeantur redditus Ecclesiastici. Et quamvis huiuscemodi præstimonia & pensiones, quæ dantur pro aliquo munere spirituali, non sint beneficia, si non sunt ius perpetuum percipiendi fructus de bonis Ecclesiasticis, ratione talis officij: sunt tamen aliquid annexum officio spirituali, & in illo fundatum, simili modo quo beneficia Ecclesiastica: ideóque non possunt vendi sine Simonia. Confirmatur quia vendere talem pensionem est vendere titulum spiritualem, in quo fundatur ius ad pensionem, & stipendium sustentationis, quamdiu illi annexum est.

Notanter autem dixi, *præstimonia, & pensiones Clericales, quæ dantur pro munere spirituali:* quia si præstimonia nullum haberent munus spirituale, cui annecterentur, non essent materia Simoniæ, saltem iuris diuini; quamvis ex sua institutione, non possent dari nisi Clericis, ad eos v. g. in studijs alendos vt deinde possint ministrare Ecclesiæ. Tunc enim præstimonium non esset annexum spirituali, quia non daretur ratione Clericatus, vel officij sacri; sed ratione studij: neque Clericatus esset fundamentum iuris, & id à quo emanat: sed esset tantùm conditio sine qua non, reddens subiectum capax præstimonij iuxta dispositionem iuris. Similiter pensiones quæ dantur siue Laïcis, siue etiam Clericis, simpliciter & purè propter ipsorum sustentationem, vel ex gratitudine, propter obsequia temporalia præstita Ecclesiæ, vt pro illius defensione in bello contra infideles, vel vt stipendium pro temporali seruitio, v. g. pro campanis pulsandis, & non propter aliquod spirituale officium, seu ministerium, non sunt iure diuino siue ex natura rei materia Simoniæ: quia sunt aliquid merè temporale, & nulli rei vel titulo spirituali annexum, facta separatione à beneficio super quo constituuntur. Nec refert quòd huiusmodi pensiones non possunt constitui nisi per auctoritatem spiritualem. Nam etiam eleemosynæ de bonis Ecclesiæ non possunt fieri nisi auctoritate & potestate spirituali: & tamen sunt quid temporale, possúntque vendi citra Simoniam ab illo cui factæ sunt. Sic etiam ius feudi ad decimas, & ius Regibus Christianissimis concessum ad tertias decimarum, non potuit dari nisi potestate Ecclesiastica: vtrumque tamen est merè temporale, & vendibile. Porro vi Bullæ Pij V. vbicunque recepta est, tenentur qui habent pensionem Clericalem, recitare paruum officium B. V. & qui præstimonia, officium Canonicum; vt diximus alibi: Vtrum autem propter hoc facta sint spiritalia, & materia Simoniæ, si non sunt aliunde, dicemus inferius in fine Sect. 8. num. 112. & 113.

70. Secus si non dantur pro munere spirit.

71. Commendę Clericales sunt materia Simoniæ.

Dico tertiò, Commendas Clericales esse quoque materiam veræ & propriæ Simoniæ iuris diuini, siue ad tempus solùm institutæ, siue perpetuæ sint; secus autem alias, quæ vocantur militares. Ad probationem conclusionis suppono commendam dici à *Commendo*, ex eo quòd Ecclesia commendetur alicui: quæ commendatio instituta fuit in fauorem Ecclesiæ commendatæ, ne scilicet maneret sine administratione conueniente aut necessaria, nisi commendaretur alicui: licet per abusum intolera-

Quid sit commenda, & quotuplex?

bilem, & auaritiam commendatariorum frequenter in eius destructionem cedat. Hæc autem commendatio fit aliquando ad tempus: vt quando Episcopo mortuo, vel absente, Papa commendat alicui administrationem Ecclesiæ Cathedralis, donec habeat Episcopum: vel quando Episcopus commendat alicui Parochialem Ecclesiam, propter absentiam vel mortem Parochi. Aliquando verò instituitur in perpetuum, quando scilicet Ecclesia datur in perpetuam administrationem, non collato proprio titulo beneficij: iuxta cap. *Dudum, 2. de electione & electi potestate*, & cap. *Qui plures, 21. quæst. 1.* Hinc oritur diuisio Commendæ in temporalem, & perpetuam. Vltra quam rursus Commenda diuiditur in Clericalem, & militarem. Nam aliquando datur commenda cum spirituali administratione, cui annectitur ius ad fructus temporales; vt in exemplis supra relatis: & hæc dicitur Clericalis. Aliquando verò datur solùm ad temporale ministerium, vel ob titulum purè Laïcum; vt fit in commendis militaribus, à quibus cœteræ commendæ Laïcæ vocantur militares.

71. Hac terminorum explicatione præsuppositâ, facile est reddere rationem conclusionis: quia scilicet commendæ Clericales habent aliquod spirituale ministerium, cui consequenter annexum est ius ad redditus temporales. Et quidem si commenda Clericalis sit perpetua, habet ordinariam Iurisdictionem spiritualem, aut quasi ordinariam, ideóque censetur esse beneficium Ecclesiasticum, & illi æquiparatur, vt fusè probat Rebuffus *de pacificis possessor. num. 47. & pluribus sequentibus.* Si verò est temporanea, habet spiritualem Iurisdictionem delegatam, aut commissam, iuxta cap. *Cum nobis, de election.* Ergo vendere huiusmodi commendas est vendere Iurisdictionem spiritualem; quod fieri nequit absque Simonia iuris diuini. Neque etiam sine eadem labe vendi potest ius ad redditus temporales illi annexum, vt patet ex dictis in præcedentibus conclusionibus. At verò commendæ militares, seu purè Laïcæ, non sunt aliquid spiritale neque annexum spirituali: sed tantùm commoda & subsidia temporalia pro muneribus temporalibus, quæ dari solent pro seruitijs temporalibus iam præstitis, aut præstandis, & quorum dispensatio, & administratio, committi solet Principibus Laïcis.

Commēdæ militares non sunt materia Simoniæ.

73. Neque objicias commendas militares Ordinum militarium non dati nisi Religiosis professis; qua de causa videntur esse annexæ statui Religionis, qui sacer & spiritalis est. Item, illi, quibus dantur, sunt obligari ad certas preces: Ergo dantur ob titulum spiritalem, non minùs quàm pensiones Clericales. Item, exercitium militiæ, propter quod illis dantur, est officium spirituale, respectu ipsorum; cum ad illud obligentur ex voto, & vi suæ professionis. Ac denique habent ius præsentandi ad titulum beneficij, & recipiendi decimas Ecclesiæ sibi commendatæ, relicta certa portione Beneficiario.

Satisfit argumentis contrarijs.

Ad primum enim respondeo cum Suare lib. cit. cap. 27. num. 7. professionem Religiosam non esse titulum, propter quem dantur illis commendæ; sed tantùm esse conditionem sine qua non sunt illarum capaces, ex dispositione iuris. Ad secundum dico obligationem illam ad certas preces non esse propter commendam; sed ex vi Regulæ, & professionis Religiosæ: vnde fructus commendæ non sunt stipendia pro tali officio. Alioqui enim si dentur aliquæ cum hac obligatione, censendum est de illis vt de pensionibus Clericalibus pro spirituali munere datis, vt bene probat obiectio. Ad tertium respondeo primò, dato, & non concesso, quòd labor ille militiæ sit spiritalis respectu eiusmodi Religiosorum, has commendas dari tantùm gratitudinis causâ pro laboribus præcedentibus. Potest autem licitè dari aliquid, etiam spiritale, in gratitudinem laborum præcedentium, etiam spiritalium. Secundò dico cum Suare ibid. num. 8. laborem illum militiæ, quamvis fiat ex voto & professione, non ita fieri spiritalem vt vendi non possit, seu compensari iusta mercede temporali, spectatus secundùm se, iuxta suam temporalem æstimationem; dummodo non pluris vendatur quia fit ex voto: hic enim respectus non est vænalis & æstimabilis pretio temporali: neque etiam datur Commenda propter illum respectum, sed simpliciter ob laborem militiæ. Ius verò præsentandi ad aliquam Ecclesiam, quod habent iidem commendatarij, est veluti ius patronatus annexum commendæ: de quo dicam num. 76. Et ius accipiendi decimas eiusdem Ecclesiæ, relicta certa portione beneficiario habenti titulum, & spiritualem illius administrationem, est veluti ius feudi ad decimas, eidem commendæ attributum.

Quod dixi de commendis, intelligendum etiam est de hospitalibus, siue de officio illa regendi & gubernandi. Vel enim officium illud est solùm ad temporalem administrationem bonorum temporalium, & curam infirmorum. Túncque non est materia Simoniæ iuris diuini: quia talis gubernatio merè temporalis est, & pretio æstimabilis, siue ad tempus committatur, siue in perpetuum: & siue hospitale sit Religiosum aut Ecclesiasticum, id est, auctoritate Episcopi institutum, & sub eius cura existens: siue Laïcum, id est, priuata solùm voluntate erectum, & potestate Laïca administratum. Si autem officium regendi hospitale Ecclesiasticum habet spiritualem administrationem: tunc sine dubio est materia Simoniæ iuris diuini: quia ius spirituale continet, vel per modum Vicariæ, quando officium illud datur ad tempus & amouibiliter: vel per modum veri beneficij, quando perpetuum est, & habet titulum fixum, & stabilem, auctoritate Prælati Ecclesiastici conferendum. An verò officium administrandi solùm temporaliter hospitale Ecclesiasticum sit materia Simoniæ iuris humani, dicam paulò post agendo de officijs temporalibus Ecclesiæ. 74. Hospitalia sūtne materia Simoniæ?

Dico quartò, Coadiutorias esse materiam Simoniæ iuris diuini. Probatur, quia sunt valde spiritales: siue sint temporaneæ, siue datæ cum iure ad futuram successionem, & cum sustentatione congrua. Nam per vtrasque datur ius spiritale ministrandi Ecclesiæ, vel habendo curam animarum, vel officia diuina celebrando, 75. Coadiutoriæ sūt materia Simoniæ.

loco beneficiarij. Quod ius non potest vendi sine Simonia iuris diuini, neque stipendium illi annexum: neque etiam ius ad succedendum in beneficio: quia vtrumque ius spiritale est, vel annexum spiritali.

76. *Ius patronatus non potest vendi per se.*

Dico quintò, Ius patronatus institutum ab Ecclesia, non posse vendi absque Simonia iuris diuini: posse tamen vendi rem temporalem, cui annexum est; & cum illa ius transit ad emptorem: propter quod tamen non potest res illa temporalis vendi cariùs, absque labe Simoniæ. Prima pars assertionis probatur, quia ius illud nihil est aliud, quàm ius præsentandi personas ad beneficia Ecclesiastica, quibus debeant illa conferri, vi præsentationis: iuxta cap. *Significasti*, & cap. *Suggestum. de iure patronatus*: & cap. *Illud eodem tit.* vbi dicitur institutionem beneficij esse irritam, si fiat sine præuia tali præsentatione, quando beneficium subest iuri patronatus. Hoc autem ius est spirituale, tum ratione actus illius proprij, qui est conferre ius quoddam ad beneficium, vel, vt alij malunt, proximam capacitatem moralem ad illud; quæ capacitas est spiritualis, vtpote ad formam spiritualem ordinata ex spirituali potestate Ecclesiæ. Tum etiam ratione originis: Quippe quod ortum habet ab eadem potestate Ecclesiasticæ Iurisdictionis, per quam Ecclesia instituit beneficia, & modum illa conferendi, & conditiones ad illa obtinenda requisitas. Tum denique ratione termini, ad quem directè & per se tendit, id est, officij & beneficij Ecclesiastici, quod vi illius iuris conferri debet.

77. *Potest tamen vendi res cui annexum est.*

Secunda verò pars eiusdem assertionis traditur à D. Thoma quæst. 100. art. 4. ad 3. vbi sic habet: *Ius patronatus per se non venditur, sed transit cum villa quæ venditur, vel conceditur.* Traditur etiam in cap. *Ex literis*, & cap. *Cùm seculum, de iure patronatus.* Ratio præcipua illius est, quia ius istud spirituale est tantùm consequenter annexum temporali seu materiali. Spirituale autem sic annexum non impedit quò minùs licitè vendatur temporale secundùm se: & cum illo transit ad emptorem, velut accessorium: iuxta ea quæ diximus Sect. 3. in fine, & patet exemplo Calicis consecrati, aut vestium sacrarum, quæ vendi possunt licitè ratione materiæ, dummodo non cariùs vendantur ratione consecrationis, aut benedictionis. Quare in eo non est Simonia iuris diuini: ac neque etiam Ecclesiastici, quia Ecclesia id non prohibuit, sed potiùs voluit ius patronatus ita posse transferri: voluit enim esse perpetuò affixum rei temporali, cui illud annexuit: vt si hæc vendatur, aut donetur, vel ad hæredes transeat; simul cum illa transeat ius patronatus.

Vide supra, num. 59.

78. *Officia téporalia Ecclesiæ non sunt materia Sim. iuris diuini.*

Dico sextò, officia temporalia Ecclesiæ, eorúmque actiones, non esse materiam Simoniæ iuris diuini, sed tantùm Ecclesiastici quando ab Ecclesia prohibentur vendi intuitu Religionis. Prima pars est communis Theolog. in 4. dist. 25. vel 2. 2. quæst. 100. Canonist. in cap. *Saluator, 1. quæst. 3.* & Summistarum V. *Simonia.* Ratio eius est, quia eiusmodi officia nihil habent in se spiritale, neque per se proximè ordinantur ad functiones spiritales (in quo differunt ab officijs & ministerijs spiritalibus) sed ad temporales dumtaxat, nempe ad custodiam, procurationem, vel administrationem & dispensationem bonorum temporalium Ecclesiæ: remotè verò tantùm referuntur ad spiritualia, & ad cultum Dei: quod non sufficit vt sint materia Simoniæ iuris diuini. Nec obest quòd instituere & conferre huiusmodi officia, est actus spiritualis Iurisdictionis, qui vendi nequit, iuxta ea quæ diximus Sect. 4. Hoc enim non impedit quo minùs officium ipsum à tali potestate institutum & collatum vendi queat, secundùm se consideratum, prout merè temporale est, & pretio æstimabile propter aliquam commoditatem temporalem quam habet, non annexam functionibus spiritualibus. Sicut quamuis dare facultatem vendendi & alienandi bona Ecclesiæ, sit actus spiritualis Iurisdictionis: non impedit tamen quò minùs bona illa secundùm suum valorem temporalem æstimari, & iusto pretio vendi possint.

Altera pars eiusdem conclusionis patet ex cap. *Saluator*, suprà cit. vbi renouatur prohibitio facta à Concilio Chalcedon. sexcentorum triginta Episcoporum, vendendi officium Procuratoris, vel Defensoris Ecclesiæ: additúrque nomine Procuratoris intelligendum esse quemlibet rerum Ecclesiasticarum administratorem: vt v. g. Præpositum, Oeconomum, Vicedominum: & Defensoris nomine, Aduocatum, siue Castaldum, & Iudicem: & qui hæc officia vendunt, damnatos fuisse à supradicto Concilio, & anathematizatos, veluti Simoniacos. Quod signum est prohibitionem illam fuisse factam ab Ecclesia intuitu Religionis; ac proinde venditionem illam fuisse constitutam in specie Simoniæ. Et confirmatur ex cap. *Consulere, de Simonia*, vbi eorundem officiorum venditio prohibetur sub pœna Simoniæ, his verbis: *Quicunque Vicedominatum vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quàm vendentes, cum Simone percelluntur, & ab illa Ecclesia, in cuius contumeliam dare pecuniam & accipere voluerunt, iustè excluduntur.* Vbi notanda sunt verba illa, *in cuius contumeliam*, quæ manifestè indicant prohibitum id fuisse in honorem Ecclesiæ & Religionis. Notandum etiam quod ait generaliter, *vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem*, & quod dicitur cap. *Saluator*, suprà cit. *nomine Procuratoris intelligendum esse quemlibet rerum Ecclesiasticarum administratorem*: ex quibus infero Rectoriam, siue officium administrandi bona temporalia hospitalis Ecclesiastici, esse materiam Simoniæ, quamvis habeat solùm temporale regimen sine vlla functione spiritali. Quia bona huiusmodi hospitalis sunt bona Ecclesiastica, vt fatentur omnes. Ergo illorum administrator comprehenditur nomine Procuratoris, in prohibitione facta à Concilio Chalcedon. renouata & explicata ab Vrbano II. in cap. *Saluator*, suprà citato. Quia tamen Simonia ista est iuris tantùm Ecclesiastici, potest Summus Pontifex in illa dispensare: & re ipsa dispensauit pro sua curia, si, vt aliqui dicunt, venduntur in illa quædam huiusmodi officia.

79. *Sunt tamen materia Simoniæ iuris Eccles.*

Etiam Rectoria hospitalis.

SECTIO VII.

Quomodo committatur Simonia circa Collationem beneficiorum?

80. Committitur primò, vendendo officia, vel beneficia Ecclesiastica.

VArijs modis committitur Simonia iuris diuini, aut humani, circa beneficia Ecclesiastica. Primò, si vendantur quoad officium spiritale; vel quoad ius illi annexum percipiendi fructus & redditus Ecclesiasticos: quod sine Simonia iuris diuini fieri non posse, adeóque non posse Summum Pontificem in eo dispensare circa officium, vel ius illud, quandiu officio annexum est, patet ex dictis Sect. præcedenti.

2. Si ematur electio, vel præsentatio.

Secundò, si pecunia, vel aliud pretium temporale, detur electoribus aut præsentatoribus, vt præsentent aut eligant aliquem ad beneficium, vel eius electioni non se opponant: vt manifestè colligitur ex cap. *Matthæus, de Simonia:* vbi Simoniacus iudicatur ille, qui dederat pecuniam vni ex electoribus, se opponenti ipsius electioni. Ratio est, quia hoc est emere actionem spiritalem, nempe electionem, aut nominationem, & ipsum beneficium: quod fieri nequit absque Simonia iuris diuini. Excipiendus tamen est casus, quo redimitur tantùm iniusta vexatio, de quo dicemus Sect. sequenti.

81. 3. Permutando beneficia propria auctoritate.

Tertiò, si permutatio beneficiorum fiat propria auctoritate permutantium, est Simonia iuris Ecclesiastici, vt patet ex cap. *Quæsitum,* & cap. *Cum olim, de rerum permutat.* & cap. *Maioribus, de præbendis.* Secus autem si fiat auctoritate Prælati, vt permittitur, cap. *Inter cætera, de præbendis,* & cap. vnico *de rerum permutat. in 6.* & in Clement. vnica *eodem titulo.* Nec immeritò, quia talis permutatio potest esse necessaria, vel vtilis bono spirituali Ecclesiæ, vel ipsorum beneficiariorum: vt à Summo Pontifice insinuatur cap. *Quæsitum, suprà citato.* Ideoque non debuit omnino prohiberi. Sed fuit etiam expediens vt proprio arbitrio priuatorum non permitteretur: ne nimis facilè fieret, cum aliqua irreuerentia erga beneficia.

82. 4. Si beneficium permutetur cum pensione.

Quartò, si beneficium permutetur cum pensione, committitur Simonia iuris diuini, aut Ecclesiastici; nisi pensio erecta sit in titulum beneficij: Et quidem si pensio Laïca est, & merè temporalis; talis commutatio est Simonia iuris diuini: quia datur beneficium pro aliquo merè temporali. Sin autem est Clericalis & spiritualis, est Simonia iuris humani, nisi fiat permutatio auctoritate Summi Pontificis: vel nisi pensio sit erecta in titulum beneficij: tunc enim etiam ab Episcopis fieri potest, quia talis pensio est verè beneficium. Alioqui verò illis prohibita est: quia sola permutatio beneficiorum illis conceditur cap. *Quæsitum, extra, de rerum permutat.* & cap. vnico, *eodem tit. in 6.* Atqui talis pensio non est beneficium. Quapropter non possunt Episcopi admittere huiusmodi permutationem.

83. Quintò, si beneficia, quæ permutantur, sunt inæqualis dignitatis, & æqualium redditũum, non potest absque Simonia iuris diuini excessus ille compensari pecuniâ, vel alio temporali pretio: quia illa dignitas est omnino spiritalis. Si verò beneficia habent prouentus inæquales, potest excessus alterius pecuniâ vel pensione compensari: non quidem auctoritate Episcopi, qui non potest disiungere ius ad fructus, annexum officio spiritali, neque etiam conferre beneficia cum imminutione: sed auctoritate Summi Pontificis, qui tametsi facere non potest vt spirituale permutetur cum temporali absque Simonia: tamen potest separare à pinguiore beneficio partem fructuum, & applicare illos in sustentationem alterius qui tenue beneficium recipit, concederéque vt fructus ita separati pecuniâ compensentur. Vel etiam permittere vt qui beneficium pingue recipit, det aliquid alteri non in compensationem, vel permutationem: sed in congruam illius sustentationem. Pertinet enim ad Summum Pontificem vtrique hac in parte prouidere. Qua de re plura videri possunt apud Sotum lib. 9. q. 7. Caiet. q. 100. art. 4. Less. cap. 35. dub. 17. & aput Canonist. in cap. *ad quæstiones de rerum permutat.*

5. Si maior dignitas compensetur pecunia.

Secus si tantùm inæqualitas prouentuũ.

84. Si pensio reseruetur auctoritate propria.

Sextò, Simonia est resignare beneficium reseruata sibi pensione, propria authoritate, id est sine authoritate Summi Pontificis, vel alterius Prælati, cui id concessum fuerit. Hoc enim esse Simoniam confidentiæ declarauit Pius IV. in Bulla quadam cuius meminit Nauar. cap. 23. Manual. num. 110. & Lessius cap. 35. dub. 16. Vel etiam de illa redimenda pacisci antequam sit à legitima potestate imposita & admissa. Vel etiam constituere hypothecam sæcularem, vel fideiussorem, absque eiusdem Summi Pontificis auctoritate. Hoc enim continet Simoniam saltem iuris humani, vt bene docet Lessius cap. cit. dub. 15. Et generaliter talis resignatio prohibetur in cap. vnic. *Vt beneficia Ecclesiastica sine imminutione conferantur:* cui iuri non possunt derogare Episcopi, & alij Prælati inferiores Summo Pontifice.

85. 7. Si resignetur in fauorem tertij, &c.

Septimò, Est quoque Simonia, vel habet speciem Simoniæ, si quis resignet beneficium in fauorem tertij in manibus Episcopi, cum conditione obligante absolutè, & suspensiua resignationis, vt non aliàs, nec aliter. Hic enim modus resignandi vel est Simoniacus, vt volunt glossa in cap. *Ex parte 1. de officio delegati* V. *Dimittere,* Abbas ibidem, num. 4. Panormit. Archidiac. Angelus, Syluest. Nauar. Rebuffus, & alij relati à Suare lib. 4. cit. cap. 35. num. 3. Vel propter speciem Simoniæ iuris humani, reseruatur Summo Pontifici, iuxta stylum Curiæ Romanæ; neque potest fieri coram Ordinario, nisi ex priuilegio, vel consuetudine sit ei concessum: Vt alij docent cum Lessio cap. 35. dub. 14. vbi addit idem dicendum esse de resignatione, siue cessione reciproca, quæ specialiter prohibetur cap. *Quæsitum, de rerum permutat.* Deque triangulari, vel quadrangulari. Quia illæ à fortiori prohibentur eodem cap. & prohibentur intuitu Religionis: ideóque continent Simoniam iuris humani, quæ purgari nequit, nisi auctoritate Summi Pontificis. Quare non possunt nisi in manibus illius fieri

86. Quomodo potest resignari in manib. Episcopi. fieri tales resignationes. Notandum tamen posse in manibus Episcopi resignari beneficium in fauorem tertij, cum conditione non obligante absolutè, sed significante voluntatem resignantis, cui possit ipse derogare, si velit. Nota præterea loco reciprocæ resignationis, aut triangularis, vel quadrangularis, posse coram Episcopo fieri successiuè multas simplices permutationes, per quas ad eundem terminum perueniatur. Exempli gratiâ, possum permutare beneficium cum Petro, vt postea permutem beneficium illius, cum altero Pauli quod mihi commodius est. Quid autem sit resignatio reciproca, vel triangularis, aut quadrangularis, diximus suprà Sect. 2. n. 16. & disp. 34. num. 112. Nota 3. existimare aliquos Episcopum posse acceptare resignationem in fauorem tertij, sibi factam cum conditione suspensiua, rejiciendo illam conditionem, eâque non obstante conferendo beneficium, cui voluerit. Sed meliùs alij id negant: quia resignans non cedit suo beneficio, nisi conditio impleatur: & apertè significatur resignationem esse nullam, nisi admittatur cum illa conditione, & tradatur executioni. Ergo in eo casu non vacat beneficium donec alteri designato conferatur, quia non aliter impletur conditio. Ergo non potest ab Episcopo conferri alteri: nisi fortè in pœnam illius conditionis scienter & liberè appositæ contra stylum Curiæ, à resignante non ignorante suam resignationem idcirco esse inualidam; vt ait Lessius ibidem, post Flaminium affirmantem ita fuisse decisum à Rota.

87. 8. Si beneficium resignetur in confidentiam. Octauò, Simonia quoque committitur, si beneficium resignetur in confidentiam, id est, imponendo obligationem resignatario, vt illud iterum tibi, vel alteri cui voles, resignet. Et quidem si resignans intendit solùm obligare, sine pacto expresso, & signo externo sufficienti talis intentionis, est Simonia mentalis tantùm. Si verò pactum accedit, est Simonia conuentionalis, vel etiam realis, effectu secuto: vt patet ex Bullis Pij IV. & Pij V. quarum mentionem faciunt Nauar. cap. 23 Manual. num. 110. & Less. cap. 35. dub. 16. vbi declaratur committi Simoniam confidentiæ, quando aliquis procurat alteri beneficium, vel præsentat, postulat, eligit, resignat in fauorem, confert, instituit, confirmat, vel commendat, cum pacto vt ille qui beneficium accepturus est, resignet illud idem ipsi, vel alteri cui volet: vel vt pensionem aut fructus aliquos beneficij sibi vel alteri præstet. Ad hanc Simoniam confidentiæ pertinet resignatio, vel collatio beneficij, seruato iure accessus, ingressus, aut regressus. Vel seruato iure accessus, ingressus, aut regressus. Accessus dicitur, quando Prælatus volens dare infanti beneficium, cuius nondum est capax; dat illud alteri, concesso iure infanti vt cùm primùm ætatem habuerit, beneficium propria auctoritate accipiat. Ingressus verò est ius, quod quis resignans alteri beneficium sibi collatum, & cuius possessionem nondum accepit, sibi reseruat ad illam capiendam in casu, quo resignatarius præmoriatur naturaliter, aut ciuiliter, vel fiat Episcopus, vel pensionem constitutam non soluat. Regressus denique est, quando aliquis resignat post acceptam possessionem reseruato simili iure ad illud idem beneficium, si resignatarius præmoriatur morte ciuili, aut naturali, aut pensionem legitimè constitutam non soluat.

Nonò, omnis transactio, in qua ius spirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, est Simoniaca iure naturali, & diuino. 88. 9. Omnis transactio iuris spirit pro aliquo temporali. Patet, quia in huiusmodi transactione permutatur seu venditur ius spiritale, pretio temporali. Omnis enim transactio est contractus onerosus, qui comprehenditur nomine venditionis latè sumpto (prout sumitur in definitione Simoniæ) quando in illa interuenit pactum onerosum; differtque à simplici cessione, & gratuita donatione, quâ alter contendentium remittit & condonat id, de quo est contentio, & lis gratis ab illo deseritur, siue ex propria ipsius voluntate, siue ex prudentum arbitrio. Confirmatur ex cap. *Cum pridem, de pactis*, & cap. 2. *de arbitris*. & cap. *Praeterea, 1. & 2. de transact.* & cap. vlt. *de rerum permutat.* in quibus huiusmodi transactio prohibetur, vel damnatur vt Simoniaca. Idémque docent Theologi, & Canonistæ communiter. Dixi autem, *in qua ius spirituale pro aliquo temporali remittitur, aut retinetur:* 89. De quibus possunt transigere beneficiatij sine Simonia, vel propria auctoritate? quia secus dicendum est si per transactionem detur tantùm spirituale pro spirituali: putà vnum ius spiritale pro alio proportionato. Non enim est Simonia iuris diuini dare vnum spirituale pro alio: neque talis commutatio est intrinsecè mala. Imò neque prohibita est iure Ecclesiastico, etiam facta propriâ auctoritate, extra materiam beneficiorum, & ea quæ illam concernunt. Potest enim licitè fieri de consensu partium absque auctoritate Prælati, quantum est ex vi transactionis. Exempli gratiâ, si contentio sit inter duos de iure ad decimas, vel de reliquijs Sanctorum; possunt illas inter se diuidere; si de Iurisdictione spirituali visitandi, aut de iure præsentandi, aut eligendi; possunt inter se transigere vt alternis visitent, aut eligant, aut præsentent: & sic de alijs similibus. In materia verò beneficiali non potest licitè fieri transactio auctoritate propria litigantium, etiamsi spirituale pro spirituali transigatur: neque ad arbitrium virorum prudentium: sed opus est auctoritate Prælati: 90. In quibusnam opus est auctoritate Prælati. quia specialiter id prohibitum est in iure Canonico, propter Simoniæ periculum: vt videre est in cap. *Super eo, de transact.* Sunt etiam quædam aliæ transactiones, in quibus ratione materiæ requiritur auctoritas legitimi Prælati ad earum valorem. Vt quando res, de qua transigitur, non potest in alium transferri sine auctoritate Prælati: vel si velint componentes transactionem esse perpetuam, & obligare successores; vel si transactio & compositio, fiat cum Laïcis super decimas. Tunc enim requiritur consensus Summi Pontificis, cap. *Veniens de transact.* & cap. *Decimas 1. Causa 16. q. 7* & cap. *Venerabilis, de confirmatione vtili, vel inutili.* Cæterùm transactio super beneficijs potest fieri coram Episcopo; qui, si ad litem terminandam expediat, potest ex arbitrio suo, vel etiam ad instantiam partium, imponere vni pensionem, Episcopus potest imponere pensionē alteri litigantium. non super ipsum beneficium, sed super beneficiarium, & ad vitam illius dumtaxat, in gra-

tiam eius qui cedit beneficio : vt post Azor. Reginald. & plures alios docet Bonac. disput. de Simonia, quæst. 4. §. 15. num. 9. & probatur ex cap. *Nisi essent, de prebendis*, vbi expresse dicitur imponi posse pensionem ipsi beneficiario : approbátque Pontifex transactionem per iudices hoc modo factam, vt vnus haberet beneficium cum onere soluendi alteri colliganti certam pecuniæ summam : approbat, inquam, huiusmodi compositionem dummodo persona beneficiarij onerata remaneat, non autem ipsum beneficium. Quia nimirum non est æquum onerari & imminui beneficium pro lite orta inter transigentes. Debet autem imponi hæc pensio non vt pretium beneficij, sed ad bonum pacis, quod temporale commodum est; vel ratione expensarum, quas ille fecit in lite prosequenda; vel ad sustentationem, & ob necessitatem alimenti.

91. Pactum obligationis antidoralis est Simoniacum. Decimò, Simonia est dare beneficium cum pacto antidoralis obligationis, id est, cum speciali promissione de retribuendo id quod exigit aut postulat gratitudo pro accepto beneficio, & non dando nisi sub tali conditione. Ita Hostiens. Felinus, Gabriel, & alij quos refert & sequitur Suar. lib. 4. cit. cap. 45. num. 9. Ratio eius est, quia in spiritualibus, & præcipuè pertinentibus ad beneficia Ecclesiastica, in quibus maximum periculum Simoniæ versatur, conditio & modus additus eorum collationi, seu donationi, & inducens obligationem quæ non inest ex natura rei, est prohibitus iure Ecclesiastico, veluti Simoniacus, cap. *Tua nos, de Simonia*, & cap. *Quam pio 1. q. 2.* & cap. finali *de pactis*. Atqui pactum illud est additum, & inducit, quantum est de se, obligationem ciuilem ex iustitia, vel ex fidelitate, quæ non inest ex natura rei, quæque est graue onus, & pretio æstimabile. Nam, vt rectè ait D.Th. quæst. 78. art. 2. ad 2. ex beneficentia non sequitur obligatio ciuilis, sed antidoralis, ex natura rei. Ex vi autem talis pacti additur ciuilis obligatio, etiam in foro externo, quando promissio legitima est, & scripto, vel alio modo sufficienti de illa constat : magisque obligat & grauiùs, quàm sola gratitudo, præsertim homines honoris & famæ amantes, quos magis premit obligatio promissionis & fidei datæ, etiam sine scripto, quàm solius gratitudinis.

92. Refellitur contraria sententia improbabilis. Quare falsum est, & planè improbabile, quod post Dominic. Sotum docet Valentia quæst. 16. p. 3. quæst. 2. Eodem modo quo absque Simonia licet temporale pro spirituali accipere, licere quoque in foro conscientiæ, de hoc ipso pacisci, dummodo scandalum vitetur. Nam quamvis liceat accipere aliquid temporale ex mera gratitudine oblatum & datum pro accepto beneficio, vt dicemus Sect. sequenti : Simoniacum tamen est velle ex pacto ad id ciuiliter obligare. Implicátque in adiecto dare aliquid ex mera gratitudine, & dare ex tali pacto, quod vltra obligationem gratitudinis, inducit obligationem fidelitatis, aut iustitiæ. Quare tale pactum non modò Simoniam sapit, & illius palliatio quædam est; vel Simoniacum quia prohibitum in iuribus suprà citatis : verùm etiam ex ipsa natura rei, & iure naturali ac diuino Simoniam continet.

Vndecimò, sunt qui putent Simoniacum esse conferre beneficium ex timore mali temporalis: quia ille, qui ex tali metu confert, non dat gratis, neque liberaliter, sed pro bono temporali. Carere enim malo quod timetur, si temporale sit, boni cuiusdam & commodi temporalis rationem habet. Ita Durandus in 4. dist. 25. quæst. 4. Adrianus quodlib. 9. art. 2. dubio vltimo, fauétque D. Thomas distinct. cit. quæst. 3. artic. 3. ad 4. Alij dicunt conferre beneficium ex metu amittendi aut non acquirendi rem temporalem pretio æstimabilem, tunc esse Simoniam, quando Simoniacum foret conferre beneficium ex desiderio talis rei consequendæ, aut retinendæ. Quia timor oritur ex amore, estque eiusdem moris cum amore, seu desiderio. Vnde inferunt non esse Simoniam dare Beneficium ex timore ne occidaris. Si enim propter amicitiam, aut cognationem conferri potest absque Simonia : ita & propter vitam propriam, vel amici conseruandam. Neque enim amicitia, aut vita propria, vel amici, statuitur tanquam pretium collationis, sed est motiuum propter quod inclinaris vt gratis conferas beneficium. Ita Malder. tract. 9. cap. 3. dub. 16. Alij affirmant generaliter non esse Simoniam quando datur beneficium propter officium, vel obsequium temporale, debitum aliunde, siue in præsens, siue postea obtinendum; vel ad vitandum malum quod quis tenetur non inferre: vt quando aliquis dat beneficium vt alter soluat illi debitum ex mutuo contractum : vel vt ne vitâ priuetur iniuste, aut bonis quæ legitimè possidet; aut propter spem illa retinendi. 93. Sitne Simon. dare beneficiū ex timore mali temporalis?

94. Vera sententia. Sed meliùs alij censent distinguendum esse. Primò enim, si nullum pactum intercessit, neque expressum, neque tacitum; nulla est Simonia conferre beneficium ex timore, vel alijs motiuis iam dictis : dummodo detur non vt pretium vitationis mali, sed vt remoueas causam illius, ad placandum scilicet alterius furorem, vel conciliandam eius beneuolentiam, sub spe mali temporalis vitandi : idque siue malum sit in præsenti, siue postea inferendum : & siue iustè, siue iniustè. Ratio est, quia operari ex metu, non est operari pro pretio, si nihil aliud sit : metus enim non est pretium, sed est motiuum operandi, & dandi spirituale, non vt pretium euitationis mali temporalis, sed vt medium vtile : supponimus enim talem esse intentionem operantis. Possunt autem bona spiritualia esse vtilia ad euadenda mala temporalia: reipsáque adhibentur sæpius in hunc finem ab Ecclesia : vt cùm offert orationes & sacrificia ad pestem, famem, & alia flagella temporalia auertenda : & Deus ipse metu malorum temporalium nos mouet & impellit ad bona spiritualia. Sicut autem non est Simonia facere spiritualia ex timore mali temporalis : ita neque Simonia est dare spiritualia ex eodem motiuo. Atque hanc esse communem sententiam Theologorum testatur Lessius cap. 35. dub. 21, num. 119. ad eandémque confirmandam valent cap. *Ad audientiam*, cap. *Ad aures*, & cap. *Abbas, de ijs quæ vi metúsue causâ fiunt*, vbi definitur

eos, qui propter grauem metum mali temporalis resignauerant, vel renuntiauerant beneficio, non esse illo spoliandos: quod certè non statueretur si peccassent per Simoniam.

95. Altera pars veræ sententiæ

Dicendum secundò, Simoniacum tamen esse dare ex pacto beneficium, vel aliud spiritale, ad obligandum alterum vt non inferat nocumentum temporale, iustum vel iniustum. Si enim nocumentum iustè inferri potest; v.g. si das beneficium ex pacto, vt alter crimen tuum non deferat, vel vt iudex non puniat priuando te vita, vel mulctam iustam imponendo: cessio illius iuris est bonum aliquod temporale pretio æstimabile: quapropter dare beneficium vt pretium pro illo, Simoniacum est. Sin autem nocumentum est iniustum: tametsi in illo minùs apparet species Simoniæ: aliqua tamen in eo esse videtur, quòd pro beneficio, vel alia re spirituali, imponitur noua obligatio non nocendi iniustè, vltra illam quæ inest iure naturali: Nam illa obligatio est pretio æstimabilis, & nouum onus superadditum iuri naturali, quo ille tenetur non nocere iniustè.

96. Alij varij modi cōmittendi Simoniā circa beneficia.

Duodecimò, Simoniacum est dare beneficium obligando alterum vt remittat tibi debitum, vel vt tibi mutuetur, vel expectet solutionem ad tempus longius: vel è contrario, vt debitori tuo imponas nouam obligationem soluendi tibi quod debet, & acquiras ex pacto nouam securitatem propter beneficium. Hæc enim omnia sunt onera pretio æstimabilia: & primum æquiualet prorsus donationi pecuniæ. Nam qui remittit debitum, donat æquiualenter pecuniam, vel aliam rem debitam: & ille cui remittitur, accipit: vt dicitur in lege 2. ff. *de Calumniator.* Idque verum est non solùm de debito iam contracto, verùm etiam de contrahendo, si quis videlicet remittat alteri per anticipationem debitum quod alioqui contracturus est. Vt patet ex cap. 45. *de Simonia*, vbi damnatur & punitur vt Simoniacus, ille qui alium ordinat, vel præsentat, promissionem ab illo recipiens quòd nihil postulabit, nimirum in suam sustentationem, quæ alioquin ipsi deberetur ab Ordinante, vel à Præsentante, defectu alterius tituli. Similique modo Simoniam committeret ille, qui de suis bonis titulum alteri constitueret ad ordines, acceptâ ab illo promissione de nihil exigendo. Aut si quis vt eligeretur in Canonicum, promitteret alijs eligentibus, se illis remissurum dimidium præbendæ. Aut si quis, vt fiat Parochus, promitteret se non exacturum decimas à nominantibus, vel à procurantibus. Aut si quis volens fieri Episcopus, promitteret se remissurum in fauorem eligentium, aut præsentantium, quidquid debent Ecclesiæ, aut quidquid illi surripuerunt. Vel qui promitteret pensionem aulico, monenti se de beneficijs vacantibus, vel iuuanti apud Principem, aut Prælatum, ad obtinendum aliquod beneficium. Ratio est, quia in his omnibus interuenit iniqua pactio, & virtualis aut formalis donatio spiritualis pro temporali. Qua de re videri potest caput *Per tuas*, de Simonia, & caput *Talia*, 8. quæst. 3. Item, Simoniam committit Episcopus, & quilibet alius collator beneficij, quando beneficium, quod antea non possidebat, confert alteri, cum ea condicione, vt sibi soluat pensionem, exigens priùs consensum ab eo cui beneficium confert, & cum illo paciscens pro collatione; vel vt sibi donentur fructus per anticipationem, aut aliter: iuxta caput vnicum *Vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.*

97. Simoniacum est dare beneficium in compensationem officiorum.

Decimotertiò, Simoniacum etiam est dare vel accipere beneficium Ecclesiasticum in recompensationem officiorum temporalium iam præstitorum, & velut solutionem debiti, & obligationis ex Iustitia ad condignam mercedem pro illis retribuendam, aut etiam pro labore impenso in officijs spiritalibus, vel cum onere exhibendi in futurum aliquod obsequium temporale, vel etiam spiritale non annexum beneficio, seu debitum vi illius: vt si Episcopus non det competens salarium annuum famulis, aut Vicarijs generalibus, & velit dato beneficio Ecclesiastico compensare quod illis debet pro obsequijs iam præstitis, vel obligare vt præstent in futurum. Hoc enim est dare beneficium pro remissione debiti pecuniarij: quod sine dubio Simoniacum est. Et confirmatur ex cap. *Cum essent, de Simonia*, vbi damnatur Simoniæ qui promiserat alteri beneficium, dummodo suum quoddam negotium in Romana Curia promoueret. Secus tamen si Prælatus daret beneficium ex liberalitate, & gratitudine, vltra solutionem mercedis, pro obsequijs præstitis, aut præstandis: vel ad sibi conciliandum aliquem, & habendum beneuolum, aut familiarem, sub spe auxilij, vel obsequij ab illo obtinendi. Sicut vicissim possunt alij absque Simonia præstare Episcopo obsequium animo gratuito, quamvis sperent promotionem ab illo, etiam gratuitò faciendam, velintque ad hunc finem suam doctrinam & industriam illi probare. Secus etiam dicendum est, quando obsequium spirituale, vel etiam temporale, est annexum beneficio: vt quando præbendæ adiunctum est onus docendi Grammaticam, vel Theologiam, aut officium Sacristæ, vel Thesaurarij. Tunc enim licet conferre beneficium sub conditione expressa præstandi munus illud temporale, æquè ac spirituale officium cui annexum, est beneficium: siue connexio officij temporalis aut spiritalis antiqua sit, siue recens facta ab eo qui legitimam habet potestatem: iuxta cap. *Significatum, de Præbendis.*

98. Simoniacum est promittere vnum beneficium pro electione ad aliud.

Decimoquartò, est quoque Simonia iuris Ecclesiastici promittere vnum beneficium pro electione ad aliud: vt patet ex cap. *De hoc, de Simonia*, vbi Simoniæ damnatur qui promittit beneficium vt eligatur ad Episcopatum. Et iure diuino Simoniacum est velle per collationem beneficij, vel alterius rei spiritalis, obligare alium ad preces pro se faciendas apud collatorem, vel nominatorem, aut electores, pro obtinendo altero beneficio; illúdque dare cum hoc pacto tacito, vel expresso: vt cum communi sententia docet Suares lib. 4. citato, cap. 40. num. 12. quia preces huiusmodi sunt quid temporale, & æstimabile pretio, fiuntque in fauorem & lucrum eius, qui propter illas spirituale præbet. Ergo datur spirituale pro aliquo temporali, pretio æstimabili. Denique, iure

Vel pro fauore temporali obtinendo.

diuino Simoniacus est qui dat beneficium ex pacto tacito, vel expresso, obtinendi quemcunque alium fauorem temporalem. Vt si Episcopus vellet hac ratione obligare aliquem ad se laudandum, & commendandum posteritati in Historijs, aut Annalibus ab ipso scriptis: vel vt aliquis valde nobilis se ipsius consanguineum profiteatur, ad splendorem nominis ex illa consanguinitate sibi conciliandum. De quibus omnibus plura videri possunt apud Suar. lib. cit. cap. 37. & tribus sequentibus.

SECTIO VIII.

Quenam excusent à Simonia, & à pœnis Simoniæ?

99. Excusat ignorantia, modo non sit crassa. Respondeo, à peccato Simoniæ, & à pœnis ei per ius Canonicum inflictis excusare primò omnem ignorantiam antecedentem: vt colligitur ex cap. 2. *de Constitut. in 6.* atque etiam omnem ignorantiam concomitantem: quia tunc Simonia nec scita nec volita est. Imò ignorantiam quoque vincibilem excusare à pœnis Simoniæ, modò non sit omnino crassa siue supina, docet Sanches lib. 9. de Matrimonio disp. 32. num. 31. & sequent. licet alij contradicant, vt videre est apud Suarem disp. 4. de Censuris Sect. 10. circa medium. Addunt aliqui omnem ignorantiam quantumvis crassam, modò non sit concomitans, sed antecedens, excusare in foro conscientiæ, saltem ab excommunicatione lata contra Simoniacos. Quia iuxta communem sententiam nemo incurrit excommunicationem maiorem, nisi sit contumax. Contumax autem non est qui laborat ignorantia antecedenti. Sed hac de re quid sentiendum sit, diximus alibi tom. 5. disp. 58. Sect. 5.

100. Et redemptio vexationis iniustæ. Secundò, excusat etiam à Simonia redemptio vexationis iniustæ, saltem quando ille, qui vexatur, habet ius in re, vel ad rem: vt docent communiter Theologi cum D. Thoma q. 100. art. 2. ad 5. Imò etiam licet nondum acquisiuerit ius, excusat in quibusdam casibus, de quibus vide Lessium cap. 35. dub. 18. num. 108. & 109. & Suarem tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 50. num. 22. & sequentibus. Summa doctrinæ illorum, quod attinet ad beneficia Ecclesiastica, de quibus solet hæc quæstio præcipuè agitari, continetur his tribus propositionibus.

Quomodo potest licitè redimi? 1. Qui habet ius in re ad beneficium per collationem institutionem, aut confirmationem, potest redimere pretio vexationem iniustam, si fortè aliquis eum à capienda possessione, vel pacificè retinenda impediat. Ita communiter Theologi, & Canonistæ. Et patet ex cap. *Quæsitum*, 1. quæst. 3. vbi supponitur non peccasse Religiosos, qui redemerant vexationem, quam in suis Ecclesijs patiebantur. Et cap. *Dilectus*, de Simonia, vbi ad hoc vitio excusatur Præpositus, qui pecuniam dederat alteri sub conditione ne sibi inferret iniusta grauamina. Ratio est, quia talis non emit neque acquirit spirituale; quippe quod iam supponitur habere de iure, vel etiam de facto: sed solùm iniustam vexationem, quæ non est aliquid spiritale aut diuinum, sed merè peccatum. Quare illam redimere pretio, non est emere quid spiritale, sed tantùm dare pecuniam vt alter desistat à peccato.

2. Qui nondum habet ius in re ad beneficium, non potest oblato pretio redimere vexationem ab illis, qui non tantùm obesse possunt, sed etiam prodesse: id est, qui habent potestatem dandi beneficium eligendo, præsentando, instituendo, resignando, aut aliter conferendo. Id etiam docent communiter Theologi & Canonistæ, colligúntque ex cap. *Matthæus, de Simonia*, vbi damnatur Simoniæ, iubetúrque beneficium dimittere, si saluus esse velit, ille, qui consenserat vt vni ex electoribus contradicentibus daretur pecunia vt conquiesceret. Et cap. *Sicut tuæ*, eodem tit. damnatur similiter, qui pecuniam dederat Episcopo iniustè vexanti rite electum, nolentique eum confirmare, & instituere, vt pecuniam sic ab illo extorqueret. Idémque est sensus communis, & vsus Ecclesiæ, & stylus Curiæ Romanæ, vbi talis redemptio habetur sine dubio pro Simoniaca. Ratio verò est, quia talis vel reipsa, vel apparenter non solùm redimit iniustam vexationem; sed etiam viam sibi sternit directè, & propriè ad ipsum beneficium, & vel emit reipsa, vel emere videtur vsum aliquem potestatis eligendi, nominandi, instituendi, aut aliter conferendi: quæ potestas illiúsque vsus, spiritale quiddam est. Ideoque vel ex natura rei, vel ex iure Ecclesiastico prohibetur talis redemptio veluti Simoniaca. 101. Quid si non habet ius in re ad beneficium?

3. Potest tamen ille redimere iniustam vexationem ab illis qui possunt tantùm obesse, & non prodesse: siue vi, aut fraude obsint, siue precibus, aut muneribus. Probatur, quia neque hoc est per se malum; cùm nihil ematur spirituale, sed tantùm iniqua vexatio: neque vllo iure Ecclesiastico prohibetur. Atque ita, si quis iniustè te detineat ne adeas Episcopum, ad concurrendum pro obtinendo aliquo beneficio; potes oblatâ pecuniâ ab hac iniusta detentione te liberare. Idemque dico si quis te mendacijs infamet apud electores, aut collatores, vel inhabilem reddere conetur, aut muneribus alijsque modis iniustis impedimento tibi sit. Huiusmodi enim vexatio, cùm sit res merè temporalis, potest redimi pecuniâ. Neque propterea emitur ius ad beneficium, vel quid aliud spirituale: quia, vt rectè ait Suares suprà citatus, ablatio illius impedimenti est rei valde remotæ, & pertinentis magis ad habilitatem personæ, quàm ad acquisitionem spiritualis. Licitum autem est procurare pecuniâ, & multò magis conseruare hanc habilitatem personæ. Sic enim scientia comparatur pecuniâ, quando præceptori datur pretium. Et gradus Doctoratus non obtinetur gratis: qui tamen interdum est conditio necessaria ad proximam aptitudinem beneficij obtinendi. 102.

Porro non modò licet propriam vexationem iniustam redimere, verùm etiam vexationem Ecclesiæ: v.g. dando pecuniam hæreticis, vt ab illorum manibus eripiatur beneficium Ecclesiasticum, præsertim Curatum, quod possident. 103. Licet etiã redimere vexationem Ecclesiæ.

cùm pernicie multarum animarum, quodque alia ratione non potest illis eripi. Sicut olim Christiani, apud Baron. anno 305. aliquantò post initium, dabant pecunias infidelibus ad emendas reliquias Martyrum. Similiter ob vtilitatem Ecclesiæ potest licitè dari pecunia Electoribus, aut Collatoribus, vt beneficium detur digno, vel digniori, etiamsi vnus solus dignus, aut dignior occurrat, cui alioquin malitiosè nolunt dare: vt bene docent Suares loco suprà citato, & Lessius cap. 35. dub. 19. post Nauar. cap. 23. Manual. & Dominic. Sotum lib. 9. de Iustitia quæst. 6. art. 1. ita tamen vt si plures sint æquè digni, non detur pecunia, vt vnus præferatur alteri. Cauendum etiam ne prætextu digni præ indigno, aut dignioris eligendi; pallietur Simonia, vel incurratur eius suspicio. Notandum quoque nihil esse dandum ipsi collatori, aut electoribus, præsentantibus, aut resignantibus, quando constat illos accipere animo Simoniaco. Quia Simoniaca collatio, aut electio, ipso iure est irrita, vt dicemus Sect. sequenti.

104. An etiam redimere beneficiũ de manu Laici? Simili quoque modo putant aliqui neoterici professores, non esse Simoniacum recuperare beneficium de manu Laïci, datâ pecuniâ, quando Laïcus accipit redditus alicuius beneficij per suppositam personam Clerici. Non esse, inquam, Simoniacum, neque illicitum pecuniam illi promittere, vel etiam dare, veluti motiuum, vt permittat beneficium illud, tanquam vacans per Simoniam, impertari à legitimo collatore. Quia, inquiunt, Laïcus ille nullum ius spirituale vendit; sed tantùm iniustam, sacrilegam, & nefandam vsurpationem rerum Ecclesiasticarum. Sicut etiam in eo casu, inquiunt, dari potest aliquid ipsi Clerico, cui collatum est tale beneficium ab Ordinario, tanquam motiuum vt excitetur ad bonum opus, quod aliunde tenetur facere: præsertim si ille est indignus, vel minùs dignus, quàm alter, cui beneficium dandum est. Sed hoc falsum esse, & in praxi minimè sequendum constat ex dictis paulò ante, num. 101. Quia scilicet talis reipsa, vel apparenter, non solùm redimit iniustam vexationem; sed etiam viam sibi sternit directè, & propriè ad ipsum beneficium. Neque dubitari potest hunc agendi modum esse scandalosum, & latam viam aperire Simoniæ.

105. Non est Simoniacum vendere quędam officia, vel loca in Collegijs, aut hospitalibus. Tertiò, non est Simonia vendere officia Ianitoris, Sacristæ, & similia, si per Laïcos soleant exerceri; nisi Ecclesia aliter statuat. Quia hæc temporalia sunt, & remotè tantum ad spiritualia pertinent. Neque etiam vendere locum in Xenodochio, aut Collegio: nisi quando officium spiritale adiunctum est tali loco, vt celebratio Missæ, vel officij Diuini recitatio: aut quando Ecclesia id prohibet tanquam Simoniacum in ipsa fundatione. Tunc enim est Simonia Ecclesiastica. Alioqui verò emitur aliquid merè temporale.

106. Et accipere aliquid pro labore adiuncto sacris ministerijs. Quartò, non est quoque Simoniacum exigere aliquid temporale, etiam ex pacto, pro labore adiuncto per accidens sacris Ministerijs: vel pro obligatione ad seruiendum in spiritualibus per aliquod tempus, aut per totam vitam, priuando se aliquatenus sua libertate, & facultate vacandi alijs negotijs, sibique aliunde prouidendi. Neque etiam exigere stipendium sustentationis præmisso pacto, pro Missis, concionibus, & cura animarum gerenda: vt bene docent glossa in cap. *Significatum, de Præbendis*, & Panormit. ibidem num. 7. & 8. & in cap. *Suam nobis, de Simonia, num. 11.* Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. 3. Nauar. cap. 27. Manual. & plures alij, quos refert & sequitur Suares lib. 4. cit. cap. 46. num. 4. cuius ratio præcipua est, quia pactum illud cadit supra stipendium formaliter, vt est ad sustentationem personæ, & non vt pretium rerum spiritualium. Ergo ex vi talis pacti non venditur spirituale pro temporali, neque intentio stipendij sic debiti est intentio pretij, ac proinde non est Simoniaca, neque inducit obligationem repugnantem cum gratuita ministratione spiritualium: quia stipendium vt sic, quamvis sit debitum, non excludit quin spiritualia gratis dentur: & per hoc pactum non exprimitur nisi id, quod inest ex ipsa natura rei: naturaliter enim debetur stipendium sustentationis ministranti spiritualia. Idque non solùm verum est de ministris Ecclesiæ, pauperibus & indigentibus: sed etiam de diuitibus aliunde ex bonis temporalibus, vel Ecclesiasticis, quando ratione illorum non tenentur ex officio ministrare, vt bene docet Suares post D. Thomam & plures alios, num. 7. capitis suprà citati. Quia etsi, inquit, Clericus paciscens de stipendio, diues sit, non petit illud vt pretium. Ergo non est Simoniacus, quia non vendit spiritale ministerium. 107. Idque licet ministret sit aliunde diues. Nec obest quod in cap. *Clericos*, & cap. *Pastor*, & sequentibus, *1. quæst. 2.* & cap. *Si priuatim, 12. quæst. 1.* & cap. vlt. *16 quæst. 1* dici videtur non Clericis, habentibus propria, de bonis Ecclesiæ sustentari. Hæc enim sunt tantùm dicta quædam Hieronymi, Augustini, & Prosperi, quæ legem non faciunt, sed declarant id quod magis deceret. Contra verò, in Concilio Agathensi cap. 36. quod refertur cap. vlt. *1. quæst. 2.* statuitur vniuersaliter vt Clerici omnes, qui Ecclesiæ vigilanter deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita secundùm sui seruitij meritum, iuxta ordinationem Canonum, à sacerdotibus consequantur. Et Paulus 1. Cor. 9. generaliter loquens de ministris Ecclesiæ, sic ait: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? &c. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Dixi autem, *dummodo ratione illorum non teneantur ex officio ministrare:* quia tunc non possunt sine iniustitia, exigere stipendium pro labore debito aliunde. Quamvis pro illo præcisè exigere non sit Simonia, sed iniuria, cogendo bis idem solui, vt iam alibi diximus. Idémque censeo si plus exigant quàm iustum stipendium: vt docet etiam Lessius cap. 35. dub. 8. num. 51.

Quintò, non est quoque Simoniacum exigere aliquid in pœnam, aut in onus largiendi pauperibus eleemosynam, vel impendendi in alia pia opera, pro dispensationibus in votis, 108. Vel exigere aliquid in pœnam

iuramentis, impedimentis matrimonij, & alijs legibus Ecclesiasticis: vt qui volunt recedere à lege communi, compensent hanc deformitatem aliquâ pœnâ, vel onere; & talibus repagulis coërceantur homines intra legem communem. Item, non est Simoniacum dare temporale vt eleemosynam, vel ratione consuetudinis rationabilis, vel vt incitamentum ad bonum opus, quod alias quis tenetur facere, vel alia ratione, quàm vt pretium rei spiritalis. Quare non satis est si temporale sit causa sine qua non, vel etiam causa principalis: cùm illi non sint Simoniaci, qui principali intentione dant pecunias vt pro ipsis fiat sacrum, non tanquam pretium, sed ad sustentationem, vel vt motiuum, aut eleemosynam. Neque Canonici, qui principali intentione eunt ad Chorum, propter pecuniam, seu Distributiones: modò tamen intendant eam accipere eâdem intentione, quâ datur ab Ecclesia: quemadmodum rectè contra Nauar. docet Suares lib. suprà cit. cap. 44. num. 4. & sequent. Quamvis enim illi peccent per auaritiam, aut irreuerentiam contra res sacras, vt & quicunque volunt officium principaliter propter beneficium; non propterea incurrunt Simoniam; ad quam requiritur vt res temporalis sit causa sine qua non, & detur tanquam pretium rei spiritalis, commutando vnam cum alia: vt bene docent Sotus lib. 9. de Iustitia quæst. 19. a. 5. & Suar. cap. cit. num. 8. & Valent. quæst. 16. Puncto 1.

pro dispensationibus.

Vel dare vt eleemosynâ, &c. aliquid temporale.

109. Vel ficta promissio.

Sextò, non est etiam verè Simoniaca ficta promissio sine intentione implendi, quamvis accedat obligatio per proprium Chirographum, vel publicum instrumentum; vt bene affirmat Caiet. tom. 1. opusc. tract. 9. quæst. 2. quia ad veram Simoniam requiritur voluntas faciendi aliquid vtile, & æstimabile alteri: ac non tantùm faciendi fraudem vel deceptionem. Peccat tamen grauiter qui hoc facit: quia opus externum Simoniacum committit, & alium ad peccatum Simoniæ inducit. Item, non est Simonia renuntiare beneficio litigioso, cum pacto, vt alter soluat expensas litis; & quamvis, saltem in foro externo, opus sit vt id faciat authoritate eius, coram quo litigatur, quia prohibetur alter transigi aut componi litem circa beneficia, Extra, de præbendis, cap. 21. & de transact. cap. 2. 5. 6. 7. & 21. Nonnulli tamen existimant id simpliciter licitum esse in foro conscientiæ; dummodò nihil acquiratur pro iure spiritali quod litigans habet ad beneficium. Imo potest litigans aliquid vltra expensas accipere: quod etiam in foro externo plerumque admittunt Iudices. Nam tria hìc considerari possunt. Primum est, ius ad beneficium: & illud debet gratis dari, id est, non vendi pretio temporali. Secundum est, expensæ præteritæ. Tertium est, bonum pacis futurum, vt dicitur cap. 21. cit. Alter enim qui lucratur beneficium, non faciet vlteriùs plures impensas in lite prosequenda diutius. Hæc duo vltima, cùm sint purè temporalia, vendi possunt, & emi: vt de vtroque docet Iacob. de Graphis, lib. Decis. aurear. cap. 95. num. 57. Canendum tamen ne plus iusto emantur, néve illo prætextu ematur ipsum quoque Beneficium, & pallietur Simonia.

Vel dare aliquid pro bono pacis.

Non est quoque Simoniacum dare litiganti aliud beneficium, pro iure dubio quod habet ad Beneficium, de quo tecum contendit. Quia tunc datur spirituale pro spirituali: neque id prohibetur ab Ecclesia, sed potiùs vsu communi receptum est, consentientibus Prælatis. Eorum tamen auctoritate id fieri debet, vt fusiùs docet Suar. cap. 51. libri suprà cit. Præterea, si quis expensas fecit in obtinendo Beneficio litigioso, existimant aliqui, vt refert Less. cap. 35. dub. 15. in fine, posse eas repetere ab eo, cui resignat, vt se indemnem seruet. Quod tamen est intelligendum, nisi resignans aliquamdiu Beneficium possederit, & ex eius fructibus iam perceptis indemnitati suæ sufficienter prouiderit. Sed communis sententia contraria est: neque in foro externo admittitur illa excusatio. Vtrum autem Simoniacum sit compensare pecuniâ inæqualitatem prouentuum, quando Beneficia inæqualia permutantur, diximus suprà, num. 83. 110.

Vel pro iure dubio ad Beneficium.

Vel pro expensis.

Vel compensare inæqualitatem.

Rursus, non est Simoniacum dare spiritale propter commodum præteritum, vel præsens iam obtentum, sine pacto tacito, vel expresso, & sine debito aliter compensandi: sed tantùm si detur propter commodum futurum nondum obtentum, cum obligatione ad illud præstandum. Quia hoc solum habet rationem pretij: vt bene affirmat supplem. Gabr. in 4. dist. 25. q. 2. Neque etiam dare aliquid temporale, vel obsequium præstare spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per spirituale donum ex pura gratitudine obtinendum, & ex hac intentione concepta externum obsequium vel munus temporale exhibere sine vlla obligatione exteriori, & pacto implicito vel explicito; vt cum communi sententia docet Suar. lib. 4. cit. cap. 45. num. 4. & efficaciter probat hæc eius ratio: quia obligatio ista sequitur naturaliter ex natura ipsius beneficij, & virtutis gratitudinis. Vnde facere beneficium, & obligare recipientem ad gratitudinem, non sunt duo, moraliter loquendo; quia vnum ex alio necessariò sequitur. Ergo qui intendit sic obligare alium beneficio, non intendit sua voluntate nouam obligationem vel nouum onus illi imponere, sed tantùm illud quod ipsi beneficio innatum est. Ergo non peccat: quia obiectum illius intentionis non est malum, sed est quasi proprietas naturalis ipsius beneficij. Vnde si beneficium & obsequium est honestum, vt supponimus; etiam gratitudo ex illo erit honesta. Ergo intentio illius non est mala: ac proinde non est Simoniaca iure naturali & diuino. At neque etiam Ecclesiastico, cùm non sit prohibita ab Ecclesia. Nec obest quòd talis expressè intendit obligationem illam: quia intentio expressa obligationis quæ inest ex natura rei, non est mala, neque illam auget, aut mutat illius naturam: vt si aliquis ducat vxorem, expressè intendens fore sibi fidelem; aut seruum conducat, expressè intendens vt sibi diligenter obsequatur; non propterea magis illos obligat, neque nouam imponit obligationẽ, præter illam quæ inest ex natura contractus.

Vel propter commodum aliquod.

Vel intẽdere obligationem ex gratitudine.

111. Vel dare ad satisfaciendũ obligationi antidorali. Similiter non est Simonia, neque per se malum, dare beneficium Ecclesiasticum, vel aliud spirituale donum benefactori, ex pura gratitudine, ad satisfaciendum obligationi antidorali quæ naturaliter oritur ex beneficio: modò aliunde nihil iniustum, aut indecens fiat: vt cum Nauarro, Caietano, & alijs communiter, docet auctor suprà cit. num. 6. Quia sicut licet benefacienti intendere talem obligationem: ita licet isti acceptare, & velle explere. Et neuter intendit remunerationem vt pretium rei spiritalis: neque ex contractu, & obligatione ciuili operatur, sed gratuitò. Quidquid enim illi faciunt, non excedit officium virtutis gratitudinis. Item, qui aliquid gratis donauit, aut obsequium temporale præstitit alteri, ante acceptum ab illo beneficium Ecclesiasticum, vel aliud spirituale donum; potest absque Simonia petere ab illo retributionem gratitudinis, seu doni, vel officij sui recognitionem. Nam potest licitè peti ab alio id quod ipse tenetur facere ex naturali obligatione. Neque illud est pretium ab illo exigere, vel illi nouam obligationem imponere; sed officij sui admonere. Confirmatur ex communi vsu fidelium piorum, & Deum timentium: inter quos vsitatissimum est vt dando pauperibus, aut Religiosis eleemosynam, postulent vt gratitudinis ergo sui memores sint in suis orationibus & sacrificijs: & illi vicissim petendo, vel accipiendo, profiteri solent se fore gratos & memores apud Deum. Cauendum tamen est scandalum, & pactum, vel species pacti, quod illicitum esse ostendimus Sect. præced. num. 104. præsertim quando petitur beneficium Ecclesiasticum quasi debitum ex gratitudine, vel aliud spirituale bonum habens annexam vtilitatem temporalem: quia procliue tunc est, aliam intentionem malam adiungere, vel eius suspicionem dare.

112. Vel redimere pẽsionem. Septimò denique, non est Simonia, spectatâ solâ rei naturâ, redimere pensionem constitutam super beneficio Ecclesiastico, & non erectam in titulum beneficij, neque datam pro aliquo officio spirituali præstando. Cuiusmodi sunt illæ, quæ dantur interdum resignanti in fauorem, vel commutanti beneficium pinguius, vel ad litem componendam, vel Parocho seni ad sustentationem, vel Clerico pauperi ad studendum: & multò magis illæ, quæ constituuntur Laïcis ob gratitudinem pro seruitijs Ecclesiæ impensis, vel ob aliam causam. Ratio est, quia redimere huiusmodi pensiones non est emere aliquid spirituale, sed extinguere onus temporale, soluendi quotannis certam pecuniæ summam, aut partem fructuum beneficij. Antequam tamen pensio, sit legitimâ auctoritate constituta, non potest absque Simonia fieri pactum de illa redimenda, vt bene docent Caiet. tom. 1. Opusculorum, tract. 31. Respons. 10. Tolet. lib. 5. cap. 92. & Less. cap. 35. dub. 22. num. 124. quia illud onus est pretio æstimabile: ideóque pacisci de illo pro beneficio resignando, aut commutando, Simoniacum est. Paritérque Simoniacum esset dare beneficium Ecclesiasticum pro tali pensione extinguenda: quia hoc esset rem spiritualem cum temporali commutare. Sicut enim eiusmodi pensio est onus merè temporale: ita illius extinctio temporale commodum est. Non possunt etiam vendi huiusmodi pensiones sine auctoritate Summi Pontificis: quia stylus curiæ id prohibet, puniuntúrque vendentes vt Simoniaci. Licere tamen eas redimere propria auctoritate, docent Tolet. lib. 5. cap. 92. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 16. Punct. 3. quæst. vlt. Lessius lib. 2. de Iustit. cap. 35. dub. 22. num. 124. & num. 129. Ferdinandus de Castro Palao disput. 3. de Simonia, Puncto 13. num. 10. Pro eadémque sententia (cui tamen non adhæret) Garcias in tract. de Beneficijs, prima parte, cap. 5. num 24. refert Hieron. Paulum, Rebuffum, Duarenum, & plures alios Canonistas. Sed contrarium melius affirmant plurimi à nobis relati disp. 34. num. 108. Maiorisque securitatis gratiâ debet ad Summum Pontificem recurri: quia hic est stylus curiæ Romanæ, vt habeat pro nulla & irrita redemptionem pensionis aliter factam: vt testantur Toletus & Garcias locis citatis.

Nota præter secundum ius nouum constitutum à Pio V. pensiones Clericales videri posse non esse ampliùs merè temporales, vbi eius Bulla recepta est; quâ obligat omnes pensionarios ad recitandum quotidie, ratione pensionis, paruum officium B. Virginis. Sic enim ius pensionarij videtur iam esse fundatum in officio spirituali præstando: adeóque esse simile beneficio Ecclesiastico; quamvis non sit re vera beneficium, quia non est perpetuum. Verùm hæc Bulla non fuit adhuc multis in locis vsu recepta. Et meliùs alij dicunt, officium B. V. non fuisse additum veluti fundamentum pensionis, quæ datur alio titulo: sed veluti onus respectu eorum, qui aliunde non tenentur recitare maius officium: vt bene ait Ægid. Coninck disp. 14. de Pœnit. dub. 9. in fine. 113. Pensiones Clericales sunt adhuc mere temporales.

SECTIO IX.

De pœnis statutis contra Simoniacos.

Quæstio solùm in præsenti est, de pœnis illis quæ ipso facto incurruntur. De quibus dico primo, nullam Simoniam mentalem, aut conuentionalem tantùm, inducere ipso facto pœnas iuris latas contra Simoniacos. Ita communiter Theologi, & Canonistæ, vt testatur Suar. tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 55. num. 12. Ratio est, quia vt idem ait iura quibus hæ pœnæ imponuntur, vtuntur verbis significantibus non solam mentalem Simoniam, aut solas conuentiones Simoniacas; sed dationes & acceptiones ex talibus conuentionibus procedentes, in quibus Simonia realis consistit. Ergo pœnæ iuribus illis statutæ non incurruntur per Simoniam mentalem, aut purè conuentionalem; sed per realem, quâ datur & accipitur temporale pro spirituali. Antecedens patet ex 2. Extrauag. *de Simonia*. & cap. *Presbyter*, cap. *Nullus Episcopus*, 1. q. 1. & cap. *Si quis Episcopus*, q. 3. alijsque pluribus relatis à Suare loco citato. Consequentia verò proba- 114. Sola Simonia realis inducit pœnas iu is ipso facto.

tur quia, vt rectè idem Doctor addit, num. 14. pœna per legem imposita non incurritur, donec actio mala committatur, & compleatur eo modo, quo per legem exprimitur & punitur; sed actio prohibita, & punita per hæc iura, non completur sola conuentione, aut Simonia mentali. Ergo per illam solam non incurruntur pœnæ Simoniacorum. Addo, quia
115. leges pœnales, sunt odiosæ, & strictè interpretandæ, iuxta rigorem & proprietatem verborum; non incurri pœnas illas per Simoniam Ecclesiasticam, quando impropriè tantùm Simonia est, vt in permutatione beneficiorum propria auctoritate, nisi speciatim fiat illius mentio in lege: vt diximus Sect. 2. num. 17. At verò quando Simonia Ecclesiastico iure constituta, est verè & propriè talis, inducit sine dubio pœnas iuris, si compleatur: quia tunc nulla est ratio cur non comprehendatur verbis legis propriè sumptis: sicut lex generaliter lata contra sacrilegos verè comprehendit eos qui committunt sacrilegium in quacunque materia verè sacra, tametsi per Ecclesiam consecrata. Non est tamen necessarium vt Simonia realis sit omnino perfecta, ita vt res sacra sit data ab vno, & ab altero totum eius pretium persolutum sit. Sufficit enim rem sacram fuisse datam, & partem pretij solutam, vt diximus Sect. cit. Imò etiam non pauci existimant sufficere rem sacram (in cuius indigna contrectatione completur irreuerentia Simoniæ) fuisse datam, & pretium fuisse promissum, vel simpliciter, vel dato saltem chirographo.

116. *Quas pœnas inducat Simonia in ingressu Religionis?* Dico secundò, nullam Simoniam inducere pœnas iuris ipso facto, nisi realem in ingressu Religionis in Ordine, & in beneficijs. Ita Lessius cap. 35. dub. 23. num. 135. post Nauar. Syluest. Caiet. Binsfeld. Suar. quos citat & sequitur Layman lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 7. num. 69. Et quidem Simonia realis circa ingressum Religionis inducit excommunicationem tam dantibus, quàm accipientibus; suspensionem Conuentui, seu Capitulo consentienti in Simoniam; & inhabilitatem ad manendum in eodem Monasterio, illi qui scienter fuit admissus Simoniacè. Extrauag. *Sanè ne in vinea Domini, de Simonia.* Sed hanc Extrauagantem non esse receptam, adeóque pœnas illas non esse in vsu, insinuare videntur Syluester V. Simonia, num. 19. & Nauar. cap. 23. Manualis num. 103. Idque verum esse censet Lessius cap. cit. num. 131. neque abnuit Layman eodem num. 69. in fine.

117. *Et Simonia in Ordinibus* Simonia realis in Ordinibus inducit excommunicationem conferenti, Extrauag. *Cum detestabile, de Simonia:* & suspensionem à collatione cuiusvis ordinis, atque etiam primæ Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, vi Bullæ Sixti V. contra malè promouentes, Verbo, *Ceterùm si quis Antistes.* Itemque interdicitur illi ingressus Ecclesiæ, *ibidem:* & si contra suspensionem, vel interdictum, id fecerit, est suspensus ab administratione Ecclesiæ suæ, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, ibidem: Nec denique potest ab vllo alio, quàm à Papa absolui, licet crimen occultum sit: quia Sixtus ibidem derogat omnibus priuilegijs Regularium, & concessioni Tridentini Sess. 24. cap. 6. *decreti de Reformat.* Ordinatus verò Simoniacè est excommunicatus ipso facto, & suspensus ab executione suorum ordinum, saltem eorum quos accepit Simoniacè, Extrauag. *Cum detestabile, de Simonia.* Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, fit irregularis: & per Bullam Sixti V. supra cit. priuatur omnibus dignitatibus, beneficijs, officijs, & inhabilis fit ad omnia. Vbi etiam adimitur potestas eum absoluendi à censuris, aut cum eo dispensandi, cuicunque alteri, præterquam Summo Pontifici. Videndum tamen an hæc Bulla recepta sit. Fuit autem recepta pluribus in locis, & speciatim Burdegalæ anno 1600. in Synodo Diœcesana cap. 2.

Vide tom. 5. disp. 60. n. 74.

Denique Simonia realis in beneficijs inducit excommunicationem conferenti, vel procuranti alteri: atque etiam ipsi recipienti: & talis prouisio, & collatio est nulla: Extrauag. *Cum detestabile, de Simonia.* Et prouisus Simoniacè est inhabilis ad idem beneficium obtinendum, cap. *Nobis fuit, de Simonia,* & cap. penult. *de elect.* Neque iuuatur Regula de triennali possessione pacifica, vbi Regula Cancellariæ locum habet: quia disertè ibi excipitur. Mediatores quoque in Simonia beneficij, & ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionem vtrinque ventum fuerit: vt rectè ait Lessius cap. 35. dub. 25. num. 141. patetque ex Extrauag. *Cum detestabile, de Simonia.* Notandum tamen est, mediatorem non excommunicari, nisi in illis casibus, in quibus auctor principalis excommunicatur. Nec nisi sit causa efficax, sine qua non fieret Simonia. Mediator quoque confidentiæ prohibitæ per Pium V. & Sixtum V. non incurrit excommunicationem, nisi aliquid acceperit ex fructibus acquisitis per confidentiam. Vlteriùs, Simonia confidentiæ, præter excommunicationem Papalem, inducit priuationem beneficij in quo commissa est Simonia, atque etiam reliquorum priùs obtentorum, & pensionum: atque inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cætera omnia; sanctæque Sedi Apostolicæ reseruantur omnia beneficia collata & accepta in confidentiam Simoniacam: ita vt ordinarius collator non possit ea conferre. Quæ omnia fusiùs prosequitur Less. citato cap. 35. dub. 23. & tribus sequentibus. 118. *Et Simonia in Beneficijs.*

Nota præterea, quòd si quis (quod absit) Simoniacè contraheret cum ipso Pontifice; non incurreret tamen pœnas iure Canonico statutas contra Simoniacos, vt probabilius censeo cum Dominico Soto, Paludano, & alijs quos refert & sequitur Malder. tract. 9. cap. 3. dub. 4. Cuius ratio est, quia qui vendit, consentit in emptionem. Qui autem consentit vt fiat, desinit prohibere ne fiat. Et qui non prohibet faciendum, non punit factum. Quare si Pontifex vendit rem sacram, censetur relaxare pœnas iuris, ne emptor illas incurrat. Neque obiicias dispensationem esse actum potestatis legislatiuæ, quâ potestate non vtitur Pontifex, si nihil aliud facit, quàm vendere rem sacram, 119. *Contrahens Simoniacè cum S. P. non incurrit pœnas iuris.*

vt supponimus. Si autem non dispensat, manent leges pœnales in suo vigore, & obligant subditum. Respondeo enim cum auctore cit. quamvis Pontifex non propriè & formaliter dispenset, relaxare tamen per conniuentiam: quia faceret actus contrarios, si esset vltor eius, cuius est auctor. Item quando Papa contrahit in ijs quæ solo iure Ecclesiastico sunt Simoniaca, & potest Simoniam purgare; censendus est contrahere meliori modo quo potest: atque ita Simoniam à neutro contrahentium incurri.

SECTIO X.

De obligatione restituendi propter Simoniam.

110. Quibus in casibus Simonia obliget ad restit. iure naturali? QVod verò attinet ad obligationem restitutionis ortam ex Simonia. Dico primò, quando Simoniæ coniungitur peccatum contra iustitiam commutatiuam, restitutionem deberi iure naturali. Quod in multis casibus contingit. Primò, quando non datur id, quod promittitur. Tunc enim contractus est irritus iure naturali. Vt quando aliquis dat pecuniam pro beneficio: & beneficium non illi datur. Debet enim restitui pecunia ante omnem sententiam: quia non fuit data absolutè, sed cum pacto oneroso, & sub conditione, si detur beneficium. Quæ conditio dum non impletur, non habetur voluntas absoluta & efficax transferendi dominium pecuniæ: sed potiùs obligandi ad restituendum, si conditionem non impleat accipiens. Secundò, quando ille, qui dat pecuniam pro re spirituali, emit aliquid aliunde sibi debitum: Vnde ius habet ad pecuniam repetendam. Vt quando aliquis emit Sacramentum à Parocho, qui ex officio tenetur ei dare: aut quando Canonicus, cùm recipitur à Capitulo, dat pecunias alijs Canonicis; quas tenentur ipsi restituere, quia iniustè extorquent: æquè ac Iudex, qui pro sententia iustè ferenda pecuniam exigit. Tertiò, quando cogitur aliquis dare pecuniam, aut quid simile, ad redimendam vexationem iniustam. Vt si quis cogatur dare pecuniam alteri ne ab illo diffametur, & per diffamationem impediatur à consequendo beneficio, ad quod ius habet. Quartò, cùm aliquis vendit aliquid non suum. Vt si Prælati, vel electores vendant beneficia Ecclesiastica, quorum sunt tantùm dispensatores: vel si ministri Sacramentorum pretium pro illis exigant, quorum domini non sunt, sed Deus solus, qui tantùm dedit hominibus potestatem ea gratis dispensandi. Ratio est, quia qui vendit rem non suam, peccat contra iustitiam commutatiuam, & non potest licitè retinere illius rei pretium. Illi tamen qui non tenentur ex officio Sacramenta administrare, possunt absque Simonia accipere aliquid moderatum pro stipendio sustentationis. Et quamvis acciperent animo Simoniaco, non tenerentur iure naturali illud restituere: quia non violant iustitiam commutatiuam: sed sufficeret mutare intentionem. Idémque dico si accipiant aliquid moderatum pro labore impenso in huiusmodi functionibus spiritualibus non aliunde debitis ex iustitia. Quintò, teneretur quoque restituere qui accipit duplex stipendium pro eàdem re: Vel bis quodammodo idem vendit. Vt si Prælati, qui tenentur ex officio eligere dignos ad beneficia, & pro isto munere, alijsque functionibus Episcopalibus, habent magnos redditus Ecclesiasticos, & iusta stipendia; accipiant pecunias à dignis, vel à dignioribus, vt illos eligant. Tenentur enim iure ipso naturali pecuniam sic acceptam restituere: simili modo, quo œconomus tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ ab illis, quibus ex voluntate domini, & ex officio tenebatur eius bona distribuere, vel dare in eleemosynam; si quid ab illis exigeret titulo huius distributionis. Quare non assentior Lessio contrarium sentienti lib. 2. de Iustitia, cap. 35. dub. 28. num. 160. & 161. Sextò denique, cùm aliquis vendit rem spiritalem, neque secundùm se pretio æstimabilem, neque secundùm hominum vsum: aut pretio excedente illam æstimationem; teneretur pretium restituere vt si quis pro baptismo conferendo, vel pro audienda confessione, exigeret mille aureos. De quibus omnibus plura videri possunt apud Suarem tract. 3. de Religione, lib. 4. cap. 59. n. 12. & sequentibus.

111. Simonia per se p[illegible] cisè ad id non obligat. Dico secundò, extra hos casus, in quibus iustitia commutatiua violatur, non oriri obligationem restituendi ex natura rei: ac proinde Simoniam præcisè nunquam inducere obligationem restituendi iure naturali, siue ex natura rei, sed tantùm ex iure Ecclesiastico: vt bene docent Caietanus 2. 2. quæst. 100. art. 6. & in Summa V. *Simonia*, Victoria 2. parte relect. de Simonia, num. 4. Syluester V. *Simonia*, quæst. 20. Suares tract. 8. de Relig. lib. 4. cap. 59. num. 10. Ratio est, quia obligatio restituendi, per se loquendo, & ex natura rei, non oritur nisi ex iustitia commutatiua, vt alibi ostendimus, disp. 27. Sect. 3. Simonia verò præcisè sumpta non opponitur iustitiæ commutatiuæ, sed Religioni. Ergo nisi adiungatur illi malitia contra iustitiam commutatiuam, non oritur ex illa obligatio restitutionis ex sola rei natura, & seclusa omni lege Ecclesiastica.

112. Tenea-túrne iure nat. restituere qui accepit pro beneficio aliquid tem pora-le? Vnde sequitur primò, non teneri ad restitutionem iure naturali eum, qui pecuniam moderatam accipit pro beneficio Ecclesiastico à se legitimè possesso, quo se priuat cum suo incommodo, & sine debito: aut illam exigit ab eo, à quo priuatus est iniustè. Ratio est, quia beneficium illud est æstimabile pretio, ratione adiunctæ commoditatis temporalis percipiendi fructus. Ergo non peccat contra iustitiam, qui pro illo accipit æqualem compensationem: tametsi peccat contra Religionem, indignè tractando rem spiritualem, aut annexam spirituali. Sequitur secundò, Monasterium ex sola natura rei, non teneri ad restitutionem pecuniæ acceptæ pro ingressu Religionis, si pretium illud non excedat æstimationem oneris adiuncti, quod Religio suscipit, alendi Religiosum per totam vitam: quia illud onus est pretio æstimabile; Vel Monasterium accipiens pro ingressu Religionis.

& non peccatur contra iustitiam, si ad æqualitatem compensatur. Confirmatur ex cap. vlt. de Simonia, vbi dicitur Simoniam mentalem in ingressu Religionis non obligare ad restitutionem, etiam opere subsequuto. Ergo neque realis obligat ex natura rei. Probatur consequentia: quia si ex illa Simonia reali oriretur obligatio restituendi ex natura rei: oriretur ex ipsa iniustitia actionis secundùm se. Atqui eadem est iniustitia actionis secundùm se, siue oriatur ex Simonia mentali, siue ex reali, quæ non differunt penes illam actionem, sed solùm penes pactum implicitum, & explicitum. Et patet exemplo vsuræ mentalis, quæ æquè obligat ad restitutionem, ac realis, vt dicitur in capite *Consuluit, de Vsuris:* nimirum quia eius obligatio oritur ex ipsa acceptione iniusta, vi iuris naturalis: & actio æquè iniusta est, siue vsurarius accipiat ex pacto explicito, siue ex implicito. Ergo similiter mentalis Simonia in ingressu Religionis æquè obligaret ad restitutionem, ac realis, si hæc obligatio oriretur ex vi iuris naturalis.

123. Vel qui vendit ius Patronatus. Sequitur tertiò, idem dicendum esse de eo, qui vendit ius Patronatus ratione commoditatis temporalis quam secum affert & quâ vendens se priuat: aut quamcumque rem aliam spiritalem, habentem aliquod temporale commodum annexum. Nam illa commoditas est pretio æstimabilis secundùm se: & non peccatur contra iustitiam, si tantùm accipitur æqualis eius compensatio, quamvis peccetur contra Religionem, indignè tractando rem sacram & spiritalem. Dixi autem, *temporalem commoditatem:* quia si vendens priuat se tantùm spirituali commoditate, probabilius censeo cum Suare cap. citato, n. 43. non posse retineri pretium temporale pro illa acceptum: quia venditur aliquid inæstimabile tali pretio: quamvis contrarium aliqui sentiant cum Lessio cap. 35. dub. 28. n. 158. Vt si quis pro reliquijs, vel agno Dei, aut grano benedicto sibi ablatis pecuniam exigat.

Sequitur quartò, cùm obligatio restitutionis, orta ex sola Simonia, sit tantùm iuris Ecclesiastici, vt suprà diximus cum Syluest. Victoria, Caiet. & Suare, locis ibidem citatis, quibus adde Panormitanum, & alios Canonistas in cap. finale de Vsuris: Sequitur, inquam, posse Summum Pontificem dispensare in hac restitutione: qui tamen non potest dispensare in restitutione iuris naturalis, vt patet in vsuris, & furtis: licet possit inderdum condonare, maioris boni causâ, vt alibi diximus.

124. Quomodo Simonia Ecclesiastica obligat ad restitutionē? Sequitur quintò, licet altera obligatio restituendi, quæ oritur ex natura rei, seu vi solius iuris naturalis, obliget in conscientia ante quamcumque sententiam: idque tam in Simonia mentali, aut conuentionali, quàm in reali: tamen obligationem istam ortam ex solo iure Ecclesiastico, non habere locum in conscientia, nisi in sola reali Simonia circa beneficia Ecclesiastica, vel circa ingressum Religionis: quia soli illi duplici Simoniæ imponitur hæc pœna per Canones: Neque obligare nisi post sententiam iudicis sentiunt multi, qui generaliter id verum esse affirmant de quibuslibet pœnis Ecclesiasticis pecuniarijs, vt diximus suprà, disput. 34. Sect. 11. num. 90. & fusiùs in tractatu de Legibus, disp. 30. Sect. 3. quamvis plures alij de præsenti casu contrarium sentiant cum Lessio cap. 35. dub. 31. & Suare tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 60. De qua controuersia quid sentiendum sit diximus locis posterius citatis. Moneo tantùm Suari & Lessio non satis fauere caput *De Hoc, de Simonia*, vbi dicitur temporalia Simoniacè recepta pro dando assensu electioni Ecclesiasticæ, non posse sine graui periculo salutis retineri. Nam ibi sermo est de Simonia obligante ad restitutionem vi iuris naturalis, vt fatendum est Suari, cohærenter loquendo cum ijs quæ dixit capite præcedenti n. 13. vbi affirmat Prælatum Ecclesiæ, qui vendit beneficia, vel officia Ecclesiastica, quorum non est Dominus, sed dispensator, vel distributor, teneri ex diuino & naturali iure restituere pretium Simoniacè acceptum: quia non est Dominus beneficij, vel officij, neque habet ius aliquod in illis: Ergo vendit rem non suam: Ergo peccat contra iustitiam commutatiuam, ac proinde tenetur iure naturali ad restitutionem. Quæ ratio æquè probat de Electoribus, & Præsentatoribus, qui non sunt magis Domini beneficiorum, quàm Collatores. Confirmatur, quia idem author eodem lib. 4. cap. 60. 125.
n. 9. & duobus sequentibus, fatetur non esse obligationem in conscientia restituendi pecuniam datam à canditato Religionis, pro eius ingressu, priusquam accedat sententia per quam Religiosus à Monasterio excludatur, & in aliud transferatur. Idque rectè probat ex cap. *Veniens, de Simonia*, vbi statuitur vt Abbas, & Monachi compellantur reddere illi pecuniam malè acceptam, & ipse ad aliud Monasterium transire compellatur. Non tenetur autem Monachus, Simoniacè ingressus, egredi Monasterio, priusquam per sententiam transferatur ad aliud. Ergo sequitur Monasterium quoque non teneri ante sententiam, reddere pecuniam malè acceptam. Quia cùm restitutio illa ordinetur ad expulsionem Religiosi sic ingressi, & ad subsidium alterius Monasterij, ad quod transfertur; quamdiu hæc translatio non mandatur exequutioni, cessat ratio restitutionis: imò nec illi locus est. Quia restitutio debet fieri danti, iuxta caput citatum *Veniens*. Ipse autem non est capax proprietatis in seipso, cùm sit professus, sed tantùm in Monasterio, in quod est transferendus. Ergo perseuerante ibi personâ, potest etiam Monasterium retinere quod accepit. Adde quòd in Extrauag. 1. *de Simonia*, significatur ita obseruari posse: neque vllum aliud profertur ius Canonicum, in quo contrarium statuatur. Idem autem probabiliter censeri potest de quavis alia simili restitutione debita solùm per modum pœnæ, vi solius iuris Ecclesiastici, cùm nihil magis vrgens aut expressum afferatur in contrarium, & pœnæ debeant restringi potiùs, quàm ampliari, præsertim graues, & ipso facto incurrendæ. Neque verò negat Lessius hanc sententiam esse

probabilem, sed tantùm affirmat contrariam esse multò probabiliorem & veriorem. Quod an ita sit, iudicandum est ex dictis alibi tomo 2. disput. 30. Sect. 2. & 3.

126. An & quomodo prouisus Simoniacè tenetur dimittere beneficium? Sequitur vltimò, Simoniacè prouisum non teneri solo iure diuino & ex natura rei, resignare seu dimittere beneficium, vel alia spiritalia, quæ accepit sine violatione iustitiæ commutatiuæ, aut pretium merè Simoniacum restituere. Sed solùm tenetur adiuncto iure Ecclesiastico dimittere rem spiritalem acceptam Simoniacè, si sit beneficium: quia Ecclesia decernit huiusmodi collationem esse irritam, cap. fin. *de Pactis*, & cap. *Preterea de transact.* & in Extrauag. 2. *de Simonia*, renouatâ in Tridentino, Sess. 24. cap. 14. *de Reformat.* Quæ tamen irritatio, secundùm aliquos, non habet locum ante sententiam, quia id non satis exprimitur in Canone; iuxta dicta Sect. 11. citatæ disp. 34. Communis tamen sententia contraria est: & sub nomine beneficij comprehendit etiam pensionem Clericalem, quantum attinet, ad hanc irritationem.

127. Quibus in casibus restitui debet pretium temporale? Reliqua verò spiritalia vel non possunt dimitti, vt Ordines, & Sacramenta iam accepta: vel non debent, quia Ecclesia id non statuit, saltem ante sententiam: vt rectè ait Lessius cap. 35. dub. 30. Quod verò ad pretium temporale attinet, illud iure Ecclesiastico restituendum est ratione Simoniæ in duobus casibus. Primò, si est acceptum pro beneficio, cap. *De Hoc*, *de Simonia*. Secundò, si pro ingressu Religionis, cap. *Veniens*, *eodem titulo*. Dixi, *iure Ecclesiastico*: quia pretium, quod aliunde iure naturali restituendum est, obligat ad restitutionem in quacumque materia, in qua violatio iustitiæ commutatiuæ fuit adiuncta Simoniæ, vt paulò ante diximus.

128. Cuinam restituendum. Quòd si quæras, cui facienda sit restitutio pretij Simoniacè accepti? Respondeo distinguendum esse. Nam si restitutio debetur vi solius iuris Ecclesiastici, fieri debet non parti læsæ, (nisi in casu, quo accipitur pro ingressu Religionis, de quo paulò ante diximus) sed Ecclesiæ, vel pauperibus: Ecclesiâ meritò id statuente in pœnam peccati: vt docent Sanctus Thomas quæst. 32. art. 7. & quæst. 62. art. 5. ad 2. Sylu ester Verbo *Simonia*, quæst. 20. Nauarrus cap. 25. Manualis, num. 115. Valentia disput. 6. quæst. 16. Puncto 6. §. *Sed quæret aliquis*, Malderus tract. 9. cap. 3. dub. 19. & Canonistæ communiter in cap. *De Hoc*, suprà cit. Si autem debetur restitutio vi iuris naturalis, restituendum est illi, à quo pretium acceptum fuerit: exceptis casibus, in quibus Ecclesia aliter statuit in pœnam Simoniæ. Ratio est, quia tunc debetur restitutio vi iniustæ acceptionis, & ratione iniuriæ. Ergo debet ex natura rei fieri illi, qui iniuriam passus est, & à quo pretium fuit iniustè acceptum: vt compensetur inæqualitas, & resarciatur damnum quod ille iniustè passus est. Potest tamen Ecclesia Simoniacum illo iure priuare: vt re ipsa priuauit in Simonia reali circa beneficia: circa Ordines verò nihil tale statuit: quid autem statuerit circa ingressum Religionis, diximus paulò ante.

SECTIO XI.

De modo iuuandi Simoniacos vt liberentur à pœnis quas incurrerunt.

129. Prænotantur aliqua. In primis explorandum est vtrum Simonia ab illis commissa sit realis & completa, an mentalis duntaxat, vel conuentionalis. Nam si non est realis & completa, collato beneficio, & pretio saltem ex parte soluto, non subiacet pœnis Canonicis: iuxta ea quæ diximus Sect. 2. n. 23. & Sect. 9. num. 114. Aduertendum deinde est num Simonia sit occulta, vel publica. Aliter enim publicus, aliter Simoniacus occultus tractari debet. In vtraque verò Simonia quatuor expendi debent: peccatum, censura, inhabilitas ad beneficia, & obligatio restituendi, per occultam, hîc intellige quod neque facto, neque iure notorium est: vel vt declarat sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Concilij ad caput 6. Sess. 24. Decreti de Reformat. quod in iudicio probari nequit.

130. Simoniacus occultus quomodo tractandus? His præsuppositis dico primò, In Simonia occulta Episcopum posse absoluere à peccato, & à censura: vt patet ex Trident. cap. citato: excepto casu quem diximus num. 117. Idem etiam possunt Religiosi & alij quibus ex priuilegio hæc facultas concessa est pro foro interno. Quoad inhabilitatem verò ex occulta Simonia, obseruandum est, an ille qui obtinuit beneficium, fuerit in bona fide. Nam si ipso inscio, beneficium quod accepit, ab altero quopiam ei Simoniace procuratum est in ipsius odium vt fieret inhabilis: certum est sic prouisum nullam contraxisse inhabilitatem: quia culpa aliena non debet illi obesse: vt statuitur ab Innocentio III. cap. *Sicut tuis*, 33 de Simonia.

Dubitari verò potest, vtrum compertâ Simoniâ contrahatur inhabilitas, si prouisus eam approbat soluendo pecuniam promissam, aut reddendo solutam, vt loquitur Innocentius prædicto capite, vbi talem approbationem videtur excipere. Et quidem si directè approbet, eique placeat admissa Simonia, non est dubium quin grauiter peccet. Sed prætetea incurrere Simoniam, & obligationem relinquendi beneficium ante sententiam Iudicis, docent cum D. Thoma Nauarrus consilio 95. & 97. de Simonia, Lessius cap. 35. num. 144. Suares lib. 4. de Simon. cap. 57. num. 35. à qua tamen obligatione posse Episcopum dispensare in beneficio simplici, colligitur ex cap. 59. de Electione. Probabile tamen putat Lessius nullam talem obligationem contrahi: quia cum collatio fuerit valida, non est æquum obligari, aliquem ad se spoliandum beneficio citra Iudicis sententiam. Hîc autem agitur de eo, qui post acceptum bona fide beneficium, postea directè ratam habet Simoniam: Nam si verè displiceat, quando primùm innotescit, non peccat prouisus, nec vllam contrahit obligationem aut inhabilitatem, licet illi placeat amici, qui ipsius causâ Simoniacè contraxit, beneuolentia, eúmque præstet indemnem, promissam pecuniam soluendo, vel solutam restituendo. Ita Nauar.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ:
Quæ in hoc Volumine continentur.

Litera P. designat Paginam. N. Numerum.

Index locorum sacræ Scripturæ.

Psalmorum.

Prouerbiorum.

Ecclesiastis.

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Isaiæ.

Ieremiæ.

Baruch.

Ezechielis.

Danielis.

Oseæ.

Ioëlis.

Zachariæ.

Malachiæ.

Machabæorum II.

Index locorum ſacræ Scripturæ.



INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM,

QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

De Virtutibus Cardinalibus.

TRACTATVS III.

De Prudentia, Fortitudine, & Temperantia. *pag.* 2.

DISPVTATIO I.

De Prudentia. ibid.

DISPVTATIO II.

De virtute Fortitudinis. pag. 36.

DISPVTATIO III.

De Temperantia. pag. 49.

TRACTATVS IV.

De Iustitia, & Iure. *pag.* 94.

DISPVTATIO IV.

De Iustitia secundùm se. pag. 95.

DISPVTATIO V.

De varijs speciebus Iustitiæ. pag. 117.

Tt 3

Index Disputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO VI.

De Iure. pag 129.

DISPVTATIO VII.

De Injustitia, siue Injuria, Satisfactione, & Restitutione, in Communi. pag. 150.

DISPVTATIO VIII.

De Injurijs, & Restitutione in particulari. Ac primò circa corpus, & animam, & bona spiritualia. pag. 181.

DISPVTATIO IX.

De Iure, & injurijs circa famam, & honorem. pag. 192.

DISPVTATIO X.

De Injurijs fortunarum per furtum, & rapinam, & necessaria Restitutione propter illas. pag. 206.

DISPVTATIO XI.

De Iure, & injurijs in Contractibus: præcipuéque de Vsura. p. 213.

DISPVTATIO XII.

De Iure, & Injurijs in Iudicio. pag. 248.

DISPVTATIO XIII.

De Iure, & Injurijs in distributionibus Officiorum, Beneficiorum, & bonorum vel onerum Communium. pag. 275.

TRACTATVS V.

De Virtutibus Iustitiæ annexis: præcipuéque de Religione, eiusque Officijs, & vitijs oppositis. *pag. 322.*

DISPVTATIO XIV.

De Virtutibus annexis Iustitiæ. pag. 323.

DISPVTATIO XV.

De Virtute Religionis. pag. 331.

DISPVTATIO XVI.

De Actibus Religionis in particulari: & primò de Deuotione, & Oratione. pag. 343.

DISPVTATIO XVII.

De Adoratione, Sacrificio, & alijs Oblationibus. pag. 369.

Index Disputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO XVIII.

DISPVTATIO XIX.

DISPVTATIO XX.

DISPVTATIO XXI.

DISPVTATIO XXII.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Litera P. denotat Paginam. Et Litera N. Numerum.

Non

Iustitia in genere.

Iustitiæ species.

R.

Religio.

Reſignatio.

Reſtitutio.

Reus.

S.

Sacrificium.

T.

Temperantia & species annexæ cum oppositis.

Index Rerum.

F I N I S.



VIx expectatum iam pridem opus de Fide, Spe & Charitate, à R. P. Ioanne Martinon Societatis Iesv, Doctore Theologo, conscriptum exierat in lucem mense Aprili Ann. 1662. cum statim cœptum est Prælo subjici aliud eiusdem Auctoris opus *de Iustitia & Iure, & reliquis Virtutibus Moralibus*; Perfectumque mense Martio Anni 1663. Auctoris celebrata per Europam vniuersam fama ea est, vt alia commendatione opus non sit. Is enim est, qui doctissimos in vniuersam D. Th. Summam Commentarios quinque voluminibus comprehendit: nec non Antijansenium sub nomine Antonini Moraines Anno 1652. edidit. Eum vero tertia parte auctiorem cùm recognosceret, religiosissimè, vt vixerat semper, mortuus est, 5. Februarij Anno 1662. In Collegio Burdigalensi Societ. Iesv, in quo per 20. totos annos Theologiam summo applausu docuerat. Vixit annos 77.

CLavdivs Herbodeav præpositus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Aquitaniæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R P. N. Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali eiusdem Societatis Iesv, Facultatem concedo *vt Patris* Ioannis Martinon *ex eadem Societate Doctoris Theologi Disputationes de Iustitia & Iure, & reliquis Virtutibus Moralibus*, multorum eiusdem Societatis Theologorum iudicio approbatæ typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas & officij nostri sigillo munitas dedimus. Datum Pali die 7. Maij Anni 1663.

Clavdivs Herbodeav.

Approbatio Almæ Facultatis Theologicæ Academiæ Pictauiensis.

NOs infra-scripti in Academia Pictauiensi Sacræ Theologiæ Doctores testatum facimus opus inscriptum. *Disputationes Theologicæ in 2. 2. D. Th. De Iustitia & Iure, & reliquis Virtutibus Moralibus, Tomi tertij, Pars Posterior.* Auctore R. P. Ioanne Martinon Societatis Iesv in Collegio Burdigalensi multos annos Professore, nihil aduersum doctrinæ Fidei, aut bonis moribus continere: Sed & Auctoris fama, & hominum de eo expectatione dignissimum: Perspicuum videlicet pressum tamen, reconditum, atque in primis accuratum nihil vt in eo redundet, nihil desiderari possit. Eiusmodi denique, quod ad publicam vtilitatem, in lucem quamprimum prodeat & omnium Sacræ Theologiæ studiosorum manu tractetur. Speramus enim ne frustrà diu multumque expectatum sit, nec minimum ex eo, tot alioqui voluminibus illustrata Theologia lumen accipiat. In cuius rei testimonium manu nostra subscripsimus. Pictauij 13. Iunij Anni 1663.

Carolvs de Ivmeavx. H. Maret.
I. Raberevl. Michael Desmonts.

EGo Clavdivs Herbodeav Prouincialis Societ. Iesv in Prouincia Aquitaniæ, iuxta Priuilegium concessum ab Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1605. Ludouico XIII. 14. Febr. 1612. & Ludouico XIV. 23. Decembr. 1650. quo prohibetur omnibus Librarijs & Typographis ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissu imprimant, Ioanni Fleuriau Regis & Academiæ Pictauiensis Typographo, vt has Disputationes Theologicas *De Iustitia & Iure, & reliquis Virtutibus Moralibus*, à R. P. Ioanne Martinon *ex eadem Societate* Iesv *Doctore Theologo*, conscriptas ad decem annos proximos imprimere & distrahere libere possit. Datum Burdigalæ die tertia Nouembris Anni 1661.

Clavdivs Herbodeav.

